A
3
821

C. 36
C. 7

1
4-35



C. 36
C. 7

4
7-852-1
1
4-35
1

R 2255

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

SYNODORUM GENERALIUM, AC PROVINCIALIUM DECRETA, ET CANONES,

SCHOLIIS, NOTIS, AC HISTORICA ACTORUM DISSERTATIONE ILLUSTRATI,

PER F. CHRISTIANUM LUPUM,

Iprensem, Ordinis Heremitarum Sancti Augustini, Sacræ Theologiæ in Alma Lovaniensi Universitate Doctorem, ac Regium Primarium Professorem.

PARS QUINTA.

OPERUM TOMUS QUINTUS,

Continens Victoris secundi, Stephani noni, Nicolai secundi, & Alexandri secundi Concilia, & Dictatum Sancti Gregorii septimi.

STUDIO, AC LABORE

F. THOMÆ PHILIPPINI RAVENNATENSIS EJUSDEM ORDINIS.



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

VENETIIS, MDCCXXV.

Prostant { APUD JO: BAPTISTAM ALBRITIUM Q. HIERON. ET SEBASTIANUM COLETI.

CUM GRATIA, ET PRIVILEGIO.

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO,

D. JACOBO ROSPIGLIOSO,

CLEMENTIS NONI,

SUMMI NUPER ET OPTIMI PONTIFICIS,

DIGNISSIMO NEPOTI,

Sanctæ Romæ Ecclesiæ ad Sanctum Xixtum Presbytero Cardinali, &c.

EMINENTISSIME DOMINE,

Non de sola Sancti Petri Apostoli persona, sed etiam de ejus Romana Cathedra dixit Dominus: Ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. *Hanc non sola Arianorum Eusebiana factio, nec solus pro Hæresiarcha Eutyche insaniens Alexandriæ Patriarcha Dioscorus, nec sola Eutychianorum Acaciana conjuratio, nec solus Donatistarum Signifer, & apud Constantinam Episcopus Petilianus, nec solus Imperator Leo Isaurus, nec solus totius Latinæ Ecclesiæ Calumniator Photius, nec solus Calumniarum Instaurator ac Ampliator Michael Cerularius arietarunt, sed etiam intra Catholicam Communionem Africanæ Diœceseos Primas Aurelius, Arelatensium Metropolita Hilarius, Regiæ civitatis Episcopi Atticus ac Epiphanius, intra ipsam Italiam à Græcorum Exarchis instituta Ravennas Ecclesia, ac ipse, in hac quoque rerum summa ambidexter, Imperator Justinianus. Etenim junioris Theodosii infelicem & circumductam de Illyriciana Diœcesi legem resuscitavit, reddidit Epiphanio, ac suo Codici inseruit. Etiam tot ac tantis Romanæ Ecclesiæ laboribus atque impensis reposito in suam Constantinopolitanam Cathedram Sanctus Patriarcha Ignatius. Quidam Divinum ac Evangelicum Papatus Primatum, quidam Apostolicam Patriarchatus dignitatem lacerare tentarunt aut truncare. Quas Sancti Petri injurias propriis oculis videre compulsus fuit & septimus Gregorius, non tantùm à Wormatiensi aut Brixinensi Latrocinio, sed & à Cuniberto, Bambergensis Ecclesiæ Clerico, Goliath Henricianæ ac Guibertinæ factionis. Etiam nostro sæculo non desunt fumosi Doctores, qui omnibus extra Urbicariam Italiam Metropolitis adscribunt Autocephaliam. Garriunt Africanam Ecclesiam numquam provocasse ad Romanam. Blaterant Romanas appellationes esse Sardicenses, quæ avitum Imperii jus transcripsit in Romanum Episcopum, Synodi institutionem. Buccinant Canonica Provincialium Synodorum judicia fuisse olim suprema, incolumia, inappellabilia. Clamant Orientales Episcopos numquam ad Apostolicam Sedem, semper ad Generalem Synodum provocasse. Apostolicam, immò Evangelicam, quæ definitiva de fidei quæstionibus judicia reservavit Sedi Apostolicæ, legem plenis maledicentiæ buccis proscribunt ad novas usurpationes. Scelerata Eusebianæ factionis è Philippopolitano Conventiculo litteras venùm exponunt uti authenticos Canones. Effutiunt Generalium Synodorum convocationem esse Augusti Principis munus, non Romani Pontificis. Huic in iisdem Synodis abjudicant suffragii Prærogativam, & confirmandi authoritatem. Quin & quidam Apostolicis privilegiis sublimes & opulenti sine fronte & mente cantant Romanum Pontificem non posse contra Canones privilegia concedere. Misera invidia in tantùm studet aliena jura quoquo modo lædere, ut sua se evertere nocendi cupiditate non videat. Est stulta Græcorum nequitia, de qua ad Imperatorem Basilium scripsit Adrianus secundus Pontifex:* Quidam, qui apud vos summa Ecclesiasticarum rerum gubernacula moderantur, tunc Synodorum Statuta vel etiam Sedis Apostolicæ Decreta proferunt, cùm vel aliòs lædere, vel se juvare cupiunt, & hæc sub silentio tegunt, quando forsasse contra se vel pro aliis proponerentur. *Ea tunc impugnare aut calumniari est longè major iniquitas. Nempè Apostolica de periculosis novissimorum temporum diebus Prophetia edicit:* A veritate auditum avertent, ad fabulas convertentur. *Et certè novissimus Diaboli in Ecclesiam insultus erit illius Hierarchiam confundere, & intrudere Gentilem, quò disponant ista omnia, Acephaliam. Ita sperabit sui Anti-Christi Monarchiam stabilire. Verùm contra hos omnes Sancti Petri Cribratores stat & stabit immobile fundamentum:* Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua. *Et hisce Dominicis precibus non tantùm Nicænam, Sardicensem, aut Chalcedonensem, quæ impios ventilatores in inferno sepelierunt, Synodos debemus, sed etiam Sancti Gregorii septimi Pontificis Dictatum. Licèt ipsum Joannes Calvinus blasphemet, & Marcus Antonius de Dominis garriat esse non Dictatum, sed Dictorum, constanter credit Orthodoxa Ecclesia ipsum esse spiritu Dei conditum, ideoque totius mundi reverentia consecrandum. Et hisce in Scholis Catholicæ Matris sensum stabilire conor, atque elucidare. Imperatori Constantio, Apostolicæ Sedis potestatem ultra limites usurpatam ac ampliatam improperanti, reposuit Liberius Pontifex:* Secutus sum morem, ordinemque Majorum. Nihil addi Episcopatui urbis Romæ, nihil minui passus sum. *Hanc regulam & ego ex corde profiteor, & studui integram custodire. Etenim*

Sanctus

Sanctus Petrus Apostolus, cui Dominus dedit omnia, non indiget meo mendacio. Et Sanctis aut ipsorum Dignitatibus ampliandis impensum mendacium esse sacrilegè pernicioſissimum, rectè ac frequenter docet Sanctus Augustinus. Nihilominus auguror Crabrones meis oculis non defuturos. Hinc Romanæ Ecclesiæ imploro Patrocinium, cujus legitimo Defensori nullus ventus possit esse adeò validus, ut ipsum terreat supra quosvis fluctus ambulare. Ambulat enim cum illo, cui dictum est: Confirma Fratres tuos. *Et istud patrocinium, à quo securiùs sperem, quàm à vestra Eminentia? Quæ similes aliquando Crabrones compescuit insigniter, & exarmavit. Quæ ex Patrui sui Clementis noni optimi Pontificis exemplo, ac avito Illustrissimæ suæ familiæ more, studet omnibus, etiam Adversantibus, bene facere, & imitari ipsum Clementiæ Dominum, qui super justos pluit atque injustos. Quæ in me, servum inutilem, dignata est amplissima suæ Benignitatis dona frequenter profundere. Quibus ut non solus ego, nec sola alma Urbs aut Italia, sed omnis sub cœlo Christianitas diu mereatur gaudere, Divina miseratio Eminentiam vestram dignetur nobis in multos annos custodire.*

Dabam Lovanii, in Conventu Sancti Joannis Baptistæ, die 23. Sept. A.Dom. 1672.

EMINENTIÆ VESTRÆ

minimus famulus

Fr. CHRISTIANUS LUPUS.

ORDO CONCILIORUM AC DECRETORUM ROMANORUM PONTIFICUM,

Quæ in hoc Tomo elucidantur.

		pag.
Concilium	Florentinum sub Victore II.	1
	Turonense sub eodem.	6
	Lugdunense sub eodem.	10
	Tholosanum sub eodem.	12
	Colonienſe sub eodem.	64
	Romanum sub Stephano X.	66
	Romanum sub Nicolao II.	67
Decretum	de Electione Romani Pontificis.	68
Decretum	de Simoniacis.	104
Concilium	Amalphitanum sub Nicolao II.	118
	Beneventanum sub eodem.	120
	Andegavense sub eodem.	129
	Romanum sub Alexandro II.	140
Decreta	quatuor Alexandri II.	142
Dictatus	Sancti Gregorii VII.	164

SYNODORUM GENERALIUM AC PROVINCIALIUM DECRETA ET CANONES, SCHOLIIS, ET NOTIS ILLUSTRATI.

VICTORIS II. CONCILIUM FLORENTINUM.

AD quinquagesimum quartum undecimi sæculi annum scribit antiqua incogniti Auctoris Historica compilatio: *Defuncto Leone Papa, Henricus Imperator Gothardum Teutonicum Papam constituit, qui Victor appellatus est.* Videtur asserere ipsum regia nominatione intrusum. Verùm vox, *Constituit*, aliud non importat quàm Regium Canonicæ electioni datum consensum, quem ista sæcula pompatico vocabulo titulabant Episcopatus donum aut concessionem, adeoque & constitutionem Episcopi. Rei seriem exponit in Cassinensis Monasterii Chronico Leo Ostiensis Episcopus: *Defuncto sanctæ memoriæ Leone Papa, Hildebrandus tunc Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus, à Romanis ad Imperatorem mittitur, ut quoniam in Ecclesia Romana persona ad tantum officium idonea reperiri non poterat, de partibus illis, quem ipse tamen vice Cleri Populique Romani Pontificem elegisset, adduceret. Quod cùm Imperator annuisset, Geberardum Eistetensem Episcopum de Romanorum consilio postulavit. Tristis ad hæc Imperator, nimis enim illi charus erat, cùm illum omnibus modis sibi necessarium diceret, & alios pleroſque huic officio magis idoneos proponeret, Hildebrandus in sententia perstitit. Erat enim idem Episcopus non modò prudentissimus, verùm etiam in toto Regno ditior atque potentior omnibus. Hunc itaque invitum licet, ac nolente Rege, propter quod postmodum Monachos non amasse dictus est, Romam secum adduxit.* Consonat Lambertus Schafnaburgensis: *Imperator interpellatus à Romanis, ut Antistitem* A. 1054. *Sedi Apostolicæ provideret, Gerardum Eistetensem Episcopum misit.* Et Hermannus Contractus: *Conventus ab Imperatore Moguntiæ factus est, in quo Geberardus Eistetensis Episcopus, ab Episcopis electus, Romam missus est.* Romanus itaque Clerus & Populus, quòd in suo gremio personam non haberet idoneam, ideoque ab alia Ecclesia deberet postulare, non in Henricum Imperatorem compromisit, sed in Hildebrandum, qui ab illo, & per ipsum ad tanta de re deliberandum indicta Moguntina Synodo obtinuit laudatum Gerardum. Hildebrandus hic erat generosus ille ac eruditus Cluniacensis Monachus, quem Ro-

Lib. 2. cap. 90.

mam secum deduxerat, & in Subdiaconum promoverat Leo nonus. In omni arduo negotio dextera semper manus Apostolicæ Sedis, ac ejus tandem Pontifex Gregorius septimus. Et quòd tunc in Romanæ etiam Ecclesiæ Clerum, ac ipsum item Pontificatum exaltati Monachi retinerent Monasticum habitum, testatur in Windeshemensis Con-
L. 1. c. 23. gregationis Chronico Joannes Buschius: *Dominus Apostolicus vestem illam lineam, quam Roketum Romani appellant, super omnia vestimenta sua rubea deferre consuevit, nisi ad Papatum de Regulis Sanctorum Benedicti aut Francisci quis fuerit assumptus. Tunc enim vestem Ordini suo congruam solitus est deferre.* Hinc ergo Hildebrandum, non ut Clericum, sed ut Monachum tractavit Victor secundus, ac ejus causa visus fuit in omnem Monasticum statum fuisse non satis benignus. Rigidior præsertim fuit in Cassinense scribentis hæc Leonis Monasterium.

Fuisse virum insigniter Sanctum demonstrat à præfato Lamberto Schafnaburgensi laudatum miraculum: *Victori Subdiaconus toxicon in Calicem misit, quem cùm ipse post consecrationem levare vellet, nec posset, à Domino causam facti inquisiturus, cum Populo ad orationem prosternitur, statimque toxicator à Dæmone arripitur. Ita igitur causa manifestata, Dominus Papa Calicem cum sanguine Dominico cuidam altari jussit includi, & pro Reliquiis in perpetuum conservari. Deinde iterum cum Populo tamdiu ad orationem prosternitur, quousque Subdiaconus à Dæmonio liberaretur.* Quod ipsum referunt authentici ac graves istius sæculi Scriptores. Veneno exstinctus non fuit Victor, attamen & ipse & plures ejus Antecessores, ac Successores modico admodum tempore vixerunt.
Lib. 1. Ep. 17. Quæ res tunc adeo turbavit multos, ut hujus Divinæ providentiæ causas à variis Doctoribus perquisierit Alexander secundus, & varias adduxerit Sanctus Petrus Damiani. Et hinc maledicus Cardinalis Benno sumpsit ansam blaterandi, quòd segregatus Pseudo-Papa Theophylacto seu Benedicto nono, & Gerardo Brazuto adjutus Hildebrandus intra tredecim annos veneno suffocasset sex Romanos Pontifices, atque ita sibi viam ad Papatum aperuisset. Verùm sunt adeò lucida mendacia, ut nec Henricus quartus Imperator, nec Venericus Vercellensis, nec quis alius Henricianus Episcopus aut Apologus fuerit ausus ipsis uti.

Interim de Victore etiam tertio, qui in ipsa Papalis suæ consecrationis & coronationis Missa dysenteriam passus, elatus ex Ecclesia, ac statim exstinctus fuit, scribit Jonnes Bromtonus: *Victor tertius veneno in ejus Calicem misso obiit.* Et
A. 1073. Guilielmus Malmesberiensis: *Hildebrando successit Victor, sed ad primam Missam, incertum quo discrimine, cecidit exanimatus, Calice, si dignum est credere, veneno infecto.* Ejus electionem vitiosam, & indignam Papatu personam in litteris ad Comitissam Mathildim describit Hugo Archiepiscopus Lugdunensis, ipsas suo Virdunensi Chronico inseruit Hugo Abbas Flaviniacensis, & concludit: *Victor consecratus ab Hostiensi Episcopo, cùm Missas apud sanctum Petrum diceret, infra actionem judicio Dei percussus est. Et quamvis tardè, cognoscens se errasse, se ipse deposuit, & accitis fratribus de Monte Cassino, qui secum aderant, præcepit se illò deferri, & in Capitulo non ut Papam, sed ut Abbatem sepeliri.* Antea enim fuerat Desiderius Abbas Cassinensis, promotus gratia Victoris secundi: Hinc & se Victorem appellavit. Et de ejus morte non solùm Guibertini, spargentes quòd illi inflicta Arii morte Guiberti Papatum Deus confirmasset, sed etiam Catholici fuerunt gavisi. Interim patet quòd venenum è sacro Calice non biberit: Utpote infra actionem passus corporis deliquium ante consecrationem. Quidquid sit, de Theodorici Gothorum in Italia Regis, quæ propriam Matrem sustulit, filia scribit in Francorum Historia Sanctus Gregorius Episcopus Tu-
ronensis: *Erant sub Ariana Secta viventes. Et* L. 3. c. 31. *quia consuetudo eorum est, ut ad Altaria venientes, de alio Calice Reges communicent, & de alio populus minor, venenum in Calice illo filia posuit, de quo Mater communicatura erat. Quo illa hausto, protinus mortua est. Non enim dubium est tale maleficium esse ex parte Diaboli. Quid contra hæc miseri Hæretici respondebunt, ut in Sancta eorum locum habeat inimicus? Nos verò Trinitatem in una æqualitate pariter & omnipotentia confitentes, etiamsi mortiferum bibamus, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, veri atque incorruptibilis Dei, nihil nobis nocebit.* Et de Guilielmi Eboracensis Archiepiscopi, quem instante cum potentibus æmulis Sancto Bernardo ab Eugenio tertio degradatum reparavit Anastasius quartus, præcipiti post solemnem in Pentecoste Missam infirmitate scribit Rogerius Hovedensis: *Guilielmus Ebora-* F. 490. *censis Archiepiscopus in Sedem suam honorificè est susceptus. Sed non multò post proditione Clericorum suorum, post perceptionem Eucharistiæ, infra ablutiones liquore lethali infectus, exstinctus est.* Eandem rem largè edisserit Guilielmus Neubrigensis, & adjungit: *Sanè Guilielmus, propter inopinatum ejus transitum, à multis creditur veneno* C. 1. c. 2. *exstinctus, asserentibus eum ex sacro Calice per quendam ab adversariis immisso, vel pro eis æmulantem infecto, potum mortiferum, quod dictu horrendum est, & cum potu mortem hausisse.* Asserit non ablutionem, sed ipsum Sacro-sanctum Calicem de infectione fuisse suspectum. Asserit suspicionem fuisse, non veritatem. Sic de Simone Alexandriæ Patriarcha scribit Orientale istorum Patriarcharum Chronicon: *Simon suscitasse mortuum scribitur. Ter hausit venenum post communionem absque ullo nocumento. Verùm dato ipsi quarto perint. Captus est auctor, ac igne incensus.* Videtur non ex Sacro-sancti Calicis, sed ex ablutionis toxico periisse. Etiam de Imperatore Henrico septimo, quem Communicantem constat veneno exstinctum, an in Sacro-sancta Hostia, an in ablutione sit passus istud sacrilegium, Historici certant, & adhuc sub judice lis est.

Hinc interim oritur quæstio, Quomodo laudatus Turonensis Gregorius scribat Diabolo in sola Hæreticorum Mysteria esse potestatem, à nobis autem illic sine nocumento hauriri venenum? Respondeo illum loqui ex illa in Divinam

nam miserationem fiducia, ex qua laudatum Eboraci Episcopum Guilielmum egisse quidam dixerunt apud laudatum Guilielmum Neubrigensem: *Fertur eum dixisse, quod cœlesti Antidoto non adjiceret humanum.* Et de Sancto Conrardo Constantiensi Episcopo, solennem in Paschali festivitate Missam celebrante, scribit ejusdem Ecclesiæ
Epist. 24. Chronicon: *Accepto Dominici corporis Sacramento, venitur ad Sanguinis participationem. Calix ex more discooperitur: Aranea vitæ liquori illapsa cernitur. Animal mortis exitium homini exteriori minatur, sed interim poculo immortali animatur. Quid facit Minister Cœlestis convivii? Summa accinctus fide, nihil in hac re mortale, nihil ducit exitiale, avidius consumit, & quod Sacramenti, & quod exterminii fuit, non immemor antiqui serpentis venenum Antidoto Dominicæ passionis evacuatum. Cerneres cooperatores hujus Ministerii pallescere, imminens Antistiti, ut suspicabantur, necis periculum circumstantibus innuere. Ab omnibus in commune tristatur ac timetur, dies gaudii in mœrorem vertitur. Tamen peracta Communionis distributione, ultra omnium spem, ad mensam artus jejuniis attenuatos refecturus accedit, sed non gustando cibum aliquamdiu sedit. Percunctatur Secretarius quid esset acturus: Expecto, inquit, hospitem in proximo venientem. Et reclinato super mensam capite exitum Araneæ aperto præbet ore, quæ nec mori in homine Dei, nec mortem potuit inferre.* Et in Occidentalis Ecclesiæ Historia scribit Jacobus Cardinalis de Vitriaco: *Quidam Sacerdotes ex tanta fide quandoque muscam, &*
Lib. ult. *Araneam cum Sanguine acceperunt, quod eis nihil nocuerunt. Audivi autem de quodam, qui postquàm Araneam cum Sanguine suscepit, post dies aliquot cum sibi minueret, Aranea viva & integra cum Sanguine de brachio ejus prosiliit.* Ex hac fide etiam Simon Patriarcha trinæ ablutionis toxicon illæsus admisit. Et Hæreticorum, & Catholicorum Eucharistiam veneno posse infici fatetur, verùm in solis his laudatam posse reperiri fidem vult Sanctus Gregorius Turonensis.

Et hinc orirur alia quæstio, An ad ejusmodi fidem omnes obligemur? Respondeo negativè. Etenim infectum Calicem non sumpsit Victor secundus, sed servandum seposuit uti Reliquias, ac pro Sacrificii complemento alium consecravit. Et quod Guilielmus Eboracensis Archiepiscopus antidotum sumpserit, authenticis testimoniis demonstrat Guilielmus Neubrigensis, & adversus aliud opinantes adjungit: *Quod Guilielmus, quia vir sapiens fuit, & Dominum non esse tentandum Divina auctoritate edoctus, nec dixisse, neque egisse credendus est.* Non dixisse, quòd *Cœlesti*
T. 9. c. 24. *Antidoto non sit adjiciendum humanum.* Et in suo Capitulari statuit Venerabilis Parisiensium Episcopus Odo: *Si in Domini Sanguinem musca, vel aranea, vel aliquid tale ceciderit, quia non fine vomitu & periculo corporis aliquando sumi potest, igne cremandum est, & tunc Sanguis Domini sumatur. Illud tamen, quod intùs ceciderit, priùs in Calice debet vino perfundi, & quantò cautiùs fieri poterit ablui, & postea super piscinam comburi, & illam ablutionem Sacerdos sumat.* Et laudatus Cardinalis de Vitriaco: *Si musca, vel aranea in Calicem ceciderit, non est tutum propter vomitum muscam vel araneam cum Sanguine sumere. Debet igitur Sacerdos diligenter & pluries muscam vel araneam abluere, & aquam ablutionis sumere. Id verò quod ablutum est comburatur, & cinis in piscina reponatur, vel in liquida substantia recipiatur.* Firma in Deum fides est singularissimum Dei donum, ideoque adducta Sanctorum exempla sunt potius admiranda & veneranda, quam imitanda. Quisquis temerè venenum sic sumpserit, de Divinæ Majestatis tentatione est meritò arguendus. Nam & Simonem Patriarcham à quarta sumptione jam audivimus occisum. Quare & Turonensis Gregorius istam fidem solummodò laudat, non statuit in generale præceptum. Horrendum nescio cujus in Belluacensi agro rustici, qui immisso bufonis sanguine sacrum sui Presbyteri Ca-
L. 3. c. 17. licem intoxicavit, facinus refert in libris de sua vita etiam venerabilis Guibenus Abbas Novigenti. Addit Presbyterum non virtute Sacramenti, sed Sancti Marcelli Parisiensis Episcopi intercessione fuisse à morte servatum. Et hæc breviter dicta sint ob Victori nostro intoxicatum Calicem.

De eodem Victore ad istius sæculi annum quinquagesimum septimum pergit Lambertus Schafnaburgensis: *Rex Henricus tertius Natalem Domini Ratisbonæ celebravit, præsente adhuc Victore Papa, qui exinde compositis mediocriter Regni negotiis, in Italiam regressus, quinto Kalendas Augusti migravit ad Dominum. Eistetensem Episcopatum, quo se ille Papa factus non abdicaverat, Gurizo suscepit.* Uti Leo nonus Tullensem, ita Victor Eistetensem Episcopatum simul cum Papatu retinuit: Quod ipsum de Lucensi Cathedra postmodum fecit Alexander secundus. Laudatus Leo obiit decimo tertio Kalendas Majas anni quinquagesimi quarti, eodem anno electus est Victor, sequenti coronatus in Cœna Domini, ac post biennium defunctus. *Hinc* à quibusdam ad duos, à quibusdam ad tres annos fedisse dicitur. Quòd nempe olim sedes non ab electione, Fol. 114. sed à Consecratione, vel Coronatione sumeret exordium. Magnum Belgii Chronicon ait sedem à Leonis morte ad tres dumtaxat dies vacasse. Quod nempe tertio die Romanus Clerus & Populus compromiserit in Hildebrandum Subdiaconum, atque hic statim elegerit. Quin Victor plures Synodos celebrarit, non est dubitandum. Verùm ipsas varia dierum malitia nobis perdidit, atque usque nunc occultavit. Omnium prima videtur fuisse Florentina, de qua laudatum Chronicon: *Victor Synodum Florentiæ celebravit, ubi multi Prælati, & Episcopi depositi propter Simoniam, & fornicationem damnantur.* Et in Citizensis Ecclesiæ Chronico Paulus Langius: *Synodus Florentiæ celebrata est sub Victore Papa ejus nominis secundo, in qua multi Episcopi propter Simoniam & fornicationem depositi sunt.* Celebratam dicit quinquagesimo quinto istius sæculi anno, qui fuit Victoris primus. Fuisse ple-
L. 4. Ep. 12 narium, utique totius Romani Patriarchatus, Concilium, & adfuisse Henricum Imperatorem, testantur in litteris ad nescio quem Episcopum Sanctus Petrus Damiani, & Auctor vitæ Sancti

Joannis Gualberti. Canones apud varios Scriptores sunt quærendi. Quòd omnia Leonis noni adversum conjugatos ac Simoniacos Episcopos, & Clericos Decreta sint hic confirmata, jam audivimus à bino testimonio. Utraque pestis erat hydra multiceps, & desecto uno capite surgebat aliud, adeoque sæpius fuit ferienda.

Aliud Decretum adducit in laudata epistola laudatus Petrus Damiani: *Non te lateat, venerabilis frater, quia de prædiis Ecclesiæ tuæ, quæ distrahere diceris, non parvus rumor increvit. Numquid oblitus es, quòd ante ferè quinquennium Victor Apostolicæ Sedis Episcopus in plenario Concilio Florentiæ celebrato, cui simul & Imperator Henricus interfuit, hoc sub excommunicationis censura prohibuit?* Quòd Episcopi & Abbates tunc Ecclesiarum suarum fundos suis ad emendam prælaturam mediatoribus militibus, aut aliis Palatinis in beneficium traderent, variè alienarent, ac tractarent pessimè, vario à nobis loco & testimonio est ostensum. Pessimum ergo abusum secundus etiam Victor damnavit, & conatus est eradicare.

Tertium Decretum producit in vita Sancti Lanfranci Milo Crispinus, Leonis Noni contra Berengarium Decreta laudans, & adjungens: *Quæ sententia non effugit Leonis Papæ Successorem* Cap. 3. *Victorem.* Addit etiam in Turonensi per Victoris Legatum Hildebrandum Concilio fuisse damnatum Berengarium, atque ita supponit ab ipso item Victore anteà damnatum. Quod eisdem verbis scribit & ipse Lanfrancus. Etenim errorem, quem in Parisiensi Concilio ob Regii gladii metum solemnissimè abjurarat, statim contumaciter resumpsit Berengarius. Sic supra audivimus à Durando Abbate Troarnensi. Nec resumpsit tantum, sed & insigniter auxit. Tunc enim quo penetrativam ac spiritualem Christi Domini in Eucharistia existentiam subverteret, blaterare cœpit ipsum *Clausis januis ad Discipulos post resurrectionem non intrasse.* Addidit & aliam blasphemiam: *Si mures consecratum Christi Corpus comederint, non ideò Christus in eis, & ipsi in Christo manebunt, nec vitam æternam habebunt.* Quam nefandam etiam in Germania grassantem impietatem erudita ad Megenhardum Gladebacensem Abbatem Epistola revicit Beatus Wolphelmus Abbas Brauvvilerensis. Eam in hujus apud Laurentium Surium vita nobis servavit Conrardus Monachus. Quòd non solummodò Galliam, sed & Germaniam pervaserit hæc hæresis, supra etiam audivimus à Theoduino Episcopo Leodiensi. Hinc ipsam, uti in duplici Parisiensi Henricus Rex Francorum, ita in hac Florentina Synodo coram se damnandam curavit Henricus Imperator.

Quartum hujus Synodi Decretum producit antiqua incogniti auctoris Historica compilatio. *Victor constituit, quòd quatuor tempora cum jejunio* An. 1055. *observentur.* De quatuor temporum jejunio scribit liber Pontificalis: *Calixtus constituit jejunium quater in anno fieri, frumenti, vini & olei gratia secundum Prophetam.* Et ejusdem Calixti ad nescio quem Episcopum Benedictum epistola: *Jejunium, quod ter in anno apud nos celebrare didicisti, convenientius nunc per quatuor tempora fieri decrevimus, ut sicut annus per quatuor volvitur tempora, & nos quaternum solemne agamus jejunium per anni quatuor tempora. Et sicut replemur frumento, vino & oleo, ad alenda corpora, sic repleamur jejunio ad alendas animas, juxta Prophetæ Zachariæ vocem,* &c. Vario Prophetico ac legali testimonio quaternum hocce jejunium confirmat. Quæ omnia tamquam Authentica comprobat Ecclesiasticorum Rituum elucidator Micrologus. Aliàs plures illius jejunii rationes adducit Amalarius Fortunatus. Calixti rationes comprobat & Sanctus Leo Magnus, aiens nos pro seminatis, crescentibus, maturis, & collectis terræ frugibus per quaternum jejunium Deo agere gratias, & gratiam supplicare. In primo de his jejuniis sermone dicit Decembrem esse *Tempus Apostolicis traditionibus ad ipsa consecratum.* Et in alio Sermone: *Sancti Patres nostri Divinitus inspirati decimi mensis sanxere jejunium.* Cum Calixto affirmat esse ex Prophetia, seu antiqua lege desumptum, & prosequitur: *Non ideò negligendum est, quia de observantia Veteris legis assumptum est, tamquam hoc de illis sit, quæ inter discretiones ciborum, inter Baptismatum differentias, & avium pecudumque Hostias esse desiterunt.* Etiam in alio Sermone declamat: *Cùm vos ad quædam, quæ etiam in veteri Testamento instituta sunt, cohortamur, non Judaicæ vos observantiæ jugo subdimus, nec consuetudinem vobis carnalis Populi indicimus.* Et iterum: *Quod fuit ante Judaicum, vestra sit observantia Christianum.* Insigniter demonstrat jejunia hæc apud Judæos non fuisse Sacramentalia, sed purè moralia, ideoque omninò potuisse mutuari per Patres nostros, ac in Ecclesiam introduci. Et edicit introductionis causam: *Decimi mensis jejunio, pro consummata perceptione omnium fructuum, dignissimè largitori eorum Deo continentiæ libamen offertur.* Quam pro Decembris jejunio rationem inculcat etiam in aliis Sermonibus. Scribit item de jejunio post Pentecosten: *Ex Apostolica traditione subsequitur.* Et dat ejus causam: *Si quid maculæ proximis diebus negligentia incauta contraxit, id jejunii censura castiget.* Per proximos dies intelligat Quinquagesimam, quam antiquus Ecclesiæ Canon transigi jussit in gaudio, & vetuit jejunari: Ex ista indulgentia contractas negligentias dicit Pontifex triduano hocce jejunio diluendas. Largè hæc deducit in sequentibus Sermonibus. Etiam vernum ac autumnale laudat jejunium, & prosequitur: *Ideò continentiæ observantia quatuor est assignata temporibus, ut in idpsum totius anni redeunte decursu, cognoscerемus nos indesinenter purificationibus indigere, semperque esse nitendum, dum hujus vitæ varietate jactamur, ut peccatum, quod fragilitate carnis & cupiditatum pollutione contrahitur, jejuniis atque eleemosynis deleatur.* Hæc quatuor anni tempora scribit esse quasi quatuor Evangelia, *à quibus incessabiliter discimus, quid & prædicemus & agamus.*

Et hinc omninò lucet quaternum hoc jejunium esse antiquum. Attamen ejus nec Tertullianus meminit in libro de jejuniis, nec ullus antiquus Doctor, seu Græcus seu Latinus. Et quod ullas

Cap. 28.
L. 2. c. 2.
Serm. 9.
Serm. 13.
Serm. 12.
Ser. 85. c. 1
Ser. 86. c. 1
Serm. 10.
Ser. 71. c. 7
Ser. 3. c. 4.
Ser. 73. 74.
Serm. 16.

ullas fixorum jejuniorum leges nec ab Apostolis acceperit, nec sibi dudum imposuerit Ecclesia, liquet ex eodem Tertulliani libro, confirmantque cum pluribus aliis Eusebius Cæsariensis, ac in litteris ad Casulanum Presbyterum Sanctus Augustinus. Et Pontificalis libri prior usque ad Sylvestrum pars, & omnes illæ per Isidorum Mercatorem ex Hispania in Franciam deportatæ Romanorum Pontificum Epistolæ non sunt authenticæ. Quaterni hujus jejunii nullus etiam posterior Græcus meminit, ejusque legem Orientalis Ecclesia numquam admisit. Ipsam admisisse videtur Gerundensis Synodus, attamen infra Pentecostes Octavam non more Romano Sabbathum & cum sexta quartam feriam, sed quintam jejunari mandat, atque ita tanta Latinarum etiam Ecclesiarum varietas evincit legem non esse antiquissimam. Crediderim esse introductam paulatim consuetudinem, quam Sanctus Sylvester efformarit in legem. Nam ab ipso est & Sabbathi jejunium. Et hinc Magnus Leo quaternum hoc jejunium dicit esse legem Patrum. Hinc item ejus nec Sanctus Augustinus, nec ullus Afer istius temporis, nec Sanctus Ambrosius meminit, & circa ejus modum Hispania variavit. Quòd nempè ad Sabbathini jejunii instar à Romana Ecclesia ad alias Provincias non nisi pedetentim sit traductum.

Undè hic nascitur quæstio, Quomodo Magnus Leo ipsum affirmet esse traditionem Apostolicam? Lucidissima sunt hæc ejus verba: *Meritò dispositerunt Apostolicæ sanctiones, ut veterum jejuniorum utilitas permaneret, & licet Ecclesiæ consuetudo prolixioribus se castigationibus exercere didicisset, amplecteretur tamen continentiæ sanctificationem ex lege venientem. Quibus enim donatum erat posse quod majus est, indecens fuit non celebrare quod minus est.* Respondeo ipsum à se ipso exponi: *Dubitandum non est omnem observantiam Christianam eruditionis esse divinæ, & quidquid ab Ecclesia in consuetudinem est devotionis receptum, de traditione Apostolica, & de Sancti Spiritus prodire doctrina.* Et in alio sermone: *Inter omnia Apostolicæ institutа doctrinæ, quæ ex divinæ institutionis fonte manarunt, dubium non est, influente in Ecclesiæ Principes Spiritu Sancto, hanc primam ab eis observantiam fuisse conceptam, ut sancti observatione jejunii omnium virtutum regulas inchoarent.* Distinguit jejunium, & fixos illius dies: Istud affirmat traditionem & sanctionem Apostolicam, hosce esse manantem indè Ecclesiarum consuetudinem & legem Patrum. Consuetudinem, quam tandem Patres firmarint in legem. Ejusmodi suas consuetudines Ecclesia semper titulavit sanctiones Apostolicas. Et quaternum hoc jejunium omninò possint Apostoli, uti & alios Synagogæ bonos mores, commendasse. Interim Patrum legem omnis Latina Ecclesia tandem admisit. Et neglectam suo sæculo pietatem præsenti Canone reparavit Victor secundus. Aliud ejus Decretum laudat præfata compilatio: *Quòd nulli Clerici ordinentur, nisi in Sabbatho.* Quod ipsum statuit Tolosana per ejusdem Victoris Legatos celebrata Synodus: *Ordinatio non fiat nisi Temporibus secundum Canones statutis.* Est Leonis noni in Moguntina Synodo Decretum: Ab hac utraque, quòd plena executio non esset facta, Victoris Synodo novatum atque firmatum.

Serm. 98.

CONCILIUM TURONENSE.

Celebratum per Hildebrandum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Subdiaconum, ac Victoris ſecundi in Gallia Legatum.

A Sancto Guitmondo Averſæ Epiſcopo ſuperiùs adducta in defunctum Sanctum Pontificem Leonem, ac ejus Vercellenſem Synodum, ipſumque Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum Berengarii blaſphema ſcommata, ac ejuſdem poſt Pariſienſem Synodum relapſus, & in Florentinam reſumpta contumacia, huic anno iſtius ſæculi quinquageſimo quinto celebratæ Synodo dederunt anſam, pergitque de ipſa laudatus Guitmondus: *Turonis item generali aggregato Concilio, præſente tunc Venerabili Papa Gregorio, Romano tunc Archidiacono, panem & vinum in ſacrificio Domini non umbraticè, ſed verè Chriſti Carnem & Sanguinem fieri, dato propriæ manus Sacramento Berengarius confirmavit.* Et iterùm: *Romana Eccleſia per beatum Leonem Papam Berengariana figmenta mox in ſuo exortu damnavit. Deindè per hunc ipſum, qui nunc præeſt, Dominum Gregorium Papam, tunc Archidiaconum Romanæ Sedis, in Concilio Turonenſi convicta, ipſumque Berengarium, ut videbatur, correctum, ac propriæ manus Sacramento ſatisfacientem, clementer ſuſcepit.* Et Sanctus Lanfrancus: *Quæ ſancti Leonis ſententia non effugit ſucceſſorem quoque ſuum felicis memoriæ Papam Victorem, ſed quidquid de hac re ſeu cæteris ipſis ſtatuit, ſtatuive præcepit, hoc etiam iſte ſua atque omnium Conciliorum ſuorum auctoritate firmavit. Denique in Concilio Turonenſi, cui ipſius interfuere ac præfuere Legati, data eſt tibi, Berengari, optio defendendi partem tuam. Quam cùm defendendam ſuſcipere non auderes, confeſſus coram omnibus communem Eccleſiæ fidem, juraſti te ab illa hora ita creditурum, ſicut in Romano* poſtmodum Nicolai ſecundi Pontificis *Concilio te juraſſe, eſt ſuperius comprehenſum.* Quæ omnia eiſdem verbis ſcribit Milo Criſpinus, & in Chronico ſuo confirmat Bertholdus Presbyter Conſtantienſis. Notanda ſunt Sancti Lanfranci de Victore Pontifice verba: *Omnium Conciliorum ſuorum auctoritate firmavit.* Alludunt ad Florentinam elapſo anno celebratam Synodum, à qua rurſus evocatum ac damnatum fuiſſe Berengarium, eſt pluribus ſupra oſtenſum. De ſanctiſſimis Leonis noni, Vercellenſis, ac ſuæ etiam Florentinæ Synodi Decretis illum blaterare peſſima, & pejora in dies prædicare, Romam nolle accedere, imò nec Italiam intrare, videns laudatus Victor, ex laudata Florentina Synodo Hildebrandum Romanæ Eccleſiæ Subdiaconum, virum ſanctitate & doctrina conſpicuum, legavit in Galliam, qui huc uſque contumacem Berengarium ſuæ illic Synodo cogeret adeſſe. Sanctus Guitmondus, aſſerens Hildebrandum fuiſſe tunc Romanæ Eccleſiæ Archidiaconum, eſt memoria lapſus. Fuiſſe tantumodò Subdiaconum, diſertè in litteris ad Nicolaum ſecundum Pontificem teſtatur Petrus Damiani: *Hildebrandus, cùm adhuc Subdiaconatus duntaxat fungeretur officio, à Victore Papa Apocriſiarius in Gallias deſtinatus, Synodum congregavit.* Quod ipſum de ſemetipſo affirmat ipſe, jam Gregorius ſeptimus, Hildebrandus in Dialogis habitis cum Deſiderio Abbate Caſſinenſi. A Nicolao ſecundo primùm fuit promotus in Cardinalem.

Primum de novato dogmate, ac qualicumque novante perſona judicium ſemper ſpectaſſe ad Sedem Apoſtolicam, ideoque nec de ejuſmodi inferiori Clerico, aut etiam Laico ullum Patriarcham aut Metropolitam ſine facta ad laudatam Sedem relatione potuiſſe definire, cunctis Eccleſiaſticæ Hierarchiæ peritis eſt exploratum. Etenim primos Origenis minoris adhuc Clerici lapſus, non ſoli Alexandrino Patriarchæ, ſed etiam Fabiano Pontifici fuiſſe delatos, teſtatur in litteris ad Pammachium & Oceanum Sanctus Hieronymus. Etiam Montani, Sabellii ac Praxeæ lapſus ad Romanam ſtatim Eccleſiam Patres iſtorum temporum retulerunt. Quod ipſum in Pelagii & Cæleſtii cauſa fecerunt Synodi Africanæ. Et Dioſpolitanam Synodum, quòd ad ſe de eodem Monacho Pelagio non retuliſſet, probare numquam voluit Innocentius primus. Etiam Sanctum Flavianum Patriarcham Conſtantinopolitanum, quòd ſua adverſus Eutychetis Presbyteri errorem & perſonam Decreta ſtatim non retuliſſet, durè arguit Sanctus Leo Magnus. Et quidem ut ſola relatione contentus non eſſet, ſed Pelagium ex

Cap. 16.

Cap. 3. A. 1055.

L. 1. Epiſt. 9.

Epiſt. 65. c. 4.

ex Oriente Romam evocaret, præſentemque & auditum judicaret ipſe, laudatum Innocentium graviter hortatus eſt Sanctus Auguſtinus. Antiquum hunc Eccleſiæ Canonem obſervare neſcio quo titulo aut fuco detrectavit contumax huc uſque Berengarius: Nec Romæ aut Vercellis coram Leone nono, nec Florentiæ coram Victore ſecundo ſe exhibere voluit, nec interim deſiit à ſua apud Pariſienſem Synodum profeſſione relapſus horrenda Zizania ſeminare. Hinc omnes ejus tergiverſationes exciſas volens laudatus Victor, præſentem Synodum fieri voluit in Gallia, in ipſa, ſub qua Andegavenſis civitas, Metropoli Turonum.

Cur non per Bartholomæum Metropolitam, ſed per Legatum Hildebrandum fieri juſſerit, habes in litteris Sancti Leonis Magni ad ſuum in Illyriciana Diœceſi Vicarium Anaſtaſium Archiepiſcopum Theſſalonicenſem: *Si in eo, quod cum fratribus tractandum definiendumque credideris, diverſa eorum fuerit à tua voluntate ſententia, ad nos omnia ſub geſtorum teſtificatione referantur, ut remotis ambiguitatibus, quod Deo placeat, decernatur.* Præſentis in ſuæ Diœceſios aut Provinciarum ad ipſam ſpectantium Synodo Pontificis auctoritatem exponit in Synodalibus ad urbis Conſtantinopolitanæ & Bithyniæ Clerum litteris Papa Felix tertius: *Conſuetudo retinetur, ut Præſul Apoſtolicæ Sedis cuncta conſtituat.* In fidei præſertim cauſis affirmat id obtinere. Loqui videtur de ſolis Italiæ Synodis, quòd nempè Patriarchales ſuas Synodos Dominus Papa ſoleat intra Italiam celebrare In quovis loco celebratis habet eandem auctoritatem. Et hinc ad Eutychen, ex Conſtantinopolitano Archimandrita novum Hæreſiarcham, de ſui dogmatis cauſa conſultantem, reſcripſit Sanctus Petrus Chryſologus Metropolita Ravennatum: *Nos pro ſtudio pacis & fidei extra conſenſum Romanæ Civitatis Epiſcopi cauſas fidei audire non poſſumus.* Omnium tractandorum relationem ſeu propoſitionem, & ſuffragii cum irrefragabili auctoritate prærogativam habebat præſens Pontifex, ideoque ex ejus ſolius nomine Synodalia acta edebantur. Hujus poteſtatis aliqua parte apud ſuos valuiſſe etiam Patriarcham Alexandrinum, lucet ex quarta actione Concilii Chalcedonenſis. Ea pars forſan fuerit jus omnis Patriarchæ. Quidquid ſit, nobilem ejus portionem habuit in Synodis etiam Papæ Legatus: Ejus ſuffragium æquipollebat totius Synodi ſuffragio, ideoque quoties ipſe ſolus à tota diſſentiret Synodo, cauſa tamquam ambigua & difficilis Romam ſemper debuit cum plena relatione mitti. Hinc ergo præſentem de momentoſiſſima Berengarii cauſa Synodum, non per Metropolitam, ſed per ſuum Legatum voluit Victor ſecundus celebrari.

Epiſt. 34. c. 11.

Huic item Synodo propoſita fuit querela Henrici tertii Imperatoris adverſus Ferdinandum primum, cognomento & virtute Magnum, Caſtellæ ac Legionis Regem, de titulo Imperatoris. Etenim de Ferdinandi patre Sancio Magno ſcribit in Chronico Albericus: *Sancius ſe Imperatorem nominabat Hiſpaniæ.* Et in Hiſpaniæ Chronico Joannes Vaſæus: *Sancius Hiſpaniæ Imperator appellatus eſt, redactis ad ejus Imperium omnibus Hiſpaniæ ditionibus, quæ Chriſtiani nominis erant.* Et in libro de Hiſpaniæ Regibus Franciſcus Tarapha: *Sancius Major, cùm Legionis occupaſſet Regnum, appellari voluit totius Hiſpaniæ Imperator. Mauros ſiquidem omnes à Navarræ, Aragoniæ, Caſtellæ, Legionis, Portugalliæ, Cantabriæ, & Vaſconum finibus exterminavit.* Et in opere de Hiſpaniæ rebus Lucius Marineus: *Sancius Major non immeritò fuit Imperator totius Hiſpaniæ appellatus. Nam totam ferè devictis hoſtibus Hiſpaniam Chriſtiano nomini reſtituit. Si quidem Mauros omnes à Navarræ, Aragoniæ, Caſtellæ, Legionis, Portugalliæ, Cantabriæ, & Vaſconum finibus exterminavit.* In titulum ſucceſſit filius Ferdinandus, ipſumque uti paternæ hæreditatis nobiliſſimam gemmam conſtanter tuebatur. Verùm eſſe ſuæ dignitatis injuriam & Auguſtæ Majeſtatis rebellionem cenſuit Imperator Henricus. Et tempus ipſum juvabat. Quòd enim Victor Pontifex illi quaſi pater eſſet, teſtatur Sanctus Petrus Damiani. Hinc titulum à præſenti Synodo exſufflari poſtulavit, & Ferdinandum, cæterorum in Occidente Regum more, ad ſubjectionem & obedientiam cogi.

A. 1012.

A. 1006. Cap. 8.

L. 1. Epiſt. 2.

Quòd enim etiam Galliæ Regnum Romano Imperio ſemper olim ſubfuerit, lucet vel ex ſolis Conſularibus Codicillis & ornamentis, quæ Clodovæo Regi miſit Anaſtaſius Imperator, & Clodovæus gratanter accepit. Et hinc Auxanio Metropolitæ Arelatenſi, ſuoque per Galliam Vicario, poſtulatum Archiepiſcopale Pallium impertiri citra Imperatoris Juſtiniani notitiam & conſenſum non præſumpſit Vigilius Pontifex: *Ne honorem fidei ejus cum competenti reverentia non ſervaſſe judicaretur.* Et tandem Pallium tranſmittens, Auxanio injunxit inceſſanter pro laudato Juſtiniano, ejuſque conjuge Theodora preces effundere, *qui pro his mandandis pia præbuerant devotione conſenſum.* Etiam pro Patritio Beliſario, qui mediator fuerat & ſuggeſtor apud Principem, mandat orari. Ad Auxanii item ſucceſſorem Aurelianum, dum tranſmiſſit Pallium, ſcripſit: *Glorioſo Patritio Beliſario deſtinatis ſcriptis gratias referatis, qui homini veſtro laborem ad Clementiſſimum Principem abſtulit tranſeundi, ſed mox ut Reſponſum recepit, nobis ſuis litteris indicavit.* Non ſolus Pontifex, ſed & ipſe inſigniendus Arelatenſis Epiſcopus debebat Pallii donum, & quidem per ſingulares Legatos, ab Auguſto Principe ſupplicare. Ipſum dabatur & ea lege, ut inſignitus *gratiæ intactæ fœdera* inter Romanos Imperatores & Francorum Reges *cuſtodiret.* Non amicitiæ aut ſocietatis, ſed fœdera gratiæ: Quam nempè Rex ab Imperatore, tamquam ſuo Patre & Domino, emereretur. Juſtinianum enim fuiſſe Regis Childeberti patrem, in datis ad hunc litteris diſertè ſcribit Pelagius Papa primus. Et ipſe Juſtinianus Francicum etiam Imperatorem ſe ſemper appellavit.

Epiſt. 1.

Epiſt. 2.

Epiſt. 5.

Quibuſdam Francicæ Majeſtatis zelatoribus hæret hic aqua: Archiepiſcopale Pallium volunt tunc non fuiſſe quampiam è lana faſciam,

ciam, sed Augustum totius corporis ornamentum, cujus proindè citra Augusti Principis consensum assumptio aut donatio fuerit crimen læsæ Majestatis. Verùm quis umquam audivit læsas alieni Regis leges aut sanctiones esse læsæ Majestatis crimen? Quis ornandi aut vestiendi licentiam censuit unquam ab alieno Principe postulandam? Postulatio hæc est evidens character subjectionis. Et ipsa duravit in Galliis etiam sub Papatu Gregorii Magni, Syagrio Augustodunensi Episcopo non ausi dare Pallium, nisi obtento consensu Mauritii Imperatoris. Leonis item Isauri Imperatoris Laureata misit etiam in Franciam, ipsaque fuisse, quod est plenæ obedientiæ atque subjectionis professio, honorifice susceptа, testatur Gregorius secundus. Et hinc de Carolo Calvo, è Francorum Regno ad Romanum Imperium evecto per Joannem octavum Pontificem, atque Græcorum Imperatorum, præter Ludovici patris & Caroli Avi morem, ornamenta assumente scribunt Annales Francorum Fuldenses: *Omnem consuetudinem Regum Francorum contemnens, Græcas glorias optimas arbitrabatur. Et ut majorem suæ mentis elationem ostenderet, ablato Regis nomine se Imperatorem & Augustum omnium Regum cis mare consistentium appellari præcepit.* Avum suum Carolum Magnum, adeoque & sese in omnia, quæ Constantinus Magnus ac ejus successores in Occidente habuerant, jura, ideoque & in supremum super cunctos illic Reges dominatum successisse Carolus existimavit. De eodem Regnum Arelatense erigente scribit Abbas Regino. *Bosonem Regem appellari jussit, ut more priscorum Imperatorum Regibus videretur dominari.* A. 877. Pergit de Francorum Rege Carolo Simplice: *Carolus vires Odonis*, rebellis sibi Comitis, *ferre non valens, patrocinia Arnulphi Imperatoris supplex exposcit. Æstivo siquidem tempore Arnulphus conventum publicum Wormatiæ celebravit, ubi Carolus venit, & Arnulphum magnis muneribus sibi concillat, Regnumque quod usurpaverat, ex ejus manu suscepit.* A. 893. De Germanici Augusti manu ac investitura non susceptum Regnum vocat usurpatum. Quod ipsum scribunt Annales Francorum Metenses. A. 833. Rem in Anglorum Regum Annalibus elucidat Simeon Monachus Dunelmensis: *Carolo* Craso Imperatore *defuncto, Regnum in quinque divisum est, sed principalior pars provenit Arnulpho, cui alii quatuor fidelitatem sua sponte juraverunt, subjectionemque exhibuerunt. Quia nullus eorum ex paterna progenie legitimus Regni illius poterat esse hæres præter solum Arnulphum. Apud illum enim mansit Imperium.* Rudolpho Burgundiam, Odoni Franciam, Longobardiam ait cessisse Berengario ac Guidoni Odonem de Arnulphi consensu & beneficio fuisse electum testatur etiam Otho Episcopus Frisingensis. Hinc illum deserere, & ad Carolum post quatuor demum annos à Sancto Fulcone Remensi Archiepiscopo evectum deficere Arnulphus noluit, nisi usurpati Regni agnito errore, data investitura, & accepto hominio reconciliatus. Quomodo adversus Caroli fine suo assensu factam promotionem fuerit protestatus, & quomodo Sanctus Fulco, Francici Regni Majestatem diu conatus defendere, tandem illi manus dederit, Lib. 4. cap. 5. latè habes in Remensis Ecclesiæ historia apud Flodoardum. De eodem Rege Carolo scribit Sigebertus Gemblacensis: *Carolus Rex Francorum cum auxilio Lotharienſium juxta Urbem Suessionum pugnans contra Robertum fratrem Odonis Regis, qui contra se Regnum Francorum invadebat, eum cum multis peremit, & se & Franciam Henrico* Primo Germaniæ Imperatori *submittit, eique in pignus perpetui fœderis & amoris mittit manum pretiosi Martyris Parisiensis Dionysii, auro gemmisque inclusam.* A. 922. Factam Arnulpho professionem etiam Henrico iteravit. Quod ipsum scribit Radulphus de Diceto. *Carolus Simplex Robertum Ducem Parisiensem, Regnum invadentem, cum multis peremit, & se & Franciam Henrico Regi Teutonico, qui ei auxilio fuerat, submittit.* A. 921.

Etiam Ludovicus Transmarinus de suo Galliæ Regno adversus invasorem Hugonem Comitem in Synodo Engelhemensi provocavit ad Othonem primum Imperatorem, offerens causam Divino etiam duelli judicio afferere *juxta præceptionem laudati Regis Othonis*. Rei seriem in suo Chronico exponit laudatus Flodoardus. Etiam Philippum Augustum Regem, de Henrici Leonis per Fredericum primum Imperatorem degradati Saxoniæ Ducis patrocinio suspectum, laudat Godefridus Coloniæ ad Sanctum Pantaleonem Monachus: *Nuntii Regis Franciæ Imperatorem adeunt cum litteris ejusdem Regis, in quibus devotè excusavit numquam sibi animo fuisse, ut causa Ducis Saxoniæ Imperatori rebellaret.* A. 1180. Rebellio non est nisi adversus Superiorem. Et de Henrico sexto Imperatore scribit Rogerus Hovedensis: *Notum erat* Richardo primo Anglorum Regi, *quòd Imperator super omnia desiderabat, ut Regnum Franciæ Romanorum Imperio subjiceret.* Hoc est, ut avitam istius Regni subjectionem Imperio repararet. Et hinc de Bonifacio octavo Pontifice, Philippi Pulchri Francorum Regis contumaciam frœnante, ait magnum Belgii Chronicon: *Bonifacius Alberto Imperatori Verbo, non opere, Regnum Franciæ subjecit, sicut &* Fol. 278. *alia Regna.* Dicit, *verbo, non opere:* Quòd violentia foret lege superior, & neque Albertus, neque Bonifacius propter accisas Germanici Imperii vires, quod verbo & jure volebant, opere non possent. Et hinc sua hæc Decreta laudanti Bonifacio Philippi Legatus cum sarcasmo reposuit: *Beatissime Pater, vestra potestas est verbalis, nostra realis.* Hinc item de Sigismundo Imperatore scribit in Flandrorum Annalibus Ja- A. 1416. cobus Meyerus: *Utinam totam Galliam Imperio, unde ablata est, valuisset reddere.* Francica interim, desuper non clausa, sed aperta usque ad Ludovicum undecimum, qui primus ipsam clausit, corona Regni subjectionem est palam contestata. Aperta enim subjectionis, clausa coronæ est character supremæ Majestatis. Quæ omnia, quibus eruditus Joannes Jacobus Chiffletius in vindiciis Hispanicis plura addit, lucidè demonstrant Francorum in Gallia Regnum Romano Germanorum Imperio olim subfuisse. Eandem ad-

adversus Hispaniæ Regnum & Ferdinandum Regem Henricus tertius Imperator quæstionem movit, & per præsentem Synodum postulavit decidi.

Erat res ardua. Etenim in litteris ad Geizam Hungariæ Regem Gregorius septimus rectè scripsit Regni sub Imperio subjectionem esse speciem servitutis. Et quidem Victor Pontifex, Ex Epist. 63. utpote homo Suevus, favebat Imperio, Legatus vero Hildebrandus, utpote Cluniacensis, cui Hispaniarum Reges semper fuerunt devotissimi, Cœnobii Monachus, malebat scabrosam quæstionem tractari alio loco & tempore, ideoque ipsam, communicato cum partibus consilio, Pontifici remisit. Hispani interim non minus Germanicam, quam Saracenicam aversati servitutem, ad Apostolicam Sedem destinarunt solemnes nuntios, supplicantes sibi mitti Apostolicum Legatum, coram quo avitæ suæ libertatis & dignitatis fundamenta producerent: Et legatus fuit Robertus ad Sanctam Sabinam Cardinalis Presbyter, coram quo plenam victoriam fuisse ab Hispanis obtentam affirmat, ac L. 9. c. 5. demonstrare conatur Joannes Mariana.

Quod an verum sit, ignoro & hæreo. Etenim nullus authenticus Scriptor magnum Ferdinandum deinceps titulavit Imperatorem totius Hispaniæ, sed solius ulterioris Hispaniæ Monarcham, Rodericus Archiepiscopus Toletanus: Lib. 6. cap. 11. *Rex Ferdinandus, non minus de Dei gratia, quàm de victoria glorioſus Regnum fratris obtinuit, factus Monarchus Hispaniæ ulterioris.* Et Rodericus Sancius: *Fernandus fratre mortuo Regnum* Lib. 3. cap. 26. *ejus obtinuit, & factus est Monarcha Hispaniæ ulterioris.* Et Regum Castellæ ac Legionis Catalogus: *Ferdinandus* Castellæ, Navarræ, ac Legionis Rex *habuit præterea Regnum Aragoniæ, quod frater ejus Ramirus possidebat, qui sine hærede de legitimo decessit è vivis. Ideoque magnus, & Hispaniæ Monarcha nominatus fuit. Regnare cœpit anno post millesimum decimo septimo, regnavit annos quadraginta. Hispaniam tributo, quod ei Henricus quartus Imperator & Urbanus Papa imperabant, liberavit.* Res non cohæret. Etenim quinquagesimo septimo istius sæculi anno, quo obiit Ferdinandus, Henricus quartus primùm successit Patri adhuc puer in Regnum, & Urbanus secundus adhuc erat Monachus, necdum Cardinalis. Interim lucet Imperatoris titulum, haud dubiè ex præsentis Synodi Decreto, à Ferdinando fuisse suspensum. Hinc enim illum resumpsit ejus nepos Alphonsus septimus, de quo L. 7. c. 7. Rodericus Archiepiscopus Toletanus: *Alphonsus imposuit sibi Imperii diadema, & vocatus fuit deinceps Imperator.* Titulo Diadema addidit. Et L. 3. c. 32. Rodericus Sancius: *Alphonsus intitulatus Hispaniarum Imperator.* C. 77. Et in Hispanorum Regum Anacephaleosi Alphonsus à Carthagena: *Alphonsus septimus, intitulatus Hispaniæ Imperator, cœpit regnare anno Domini millesimo centesimo octavo.* Et in opere de Hispaniæ Regibus Michael Ritius: *Alphonsus appellari voluit Hispaniarum Imperator.* L. 3. Et laudatus Franciscus Tarapha: *Alphonsus septimus Castellæ, Legionisque Regnum obtinuit, & Principatibus Regnisque conjunctis Imperatoris nomine appellari voluit.* Et Lucius Marineus: *Alphonsus potentissimus omnium Regum, qui ante se fuerant, habitus est. Quapropter Hispaniarum Imperator fuit appellatus.* Et in Sigeberti L. 7. Gemblacensis supplemento Robertus Abbas Montensis: *Ludovicus Rex Francorum gratia orationis* A. 1155. *perrexit ad Sanctum Jacobum de Gallicia, & ab Imperatore Hispaniarum Socero suo favorabiliter susceptus est.* Eundem titulum etiam infra aliquoties Hispaniæ Regibus adscribit. Quod ipsum fa- A. 1158. ciunt Matthæus Parisiensis, & Radulphus de 1131. Diceto. Et in Sancti Petri Vivi Chronico Cla- A. 1155. rius Monachus: *Ipso anno mortua est Regina Fran-* 1154. *ciæ, filia Imperatoris Hispaniæ.* A. 1160. Quod ipsum scribit Vincentius Episcopus Belluacensis. Et in Sacri belli historia Guilielmus Metropolita Tyriorum: *Dominus Rex Francorum Hispaniarum Imperatoris filiam, Mariam nomine, sibi matrimonio copulavit.* Et Normandiæ Chronico: *Ludovicus Rex Francorum duxit uxorem filiam Al-* L. 17. cap. 9. *phonsi Regis Hispaniarum, quem quia Principatur Regulis Aragonum & Galliciæ, Imperatorem Hispaniarum appellant.* Et Sanctus Bernardus cuidam suæ Epistolæ dedit hanc Epigraphen: *Sanctæ,* A. 1153. *Sorori Imperatoris Hispaniæ.* Et in litteris ad Innocentium secundum Pontificem Petrus Vene- Epist. 301 rabilis, Abbas Cluniacensis: *Imperator Hispanus, magnus Christiani populi Princeps.* Laudat Alphonsum septimum. Porro de Ferdinando L. 4. Epist. 9. tertio Castellæ & Legionis Rege ad Domini annum millesimum ducentesimum trigesimum quartum, & Gregorii noni Pontificatum scribit in Chronico Albericus: *In Curia Romana talem petitionem proposuit Rex Castellæ Fernandus, quod nomen Imperatoris & benedictionem volebat habere, sicut habuerant quidam Antecessores ejus.* Ex quo vides Imperialem non solummodò titulum, sed & benedictionem Hispanis Regibus olim fuisse. Alphonsus septimus regnavit sub Paschali secundo, & ipsi per Henricum quintum Imperatorem gravissimè afflicto complacere studuit, atque ità temporis opportunitate usus resumpsit Imperii titulum, & Diadema addidit: Et Paschalis indulsisse possit, aut dissimulasse.

Adjectum ab Alphonso Diadema videtur fuisse Mitra & cruce insignita Corona, quam sine singulari Apostolicæ Sedis gratia non posse assumi, lucet ex litteris Gregorii septimi ad Vratislaum Ducem Bohemorum. Hinc cum Mitra Coronam etiam Petro Aragoniæ Regi fuisse con- L. 1. Epist. cessam ab Innocentio tertio, habes in hujus vi- 38. ta publicata per Dominum Franciscum Bosquetum. Quare hanc sine Paschalis Pontificis indul- Fol. 272. to non crediderim ab Alphonso assumptam. Quæ causa Imperialem titulum dormire rursùm fecerit, ideoque ad ejus à Gregorio nono postulandam resuscitationem coegerit Ferdinandum tertium, ignoro. Quidquid sit, Reges Austriaci, dum Mitram à Corona deposuerunt, non sine fundamento retinuerunt clausuram, & sacra Cruce insignitum globum assumpserunt. Ejus significationem exponit Michael Glycas: Fol. 134. *Justiniani Imperatoris statua globum cruce insignitum leva manu continet, quo significatur hunc per*

per fidem in Christum totius terrarum orbis Imperio esse potitum. Hispanico enim Imperio Sol numquam occidit.

Addo de plena libertate seu Majestate, quàm de Imperatoris titulo quæstionem semper fuisse majorem. Titulus hic apud nos Latinos non fuit semper Augustus. Etenim per Stephanum Baluzium nuper publicata, & octavi sæculi octogesimo octavo anno sub Adriani primi Papatu celebrata Narbonensis Synodus Carolum Magnum, necdum à Leone tertio factum è Patritio Augustum, disertè titulat *Gloriosissimum Dominum Imperatorem*. Et Synodum spuriæ suppositionis non esse idcircò damnandam, idem Baluzius rectè affirmat. Etenim in Henrici quarti Imperatoris adversus Gregorium septimum Apologia Venericus Vercellensis Episcopus etiam scribit Galliæ ac Germaniæ Reges ex initis inter Pippinum Regem & Stephanum secundum Pontificem pactis esse *Reipublicæ Imperatores, & Patritios Ecclesiæ Romanæ*. Imperatorem cum Rege confundit. Quo in sensu Ludovicum item Balbum Francorum Regem in privilegio, quod Trenorchiano Cabilonensis Diœcesis Monasterio dedit in Tricassina Synodo, Imperatorem vocat Joannes octavus. Et Helenensis in Narbonensi Provincia Ecclesiæ Chartularium habet de Rege Carolo Simplice: *Obiit Carolus Imperator, filius Ludovici*. Quin imò hujus Pronepos Rex Lotharius in privilegiis datis Monasterio Sancti Petri Rodensis, & Monasterio Sancti Genesii de Fontanis, sese non tantùm Imperatorem scribit, sed & Augustum. Et de Carolo Calvo adhuc dumtaxat Rege, Ludovici secundi Imperatoris morte vacantem Lotharingiam invadente, habent Fuldenses Francorum Annales: *Carolus pravorum usus consilio, in urbe Metensi Diadema capiti suo ab illius Civitatis Episcopo imponi, & se Imperatorem & Augustum, quasi duo Regna possessurus, appellari præcepit*. Quod Lothariense, Lotharii fratris sui Augusti seu personæ seu Coronæ à Patre suo Ludovico annexum, Regnum obtinuisset, competere sibi censuit etiam titulum Augusti. Cuncta Coronæ suæ acquisita Regna aut Provincias ipsa acquisitione uniri non credidit, sed omnem dumtaxat plurium Regnorum Regem esse Augustum Imperatorem. Quod quia laudati Annales meritò damnant, Hispani Reges nunquam præsumpserunt: Augusti titulum semper detulerunt Imperio. Plena interim ipsorum ab Imperii jugo libertas lucet insigniter ex Gregorii Magni litteris ad Regem Richaredum: *Dulcissima mihi vestra Excellentia mandare curavit, ut piissimo Imperatori scriberem, quatenus pacta in Chartophylacio requireret, quæ dudum inter piæ memoriæ Justinianum Principem ac jura vestri Regni fuerunt emissa, ut ex his colligeret, quod vobis servare debuisset. Sed ad hoc faciendum duæ res mihi vehementer obstiterunt. Una, quia Chartophylacium, prædicti Justiniani Principis tempore, ità furripiente subitò flammæ incensum est, ut omninò ex ejus temporibus penè nulla charta remaneret. Alia autem, quia quod nulli dicendum est, ea quæ contra te sunt, apud temetipsum debes requirere, atque hæc pro te documenta proferre*. De subactis in Italia Gothis victoriam etiam ad Hispanos extendi voluit Justinianus Augustus, verùm reperit obices, ideoque cum hisce pacta iniit, quæ esse Majestatis eversiva, ac posse dumtaxat inter pares fieri, rectè advertunt Sanctus Prosper in Chronico, Lambertus Schafnaburgensis, ac Annalista Astronomus. Et quidem pauci Justiniano quasi in aliquod solatium stipulati articuli fuerunt per famosum Regiæ Civitatis incendium oblitterati: Regnantibus in Hispania Gothis exindè fuisse plenissimam sine quovis onere libertatem censuit etiam Magnus Gregorius, ideoque dum ipsorum Apostolo Sancto Leandro Archiepiscopale Pallium misit, de postulando Imperii consensu nullam fecit penitùs mentionem.

L. 7. In. dict. 2. Epist. 128.

A. 1073. A. 319.

Quod hac in Synodo omnia item Leonis noni adversùm Simoniacos, Incestuosos, Ecclesiasticæ substantiæ raptores, & conjugatos Clericos Decreta fuerint novata atque firmata, supra audivimus à Sancto Lanfranco: quidquid de Berengarii re seu cæteris Leo statuit, statuive præcepit, hoc etiam Victor sua atque omnium Conciliorum suorum auctoritate firmavit.

A. 869.

EJUSDEM HILDEBRANDI

CONCILIUM LUGDUNENSE.

HOc Concilium laudat in litteris ad Nicolaum secundum Pontificem Sanctus Petrus Damiani: *Cùm Hildebrandus adhuc Subdiaconatus dumtaxat fungeretur officio, à Victore Papa Apocrisarius ad Gallias destinatus, Synodum congregavit, in qua sex Episcopos diversis criminibus involutos, ex Apostolicæ Sedis auctoritate deposuit, inter quos quidam erat Episcopus, qui quoniam per Simoniacam Hæresim ad Episcopatus culmen irrepserat, Spiritum Sanctum verbis exprimere, quibuscumque tentaret nisibus, non valebat. Et quidem Patrem & Filium expeditè satis ac facilè proferebat; ad Spiritum Sanctum verò cùm perveniisset, mox lingua balbutiens tandem rigida remanebat. Meritò siquidem Spiritum Sanctum, dum emit, amisit, ut qui exclusus erat ab anima, procul esset consequenter etiam à lingua. Hac igitur difficultate convictus, Episcopale decarceravit officium*. Et Joannes Bromptonus Abbas Jornalensis: *Hildebrandus, quondam Prior Cluniacensis, sed tunc Romanus Archidiaconus, dum aliquando Legatus esset in Francia, acriter contra Simoniacos processit Prælatos. Unde & unus Episcopus, super hoc graviter infamatus, testes qui eum accusaverant,*

A. 1074.

L. 3. c. 32.

verant, clam corrupit. Quod comperiens Legatus, coram Concilio per ipsum celebrato dixit: Cesset humanum indicium frequenter fallibile, & Divinum Oraculum producatur, cùm certum sit quòd Episcopalis gratia donum sit Sancti Spiritus, & quisquis Episcopatum mercatur, contra Spiritum Sanctum, qui donum Dei dicitur, facit. Si ergo tu, Episcope, contra Spiritum Sanctum non fecisti, dic palàm, GLORIA PATRI, ET FILIO, ET SPIRITUI SANCTO, *& ab hoc crimine te sentio absolutum. Annuit ille, & licet frequentiùs, omnibus audientibus,* GLORIA PATRI, ET FILIO, *expeditè proferebat,* SPIRITUI SANCTO, *nec tunc nec omni vita sua proferre potuit. Secundùm tamen quosdam, de Episcopatu ejectus planè dixit*. Et Guilielmus Malmesberiensis: *Hildebrandus in Gallia Vice-Papæ præsederat Concilio, ibi plures Episcopi, olim per Simoniam in Ecclesias introducti, degradati potioribus locum dederunt. Unus erat quem suspicio istius Apostasiæ insimulabat, sed nullis testibus argui, nullis argumentis poterat confutari. Quem cùm putares constrictum maximè, more anguis lubrici elapsum mirareris: Ità dicendi arte callebat, ut omnes eluderet. Tunc Archidiaconus: Cesset hominis eloquium, producatur in medium Divinum Oraculum. Scimus profectò, quòd Episcopalis gratia Sancti Spiritus munus est, & quisquis Episcopatum mercatur, Sancti Spiritus donum posse comparari pecunia opinatur. Coram nobis ergo, qui judicio Spiritus Sancti congregati sumus, dicat iste,* GLORIA PATRI, ET FILIO, ET SPIRITUI SANCTO: *Quod si expresè & sine titubantia dixerit, constabit apud me, illum non venaliter, sed legitimè præsulatu functum. Libens hanc conditionem ille accepit, nihil minùs quàm horum verborum difficultatem ratus. Et verè,* GLORIA PATRI, ET FILIO, *integrè protulit, sed in* SPIRITUI SANCTO *hæsit. Suscitato cunctorum strepitu, nullo conatu vel tunc, vel in reliquo vitæ spatio Spiritum Sanctum nominare potuit. Hujus miraculi testis fuit Hugo Abbas Cluniacensis, qui dejectum Episcopum per loca secum ducens, illius rei experimentum sæpè risit. De quorum verborum certitudine dubitantem omnis Europa confutat, quæ Cluniacensis Religionis numerum per eum augmentatum non nescit*. Hugo Cluniacensis Abbas Synodo huic adfuit, ac ejus testimonium est irrefragabile: Atque ità qui degradato Episcopo nominandi Spiritus Sancti facultatem affirmant restitutam, hallucinantur. Etiam Joannes Bromptonus & Guilielmus Malmesberiensis falluntur Hildebrandum tunc fuisse Romanorum Archidiaconum. Et quin Berengarii, licet non persona, tamen blasphemia denuò fuerit hic damnata, non est dubitandum. Eadem est ratio de aliis Leonis noni Decretis.

L. 3. c. 32.

Insignem memoratæ in Simoniacum Episcopum divinæ vindictæ adversam gratiam refert in Dialogorum libris Sanctus Gregorius Magnus: *Justiniani Augusti temporibus, dum contra Catholicorum fidem exorta à Wandalis persecutio Ariana in Africa vehementer insaniret, quidam in defensione veritatis Episcopi fortiter persistentes, ad medium sunt deducti: Quos Wandalorum Rex verbis ac muneribus ad perfidiam flectere non valens, tormentis frangere posse credidit. Nam cum eis in ipsa defensione veritatis silentium indiceret, nec tamen ipsi contra perfidiam tacerent, ne tacendo forsitan consensisse viderentur, raptus in furorem, eorum linguas abscindi radicitùs præcepit. Res mira, & multis nota senioribus: Quia ità pro defensione veritatis etiam sine lingua loquebantur, sicut priùs loqui per linguam consueverant. Hi eo tempore profugi ad Constantinopolitanam urbem venerunt. Eo quoque tempore, quo pro explendis Responsis Ecclesiæ ad Principem ipse transmissus sum, seniorem quendam Episcopum reperi, qui se adhuc eorum ora sine linguis loquentia vidisse testabatur, ità ut apertis oribus clamarent: Ecce videte, quia linguas non habemus, & loquimur. Videbatur enim à respicientibus, ut ferebant, quia abscissis radicitùs linguis, quasi quoddam barathrum patebat in gutture, & tamen ore vacuo plena ad integrum verba formabantur. Quorum illic unus in luxuriam lapsus mox privatus est dono miraculi. Recto videlicet Omnipotentis Dei judicio, ut qui carnis continentiam servare neglexerat, sine lingua non haberet verba veritatis*.

Quod ipsum in Chronico scribit Marcellinus Comes: *Honoricus* Wandalorum in Africa Arianus Rex *unius Catholici adolescentis, vitam à nativitate sua sine ullo sermone ducentis, linguam præcepit abscindi. Idemque mutus, quod sine humano auditu Christo credens fide didicerat, mox præcisa sibi lingua locutus est, gloriamque Deo in primo vocis suæ exordio dedit. Denique ex hoc fidelium contubernio aliquantos ego religiosissimos, præcisis linguis, manibus truncatis, apud Byzantium integra voce conspexi loquentes*. Muti istius & surdi Adolescentis prima post excisam linguam adversùs Arianum Regem vox videtur fuisse. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*. Quod enim istam Doxologiam Ariani vitiarent, & de ipsa nobiscum capitaliter dissiderent, & Latini & Græci Scriptores testantur. Quidquid sit, ex Adolescente isto discimus nostros à nativitate surdos & mutos non carere fide in Christum Dominum, sed ab ipso in interiori schola catechizari & illuminari. Eadem refert Victor Tononensis Episcopus: *Honoricus Confessoribus linguas abscidit. Quos quod linguis abscissis perfectè finem ad usque locuti sint, Urbs Regia attestatur, ubi eorum corpora jacent*. Eisdem ferè verbis idem scribit in Wandalorum Chronico Sanctus Isidorus Archiepiscopus Hispalensis. Et in Ecclesiastica historia Anastasius Bibliothecarius: *Honoricus multos occidit, & linguam à gutture quorundam abscidit, qui etiam Dei gratia postea loquebantur*.

Fol. 158.

Addit de Petro Damasci Episcopo, Libanesiæ Phæniciæ Metropolita, quem ob constantem fidei prædicationem lingua privarunt Saraceni; *Walit* Saracenorum Princeps *Petrum sanctissimum Damasci Metropolitam lingua mutilari præcepit, tamquam palàm arguentem Arabum & Manichæorum cognationem, & exulem penes filiam Arabiam fecit, ubi & moritur pro Christo Martyrio suscepto, cùm expressiùs Divinas Missas pronunciasset, sicut hujus rei narratores ajunt, qui*

Fol. 138.

Fol. 349. *qui se propriis auditibus super hoc satisfactos etiam fatentur*. Et Martyr Theophanes: *Walit Petro Sanctissimo Damasi Metropolitæ, ceu Arabum, & Manichæorum impietatem palàm arguenti, linguam præscindi jussit, & exulem in felicem Arabiam deportari. Ibi pro Christo Martyrium passus, distinctisque apertæ loquelæ verbis Sacrum celebrans, ut qui retulerunt, proprio auditu se percepisse confirmant, morte consummatur*. Et Georgius Cedrenus: *Walit Petro Sanctissimo Damasci Metropolitæ, quòd Arabum & Manichæorum errores arguerit, linguam præscidit, & in Arabiam felicem relegavit. Ubi cùm Christo testimonium perhibuisset, & clara voce Liturgiam cantasset, supplicio affectus obiit*. Tantas in humanam naturam habent vires & Christiana justitia, & Divinæ Majestatis offensa. Nam & ex ista processit, quod de Cabade Persarum Rege addit laudatus Anastasius: Fol. 54. *Cabades quosdam Christianos poplite enervavit, qui tamen postmodum ambulaverunt*. Quod ipsum confirmant laudati Theophanes & Cedrenus. Omnia Leonis nonì adversùm Simoniacos & alios criminosos Decreta etiam hìc fuerunt firmata.

CONCILIUM THOLOSANUM,

Celebratum per tres Archiepiscopos Victoris secundi Vicarios.

ANno Incarnationis Dominicæ millesimo quinquagesimo sexto, idibus Septembris, habita est sancta Synodus decem & octo Episcoporum apud urbem Tholosam, jussu Domini Papæ Victoris, qui ob funditùs exstirpandam Simoniacam hæresim, ac penitùs reparandum sanctæ Ecclesiæ statum, secundùm priscorum Scita Canonum, Vicarios vice sua direxit Rambaldum Arelatensem, & Pontium Aquensem Archiepiscopos, qui adjuncto sibi VVifredo Dei gratia Narbonensi Archiepiscopo, aliisque Coepiscopis cæterarum Urbium, Sancti Petri auctoritate, & prænominati Papæ jussione, Sanctorum Patrum *Statuta* sequentes, hæc in Provinciis Galliæ atque Hispaniæ perpetim observanda æstimaverunt.

SCHOLION.

SUb Saracenico jugo, quod excutère insigniter cœperat cum patre suo magno Sancio magnus Rex Ferdinandus, adhuc gemebat bona Hispaniarum portio, ideoque ipsam Tholosanæ Synodi Decretis stare jussit Victor Pontifex. Nec sine exemplo. Nam etiam Pontifex Innocentius primus Decreta sua jussit in Hispanias per Sanctum Exuperium Tholosæ Episcopum promulgari. Et Narbonensis Gallia tunc respiciebat Regnum Ferdinandi.

CANON I.

SI quis Episcoporum, accepta quocumque modo pecunia, ordinaverit Episcopum, Abbatem, Presbyterum, Diaconum, aut quemcumque alium qui numeratur inter Clericos, ipse gradus sui subjaceat periculo, & qui sic ordinatur, nullum habeat fructum ex hujusmodi mercimonio, sed sit alienus ejus dignitatis & ordinis, quem per pecunias acquisivit.

SCHO-

SCHOLION.

SImoniam hoc sæculo fuisse acriter grassatam in Gallia, profitetur in Virdunensi Chronico Hugo Abbas Flaviniacensis: *Simoniæ pestis iniqua plurimùm serpebat in Gallia, quia pauci illic erant, qui non essent aut Simoniaci, aut à Simoniacis Ordinati*. Hinc Hugonem Diensis Ecclesiæ Electum affirmat apud Lugdunenses fuisse dumtaxat primæ Tonsuræ Clericum, *Quòd detestaretur Simoniacorum Ordinationes*. Ex quo lucet lepram Lugduni etiam fuisse grassatam. De Flandria item nostra laudatus Episcopus ac Romanæ Ecclesiæ in Gallia Legatus Hugo è sua Pictavensi Synodo retulit ad Gregorium septimum: *Abbas Bergensis Ecclesiæ de Flandria Simoniacus fuisse comprobatus est, ac depositus*. Exstat relatio apud dictum Hugonem Flaviniacensem. Nullam hoc sæculo in Gallia factam reperias Synodum, quæ Simoniacos non degradarit. Et inter Sancti Adelberonis Metensis Episcopi palmares laudes, quòd in dandis Ecclesiæ Ordinibus nihil exegerit, adducit ejus apud Philippum Labbe antiqua vita. Omnis illic caro adeò corruperat suam viam. Eandem corruptionem damnat & præsens Canon, mandans ordinantem degradari, ordinatum sine reparationis spe dejici ad Laicos, ac datum ipsi ordinem esse irritum & nullum. Verba, *Nullum habeat fructum*, & ad subtantiæ & ad solius executionis vacuitatem significandam sunt ambigua & ambidextra: Nempe fervebat tunc ista quæstio, ideoque Decreta sua tunc passim Synodi ita librabant, ut neutri quærentium parti præjudicarent. Agit in solam primam & secundam Simoniæ speciem: Factam tertiæ à Leone nono gratiam non lædit.

Fol. 198.

Fol. 195.

Fol. 203.

CANON II.

ITem placuit confirmare, sicut scriptum est, ut Episcopus, ut Abbas Presbyter ante triginta annos, Diaconus verò ante viginti quinque non ordinetur, nisi aut studio sanctitatis, aut sapientiæ ornati, providentia Episcopi simul & Cleri promoveantur. Et eadem ordinatio ne fiat, nisi temporibus secundùm Canones statutis. Aliter quidem irrita fiat ordinatio.

SCHOLION.

ABbates olim & apud Græcos & apud Latinos potuisse esse, ac passim fuisse Laicos, notius est quam ut demonstretur. Nec solus Presbyter, sed & Monasterii Diaconus ac quivis Clericus habebat ubique locum ante Abbatem. Apud Gratianum exstat hoc Decretum:

Dist. 93 cap. 5. *Ostiario Abbas in omni loco repræsentet obsequium suum, sive in publico, sive in gremio Ecclesiæ*. Incommodis erat hoc obnoxium, ideoque statim ad quarti sæculi exordium cœperunt Abbates passim promoveri in Presbyteros aut Diaconos, imò & plures suos Monachos hisce gradibus ornare. Etenim sub Sancti Cyrilli Alexandrini Patriarchatu omnes fermè Ægypti Abbates fuisse Presbyteros aut Diaconos, docet ejus ad ipsos de Symbolo Epistola, exstans in Appendice

Epist. 43. Concilii Ephesini. Etiam sic in Syria & Regia Civitate fuisse, habes in quarta actione Chalcedonensis Synodi, in Constantinopolitana Sancti Flaviani adversus Eutychetem Synodo, ac ex trigesima quarta Epistola Sancti Leonis. Et inter Monachos, qui pro suo Abbate Eutychete supplicarunt Ephesino Latrocinio, fuerunt unus Presbyter, decem Diaconi, ac tres Subdiaconi. Abbatum dignitatem insigniter auxit septima Synodus: Abbatibus Presbyteris concessit, ut Lectoris intra Monasterium exercendo charactère & officio suos Monachos possent insignire. Et hinc ad Canonem istum scribit Theodorus Balsamon: *Dubitatum est, An Monachorum Præfecti fiant, qui sacris non sunt initiati?* Seu an quis non Presbyter posset deinceps benedici in Abbatem? Et quidam censuerunt: *Quod cum Canon decernat hoc* donandi Lectoratus *jus habere Monasteriorum Præfectos, qui ab Episcopo Characterem acceperint, Sacerdotes scilicet, apparet Characterem Præfecturæ non suscipere præfatos, nisi sint Sacerdotes*. Censuerunt Presbyteralem Ordinem, non ad dandum Lectoratum, sed ad suscipiendam Abbatialem benedictionem requiri à Canone, ideoque nullum nisi Presbyterum deinceps posse benedici. Verùm hanc sententiam esse à Canonis scopo penitùs alienam, & Presbyteratum non propter suscipiendam Prælaturam, sed dumtaxat propter imprimendum Lectoris Ordinem requiri, rectè demonstrat Balsamon, additque etiam merè Laicum posse evehi in Abbatem & benedici. In sexti Carthaginensis Canonis Commentario eadem repetit, atque adjungit: *Synodalis declaratio facta est ex supplicatione Patris venerabilis Monasterii Evergetidis, quod quoniam Statutum Monasterii decernit ejus Præfectum Monachorum supputationes auditurum, Profano autem non permittitur supputationes suscipere, necessariò sequitur Præfectum esse Sacerdotem*. Laudati Monasterii Statutum mandabat Abbatem audiendis suo-

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

rum Monachorum confessionibus esse habilem & obstrictum, ideoque laudatus Abbas supplicabat nullum nisi Presbyterum sibi deinceps benedici in Successorem. Et Synodus postulatis omninò annuit. Verùm singularis erat ista lex & gratia. Hinc interim lucet, quod ex tunc quidam etiam Græci judicaverint nullum nisi Presbyterum debere esse Abbatem.

Ejusdem sensus dudum fuerunt aliqui etiam Latini. Hinc enim in sua Romana Synodo statuit Eugenius secundus: *Abbates Sacerdotalem honorem sint adepti, ut peccantium sibi subjectorum fratrum valeant omnimodis refrænare & amputare commissa.* Quod ipsum in sua item Romana Synodo firmavit Leo quartus, & addidit: *Quatenus Domini pro cunctis possint Clementiam exorare, ut scelerum abluti squallore, piaque conversatione muniti, Sanctorum mereantur consortio sociari.* Et hinc Hilduinum Altivillaris Monasterii Diaconum ac Electum fuisse priùs consecratum in Presbyterum, ac deinde Abbatiali benedictione donatum, testantur secunda Suessionensis Synodus, & in Remensis Ecclesiæ Historia Flodoardus. Utique ob laudata Eugenii & Leonis Decreta. Quam Regulam fuisse postea lapsam ostendunt præsentis Canonis verba: *Abbas Presbyter*: Ostendunt quosdam Abbates non fuisse Presbyteros, quod ipsum multis demonstrari possit istius sæculi exemplis. Nam & sese, quem Romanarum constitutionum observantissimum ac Urbano secundo charissimum novimus, fuisse ex Diacono electum & benedictum in Abbatem, & non nisi postea, quod Romæ ad Sanctam Priscam Presbyter Cardinalis esset, consecratum Sacerdotem, testatur in litteris ad Goffredum Carnutensem Episcopum Goffredus Abbas Vindocinensis. Et hinc Joannes & Benedictus, Paschalis secundi per Galliam Cardinales Legati, ad avitam Regulam reparandam statuerunt in prima sua Pictaviensi Synodo: *Abbates qui Presbyteri non sunt, Presbyteri fiant, aut Prælationes amittant.* Et ex ista Regula Sugerius Sancti Dionysii propè Parisios Diaconus ac Electus in Ludovici Grossi Regis vita testatur se à Calixto secundo Pontifice priùs in Presbyterum, ac tunc benedictum fuisse in Abbatem. Et de Theodorico Sancti Trudonis Diacono ac Electo scribit in ejusdem Monasterii Chronico Rudolphus Abbas: *A Domino Olberto Leodiensi Episcopo Presbyter & Abbas est consecratus.* Addit in quarto super Sancti Benedicti Regulam libro Rupertus Tuitiensium Abbas: *Hodie nullus ferè Abbas ordinatur, nisi primùm Presbyter fuerit ordinatus: Olim non ita erat.* Ostendit Joannis & Benedicti Canonem non ubique fuisse admissum. Quare ipsum innovavit Eugenius tertius, sanciens nullum in Abbatem eligi, nisi Presbyterum aut Diaconum. Majores in Abbate, quam in eligendo Episcopo fanxit necessarias qualitates: Episcopum enim è Subdiaconis eligi permisit Urbanus secundus. Exstant Eugenii Decreta apud Leonem Hostiensem Episcopum in Appendice ad Chronicon Monasterii Casinensis. Et ipsa in litteris ad sanctæ Crucis Presbyterum Cardinalem, qui à reformando Sancti Quirici Monasterio irregularem ex idoneæ personæ inopia postulandum curarat, respicit Innocentius tertius: *Monachum illum, quem de honestate & industria commendasti, instituas in Abbatem, ita videlicet, quod ad sacros Ordines non ascendat, cum instante necessitatis articulo possit in Abbatem assumi etiam in minoribus Ordinibus constitutus.* Notanda sunt verba, *In minoribus Ordinibus constitutus*: Videntur asserere Subdiaconum etiam citra necessitatem ac dispensationem potuisse eligi, atque ita Eugenii sanctionem non plenè fuisse receptam. Hinc enim ad Melitinensem Episcopum, qui altera manu mutilatum, & nullo sacro Ordine insignitum Monachum confirmarat in Abbatem, scripsit idem Innocentius: *Respondemus quod cum pro tam enormi defectu ad sacros non possit Ordines promoveri, & in promotione sua id tacuerit fraudulenter, ab Abbatiæ officio est non immeritò amovendus.* Non ob sacri Ordinis carentiam, sed ob solam irregularitatem affirmat electionem & confirmationem fuisse irritam & nullam. Et forsan hic Monachus erat adhuc merè Laicus, atque ita etiam talis videtur tunc legitimè potuisse in Abbatem eligi, aut certè postulari apud Episcopum, & per ipsum dispensatoriè confirmari. Quidquid sit, Clementis quinti Viennense posteà Concilium statuit omnes Monachos, dum quidem Abbati videretur, promoveri ad sacrum Presbyteratus Ordinem, & nullum nisi Presbyterum promoveri in Claustri Priorem. Exinde nullus non Presbyter longè potiori jure potuit eligi in Abbatem. Umbrosæ Vallis Congregatio neminem permittit eligi, nisi qui ad novem annos fuerit Sacerdos. Et talia Statura sunt hodiè in variis congregationibus aut Abbatiis plura.

Hæc dicta sint ob præsentis Canonis verba: *Vel Abbas Presbyter.* Quæ tamen existimo vitiata. Legendum existimo; *Episcopus, Abbas, vel Presbyter.* Etenim & præcedens Canon disertè habet: *Episcopum, Abbatem, Presbyterum, Diaconum.* Ambo loquuntur cum prima Aurelianensi Synodo: *Abbatibus, Presbyteris, omnique Clero.* Et cum secunda: *Abbates, Martyrarii, Presbyteri.* Et cum tertia: *Abbatibus, Presbyteris, cæterisque Ministris.* Eundem ordinem figunt Aurelianensis quarta, Antisiodorensis, secunda Turonensis, Vernensis, Francofordiensis. Multi Abbates erant tunc dumtaxat Diaconi, inferiores Clerici, aut etiam Laici: Adeò apud Latinos antiquum est ipsos Presbyteris anteferri. Hinc de prima Sancti Lanfranci Cantuarienſis Archiepiscopi ad reformandam Anglicanam Ecclesiam Londinensi Synodo, & per ipsam innovatis antiquis Ecclesiæ Decretis scribit Milo Crispinus: *Ad comprimendam quorumdam indiscretorum insolentiam, ex communi Decreto sancitum est, ne quis in Concilio loquatur præter licentiam à Metropolitano sumptam, exceptis Episcopis & Abbatibus.* Etiam in antiquis Græcorum Synodis Presbyteri numquam, Abbates semper habuere suffragium. Et à Fuldensi Abbate proximum Moguntino Archiepiscopo ante omnes Episcopos locum fuisse in Provinciæ Synodo prætensum, suprà ostendimus. Et S. Dionysii

nysii Monasterio, quod Parisiensis Episcopus quandoque obices, quæreret, ab Adriano primo Pontifice datum fuisse, qui spectantibus ad istud Ecclesiis Clericos & alia Mysteria consecraret Abbati subditus, singularem Episcopum, lucet ex ejus privilegio apud Jacobum Sirmondum in Gallicanis Conciliis; Et Hibernorum olim Episcopi fixas non fuisse sedes, sed ipsos sub Abbatibus egisse in Monasterio, & ab illis ad officii sui opus fuisse emissos, norunt periti istius Hierarchiæ. Scio hæc fuisse præter Regulas: Interim demonstrant Abbatis nomen, uti & secunda Aquensis Synodus professa est, semper fuisse magnum in Ecclesia. Est Syriacum, uti in originum libris tradit sanctus Isidorus, vocabulum, & significat Patrem, quem antiqui Monasticarum rerum aut Regularum Scriptores passim vocant & Seniorem, atque ita lucet grandævam ætatem in eligendis Abbatibus fuisse semper exquisitam. Sancti Fructuosi Bracarensis Archiepiscopi Monastica Regula sic statuit: *Abbas è propriis Cœnobii Monachis semper eligatur. Vir sanctus, discretus, gravis, castus, charus, humilis, mansuetus, & doctus, qui diuturnis experimentatus, & omnibus præfatis rebus bene fuerit eruditus.* Et laudati Hispalensis Isidori Regula: *Abbas eligendus est institutione sanctæ vitæ duratus, atque inspectus, patientiæ, & humilitatis expertus, quique etiam per exercitium vitam laboriosam toleravit, ac transcendens ætatem adolescentiæ, juventute sua senectutem tetigerit, cui etiam majores non dedignentur parere, obedientes ei tam pro ætate, quàm etiam pro morum probitate.* Vult illum esse virilis ætatis, proximum senectuti. Eugenius secundus, Leo quartus, & alii Pontifices, qui nullum non Presbyterum sanxerunt benedici in Abbatem, una sanxerunt oportere esse triginta annorum. Et hoc omninò confirmat præsens Canon, ideoque & addit: *Sicut scriptum est.* Ita quidam fuisse existimant usque ad Alexandri tertii Lateranense Decretum, quod in solo Episcopo requirit triginta annos, atque adjungit: *Decanatum, Archidiaconatum, & alia quæ curam animarum habent annexam, nullus omninò suscipiat, nisi qui jam vigesimum quintum ætatis annum attigerit.* Comprehensam hic fuisse censent & Abbatiam. Res non caret dubio. Quidquid sit, majorem hodiè ætatem non requirit Tridentinum Concilium.

Etiam Episcopum ac Presbyterum ante completum trigesimum ætatis annum non consecrari est antiquissimus & Latinæ & Græcæ Ecclesiæ Canon: Haud dudiè Apostolicus. A lege mutuatum ostendit in litteris ad Theophilum Alexandriæ Patriarcham Sanctus Hieronymus: *Recordetur legis antiquæ, & post viginti quinque annos à Leviticæ tribu eligi in Sacerdotium pervidebit. Aut si Hebraicam sequitur veritatem, noverit triginta annorum fieri Sacerdotem.* Quod Apostoli Hebraicam veritatem in omnibus secuti sint, frequenter & constanter ostendit idem Hieronymus. Idem Apostolicus Canon Diaconum ante expletum vigesimum quintum annum permisit consecrari. Et hinc Apostolicarum constitutionum Auctor, scribens Episcopum debere esse quinquaginta annorum, ostendit se esse hominem personatum, nullo modo Clementem Romanum Pontificem. In Novella tamen ad Petrum officiorum Magistrum lege Imperator Justianus jussit eligendum Episcopum esse annorum triginta quinque, & addidit de Presbytero: *Presbyterum minorem triginta quinque annorum fieri non permittimus.* Verùm legem quoad Presbyteros correxit, & ad antiquos terminos reduxit Trullana Synodus. Quod ipsum Græci etiam hodie servant. Nullum Diaconum ante vigesimum quintum, ante trigesimum annum non ordinant Presbyterum: Quæ avitæ disciplinæ custodia non caret laude. Ipsam apud Hispanos ex Arianorum temporum iniquitate, & exinde nata Catholicorum Clericorum inopia lapsam reparavit quarta Toletana Synodus: *In veteri lege ab anno vigesimo quinto Levitæ in Tabernaculo servire mandantur, cujus authoritatem in Canonibus & sancti Patres secuti sunt. Nos & Divinæ legis & Conciliorum præcepti immemores, infantes & pueros Levitas facimus ante legitimam ætatem, & ante experientiam vitæ. Ideoque ne ulteriùs fiat à nobis, & Divinæ legis & Canonum admonemur sententiis. Sed viginti quinque annorum ætatis Levitæ consecrentur, & triginta Presbyteri ordinentur.* Cum Sancto Hieronymo profitetur Disciplinam hanc esse hauſtam è Synagoga, & per Patres derivatam in Ecclesias. Eandem in Gallia lapsam reparavit Agathensis Synodus: *Episcopus benedictionem Diaconatus minoribus quàm viginti quinque annorum penitùs non committat. Presbyterum verò vel Episcopum ante triginta annos nullus Metropolitanorum ordinare præsumat. Ne per ætatem, quod aliquoties evenit, aliquo errore culpentur.* Et quarta Arelatensis: *Quia in ordinandis Clericis antiquorum Patrum Statuta non ad integrum observata esse dignoscuntur, ne fortè quorumcumque importunis, aut inordinatis precibus Sacerdotes Domini fatigentur, & quæ toties sunt præcepta transgredi compellantur, hoc inter se observandum esse definiunt, ut Episcoporum nullus Diaconum, antequam viginti quinque annos impleat, ordinare præsumat. Episcopatus verò vel Presbyterii honorem nullus ante triginta ætatis annos accipiat.* Et tertia Aurelianensis: *Nullus ante ætatem legitimam, id est, viginti quinque annorum Diaconus, & triginta Presbyter ordinetur.* Verùm cur Agathensis Synodus junioris Diaconi benedictionem cunctis Episcopis, junioris autem Episcopi aut Presbyteri consecrationem solis interdicit Metropolitis? An hoc Provincialibus adhuc permisit Episcopis? Nullo modo. Juniores Diaconos cuncti Episcopi, juniores verò Episcopos aut Presbyteros creare soli per majoris suæ auctoritatis dispensationem attentarant Metropolitæ. Hinc de ipsis solis sanxit Synodus Agathensis, Arelatensis addidit ad nullius deinceps preces aut causas istam inordinatam gatiam expendi. Ità prodit anterioris abusus radicem. Ex Merovingiorum Regum ignavia lapsam denuò hanc disciplinam reparare cœpit Apostolus noster ac Martyr Bonifacius, ad quem rescripsit Zacharias Pontifex: *Inquisivisti etiam & hoc, si ante trigesimum annum liceat Sacerdotem ordinari.*

dinari. Bonum & congruum est charissime frater, si fieri & inveniri potest, ut provectæ ætatis & boni testimonii viri, juxta Sacrorum Canonum Instituta, ordinentur Sacerdotes. Si autem minimè reperiuntur, à viginti quinque annis & supra Levitæ & Sacerdotes ordinentur, quemadmodum in lege Domini continetur. Lege Mosaica. Nobiscum affirmat Apostolicum hunc Canonem ex Synagoga ad Ecclesiam devenisse. Ejus jam dictum sub Merovingiis Regibus lapsum plenè repararunt in suis Capitularibus Carolus Magnus, ejus in variis Synodis Episcopi, ac præsertim per Francofordiense Concilium Apostolica Adriani primi Legatio: *De Presbyteris ante trigesimum ætatis annum non ordinandis.* Ejusdem post patrata in Formosum Pontificem scandala relapsum præsens iterum Canon conatur reparare.

Cap. 49.

Tres sunt Neophytorum species: Neophyti ex gentilibus, Neophyti ex Laicis, ac Neophyti ex pueris, quos Patres vocant maledictam hæresim puerorum. Primam Nicæna, secundam Sardicensis, tertiam tunc adhuc novellam speciem damnat hæc nostra Synodus, conaturque evellere. Etenim non ità pridem Græcorum Imperator Romanus Lacapenus filium suum Theophylactum adhuc puerum curarat consecrari in Diaconum, nominarat in Patriarcham Constantinopolitanum, & decimo sexto ætatis anno fecerat consecrari. Et quidem per Simoniam confidentiæ. Quòd enim defuncto Stephano secundo Theophylactus decem dumtaxat annos haberet, Tryphon Monachus est interim in Cathedram intrusus, ea lege ut post sexennium cederet Theophylacto. Rei seriem latiùs exponunt Michael Glycas, Constantinus Manasses, & cum aliis Græcorum scriptoribus Georgius Cedrenus, qui adjungit: *Cæterum quasi si tempus in eo laboraret, ut summi Pontifices ejusdem sententiæ crearentur, Romanæ Ecclesiæ eodem tempore Præfectus fuit Joannes Alberici filius, homo ad omnem lasciviam & malitiam propensus, quem Otho Francorum Imperator expulit, altumque Ecclesiæ Pastorem constituit.* Is fuit Joannes duodecimus, quem omninò adhuc fuisse puerum testatur Luitprandus Ticinensis. Eundem quod annorum decem Episcopum in Tudertina civitate ordinasset, in Romana apud eundem Luitprandum Synodo accusavit Benedictus Cardinalis. Circa eadem tempora ad Martinum Ferrariensem Episcopum scripsit Ratherius ex Lobiensi Monacho Episcopus Veronensis: *Ecclesiæ vestræ filii vobis detrahunt, præcipuè de ordinationibus puerorum illicitis, adjicientes quod etiam pro pretio eas, quod Simoniacum est, perpetuò faciatis.* Exstat Epistola in Spicilegio Lucæ Dacherii. Nobiles pueros non tantùm in Clericos, sed etiam in Episcopos tunc passim fuisse consecratos, ibidem lamentatur in libro de Ecclesiasticis pressuris Attonis Episcopus Vercellensis. Eos affirmat esse idola in Ecclesiis: Nempè uti idola in corpore, ità hi propter puerilem ignorantiam in mente habent oculos, & non vident. Et hinc de Brunone, Lotharii Francorum Regis consanguineo, & suo per ipsum Lingonensi Episcopo, quod consecrationis tempore haberet annos viginti quatuor, sibi gratulatur Chronicon Sancti Benigni Divionensis. Et de Heriberto Viromandensi Comite, & per ipsum seductis Attone Suessionensi, & Bovone Cathalaunensi Episcopo, scribit in Remensis Ecclesiæ historia Flodoardus: *Atto & Bovo Heriberti filium, nomine Hugonem, admodum parvulum, qui nec adhuc quinquennii tempus expleverat, eligunt in Remensem Archiepiscopum.* Addit electionem non tantùm à Rudolpho Francorum Rege, sed etiam à Joanne decimo Pontifice fuisse dispensatoriè confirmatam. Adversum hosce abusus, qui post patrata in Formosum Pontificem scandala intrarunt Latinam Ecclesiam, editus est hic noster Canon.

Tom. 2.

Tom. 8.

A. 980.

Lib. 4. cap. 20.

Verùm ipsos non exstinxit. Etenim Guilielmum Rothomagensem Archiepiscopum, quod *puerorum spurcitiam, nova ac inaudita Neophytorum hæresi Cathedram Episcopalem usurpantium*, licet aliquandiu toleratam, tandem aliquando ejecisset ex Lexoviensi Ecclesia, laudat Sanctus Ivo Episcopus Carnutensis. Quod ejecisset *Flammigeros pueros, & virum strenuum & honestum, Dominum Guilielmum Ebroicensem Archidiaconum, in prædictæ Ecclesiæ Pastorem elegisset.* Flammigerorum puerorum genus & facinus exponit in novis ad Sancti Ivonis epistolas Notis Joannes Baptista Souchetus: *Ivo alludit ad ipsorum cognomen. Erat enim Radulphi Flammardi, qui Anglis dicitur Flamma, Dunelmensis Episcopi filii, qui nova & inaudita præsumptione eos in Lexoviensem Ecclesiam Pastore vacuam intruserat, duodennes licet, ipsosque ut si prior deficeret, alter substitueretur, quasi hæreditario jure sufficere nitebatur.* Eundem Guilielmum ad cœpti operis perfectionem hortatur Ivo in alia item Epistola, carnalis polygamiæ crimen exaggerat, & concludit: *Eliminetur ergo de Lexoviensi Ecclesia Ranulfus Dunelmensis Episcopus, & Digamia non admittatur. Eliminentur pueri ejus, ut Neophytorum hæresis exstirpetur.* Et in litteris ad Robertum Comitem Mellentinum: *Quæ ratio, quæ lex permittit, ut Ranulfus Dunelmensis Episcopus de Ecclesia alterius Regni ad aliam Ecclesiam transeat, & velut quadam mœchatione præsentiæ suæ, vel filiorum suorum occupatione Lexoviensem Ecclesiam per violentiam Anglici Regis invadat?* Roberti apud Henricum primum Regem ac in omni Anglorum Regno authoritatem prædicat, ideoque per ipsum impediri hæc rogat, & Ecclesiasticas à sanctis Patribus traditas, ac à Catholicis Regibus confirmatas leges adeò fœdè non perturbari. Etiam Paschalem secundum Pontificem scripsit: *In terra Normannorum ità manifestè prostituta est Ecclesia, ut de ea illud Propheticum dici possit,* PECCATUM SUUM SICUT SODOMA PRÆDICAVERUNT. *Quod in Ecclesia Lexoviensi Paternitas vestra poterit agnoscere, quam jam per plures annos Ranulphus agnomine Flammardus, Dunelmensis Episcopus, inaudito invasionis genere occupavit, qui duos filios suos vix duodennes accepto Pastorali baculo à Comite Normannorum prædictæ Ecclesiæ intrudi fecit, ea conditione ut si primo-genitus moreretur, Judaico more alteri subrogaretur. Quod cum partim dolentibus, partim deridentibus*

Ep. 149.

Ep. 10.

Ep. 153.

Ep. 154.

Epist. 157.

tibus plurimis, diu perpessa esset Ecclesia, monitu quorundam Religiosorum, graviter redargui solo charitatis intuitu Rothomagensem Archiepiscopum, ad cujus Diœcesim pertinet prætacta Ecclesia, quòd ex adverso non staret, quòd pro domo Israel murum non opponeret. Hoc idem feci aliis Episcopis ejusdem Metropolitani suffraganeis. Tandem cùm Comes terræ illius periculo amittendi Principatus sui urgeretur, quasi pœnitentia ductus præcepit, ut prædictus Dunelmensis Episcopus de Ecclesia cum sua prole ejiceretur, & Episcopus ibi Canonicè eligeretur. Ranulphus Flammardus Guilielmo secundo Anglorum Regi fuit sceleratus incentor ad fœdandam ac turpandam Angliæ Ecclesiam & Rempublicam, atque hac via ex infima plebis fœce ad Dunelmensem Episcoparum evectus, & de Guilielmi fratre ac successore Henrico primo scribit Matthæus Parisiensis: *Mortuo Rege iniquo, & Henrico coronato, de communi consensu Gentis Anglorum, Rex Ranulphum posuit in vinculis, è quibus cum custodibus suis pecunia corruptis evasisset, transfretavit clam in Normandiam, & sua exhortatione Ducem Robertum commovit in Regem fratrem suum.* Robertus Normandiæ Dux erat Guilielmi Conquestoris filius primogenitus, dum in terra sancta cum Godefrido Lotharingiæ Duce militaret, per fratrem Guilielmum excluſus à Regno, & Normandiæ Ducatu jussus esse contentus: Et eandem injuriam jam denuò passus fuerat à juniore fratre Henrico. Hinc illum ad turbas inflammavit Flammardus, ac ab illo obtinuit suis filiis Lexoviensem Episcopatum, quem ipse, dum illi adolescerent, interim teneret, atque ita per confidentiæ Simoniam esset Episcopus, & duarum simul Ecclesiarum adulter. Et quidem Henricum Regem in exordio conniviſſe suadet laudata Jvonis Epistola ad Comitem Mellentinum. Videtur de spontaneo improbi hominis exilio fuisse gavisus, atque ità de isto ejus solatio dissimulasse. Quidquid sit, ipsum posteà curavit ejici, & afflictæ Ecclesiæ concedi Canonicam electionem. Interim ad everrendas hasce sordes optimus Jvo debuit usque ad sanguinem sudare.

Et non evulsit radicem. Etenim in sua Lateranensi Synodo Innocentius secundus fuit compulsus denuò emittere hunc Canonem: *Prohibemus ne Adolescentibus, sed qui prudentia & vitæ merito clarescunt, concedantur honores.* Nempe Archidiaconatus, Decanatus, Præposituræ. Et Theoduinus ac Albertus, Alexandri tertii per Normandiam Cardinales Legati, in Abrincensi Synodo statuerunt: *Pueri ad regimen Ecclesiarum illarum, & ad illa administranda, in quibus cura est animarum, minime admittantur.* Exstat apud Rogerum Hovedensem. Et de Rogerio Eboracensi Archiepiscopo scribit Guilielmus Neubrigensis: *Rogerius pro personis spectabilibus, quibus tamquam quibusdam monilibus Eboracensis olim refulsit Ecclesia, titulavit imberbes, & quosdam etiam agentes sub ferula, aptos magis pro ætate ædificare casas & plastello adjungere muros, ludere par impar, equitare in arundine longa, quàm personas gerere in Ecclesia Magnatum.* Et audi rursus confidentiæ Simoniam: *Ut scilicet us-*

C. 16.

Fol. 131.

L. 3. c. 5.

Christ. Lupi Oper. Tom. V.

que ad annos viriles curam agens Titulatorum, universa perciperet commoda titulorum. Et de Ricardo Londinensi Episcopo scribit Radulphus de Diceto: *Richardus Londinensis Episcopus Richardo filio fratris sui Waltheri Archidiaconatum concessit, licet Richardus necdum pubes existeret. Guilielmus Decanus Londoniæ, filius Adelinæ sororis memorati Pontificis, prædicto Richardo stallum assignavit in Choro, sedem in Capitulo.* Et ecce denuò confidentiam. Richardi enim Episcopi Capellanus Hugo interim administravit Archidiaconatum, & puero custodivit; juratus suo tempore restituere. Verùm quòd interim Episcopus moreretur, Tryphonem Constantinopolitanum Patriarcham imitatus est: Ad reddendum Archidiaconatum debuit judicis authoritate compelli.

A. 1138.

De eodem abusu graviter queritur in litteris ad Henricum Senonensem Archiepiscopum Sanctus Bernardus. Episcopatum, aliasque Ecclesiæ dignitates esse non dumtaxat honorem & gloriam, sed etiam pœnam & onus demonstrat insigniter, & prosequitur: *Nunc verò quia sola attenditur gloria, & non pœna, purum esse Clericum erubescitur in Ecclesia, seque viles æstimant & inglorios, qui quocumque eminentiori in loco non fuerint sublimati. Scholares pueri, & imberbes adolescentuli ob sanguinis dignitatem promoventur ad Ecclesiasticas dignitates, & de sub ferula transferuntur ad principandum Presbyteris: Lætiores interim, quòd virgas evaserint, quàm quòd meruerint principatum. Nec tam illis blanditur adeptum, quàm ademptum Magisterium.* Blandos hosce leonculos ostendit pedetentim crescere in terribiles leones, qui omnem devastent Ecclesiæ substantiam ac disciplinam. Longè duriores querimonias misit ad nescio quem domesticum Prælatum Eugenii tertii Pontificis: *Pertransiit Legatus vester,* Cardinalis Jordanus Hostiensis Episcopus, *de gente in gentem, de Regno ad populum alterum, fœda & horrenda vestigia apud nos ubique relinquens. A radice Alpium & Regni Teutonicorum per omnes penè Ecclesias Franciæ & Normandiæ, & circumquaque circumiens usque Rothomagum, vir Apostolicus replevit non Evangelio, sed Sacrilegio. Turpia fertur ubique commisisse, spolia Ecclesiarum asportasse, formosulos pueros in Ecclesiasticis honoribus, ubi potuit, promovisse, ubi non potuit, voluisse. Multi se redemerunt, ne veniret ad eos. Ad quos pervenire non potuit, exegit & extorsit per nuntios. In Scholis, in Curiis, in Triviis fabulam se ipsum fecit.* Ejus excessus exaggerat & concludit: *Legite litteras has Domino meo, ipse videat quid de tali homine faciendum sit. Ego liberavi animam meam. Dico autem præcipitatione, qua soleo: Bonum est ei, si purget ipse Curiam suam, & sic liberet conscientiam suam.* Et acri hac admonitione motus Eugenius laudatum Innocentii secundi Canonem innovavit, ac suo Remensi Concilio inseruit. Verùm sine pleno etiam effectu. Nam exstat non ità dudum post scripta ad nescio quem Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Epistola, qua Petrus Blesensis suo tempore grassantem Cleri ambitum durè perstringit, & adjungit: *Hodiè in Episcopi dignitatem adolescentuli promoventur & molles,*

Epist. 290.

Cap. 9.

Epist. 23.

Eodem tempore Theobaldus Campaniæ Comes filiolum suum Guilielmum, jam Sancti Quiriaci Præpositum, ad nescio quam aliam Ecclesiæ dignitatem commendari postulavit, & quidem ab istarum sordium hoste Sancto Bernardo. Verùm hic reposuit sine Dei offensa fieri hæc non posse, & adjecit causam: *Honores & dignitates*
Epist. 271. *Ecclesiasticas non ignoro deberi his, qui eas dignè & secundùm Deum administrare & velint & possint.* Interim neque Theobaldus, neque Guilielmus acquieverunt. Quòd enim hic non ità dudum post adhuc adolescens sit electus & confirmatus in Carnutensem Episcopum, testatur &
A. 1176. laudat Radulphus de Diceto. Laudat ejus in istam Ecclesiam beneficia. Quòd enim posteà Senonensem etiam ac Remensem Archiepiscopatum magno virtutum exemplo administrarit, testantur Stephanus Tornacensis Episcopus, Robertus Abbas Montensis, ac Guilielmi in Carnutensem Cathedram successor Joannes Saresberiensis.

Abusum eliminare conatus est in Lateranensi Synodo etiam Alexander tertius: sed iterum sine pleno effectu. Quòd enim Anglicani præsertim Episcopi pueris necdum decennibus Archidiaconatus & alias curatas dignitates conferrent, ac ipsas per Laicos interim administrari permitterent, docent plures laudati Pontificis apud Gregorium nonum litteræ & querimoniæ.
L. 1, Tit. 14, c. 2. 3. 4. Et facinus deinceps committi quidem vetuit, eo tamen usque Attentata non cassavit: Donatas pueris dignitates dumtaxat jussit administrari per Clericos. Etiam ad Melphiense Capitulum de degradato ejus Episcopo scripsit Innocentius tertius: *Nepotibus suis vagientibus in cunabulis*
L. 3. Epist. 233. *majores Præbendas tribuit, & meliora beneficia, portantibus aliis pondus diei & æstum, & istis, ubi non seminaverunt, metentibus plena manu.* Et ob alia quidem plura, tamen ob hoc crimen degradavit istum Episcopum. Et neque tunc malum cessavit. Etenim sub Clemente quinto celebrata secunda Ravennæ Synodus edidit hunc
C. 16. Canonem: *Canonicatus nulli conferatur in Ecclesia Cathedrali, nisi tali qui sciat legere & cantare, & competenter construere, & decimum quintum annum attigerit. Nec Canonicatus in Collegiata Ecclesia, nisi duodecimum adimpleverit annum.* Tertia ibidem Synodus ad Cathedralem Canonicatum requisivit sedecim annos. Majorem rigorem non admittebat istius temporis iniquitas. Et in libro de corrupto Ecclesiæ Statu scribit Nicolaus de Clemangis: *Imberbes adhuc adolescentuli, vix ferula egressi, ad Pastorale convolant Magisterium, & tantumdem de illo, quantum de nautico sciunt officio.* Ecclesiæ & disciplinæ pessima ab illis damna largè exponit, & adjungit de Antipapa Clemente septimo: *His juvenibus nitidis & elegantibus, quorum maximè consortio gaudebat, singulos ferè vacantes Episcopatus, cæteraque præcipuas dignitates Clemens impendebat.* Pestis grassata fuit usque ad Sacro-sanctum Tridentinum Concilium, cui vel ob istam solam reformationem omnis sub cœlo Ecclesia plurimùm obligatur. Et ex dictis lucet, quòd istas puerorum promotiones Ecclesia olim non sine fundamento titularit maledictam Simoniam & Hæresim puerorum.

Addit nostra Synodus: *Nisi aut studio sanctitatis aut sapientiæ ornati, providentia Episcopi simul & Cleri promoveantur.* Super ordinandorum Abbatum, Presbyterorum, ac Diaconorum ætate dispensandi facit potestatem. Nec sine antiquis exemplis. Etenim de Sancto Gregorio Thaumaturgo, ac ejus fratre Athenodoro scribit in Ecclesiastica historia Eusebius Cæsareensis: *Tantam & tam admirabilem in Sacrosanctis Dei elo-*
Lib. 6. cap. 23. *quiis fecere progressionem, ut dum adhuc ambo admodum adolescentes erant, Ecclesiarum in Ponto crearentur Episcopi.* Unica tunc Provincia erat Pontus sub Amasea Metropoli, cujus Episcopum Phædimum prophetiæ spiritu claruisse, ideoque laudato Gregorio ad Neocæsareensem adhunc Paganam civitatem ordinando Episcopo dudum studuisse, testatur in funebri hujus encomio Sanctus Gregorius Episcopus Nysse-nus. Verùm fugiebat ille insidiantes sibi manus, ideoque pergit laudatus Encomiastes: *Impetu quodam Divino Phædimus ad propositum studium provectus, nihil curans interjectum spatium quo à Gregorio dirimebatur, quippè ille aberat itinere tridui, sed ad Deum suspiciens, precatusque ut & ipse & ille pariter illa hora à Deo respicerentur, loco manus impositionis Gregorio adhibet sermonem, Deo consecrans eum qui corpore coram non adesset.* Et consecrationis modum, & consecrandi ætatem videtur sua Metropolitana auctoritate sine omni ad Cæsareensem Ponticæ Diœceseos Primatem relatione dispensasse. Alexandrum primum Pontificem vigesimo ætatis anno fuisse consecratum, testatur ejus apud Laurentium Surium vita. Quod ipsum de Eleuthero Pontifice scribit Nicephorus Calixtus. Quòd L. 3. c. 29
item Joannes Hierosolymæ Episcopus nescio quem adolescentem in Presbyterum consecrarit, testatur in litteris ad Pammachium Sanctus Hie-
Epist. 61. ronymus. Et Antonium adolescentem, quòd legitimus Electus aufugisset, à Numidiæ Primate fuisse dispensatum & consecratum Fusalensis Ecclesiæ primum Episcopum, in litteris ad Cælestinum Pontificem refert Sanctus Augustinus.
Epist. 262 Nec hanc illi factam gratiam, sed dumtaxat pravam dignitatis administrationem Fusalenses Romæ accusaverunt. Item se adolescentem fuisse à Flaviano Antiochiæ Patriarcha consecratum Presbyterum profitetur, & admiratur in habito desuper sermone Sanctus Joannes Chry-
Hom. 46. sostomus. Quemdam item suum amicum admodum juvenem fuisse Diaconatu insignitum scribit in Homiliis super Acta Apostolica. Sanctum Remigium vigesimo secundo anno ad Remensem Cathedram fuisse potiùs raptum, quàm electum asseverat in ejusdem Ecclesiæ historia Flodoardus, & prosequitur: *Sanctissimus*
L. 1. c. 11 *adolescens his pressus angustiis, super infirmæ ætatis cœpit conqueri tempore, & quòd Ecclesiastica Regula hanc ætatem ad tantam dignitatem non admitteret, voce publica prædicare. Sed cùm irrevocabiliter populi acclamaret frequentia, & vir Dei magna reniteretur constantia, placuit Omnipotenti Deo manifestissimis indiciis propalare, quòd ipse de*

de eo judicium dignaretur habere. Traditur enim cœlestis radii lumen super ipsius Sanctum subitò descendisse verticem, & cum ipso lumine cælitus infusum ejus capiti unguinis Divini liquorem, cujus sacri nectaris totum ejusdem videretur caput infusione delibutum. Omni ergò postposita dubitatione, Præsulum Remensis unanimitate Provinciæ, Pontificali consecratur honore. Fuisse quinti sæculi quinquagesimo natum, & septuagesimo secundo anno consecratum Episcopum scribit apud Philippum Labbe breve Remensis Ecclesiæ Chronicon. Verbum, *Traditur*, profitetur Divinum istud portentum nutare. Quidquid sit, Provinciales Episcopi super ætate dispensarunt. Et ex hoc fortasse exemplo natum est, quòd cuncti olim Gallicani Episcopi Diaconum, & cuncti Metropolitæ Episcopum ac Presbyterum super ætate dispensare consueverint, cujus potestatis & moris excessum fœnari supra audivimus à Synodis Agathensi, Arelatensi, ac Aurelianensi.
Verùm posteà revixit. Etenim de Sancto Lam-
Fol. 25. berto scribit magnum Belgii Chronicon. *A toto Clero & Populo, anno ætatis suæ vigesimo, Trajectensis Episcopus electus est & consecratus.* Et in libro de ejus gestis Nicolaus Leodiensis Cano-
Cap. 5. nicus: *Lambertus Trajectensium testimonio, Comprovincialium Episcoporum judicio approbatus, per sacræ Unctionis Ministerium Spiritus sancti virtutem suscipiens, Tongrensi Cathedræ præsedit Episcopus.* Comprovinciales Episcopos affirmat approbasse seu dispensasse. Eandem potestatem in Apostolo nostro Bonifacio agnovit Zacharias Pontifex. Ob idonearum personarum inopiam permisit vigesimum quintum annum Presbyteratu donari. Venerabilem Bedam decimo no-
Epist. 13. no, Sanctum Leodegarium fuisse anno ætatis vigesimo ordinatum Diaconum habemus in hujus vita, & apud Simeonem Dunelmensem. Quod ipsum de Sancto Epiphanio Ticinensi Epi-
Cap. 2. scopo asserit in ejus vita Ennodius ejusdem Ecclesiæ Diaconus. Et de Sancto Malachia scribit Sanctus Bernardus: *Erat, cùm Sacerdos ordinatus est, annos natus quasi viginti quinque. In qua ejus ordinatione, si quid præter Canonum formam processisse videtur, ut verè videtur, si quidem infra vigesimum quintum annum Leviticum Ministerium, infra trigesimum adeptus est Sacerdotii dignitatem, donandum sanè tum zelo Ordinatoris, tum meritis Ordinati. Ego verò istud nec in Sancto redarguendum, nec usurpandum consulo ei qui sanctus non fuerit.* Olim enim hujusmodi dispensationes sibi non reservavit Sedes Apostolica, ideoque ejus arbitrium & potestatem habebat quisque Episcopus, actus sui rationes Domino red-
Epist. 25. diturus. Nam etiam diversos Neophytos adversùs Nicænum Concilium varii Episcopi dispensarunt & consecrarunt, & sibi factam gratiam fuisse ab omni Ecclesia probatam affirmat in litteris ad Vercellenses Sanctus Ambrosius. Et hinc illos, qui nullam præviam ad vulnerandum, sed solas posteriores jam vulnerati Canonis dissimulatorias dispensationes existimant olim fuisse datas, palàm lucet hallucinari.

Interim præsens Canon solos Abbates, Presbyteros, ac Diaconos, nequaquam ordinandos Episcopos permittit super ætatis defectu dispensari. Licet non ex ipsis ejus verbis, claret tamen ex subsecuta praxi, fidissima interprete Canonum ac legum. Etenim Metropolitana Dolensium Ecclesia electum à se nescio quem nobilem juvenem, non ad Provinciæ Episcopos, sed Romam ad Gregorium septimum misit dispensandum & consecrandum. Et ipsum ob solum ætatis defectum rejecit laudatus Pontifex, L. 4. Epist. 4. 5.
ac ejus in locum suffecit & consecravit Jvonem Abbatem Sancti Melanii Redonensis. Et de suæ Ecclesiæ Canonico Guilielmo, sine Simonia & quavis alia sorde in Parisiensem Episcopum electo, scripsit ad Urbanum secundum Sanctus Jvo Episcopus Carnutensis: *Fratri illi dedimus* Epist. 43.
consilium, quia nonnihil infra legitimos annos nobis esse videbatur, ut promotiones ad gradus Ecclesiasticos per congrua intervalla differret, & interim aut per se, aut per Nuntios Ecclesiæ pro his, quæ ad integritatem ordinationis minus sunt, à Paternitate vestra Indulgentiam postularet. Etiam L. 3. Epist. 11.
Rainaldum Andegavensem Episcopum à Calixto secundo fuisse super ætatis defectu dispensatum, in suis ad istum litteris lucidè scribit Gosfredus Abbas Vindocinensis. Cur omnes hi Gallicani Electi, non suos Consecratores Metropolitas, sed pro dispensatione accesserunt Sedem Apostolicam? Quòd præsens Synodus hanc potestatem laudatæ Sedis reservasset.

Neocæsareensis Synodus olim statuit: *Presbyter ante trigesimum ætatis suæ annum nullatenus ordinetur, licet valde sit dignus, sed hoc tempus*
Can. 11. *observet. Nam Dominus noster trigesimo ætatis suæ anno baptizatus est, & sic cœpit docere.* Eisdem ferè verbis conceptum Canonem Gratianus ad-
Cap. 14. scribit Bonifacio primo. Quidquid sit, ipsum innovavit Trullana Synodus. Ob sola personæ merita super ætatis defectu non permittit dispensari. Ex sola Clericorum inopia gratiam istam à nostro Apostolo Bonifacio fieri permisit etiam Zacharias Pontifex. Et certè generales Ecclesiæ Canones ob solas publicas causas lædi & dispensari toleravit antiqua disciplina. A quibus Patrum vestigiis nequaquam recessit nostra hæc Synodus. Quòd enim ipsius tempore plerique Galliæ Episcopi, Abbates & Clerici essent aut simoniacè ordinati aut laicè investiti, suprà audivimus ex fidis testimoniis, atque ità magna istic erat idoneorum Ministrorum inopia. Hinc ob sola personæ merita permisit præsens Canon super ætate dispensari. Nec soli Episcopo, sed ipsi simul cum majori Clero credidit hanc gratiam conformiter ad antiquos Canones, qui non à solo item Episcopo, sed ab ipso ac ejus Clero jusserunt novos Clericos eligi.

Quæstio est, An triginta in Episcopis ac Presbyteris, viginti quinque anni in Diaconis revera requirantur à Canone Apostolico? Dubitandi rationem facit in præfatione super primam Epistolam ad Timotheum Sanctus Joannes Chrysostomus, ostendens Timotheum adhuc adolescentem fuisse ab ipso Apostolo consecratum Episcopum, atque adjungens: *Apostolus cùm de Episcopis loqueretur, multaque dixisset quæ in Episcopo essent necessariò requirenda, nusquam centum*

leges de ætate feciſſe. Et in decima ſuper eandem Epiſtolam homilia per voces Apoſtoli, *Non Neophytum*, aſſerit non eſſe intelligendum adoleſcentem, & proſequitur: *Apoſtolus hic ætatem adoleſcentiæ ſignificare noluit. Nam profectò ſi adoleſcentiam ſignare voluiſſet, nihil dicere prohibebat, Non adoleſcentem. Ne ipſe quidem cùm ad Timotheum ſcriberet, ætatem in Epiſcopo ſummoperè inquirendam monuit, Nemo adoleſcentiam tuam contemnat*. Apoſtoli voces, *Non Neophytum* eodem modo interpretatur Theodoretus: *Apoſtolus, ut exiſtimarunt nonnulli, teneram ætatem non excludit. Beatus enim Timotheus, ad quem hæc ſcripſit, adhuc adoleſcens leges ſuſcepit. Quin ipſe divinus Apoſtolus, cùm eſſet adoleſcens, vocatus eſt*. Et laudatum Canonem eſſe, non ab Apoſtolis, ſed à Patribus, diſertè affirmant quarta Toletana Synodus, & prima Aquiſgranenſis.

Reſpondeo Canonem eſſe antiquiſſimum. Etenim in libro Apologetico ſcribit Tertullianus Cap. 39. de noſtris Epiſcopis & Presbyteris: *Præſident probati ſeniores*. Et in Præſcriptionum libro hæreticorum ordinationes dicit eſſe temerarias, leves, inconſtantes, & adjungit: *Nunc Neophytos conlocant, nunc ſæculo obſtrictos, nunc Apoſtatas noſtros*. Cap. 41. Eos de juniorum provectione non arguit, quod univerſaliſſimum Eccleſiæ Canonem nullus eo uſque præſumpſiſſet prævaricari. Vel ſolùm, quod omninò eſt ab Apoſtolis inductum in Eccleſias, *Presbyteri* nomen evincit & in Epiſcopis & in Presbyteris requiſitam ab ipſis fuiſſe virilem ætatem. Et dum Epiſcopum Timotheum Paulus vocat adoleſcentem, intelligit juventutem, quæ & annum trigeſimum complectitur. Nam & Sancti Hieronymi fratrem Paulinianum, qui triginta erat annorum, Joannes Epiſt. 61. c. 16. Hieroſolymæ Epiſcopus puerum appellavit. Quidquid ſit de promoto per Prophetiam ſeu divinam revelationem Timotheo, quotquot ordinandis Sacerdotibus aut Diaconis annos præfigunt antiqui Canones, nullomodo inducunt novam legem, ſed dumtaxat firmant avitam conſuetudinem. Omnium antiquiſſimus Neocæſareenſis aliud non ſtatuit, quàm ſuper trigeſimo Presbyteri anno ob ſolam ſcientiæ aut vitæ eminentiam non poſſe diſpenſari. Quorumdam Epiſcoporum compeſcit exceſſus & prævaricationes. Quocirca hic locum omninò habet à Sancto Auguſtino in litteris ad Januarium fixa Regula: *Illa quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſervantur, dantur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis vel plenariis Conciliis commendata atque ſtatuta retineri*. Epiſt. 118. c. 3. At verò hæc univerſalis diſciplina eſt omni generali Concilio manifeſtè antiquior; Eſt ergo ab ipſis Apoſtolis. Sanctus Joannes Chryſoſtomus ac Theodoretus dumtaxat volunt non fuiſſe ſcripto ab Apoſtolis traditam.

Altera quæſtio eſt, Quis ordinandorum Sacerdotum ac Diaconorum ætatem ad præſentis tandem temporis normam perduxerit? Reſpondeo præſentis Synodi Canonem ab omnibus etiam Galliæ Eccleſiis non ſtatim fuiſſe admiſſum. Hinc enim ipſum in Melphitana Synodo innovavit Urbanus ſecundus. Quòd non ſolùm modò adversùm Italos, ſed etiam adversùm Francos innovarit, lucet ex Stephano ejuſdem ſæculi Auguſtodunenſi Epiſcopo, qui in libro de Sacramento Altaris docet vigeſimo primo ætatis anno poſſe Diaconum conſecrari. At verò Cap. 12. ejuſdem ſæculi Doctor Sanctus Bernardus ſuprà nobis dixit nullum ante vigeſimum quintum in Diaconum, aut ante trigeſimum annum poſſe in Presbyterum conſecrari, niſi fuerit ejuſdem cum Sancto Malachia ſanctitatis. Lucidè laudat noſtrum Canonem, qui & in ordinandis exquirit iſtam ætatem, & ob inſignia ordinandi merita indulget præveniri. Hac igitur in re non concordabant Eccleſiæ, & antiqua diſciplina videbatur ægrè reparanda. Hinc in Lateranenſi Synodo Alexander tertius emiſit Canonem, quoad ſacros Ordines & Eccleſiaſtica miniſteria edixit requiri maturitatem ætatis, gravitatem morum, & litterarum ſcientiam, ideoque neminem, qui trigeſimum necdum compleſſet annum, in Epiſcopum eligi; nullum qui necdum attigiſſet vigeſimum quintum permiſit in Decanum, Archidiaconum, aut Parochialem Presbyterum promoveri, & adjunxit: *Cùm autem aſſumptus fuerit, ſi Archidiaconus in Diaconum, Decani & reliqui admoniti non fuerint præfixo à Canonibus tempore in Presbyteros ordinati, ab illo removeantur officio*. Cap. 3. Quæſtio eſt, Qui Canones à Pontifice intelligantur, & ſunt variæ ſententiæ. Res tamen mihi videtur plana. Exiſtimo Pontificem reſpicere ad Claromontanum Urbani ſecundi Canonem, quem in hocce compendium redegit Lambertus Atrebatenſis Epiſcopus: *Nullus fiat Decanus in Eccleſia, niſi Presbyter, nullus Archidiaconus niſi Levita*. Cap. 3. Sub voce, *Decanus*, comprehenduntur quævis curata beneficia. Quod Decretum Paſchalis ſecundus, Innocentius ſecundus, Calixtus ſecundus, Eugenius tertius, & variæ Provinciarum Synodi frequenter confirmarunt. Simoniacam puerorum hæreſim conati ſunt per ipſum penitus eradicare. Sed plenam executionem inveteratus abuſus impedivit. Hinc ipſum moderatus eſt Alexander tertius: Permiſit beneficia illa poſt expletum vigeſimum quartum ætatis annum acceptari à necdum ordinatis, ea tamen lege ut præfixo per Sacros Canones tempore debitum ſuo beneficio ordinem acciperent; poſt vigeſimum quintum in Diaconos, poſt expletum trigeſimum annum ſtatim in Presbyteros conſecrarentur. Hoc eſt enim tempus per Sacros tunc uſque Canones conſtanter præfixum. Quare præſentem noſtrum, & alios de hac ætate antiquiores Canones Alexander confirmavit. Verùm & hoc Decretum pertulit prævaricationes. Quare in Lugdunenſi Concilio ſtatuit Gregorius decimus, ut omnis habens curatum beneficium intra annum, niſi illud vellet perdere, ſacro Presbyteratus ordine, atque ita plena officii ſui capacitate inſigniretur. Non differri ad annum, ſed ultra non differri juſſit, atque ità indulſit completo vigeſimo quarto ætatis anno accipi Presbyteratum. Varium ſucceſſum exindè diſciplina habuit: Hodiernam formam dedit Sacroſancta Synodus Tridentina, Leo-

Leonis noni de ſervandis Sacrarum Ordinationum legitimis temporibus Canonem innovat noſtra Synodus, & adjungit: *Aliter irrita fiat ordinatio*. Loquitur cum Zozymo Pontifice, qui Urſum ac Tuentium illegitimo die à Proculo Maſſilienſi conſecratos Epiſcopos, ab omni Clericali communione anathematizavit. Et cum Sancto Leone Magno, qui adverſum conſecratos extra legitimum diem ab Hilario Arelatenſi Epiſt. 2. Metropolita Epiſcopos ſcripſit ad Provinciam Viennenſem ac Narbonenſem: *Non paſſim, ſed legitimo die ordinatio celebretur. Nec ſibi conſtare ſtatus ſui noverit firmitatem, qui non die Sabbathi veſpere, vel ipſo Dominico die fuerit ordinatus*. Et ad Sanctum noſtrum Apoſtolum Bonifacium Cap. 3. reſcripſit Zacharias Pontifex: *De ordinatione Preſbyterorum ac Diaconorum, cogente neceſſitate & paupertate rogantium non legitimis temporibus ac diebus à te promoveri, te offenſionem incurriſſe inſinuaſti. Dicimus autem tibi, Frater, ut bene noſti, quod ſacri Canones docent aptis temporibus Sacerdotes ordinandos. Attamen in eo, quod à te propter zelum fidei actum eſt, à Domino noſtro indulgentiam poſtulamus*. Et de neſcio quo Presbytero, qui ſe extra tempora dubitabat ordinatum Subdiaconum Ep. 13. ac Diaconum, ad Sancti Mauritii Agaunenſis Abbatem ſcripſit Innocentius tertius: *Si conſtaret quod extra ſtatuta Sabbatha fuiſſet ordinatus, quamquam ſuſtineri poſſet quod fuit de ordine Subdiaconatus præſumptum, Diaconalis tamen ordinis ei deberet executio interdici*. Lib. 4. Ep. 148. Quoad ſolum Subdiaconatum permittit illum habilitari ad Miniſterium, quod nempe Diaconatus non ſolum extra tempora, ſed etiam à ſuſpenſo eſſet ſuſceptus. Ex quo lucet datos extra tempora ſacros ordines fuiſſe quoad executionem ſemper irritos, ideoque irritationem hanc ſeu perpetuam ſuſpenſionem à Pio ſecundo non fuiſſe inductam, ſed dumtaxat adverſus quorumdam tunc prævaricationes innovatam ac reparatam.

Quæſtio eſt, An præſens Canon datos extra tempora ordines ſanciat irritos quoad ſolam executionem, an etiam quod ſubſtantiam? Rationem dubitandi præbet in litteris ad Faventinæ Eccleſiæ Clerum Sanctus Petrus Damiani, demonſtrans omnibus Sacramentis eſſe per ſacros Canones fixum ſuum tempus ac locum, & concludens de Matrimonio: *Aliud eſt nuptiale Myſterium, aliud carnale ſacrilegium. Quod Canonicè fit, Sacramentum eſt; quod autem contra Canones uſurpatum eſt, ſacrilegium eſt*. Et infra: *Quomodo Quadrageſimale tempus nuptias non evacuat, quas Canonum auctoritas damnat?* Et iterum: *Cenſura Canonica nuptias illicitis temporibus inſtitutas remoto omni ſcrupulo dividit, concubitum verò ſola parvæ pœnitudinis animadverſione percellit. Nuptiæ contra legum mandata contractæ uſque ad divortium condemnantur*. Lib. 5. Ep. 11. Avita Patrum diſciplina conjugale commercium prohibet per totam Quadrageſimam, & vel unicum hic lapſum punivit quadraginta dierum pœnitentia: Hinc aliud eſſe in Quadrageſima Conjugium contrahere, aliud tunc ipſo uti ſcribit laudatus Petrus, affirmatque hoc ſola modica pœnitentia, iſtud delictum divortio ſeu attentati matrimonii nullitate caſtigari. Et adjungit de Sacramento Ordinis: *Qui præter ſtatuta tempora Clericos ordinat non eos utique provehit, ſed offenſionis obſtaculum, ne de cætero provehantur, opponit*. Pergit etiam de Baptiſmo & Confirmatione: *Qui paſſim, nec certo tempore Chriſmatis vel Baptiſmi Sacramenta celebrat, non tam Opifex Sacramenti, quam reus dicitur ſacrilegii*. Omnia extra tempus data Sacramenta videtur ducere irrita & nulla. Nec dubium, quin noſtrum, tunc omninò recentiſſimum, ac à Leone etiam nono & Victore ſecundo confirmatum, Canonem reſpiciat.

Reſpondeo ad quæſtionem fuiſſe jamdudum reſcriptum à Gregorio nono per litteras ad Archiepiſcopum Barenſem: *Conſultationi tuæ reſpondemus, quod eos, qui extra tempora ſtatuta ſacros Ordines receperunt, characterem non eſt dubium recepiſſe, quos pro tranſgreſſione hujuſmodi, primo eis pœnitentia impoſita competenti, ſuſtinere poteris in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare*. L. 1. tit. 11. Quod ipſum ſupra audivimus à Zacharia Pontifice reſcribi ad Apoſtolum Bonifacium. Quod contractum extra tempora conjugium fuerit olim ſubſtantialiter nullum, fateor cum Sancto Petro Damiani: Verùm ut de Baptiſmo, Chriſtiana confirmatione, aut Eccleſiaſticis ordinibus iſtud ipſum quis opinetur, nullum eſt fundamentum.

CANON III.

DEdicationes item Eccleſiarum eadem Sancta Synodus per pecunias fieri nullatenus voluit.

SCHOLION.

ECcleſiarum Dedicatio eſt adeò antiqua, ut à Sancti Petri Apoſtoli diſcipulo, ac primo noſtro Evangeliſta Sancto Materno plurimas in Belgio fuiſſe dedicatas Eccleſias teſtetur magnum noſtrum Chronicon. Fol. 3. Maternus didicerat à ſuo Magiſtro, de quo in Sacri Belli hiſtoria ſcribit Guilielmus Tyriorum Archiepiſcopus: *Antarados hodiè corrupta nuncupatione Torteſa dicitur, ubi Apoſtolus Petrus Phœnicem circumiens, in honore Dei Genetricis dicitur Baſilicam fundaſſe modicam, quæ multò populorum uſque hodiè frequentatur acceſſu, & ubi Divinitùs per ejuſdem Virginis interceſſionem multa dicuntur indigentibus fidelibus præſtari beneficia. Eſt Tyrenſi Metropoli ſuffraganea*. L. 22. c. 3. Quod cum Chriſto Domino jam dudum regnans idem Apoſtolus, cum magno Angelorum comitatu deſcenderit e cœlis,

ecœlis, & à Sancto Mellito Episcopo exstructam Londinensem Occidentalis Monasterii Ecclesiam consecrarit, testantur Guilielmus Malmesberiensis, & in libro de Sancti Regis Eduardi vita Ailredus Abbas Rievallensis. Quin imò Deiparæ Virginis Glastoniensem in Anglia, & Sancti Dionysii prope Parisios Basilicas, fuisse ab ipso Christo Domino dedicatas, affirmant in Anglorum historia Nicolaus Harpsfeldius, & in Sancti Regis Ludovici vita Guilielmus Nangiacensis. Quidquid sit de hisce exemplis, Sacras nostras, quas persecutor Diocletianus dejecit per omne Imperium, ædes fuisse precibus dicatas testatur in Ecclesiastica historia Eusebius Cæsariensis. Et inter cætera, quæ Constantini Imperium dedit Christianitati, beneficia & gaudia scribit fuisse *Dedicationum festivitates per urbes singulas, Templorum nuper ædificatorum consecrationes*. Quòd ædificatam à se Hierosolymis Ecclesiam, non ab uno Episcopo, sed ab universa Tyria Synodo consecrari jusserit laudatus Constantinus, affirmat in ejus vita idem Eusebius. Eusebiana erat ista Synodus, & Sanctum Athanasium iniquissimè damnaverat, ideoque scribit Martyr Theophanes: *Sanè veritatis fama obtinuit magnum Athanasium, Tyro fugientem, accessisse Hierosolymam, & conceptis precibus loca orationibus & sacrificiis destinata Sancto inunxisse unguento, & ante impiorum adventum consecrasse*. Hæc enim consecratio est Sacramenti genus, ideoque ipsum Hæreticis numquam credidit Ecclesia. Nec dumtaxat antiquum est, sed etiam semper fuit necessarium hoc Sacramentum. Hinc enim laudatum Athanasium, quod in nova necdum consecrata Basilica Paschalem Synaxim celebrasset, apud Imperatorem Constantium gravissimè accusavit, & ad multam Apologiam compulit eadem Eusebiana factio. Et quidem per sibi à numerosissimo, quem reliquæ Basilicæ non caperent, & qui in ipsis constringi pertinaciter nollet, populo injectam necessitatem se excusavit ille, & per Antecessorum suorum similia dispensatoria exempla. Etiam de quadam suæ Diœcesis Ecclesia ad Theophilum suum Patriarcham scripsit Sanctus Synesius Ptolomaidis Episcopus, Pentapolitanæ Provinciæ Metropolita: *Quod hostili excursione compulsi homines necessariò ibi precati sunt, non ea res locum illum consecrat*. Affirmat ac demonstrat non simplici sacrificio, sed grandi ac multifaria precum & Sacrorum rituum paratura Ecclesias consecrari. Et addit de consecratis per Arianos Ecclesiis: *Privati juris habentur*. Hanc fœdam notam à Hierosolymitanis Ecclesiis divertere volens Athanasius, fecit quod statim audivimus à Sancto Theophane. Et licet ipsas resacratas non legamus, res tamen non caret fundamento. Quidquid sit, lucet Ecclesiarum consecrationes esse antiquissimas, & haud dubiè Apostolicum institutum esse, è Synagoga mutuatum affirmat Felix quartus. Ejus radicem aperit laudatus Synesius: *Sacris illis cœremoniarum elementis & vocibus numen adducitur*. Nempè ut singulari gratia illic assistat, & suorum fidelium postulata exaudiat. De Lateranensi Basilica ad Tarraconensem Archiepiscopum scripsit Clemens sextus: *Illam Beatus Sylvester novo sanctificationis & Chrismationis genere dedicasse legitur*. Affirmat hujus consecrationis ritus à Sancto Sylvestro fuisse auctos variè & ornatos. Res non est hujus loci.

Et fieri, præsertim post datam Christianis à Constantino pacem, cum summa celebritate consuevit hæc consecratio. Quod enim omnem Tyriam Synodum Constantinus ad Hierosolymitanæ Basilicæ dedicationem invitarit, suprà nobis dixit Eusebius Cæsariensis, & adjungit: *Sacerdotes & precibus & disputationibus hanc celebritatem adjuvabant*. Et in alio ejusdem libri capite: *His omnibus præsto fuerunt certi Ministri. Nam ex ipsa Curia delegati erant spectata probitate viri, qui Imperatoris sumptibus celebritatem hanc illustrarint. Horum facilè Princeps fuit Marianus fide & prudentia vel ipsi Imperatori necessarius. Hic se Imperatoris voluntati castissimum & integerrimum Ministrum præbens, cum gratia quadam & suavi humanitate, tum splendidis conviviis & lætis compotationibus cœtum illum honorificè tractabat. Jam pauperum nudis corporibus, & cæterorum tum virorum tum fœminarum infinitæ penè multitudini, in summa victus inopia & reliquarum opportunitatum egestate positæ, prolixè & abundanter pecunias & vestes largitus est*. Quæ omnia in Antiochenæ etiam Basilicæ Encæniis fuisse à Constantio Augusto servata, authenticis testimoniis possit ostendi. Et inter reliquas, cur novam suam Basilicam ante Pascha dedicare non potuisset, rationes Sanctus Athanasius adduxit & hanc. *Encæniorum festum celebrare ante tuum Decretum, prorsus nefarium fuisset*. In sua Apologia alloquitur eundem Imperatorem Constantium. Et ad Sidonium Apollinarem Alvernensem Episcopum, qui ad Basilicæ dedicationem invitaverat, rescripsit S. Avitus Viennensis Archiepiscopus: *Provideat Deus epulas multitudini tibi convivæ. Ibi pauperum cibus, olei cado & farris hydria persistente, cumulabitur. Ibi si vel quinque panes fuerint, geminum piscem providisse sufficiat. Illud autem fidus post hæc miraculorum experimenta promitto, quod Christo pauperum suorum conventui minimè defuturo, quanto plura populorum millia collegeris, plures cophinos reportabis*. Cujus piissimæ liberalitatis habemus plura testimonia. Aliud est lapideum, aliud vivum & verum Dei templum: *Templum Dei enim Sanctum est, quod estis vos*. Nec nostra dumtaxat anima, sed etiam corpus habet istam dignitatem: *Nescitis enim quia corpora vestra templum sunt Spiritus sancti?* Lapidea templa sunt vivi & veri imago & figura. Illorum item consecratio hujus Baptisma repræsentat. Hinc uti hoc, ita & istam solemni & larga agape olim honoravit Ecclesia. Impensas donabant Principes aut Proceres: & ipsarum melior portio cedebat Episcopis. Nec dubitandum quin ipsis etiam evectio, mansio, & commeatus fuerit suppeditata.

Defecit pedetentim ista Principum & Procerum pietas, ac interim Episcopi ejus emolumentis noluerunt orbari. Gratiam sunt conati vertere in debitum, & ipsorum aliqui attentarunt istas exactiones, adversùm quas statuit secunda Brac-

Fol. 235. L. 8. c. 2. Lib. 10. cap. 3. Lib. 4. cap. 44. Fol. 26. Ep. 67. Lib. 5. c. tit. 9. 2. Lib. 4. cap. 45. Cap. 45. Ep. 25.

Braccarensis Synodus: *Placuit ut quoties ab aliquo fidelium ad consecrandas Ecclesias Episcopi invitantur, non quasi ex debito munus aliquod à fundatore requirant, sed sipse quidem aliquid ex suo voto obtulerit, non respuatur, si verò aut paupertas illum aut necessitas retinet, nihil exigatur ab illo*. Adeò olim in Gallia invaluit ista exactio, ut altaria, vel Ecclesias gratis sine præmio benedicere pro magno privilegio Episcopi addixerint observantioribus Monasteriis. Lucet ex prima formula apud Marculfum Monachum. Et tale privilegium Corbeiensi Monasterio dedit Bentefridus Episcopus Ambianensis: *Altaria Episcopus benedicat sine pretio*. Etiam Vezeliacensi Monasterio dedit Nicolaus primus: *Subjungimus, ut locum avaritiæ secludamus, nullum de Sacerdotibus pro consecratione Basilicæ audere Xenii loco quiquam accipere*. Et eisdem verbis confirmavit Joannes octavus. Eorum diplomata exstant apud Lucam Dacherium in Chronico istius Monasterii. Exstat & Diploma, quo datum Corbeiensi Cœnobio à Bentefrido privilegium novavit & auxit Leo nonus: *Episcopus Ambianensis Altarium & Basilicarum consecrationem differre non debebit, nec aliquod propterea munus exposcere*. Et Auregniacensi Monialium Cœnobio Innocentius tertius: *Ne pro consecrationibus Altarium vel Ecclesiarum Diœcesanus Episcopus sub obtentu consuetudinis, vel quolibet modo alio quidquam exigere vel extorquere præsumat*. Et hinc disciplinam reparaturus Carolus magnus sancitum voluit à secunda Cabilonensi Synodo: *Pro dedicandis Basilicis nihil accipiendum est*. Firmavit sub Ludovico Pio secunda Synodus Aquisgranensis. *Nullus Episcoporum pro Dedicatione Sanctæ Ecclesiæ aliquid exigere præsumat. Qui fuerit convictus, canonicæ subjaceat disciplinæ*. Et hinc Hedenulpho Laudunensi Episcopo, ne pro Ecclesiarum consecrationibus aliquid quovis ingenio venaretur, tanquam lucidam Simoniam rigidissimè per Canonicas, apud Jacobum Sirmondum exstantes, litteras interdixit Hincmarus Metropolita Remensis. Laudatum Braccarensem Canonem etiam innovavit, suum fecit, & ad omnem Franciam extendit sub Adriani secundi Pontificatu celebrata Synodus Wormatiensis. Hæc ergo omnia confirmat & præsens Canon. Et hinc Guidonem Mediolanensem Archiepiscopum ad abjurandam omnem pro consecrandis Basilicis exactionem cum alia varia Simonia compulit etiam Sanctus Petrus Damiani. Quare non dubitem, quin hunc Canonem Victor item secundus ediderit in sua Florentina Synodo.

Verùm plena obedientia non est statim secuta. Hinc enim Joannes & Benedictus, Paschalis secundi per Galliam Cardinales Legati, in prima sua Pictaviensi Synodo statuerunt: *Nullus Episcopus pro Ecclesiarum benedictionibus munus accipiat*. Et Joannes Cardinalis de Crema, Honorii secundi per Angliam Legatus, in Londinensi Synodo: *In dedicationibus Ecclesiarum non cappa, non tapetes, non manutergia, non baccilia, & nihil omninò per violentiam nisi sponte oblatum fuerit, penitùs exigatur*. Quod ipsum in alia Londinensi apud Gervasium Monachum Synodo repetiit Albertus Hostiensis Episcopus, Cardinalis Legatus Innocentii secundi. Adeò grassatum fuit malum, ut adversus Gerardum Engolismensem Episcopum, laudati Honorii in Aquitania Legatum, scribat Arnulphus Episcopus Lexoviensis: *Basilicarum Dedicationes, Altarium benedictiones eodem quo cætera more tractasti, ut planè nihil faciendum putares, quod non alicujus emolumenti auspicatio præveniret*. Per plures istius sæculi Synodos vix potuit evelli.

Laudatus Cardinalis Albericus Londinensi suæ Synodo indidit & hunc Canonem: *Si quis Episcopus in Diœcesi sua per alium Episcopum Ecclesiam consecrari fecerit, Apostolica auctoritate prohibemus, ne quid indè ultra procurationem ejusdem Episcopi exigat*. Ubi nascitur quæstio, cur potiùs Vicarii ac Delegati quam sui ipsius procurationem permittatur Episcopus exigere? Respondeo Episcopales proventus esse præstita à solis propriis ovibus Pastoralia stipendia, ideoque Episcopum ad alienæ Diœcesis Ministerium ex ipsis non obligari. Hinc enim & vacantium Ecclesiarum Visitatoribus suas procurationes addixit Gregorius Magnus. Verùm uti horum, non à populo, sed à visitatæ Ecclesiæ substantia, ita istorum Delegatorum stipendia, à delegante Episcopo debent exigi ac persolvi. Quod notandum est illis Episcopis, qui Pontificalis officii habent Vicarios aut Suffraganeos, de quibus apud Adrianum sextum questus elapso sæculo fuit Nurembergensis Germanorum Procerum Conventus: *Cum Ecclesias ac templa prætenuia quidem Deo dicant sacrantque nonnulli Suffraganeorum, subditos per se utcumque egestate laborantes, superfluis minimeque necessariis sumptibus onerant. Neque hoc contenti, quin munera quoque, & illa quidem immodica, à misera plebecula exigant*. Et reverà indignum, ac ab omni justitia alienum est, ut opulenti Episcopi ad Pontificalis, quod per illos ipsos expleri Sacri Canones rigidissimè mandant, officii alendum Vicarium cogant aut permittant miseram plebem similibus exactionibus vexari. Non ad luxum, sed ad laudatæ plebis solatium Christiani Principes ac alii fideles Episcopalibus Cathedris divitias donaverunt. Et numquam crediderim Cardinalem Albericum ab hac Regula decessisse. Aliud non vult, quàm ab alieno ad consecrandam Ecclesiam Delegato Episcopo nihil undequaque posse exigi, nisi moderatas procurationes.

Eodem sensu accipio Alexandri tertii, exstans apud Gregorium nonum, Rescriptum ad Vigiliensem Episcopum: *Consultationi tuæ taliter respondemus, quod nihil pro Ecclesiarum consecratione potes vel debes, præter procurationem, exigere*. Loquitur de propria Vigiliensis Diœcesis Ecclesia. Nempè pauper est hodiè, & tunc erat Vigiliarum Episcopus, ideoque gaudebat jure Hartvici Bremensis Archiepiscopi, de quo rebus omnibus exspoliato scribit in Sclavorum Chronico Arnoldus Abbas Lubecensis: *Episcopus ex his, quæ de Cathedraticis vel Ecclesiarum consecrationibus consequi poterat, sustentabatur*. Competentibus opibus instructi Episcopi obligantur æmulari Theodoricum Lubecensem Episcopum,

A. 1138. Cap. 1. Cap. 5. Tom. 3. Tom. 6. Lib. 2. Ep. 46. Cap. 16. Lib. 1. cap. 5. Tom. 2. Cap. 2. Cap. 4. Cap. 2. L. 5. tit. 3. Cap. 10. Lib. 3. cap. 21.

pum, de quo laudatus Arnoldus: *In consecrationibus Ecclesiarum magis omnes de propriis sumptibus, & curatione studebat procurare, quam sua jucunditate alios importunè gravare.* Inter primævos Joannis Wicleffi discipulos fuit Joannes de Purneye, cujus hunc etiam articulum refert Henricus Cnyghtonus: *Episcopus nolens consecrare Ecclesiam pauperrimæ Parochiæ absque quadraginta solidis, ubi tota Parochia non sufficit solvere, & si quadraginta denarii sufficiant, per quadraginta dies eandem Ecclesiam suspendat, & sic Parochiani per tantum tempus à Missa & omni Sacramento sint suspensi, est Simoniacus & Hæreticus.* Videtur mihi hic articulus, si quidem loquatur de solis opulentis aut idoneis Episcopis, non carere fundamento. Et certè quòd Cleri deformata, per avaritiam præsertim, disciplina Albigensibus, Wicleffistis (prout & Lutheranis) aliquid ansæ dederit, eruditis ad Eugenium quartum litteris demonstravit Julianus Cardinalis Cæsarinus. L. 3. A. 1382.

CANON IV.

ITem placuit ut nullus Clericus vel Monachus, vel alius aliquis pro eis Episcopatum, vel Abbatiam, vel Presbyteratum emere præsumat. Sed neque Comes, vel alia ulla Potestas eadem vendere, aut pretium pro eis accipere audeat. Quòd si quis hoc transgressus fuerit, nisi resipuerit, & dignè satisfecerit, communione privetur.

SCHOLION.

DE Laicis Principibus Ecclesiarum Antistites nominare attentantibus rectè ad Guilielmi secundi Siculorum Regis Capellanum scripsit Petrus Blesensis: *Peremptorium est in Principe vel auram adorare munerum, vel favorem quærere personarum.* Affirmat vel ob munus à manu, vel ob munus ab obsequio passim attentari istam violentiam. Est enim Simonia Neophytorum, seu Neophytos etiam exaltans hæresis, quam è Gallia ejecisse laudatur Magnus Gregorius. Circa hæc tempora adeò grassata fuit per Europam, ut Burgundiæ Reges ex leproso isto quæstu quasi victitasse scribat Ditmarus Episcopus Merseburgensis. Ipsa infatuatus adeò fuerat Imperator Conrardus Salicus, ut filius & successor, præsentis Synodi tempore regnans, Henricus tertius ipsi exindè timuerit sempiternam damnationem, ideoque & de sua anima anxius studuerit pestem eradicare. Et omnes illi Episcopi, quos in Remensi Leo IX. ac in Lugdunensi Synodo degradavit Hildebrandus Subdiaconus, ab Henrico Francorum Rege Episcopatum emerant, aut ab ejus patrem Roberto. Quis isto sæculo Princeps sanctior Godefrido Lotharingiæ Duce, qui pro Divino honore avita patrimonia vendidit, exiit exulatum cum electa nobilitate Galliæ, & Terram sanctam ac omnem ferè Orientem Christo restituit? Et tamen de ipso scribit in sui Cœnobii Chronico Rudolphus Abbas Sancti Trudonis: *Dux Godefridus, qui postea Hierosolymam profectus est, totam Abbatiam nostram suo mancipat servitio.* Addit quòd nobiliter natum quidem, sed per omnia ineptum Monachum Herimannum nominarit in Abbatem, & prosequitur: *Fratres vehementissimè reclamabant, tum quia ad talem curam eum inutilem omninò sciebant, tum quia metuebant de promissa ab eo Duci pecunia totam vastandam Abbatiam.* Nec fuit vanus timor. Promissæ enim pecuniæ secuta solutio Abbatiam exhausit, & redegit ad panis inopiam ac fœdam mendicitatem. Nempè Godefridus hæc didicerat à suo avunculo & antecessore Godefrido, cujus Capellani in Ecclesiasticis Prælaturis distinguebant spiritualis potestatis & divinæ consecrationis officium à temporalium proventuum jure ac beneficio: Istud solùm esse Simoniæ objectum prædicabant publicè, ideoque hoc à Principibus sine scrupulo posse vendi. Pagenses Ecclesiæ Domicelli Patroni eòdem modo tractabant. Et hosce errores & sordes præsens Canon damnat ac proscribit. Rectè addit: *Vel aliquis alius pro eis.* Quòd enim etiam mediatores Simoniam committant, & incurrant omnes Simoniacorum pœnas, lucet ex Canone Chalcedonensi.

Epist. 10.

L. 5.

L. 5.

CANON

CANON V.

STatuit sancta Synodus, ut si quis Clericorum, adipiscendæ Abbatiæ causa, Monachus effectus fuerit, in Abbatia quidem Monachus permaneat, sed ad ipsum honorem, ad quem spirabat, nullatenus accedat, quòd si præsumpserit, excommunicetur.

SCHOLION.

NEscio quod in Sardinia Monasterium vacanti suæ Præfecturæ non habebat personam idoneam, ideoque aliundè debebat postulare. Verùm postulatam personam, quia sibi utilem, gratis concedere recusabat nescio quod aliud Monasterium, atque ita de hac facti specie consultus nescio quotus apud Gratianum Pontifex Bonifacius rescripsit: *Cavete fratres, quàm sit ambiguum quod petistis consilium, quod quidem secundùm vestræ voluntatis propositum nulla invenimus ratione confirmatum. Verumtamen si vestræ necessitati adeò est opportunus quem reperistis, dum tamen omnis obsit pactio, omnis cesset conventio, nullaque vestræ Ecclesiæ fiat distractio, accedat gratis, servire Deo incipiat, suique regiminis devotè gestet obsequium, & postmodum vos, quasi subsidii gratia, aliquas suæ Ecclesiæ munera largiri fratrum solatio Romana permittit Ecclesia.* Postulatum Monachum declarat gratis concedendum: Quodvis hic pactum damnat de Simonia. Quocirca uti Monasterium à Monachando, ita Monachandus à Monasterio nihil potest exigere: Hoc ipsum gratis acceptare, ille semetipsum debet gratis donare. Utraque exactio est æquæ leprosa. Etenim illum, qui Monasterio aut Ecclesiæ seipsum nisi sub certis pensionibus aut pactionibus nollet tradere, quis ambigat esse Simoniacum? Et quidem Monachandus nihil possit postulare pretiosius, quàm ipsam Monasterii Præfecturam. Nihil item durius exigere possit Monasterium, quàm istius Præfecturæ suscipiendum onus. Hujusmodi exactiones præsens Canon damnat ut Simoniacas, aut ut de Simonia suspectas, ideoque juxta communem Monachalis Simoniæ legem sancit valère professionem, & adjectam conditionem, uti turpem ac damnatam, habet pro non adjecta. Eum, qui professus ipsam in se adimpleri permiserit, privat Christiana communione. Quòd ipsum in isto eodem relinquat Monasterio, est singularis gratia: Simoniacè enim ingressum Monachum antiqua Regula jubet in aliud strictius Monasterium deportari. Noster Canon loquitur in solos Clericos: Quòd ejusmodi artes & ambitus laica simplicitas tunc ignoraret. Plura dicenda sunt ad similem Nicolai secundi Canonem.

1. quæst. 1. capit.

CANON VI.

ITem decrevit, ut Abbates curam Monachorum & Monasteriorum exerceant, & eis victum & vestitum, secundùm Regulam Sancti Benedicti præbeant, & hoc agentes, proprium eos habere nullatenus permittant. Ipsi verò Monachi absque voluntate Abbatis Præposituram aliquam non teneant. Abbas autem vel Monachus has institutiones corrigentes, à propriis corrigantur Episcopis.

SCHOLION.

MIseram Abbatum circa præsentis Synodi tempora vitam eleganter depingit in Epistola ad nescio quem spontaneum Exabbatem Sanctus Petrus Damiani: *Dic Pater, videlicet ut expertus, quis potest hoc ferreo sæculo Monasterium sine sui capitis periculo regere, imò quis potest cum Abbate simul & Monachum possidere? Mox enim ut quis Abbas fieri incipit, Monachus esse desistit: Et quicumque Abbatizandi culmens efflagitat, nihil est aliud, nisi quod Monachum velut importabile pondus quærit abjicere, & ne Apostata videatur, sub fucato se vult colore Regiminis paliare. Videlicet ut possit latere peccatum, Prælationis quæritur argumentum: Et vitiosa cutis Pastoralis officii superducitur, ut perversæ mentis plaga cum virosi putis fœtoribus occultetur. Quibus nimirum aptè congruit illud Evangelicum: Væ vobis, quia similes estis sepulchris dealbatis. Præcipitur Monacho, ut moriatur mundo: Sed qua ratione hoc Abbas adim-*

L. 6. Epist. 5.

adimplet, qui & curarum tumultibus premitur, & negotiorum sæcularium perplexionibus innodatur? Qui diem loquendo, & diversa tractando continuat, noctem consiliando dimidiat. Qui cum aliis complere non curat, atque ad explendum primæ Synaxis officium, Solis ortum semper anticipat. Et cùm Conventus Fratrum silentium communiter solvit, ille inter eos numquam salivam virginem portat. Nec ad proferendum jam cœlestem sermonem idoneè suppetit lingua, quæ priùs est tam prolixis terrenæ locutionis ambagibus dissoluta. Porrò cum Monachus jubeatur in hoc mundo nihil appetere, nihil prorsus ambire, quid de Monacho ille Abbas habet, quem videmus velut Æthnæis irruptantem flammis, avaritiæ facibus inardescere, prædiorum confinia dilatare, pecunias hinc inde cum tanta aviditate colligere, ad aliena conquirenda confinia totis desideriis anhelare. Cui quidquid est nihil est, nisi & hoc fluduerit invenire quod deest. Cui Monasterium sit hospitium, equinum verò dorsum est quotidianum habitaculum. Chyrothecæ, calcaria, scutica, pidrisigulæ, & si qua alia equitandi sunt utensilia, numquam otioso situ neglecta marcescunt, cùm Sacerdotalia ornamenta, quibus sacris Altaribus deservitur, sæpè à tineis comesta reperiantur. Quæ enim fora, quæ Tribunalia inveniri possunt Abbatibus vacua? Quæ Curia, quæ cubilia Principum ferratis Abbatum virgis non adspiciuntur effossa? Aulicum limen jugiter Abbatum vestigiis teritur, & eorum querelæ vel jurgia importunè Regum auribus ingeruntur. Non eos effugiunt Castra bellantium, sed sub sequestræ pacis specie inter ipsos Galeatorum cuneos discerpi & comprimi sæpè videas cucullatos. Qui vult nosse quid actum sit apud Forense negotium, non Prætoria Judicum, sed diversoria potiùs perquirat Abbatum. Quidquid in sæculo agitur, ab eis velut à Magistris negotiorum sæcularium requiratur. Legenda est integra Epistola: Abbatum, qui per ambitum ineunt dignitatem, mores & vitia exhibet ad vivum. Eadem per varias, quibus lapsam disciplinam repararunt, Synodos evelli curarunt Imperatores Magnus Carolus & Pius Ludovicus. Ejusmodi Abbatum noviſſima, imò nulla cura est de Monasterio ac Monastica disciplina: Apostatæ enim sunt, & dumtaxat personatæ Monachorum larvæ, qui Curios simulant, & Bacchanalia vivunt. Et isto tempore quidam nec Curios simulabant. Hinc noster Canon mandat ipsos ad officium & paternam sollicitudinem compelli.

Ante omnia mandat, ut suis Monachis nulla ratione permittant proprium. Plenam omnium temporalium communionem primis apud Hierosolymam Christianis Apostoli, apud Alexandriam Sanctus Marcus, aliquam ejus partem Sanctus Paulus imposuit Corinthiis. Et illius prævaricationem horrendo in Ananiam & Sapphiram supplicio Sanctus Petrus vindicavit. Hanc communionem adeò dilexit Sanctus Joannes Chrysostomus, ut in undecima super Apostolicos Actus homilia scribat: *Hæc si & nunc fieret, utique majori cum voluptate viveremus, & divites & pauperes. Non majorem autem pauperibus quàm divitibus hoc voluptatem adferret.* Adeò populosa tunc erat Antiochena civitas, ut haberet ferè centum millia pauperum: Ipsam nihilominus commodissimè posse in communi vivere, multis conatur demonstare. Ex eodem principio in sermone de Sancto Philogono scribit Meum ac Tuum esse frigidum verbum, & cuncta humani generis mala ex ipso pullulare. Et hoc est omninò verissimum: At nimia malorum cum bonis in hoc mundo mixtura tantam perfectionem non suffert. Nam & postquam Evangelicum rete bonis ac malis piscibus impletum, & Christiana professio est multiplicata supra numerum, desiit magnificari universalis sanctitatis lætitia: Etiam Hierosolymitana ac Alexandrina Ecclesia deposuerunt avitam vitæ communionem. Eam cum paucis in Monasterio sociis resumpsit Sanctus Antonius, & jussit esse Cœnobiticæ vitæ fundamentum. Etenim Monasticam vitam non esse aliud, quàm ad paucos contractam Apostolicam disciplinam, docet antiqua Monachorum Regula: *Nemo quidquam sibi vendicet, sed sicut scriptum est in Actibus Apostolorum, habeant omnia communia.* Reg. 2. c. 1. Cui exemplo sua Monasteria superædificarunt etiam Magnus Basilius, Sanctus Augustinus, Sanctus Benedictus, & alii Monachorum Auctores. Et hinc in undecima super Apostolicos Actus homilia scribit laudatus Chrysostomus: *Sic in Monasteriis nunc vivunt, quemadmodum olim fideles.*

Monasticæ vitæ primum fundamentum esse plenam & perfectam omnium temporalium communionem, & ipsam ab Ægyptiis Sancti Antonii Monachis rigidissimè fuisse servatam, ostendunt in libro de Catholicæ Ecclesiæ moribus C. 30. 31. laudatus Augustinus, & in epistola ad Eustochium Sanctus Hieronymus, addens istic fuisse & aliud Monachorum genus, deterrimum, neglectum, & instar pestis eliminandum: Utpotè qui ex collectis symbolis solam mensam haberent communem. *Apud hoc*, inquit, *affectata sunt omnia, laxæ manicæ, caligæ follicantes, vestis crassior, crebra suspiria, visitatio Virginum, detractio Clericorum: Et si quando dies festus venerit, saturantur ad vomitum.* Hi dicuntur Rebomoth ac Sarabaitæ, quos & primorum & mediorum sæculorum Patres constanter affirmant esse spurios, ac veri Monachi nomine indignos. Antonianam communionem exponit ac prædicat in Monasticarum Institutionum libris etiam Joannes Cassianus: *Nulli cistellam, nulli peculiarem* L. 4. c. 13. *sportulam licet possidere, nec tale aliquid quod velut proprium retinens suo debeat communire signaculo.* Hanc regulam & apud Antonianos, & apud Thabennisiotas seu Pachomianos servari affirmat tanto rigore, *ut ne vel verbo quidem audeat quis dicere aliquid suum, magnumque sit crimen ex ore Monachi processisse, Codicem meum, tabulas meas, graphium meum, tunicam meam, caligas meas, proque hoc digna pœnitentia satisfacturus sit, si casu aliquo per subreptionem vel ignorantiam hujusmodi verbum de ore ejus effugerit.* Et hinc exclamat adversùm Galliæ Monachos: *Ad hæc nos miserabiles quid dicemus, qui in Cœnobiis commorantes, peculiares circumferimus claves, omnique professionis nostræ verecundiæ & confusione calcata, etiam annulos, quibus reconcondita præsignemus, in digitis palàm gestare non pudet,* C. 15. *quibus*

quibus non solùm cistellæ vel sportæ, sed ne arcæ quidem vel armaria ad ea quæ congerimus, vel quæ egressi de sæculo reservamus, condenda sufficiunt? Lamentatur Evangelicam paupertatem, & professam omnium temporalium communionem variis in punctis apud Gallos titubare.

Sancti Antonii Institutum primi in Europam detulerunt Sanctus Athanasius, ac ejus in Alexandrino Patriarchatu successor Petrus: Adversùs Arianorum violentiam appellantes & accedentes Apostolicam Sedem, duxerunt secum Monachos, & ex Monachis Episcopos, & Romæ Monasteria per ipsos fundaverunt. Et illa per omnem Italiam Sanctus Eusebius Vercellensis Episcopus, ac Sanctus Martinus studuerunt extendere. Nam ab hoc esse Mediolanense, quod in Confessionum libris laudat Sanctus Augustinus, Monasterium testatur Sulpitius Severus. Idem Martinus idem Institutum ex Italia deportavit in Galliam, in Belgium Sanctus Victricius Rothomagensis Episcopus, in Africam Sanctus Augustinus, Sanctus Fulgentius in Sardiniam, in Germaniam ac Pannoniam Sanctus Nicetas, Audius in Gothiam, venerabilis Donatus in Hispaniam, Sanctus Hilarion in Syriam, Eustatius Sebastenus in Armeniam & Pontum, in Cappadociam Sanctus Basilius. Et hi omnes Antonianam temporalium communitatem fixerunt suis Monasteriis in primum fundamentum. Etenim Monasticam paupertatem esse unica contentam tunica, & nulli possessioni aut administrationi misceri, jubet in litteris ad Heraclidem Monachum, & latius in suis Regulis exponit laudatus Basilius. Et de Turonico Sancti Martini Monasterio scribit Sulpitius Severus: *Discipuli octoginta erant. Nemo ibi quidquam proprium habebat: Omnia in medium conferebantur. Non emere aut vendere, ut pleriſque Monachis moris est, quidquam licebat.* Et de Syriæ Monasteriis in libris adversùm Monasticæ vitæ vituperatores Sanctus Joannes Chrysostomus: *Quod omnia perturbat, Meum ac Teum penitùs indè eliminatum est. Cuncta quippè illis communia sunt: Mensa, domus, indumentum. Et quod sanè mirabilius, unus idemque omnibus est animus. Omnes eadem nobilitate sunt nobiles, omnes eadem servitute servi, eadem libertate liberi.* Sancti Augustini Regula est omnibus notissima, & ex ipsa de Sancti Fulgentii Monasteriis scribit in hujus vita Ferrandus Carthaginensis Diaconus: *Fulgentius Cœnobialis disciplinæ Ordinem custodivit illæsum, nemini dans licentiam professionis sanctæ Regulam præterire, sed principaliter hoc observandum Monachis tradens, ut nullus eorum quidquam proprium sibi vendicaret, sed essent omnibus omnia communia.* Et primus Sancti Leodegarii Augustodunensis Episcopi Canon: *Primus titulus hic est Monasticæ disciplinæ, ut Abbates vel Monachi peculiare non habeant.* Et ex hisce & aliis ejusmodi plurimis Monasticorum Patrum testimoniis scripsit ad Sublacensis Monasterii Abbatem & fratres Innocentius tertius: *Non æstimet Abbas quod super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare. Quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeò est annexa Regulæ Monachali, ut*

contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam concedere. Et per Hugonem Remensem Episcopum ejusdem Pontificis in Gallia Legatum, celebrata Avenionensis Synodus *Episcopis, Abbatibus,* C. 19. *Præpositis, & cæteris Religiosis Prioribus sub attestatione Divini Judicii districtè injungit, ut subditis suis professis licentiam habendæ proprietatis non tribuant, cum etiam hoc Romano Pontifici non liceat, sicut Dominus Innocentius Papa tertius in quadam constitutione testatur.* Proprii carentia est Evangelicæ perfectionis ac Monasticæ professionis portio essentialis, ideoque clarum est, quòd nec Summus Pontifex possit in ipsa dispensare.

Et hinc de Gallicanis Monachis, ab avita communitate ac paupertate circa quædam minutiora deviantibus, quòd omnem suæ professionis verecundiam calcarent, suprà nobis rectè dixit Joannes Cassianus. Et in brevioribus Regulis Cap. 27. scripsit Sanctus Basilius: *Si quis proprium sibi esse dicit, absque dubio alienum se facit ab Electis Dei.* Et apud Ferrandum Carthaginensem Diaconum Cap. 27. dicit Sanctus Fulgentius: *Nec debet nec potest Monachus judicari, cui voluntas habere privatum peculium persuaserit.* Nec est simplex, sed capitale vitium: Ex ipso nasci discordias, murmurationes, animositates, quamvis Monasticæ vitæ scabiem, ac ipsam tandem Apostasiam, nervosè & lucidè in septimo Monasticarum institutionum libro demonstrat laudatus Cassianus. Quin imò occultum proprietarium esse manifesto Apostata nequiorem docet atque ostendit in sermonibus de communi Clericorum vita Sanctus Augustinus. Et de nescio quo electo in Abbatem Monacho Constantio scribit ad Joannem Subdiaconum, Apostolici in Æmilia Patrimonii Rectorem, Sanctus Gregorius: *Cognovi quòd* Lib. 10. *Constantius peculiaritati studeat. Quæ res maximè* Ep. 22. *testatur eum cor Monachi non habere.* Hinc ejus electionem cassat, & adjungit de Sancto Marciniano Ravennatum Archiepiscopo: *Fratri & Coepiscopo nostro Marciniano omninò dicere stude, ut* Lib. 1. *peculiaritatem studiosissimè compescat, & hoc ipsum* Ep. 18. *Monasterium à tali peste mundare festinet. Quia si illic peculiaritas à Monachis habetur, neque concordia neque charitas in congregatione eadem poterit permanere. Quid est autem habitus Monachi, nisi despectus mundi? Quomodo igitur mundum despiciunt, qui in Monasterio positi aurum quærunt?* Quæ omnia pluribus confirmat in litteris ad Alexandrum Opusc. 12. secundum Pontificem, ac in opusculo ad Albizonem Eremitam Sanctus Petrus Damiani. Ostendit pestem hanc esse ruinam ac mortem Monasteriorum. Quod ipsum in litteris ad suos Belluacenses Sancti Quintini Regulares Cleri- Epist. 17. cos inculcat Sanctus Ivo Episcopus Carnutensis.

Addit laudatus Cassianus: *Hæc erit summa victoria, triumphusque perpetuus, ut quemadmodum dicitur, nec minuto quidem nummo conscientia Monachi polluatur. Impossibile namque est eum, qui victus in exigua stipe concupiscentiæ semel in corde suo radicem susceperit, non majoris desiderii protinus incendio conflagrare. Tamdiu namque miles Christi victor ac securus, cunctaque cupiditatis im-*

pugnatione erit externus, donec initia concupiscentiæ hujus hic nequissimus spiritus in ejus corde non servaverit. Quapropter cùm in cunctis generibus vitiorum generaliter serpentis caput oporteat servari, in hoc præcipuè diligentiùs convenit præcaveri. Quòd si fuerit intromissum, sua materia convalescens, ipsum sibimet vehementiora suscitabit incendia. Et infrà:

Cap. 28. *Hæc est de Phylargia perfecta victoria, ut parvissimæ cujuslibet stipis in corde nostro residere non sinamus igniculum, certi quòd restinguendi eum non habebimus ulteriùs facultatem, si quantulamcumque scintillæ hujus in nobis materiam foverimus.* Furis ac traditoris Judæ, nec non Ananiæ & Sapphiræ exempla urget in alio ejus libri capite, & concludit:

Cap. 30. *Super hæc omnia considerantes conditionem fragilis incertæque naturæ nostræ, caveamus ne dies Domini, sicut fur, in nocte superveniens maculatam vel uno obolo nostram conscientiam deprehendat, qui omnes fructus nostræ renuntiationis evacuans, illud quod diviti in Evangelio dictum est, ad nos quoque faciat voce Dominica tirigi: Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem præparasti cujus erunt?* Videtur docere nos hìc ob materiæ levitatem à mortali culpa non excusari. Est res quæstionis. Quidquid sit, verum est antiquum adagium: *Monachus qui habet obolum, non valet obolum.*

Quapropter Religiosa paupertas est omninò magna virtus, & altus justitiæ mons, de quo possit rectè dici: *Non omnes capiunt verbum istud.* Horum unus fuit Zozymus Pelusiæ Ecclesiæ Presbyter, adversùs quem scripsit ejusdem urbis civis Isidorus: *Etsi ob multorum improbitatem,*

Lib. 2. Ep. 113. *inexplebilemque cupiditatem voluntariæ paupertatis virtus eo redacta esse videatur, ut vires humanas excedat, nec quemquam esse credas, qui eam consequatur & præstet, quosdam tamen esse novi. At si tu ignoras, nihil mirum. Nam cum præ opum ac divitiarum cupiditate ipse temulentia labores, haud mirum est, eos qui purè atque integrè sobrii sunt, tibi esse ignotos.* Quòd Licinius Augustus castitatem impossibilem censeret; ideoque nullum Clericum aut Monachum crederet castè vivere, in Constantini Augusti vita testatur Eusebius Cæsarienſis: Quo errore etiamnum hodie cæcantur Lutherani & Calvinistæ. Existimant in humano genere reperiri solos Afros, de quibus Sanctus Salvianus: *Tam impossibile est Afrum esse castum, quàm Afrum non esse Afrum.* Verùm primus Symboli Articulus profitetur Divinam Omnipotentiam, quam noster cœlestis Pater corruptam naturam nostram miserando & adjuvando maximè manifestat: Etenim Afrorum Clericos & Monachos isto ipso tempore fuisse castissimos addit laudatus Salvianus. Quòd ergo impurus Licinius de castitate, avarus & animalis Zozymus sensit de Monastica paupertate. Porrò laudatus Isidorus rectè dixit: *Quosdam tamen esse novi.* Etenim magnam hanc virtutem semper professi sunt plurimi, sed non omnes observaverunt.

Et hinc neglectam observantiam, quòd plures etiam in Monasteriis agantur pœnarum metu quam casto amore virtutis, Monastica disciplina horrendè semper vindicavit. Etenim ad Eustochium scribit Sanctus Hieronymus:

Quid ante non plures annos Nitriæ gestum sit, referemus. Quidam ex fratribus parcior magis quàm avarior, & nesciens triginta argenteis Dominum venditum, centum solidos, quos lina texendo acquisierat, moriens dereliquit. Initum est inter Monachos consilium, quid facto opus esset. Alii pauperibus distribuendos esse dicebant, alii dandos Ecclesiæ, nonnulli parentibus remittendos. Macarius, & Pambo, & Isidorus, & cæteri quos Patres vocant, Sancto in eis loquente Spiritu, decreverunt infodiendos esse cum eodem, dicentes, Pecunia tua tecum sit in perditionem. Nec hoc crudeliter quisquam putet factum. Tantus cunctos per totam Ægyptum terror invasit, ut unum solidum dimisisse, sit criminis. Ep. 22.

Eandem pœnam inflixit Gregorius Magnus. Errant qui hunc asserunt primum illius Auctorem. Et in Londinensi, qua lapsam Anglicanæ Ecclesiæ disciplinam reparavit, Synodo statuit Sanctus Lanfrancus: *Monachi proprietate careant. Si quis cum proprietate inconfessus obierit, in Cœmiterio non sepeliatur.* Exstat apud Guilielmum Malmesberiensem in primo libro de Gestis Anglorum Pontificum. Et de nescio quo Vindocinensis Cœnobii Monacho, qui cum proprietate inconfessus obierat, ad ejus Abbatem Gosfredum scripsit Sanctus Ivo Carnutensis Episcopus. Fol. 214.

Monendo consulimus, & consulendo monemus, ut sepulturam, quam cum fratribus misericorditer acceperat, amittat, quatenùs cæteri timorem habeant, & à simili sacrilegio manus contineant. Ep. 57. Et ad Farfensis Monasterii Abbatem & Fratres Innocentius tertius: *Prohibemus districtè in virtute obedientiæ, sub obtestatione Divini Judicii, ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat, sed si quis aliquid habeat proprii, totum in continenti resignet. Quòd si proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis, extra Monasterium in sterquilinio subterretur, secundùm quod beatus Gregorius narrat in Dialogo se fecisse.* Lib. 3. tit. 35. c. 6. Et hac lege omnes hodie vivimus.

Porrò Joannes Cassianus in septimo Monasticarum Institutionum libro distinguit tres Proprietariorum classes: *Triplex est hujus invaletudinis morbus, qui ab universis Patribus æquali detestatione damnatur. Unus hic, qui decipiens miserabiles quosque, ea quæ ne antea quidem, cùm in sæculo degerent, possidebat, congregare persuadet. Alius qui hæc, quæ in primordiis suæ renuntiationis abjecerant, posteà resumere ac rursùm desiderare compellit. Tertius qui initio malo vitioso que contractus, & ab imperfectione incipiens, eos quos semel hoc tepore mentis infecerit, paupertatis ac diffidentiæ timore perterritos spoliare se cunctis mundi facultatibus non sinit, eosque pecunias vel substantias, quas utique renunciantes abjicere debuerant, reservantes, ad Evangelicam perfectionem numquam pervenire concedit.* Cap. 14. Tertiæ itaque classis sunt illi, qui omnia quidem sua Monasterio dant aut pauperibus, sed sibi aliquam reservant vitalitiam pensionem aut censum. Ipsorum exordium est omninò vitiosum. Monastica quippè professio non est aliud quàm omnium temporalium abrenuntiatio, atque ità adversùm illos

rectè

rectè dixit in tertia Collatione Abbas Pafnutius:

Cap. 7. *Necdum Evangelicum implet mandatum, qui omninò sibi adhuc ex suis facultatibus aliquid reservat.* Et adjungit: *Sicut nonnulli tepidorum faciunt.* Utroque enim pede claudicant: Nec Monachum induunt, nec Sæcularem deponunt. Undè adversùs Syncleticum, ex Senatore Monachum ejusmodi, scripsit Magnus Basilius: *Et Senatorem perdidisti, & Monachum non fecisti.* Quod dictum prædicat, & ejus causam nobiscum

Lib 7. c. 19. laudat Cassianus: *Quædam sibi de propriis facultatibus Syncleticus reservarat.* Rectè asserit istos *ad Evangelicam perfectionem numquam pervenire.* Captivi enim manent sub Phylargia, omnium vitiorum matre ac nutrice, quam quidam appetentes etiam à fide erraverunt. Ex ipsa pauperes fratres despiciunt, cum plena humilitate non subjacent Præpositis, Divina Officia fastidiunt, operari nolunt, ad licentiosum alicujus privilegii aut præeminentiæ in Monasterio locum quavis arte adspirant ac se intrudunt, communi alimentorum ac vestium sorte contenti non sunt, atque ità Cœnobia sua pedetentim transvertunt in illam Coludensis apud Anglos Monasterii miserabilem formam, quam in Anglicana Venerabilis Bedæ historia describit Religiosus Presbyter Adamannus: *Domunculæ,*

Lib. 4. c. 24. *quæ ad orandum vel legendum factæ erant, nunc in commessationum, potationum, fabulationum, & cæterarum sunt illecebrarum cubilia conversæ.* Quomodò speluncam hanc immissus ab irato Deo ignis eradicaverit, pluribus narrat laudatus Beda, factum asserit ob excessus præsertim illorum, qui *majores esse videbantur*, & concludit: *Hæc idcò nostræ historiæ inserenda credidimus, ut admoneremus Lectorem operum Domini, quàm terribilis sit in consiliis super filios hominum, ne fortè nos tempore aliquo carnis illecebris servientes, minùsque Dei judicium formidantes, repentina ira ejus corripiat, & vel temporalibus damnis justè sæviens affligat, vel ad perpetuam damnationem districtiùs examinans tollat.* Grandem apud suos Monachum ob similes vanitates fuisse visibiliter deportatum ad inferos, & Cayphæ ac aliis Domini occisoribus adjunctum, narrat in eadem

L. 5. c. 15. historia, & denuò concludit: *Factum est hoc nuper in Provincia Berniciorum, ac longè latèque diffamatum, multos ad agendam & non differendam pœnitudinem provocavit. Quod utinam exhinc etiam nostrarum lectione litterarum fiat.* Quocirca hisce pensionatis Monachis Joannes Cassianus meritò

Cap. 20. applicat hocce Deuteronomii Statutum: *Quis est homo formidolosus, & corde pavido? Non egrediatur ad bellum. Vadat & revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut & ipse timore perterritus est.* Ipsos ad Monasticam militiam affirmat ineptos. Semetipsos enim præcipitant in Monasteriis, & alios secum, licet non in lapsum, tamen in titubationem circumscribunt. Quare qualiscumque professioni adjecta pensionis reservatio est adversa substantiæ, aut certè fœda conditio, ideoque habenda pro non apposita. Eam Præfecti obligantur circumducere, & in communem substantiam devocare. Nulla hìc dotalis eleemosyna, nec similis quis humanæ

in firmitatis palpo fucus valeat patrocinari. Eleemosyna enim debet esse gratuita, non dotalis. Et hunc esse Tridentinæ reformationis scopum, suus locus demonstrabit.

Circa præsentis Synodi tempora Monachi passim erant enormiter deformati. Etenim de Anglicanis, etiam Cathedralibus ac Primatialibus Cantuariensibus, scribit in Anglorum Pontificum historia Guilielmus Malmesberiensis: *Monachi Cantuarienſes, sicut omnes tunc temporis in Anglia, sæcularibus haud absimiles erant,* Fol. 214. *nisi quòd pudicitiam non facilè proderent. Canum cursibus avocari, avium prædam raptu aliarum volucrum per inane sequi, spumantis equi tergum premere, tesseras quærere, potibus indulgere, delicatiori victu & accuratiori cultu frugalitatem nescire, parcimoniam abnuere, & cætera id genus, ut magis illos Consules, quàm Monachos præ famulanti frequentia diceres.* Cujus deformationis fontem quis non videat fuisse proprietatem? Et in opusculo de mundi contemptu Sanctus Petrus Damiani: *Ad tantam fœcem quotidie semetipso de-* Opusc. 12. Cap. 1. *terior mundus iste devolvitur, ut non solum cujuslibet, sive sæcularis sive Ecclesiasticæ conditionis ordo à statu suo collapsus jaceat, sed etiam ipsa Monastica disciplina solo tenus, ut ita dixerim, reclinata, ab assueta illa celsitudinis suæ perfectione languescat.* Et addit causam: *Omnes enim quæ sua sunt quærunt, & contempto cœlesti desiderio, terram insatiabiliter concupiscunt.* Quæ omnia repetit in opusculo de perfectione Monachorum. In Germania fuisse tantam bonorum Monachorum inopiam, ut ad ipsos reformandos evocari debuerint Scoti seu Hiberni primùm, ac deinde Itali, testantur Marianus Scotus, ac Lambertus Schafnaburgensis. Et hic edicit causam: A. 1135. *Revera non immeritò Dominus super nostrates Mona-* A. 1071. *chos despectionem effundere videbatur. Nam quorumdam Pseudomonachorum privata ignominia nomen Monachorum vehementer infamaverat, qui omisso studio Divinarum rerum, totam operam pecuniis & quæstibus insumebant. Hi pro Abbatiis & Episcopatibus aures Principum importunè obtundebant, & ad honores Ecclesiasticos non via virtutum, sed per ambitionis præruptum, & malè partarum pecuniarum profusionem grassabantur. Denique in coemptionem exigui honoris aureos montes quotidie promittebant, sæcularesque emptores largitionis suæ immoderantia excludebant. Nec venditor tantum audebat exposcere, quantum emptor paratus erat exsolvere. Mirabatur mundus, unde tantus pecuniarum scaturiret fluvius, unde Crœsi & Tantali opes in privatos homines congestæ fuissent, & eos potissimum homines, qui crucis scandalum & paupertatis titulum præ se ferrent, & præter simplicem victum ac vestitum nihil rei familiaris se habere mentirentur.* Et hæc Dominici agri Zizania, & Divinæ vineæ arida sarmenta è Gallicanis Monasteriis evellere per præsentem Canonem est conata nostra Synodus.

Nec sine fructu. Isto enim sæculo Gallicana Ecclesia protulit præstantissimos Abbates & Monachos, & præstantiores ex ipsis Episcopos, nec non sanctissimos novos Ordines, Cistertiensem, Carthusiensem, Præmonstratensem,

ac Grandimontensem, nec non Regulares Canonicos Sancti Jvonis. Tunc varii Religiosorum Ordinum habitus primùm apparuerunt in Ecclesia, atque ita hanc per illos esse factam Reginam circumamictam pulcherrimis varietatibus,
A. 1131. L. 7. c. 35. Fol. 158. Ep. 97. scribunt Robertus Abbas Montensis, Ottho Frisingensis Episcopus, Magnum Belgii Chronicon, & in litteris ad Eveshamensem Abbatem Petrus Blesensis. Hoc item sæculo vixit implacabilis Latinorum hostis Theodorus Balsamon, in quadragesimi septimi Carthaginensis Canonis Commentario laudavit Monasticam vitæ communitatem, & adjunxit: *Hodie parum quid eorum, vel propemodùm nihil fit. Nam neque Monachi simul habitant, neque Ascetriæ. In solis mulierum Cœnobiis servatur hæc communis simul vivendi ratio & habitatio. Apud Latinos autem hucusque servatur ea vitæ ratio. Omnes enim Monachi simul comedunt & dormiunt.* Consonat antiquus ac eruditus, in Constantinopolitano Patrum Prædicatorum Conventu olim repertus, adversùm Græcos Schismaticos & variam ipsorum prævaricationem Tractatus: *Penes Græcorum Monachos non est unum marsupium, sed obliti dicentem,* NISI QUIS RENUNTIAVERIT OMNIBUS QUÆ POSSIDET, &c. *Singuli habent singula.* Absit ut in hunc Scriptorem potuerit à Græcis regeri: *Væ tibi tu, nigræ dicebat cacabus ollæ.*

Ad plenè eradicandam proprietatis lepram Canon rectè addit: *Eis victum & vestitum præbeant.* Hoc enim est primum & palmare Monachalis communitatis fundamentum, de quo in Epistola ad Eustochium Sanctus Hieronymus: *Quia*
Ep. 22. *non licet dicere cuiquam, Tunicam & sagum, textaque juncis strata non habeo,* Œconomus *ita universa moderatur, ut nemo quid postulet, nemo non habeat.* Et de Monastica Sancti Fulgentii disciplina scribit in ejus vita Ferrandus Carthaginensis Diaconus: *Distribuebat planè ipse cum summa discretione servis Dei necessaria vitæ subsidia, singulorum vires infirmitatemque considerans. Verumtamen quibuscumque plus cæteris consulebat, eos humilitatem custodire amplius admonebat, dicens eis: De substantia communi quisquis aliquid plus accipit, omnium sit debitor, quorum est illa substantia. Porrò debitorem juvat sola humilitas. Sic efficiebat, ne quis scandalum pateretur, quando uni propter infirmitatem plus dare videbatur. Erat quoque ei nimia sollicitudo prævenire cunctorum Monachorum petitiones, ante tribuendo quidquid tribuendum cuilibet vel necessitas vel ratio manifesta monstraret. Si quis autem præsumpsisset, priusquam acciperet, petere, negabat ei continuò, etiamsi mereretur accipere, dicens Monachos debere iis, quæ acceperint, esse contentos. Cæterum qui sibi plus quam indigeant petunt, desideriis adhuc carnalibus serviunt, & omninò non perfectè de Cœlestibus cogitant, quamdiu quod sibi necessarium sit ipsi sibi, quia negotiando non possunt, petendo saltem providere festinant.* Quæ omnia lucidè desumpsit ex Regula Sancti Augustini. Et lapsam ex Merovingiorum Regum ignavia disciplinam restaurans sexta Parisiensis Synodus supplicavit Imperatori Ludovico Pio, *ut Abbates & Abbatissæ*
L. 3. c. 18. *Congregationes sibi commissas, sive spiritualiter sive temporaliter, ex paterno affectu gubernare, eisque necessaria stipendia subministrare non negligant, ne fortè propter aliquam inopiam & Divina Officia negligantur, & ipsæ Congregationes irreligiosius vivere compellantur.* Et secunda Synodus Aquisgranensis: *Illud necessarium visum est de Monasteriis* L. 1. c. 2. *puellarum, quæ in quibusdam locis lupanaria potiùs videntur esse quàm Monasteria, propter negligentiam stipendiorum, aut certè insolentiam Prælatarum. Unde postulandum est, ut Religiosi viri ad hoc dirigantur, ut talia inquirant, & secundùm Religionem Deo placabilem emendare studeant, sicut & superiùs de Clericis decrevimus.* Utraque hæc Synodus Regii brachii postulavit auxilium ad exequenda illa, quæ & prima Aquensis Synodus statuerat, nec non & ibidem factus Abbatum Conventus, cujus hic est Canon quinquagesimus tertius: *Ut quoties exposcit necessitas, vestimenta & calceamenta, & omnia necessaria fratribus dentur.* Eadem Aquensis Synodus pauperibus Monasteriis per Episcopos ex Ecclesiarum c. 115, Lib. 1. proventibus mandat hæc omnia suppleri. Reparatam tunc disciplinam humana infirmitas iterum fœdaverat, ideoque præsens Canon denuò repurgavit. Quod ipsum per Angliam, Germaniam, Italiam, ac alias Provincias isto sæculo plures Synodi fecerunt.

Verùm posteà irrepsit alius abusus, in quem statuit Oxonienſis Synodus Stephani Cantuariensis Archiepiscopi: *Decernimus, ut tam Monachi, quàm Canonici Regulares, & Moniales, in uno Refectorio simul edant, nec per se cuilibet, sed communiter omnibus victualia præparentur. Nec singulis eorum denarii pro vestibus tribuantur, sed talia per certas personas ad hæc deputatas diligenter expediantur, qui, ut quilibet indiguerit, & facultas domus sustinuerit, eis indumenta ministrent. Et cùm eis nova tradita sunt, vetera ab eis recipiantur, quæ in usus pauperum vel alias necessitates convertantur.* Et in Albiensi Synodo Zoenus Episcopus ac Innocentii tertii per Galliam Legatus. *Nulli regulari pro vestibus, seu pro pitantia, à suo Majore* C. 15. *pecuniæ summa detur, ad hoc enim datur ei materia proprium retinendi, sed omnes de vestiario induantur.* Et nova Benedictini Ordinis, quæ pro reformandis Narbonensis Galliæ Monasteriis confirmavit Gregorius nonus, Statuta: *Duximus prohibendum, ne Monachis detur pro victu pecuniæ* C. 16. *vel vestitu, vel occasione hujusmodi assignentur reditus alicui. Et si fortè hucusque fuerint assignati, ab eo penitus auferantur.* Duo hæc posteriora Decreta exstant apud Lucam Dacherium. Quòd ista Tom. 2. 6. vestiaria pecunia sit summum proprietatis & varii abusus fomentum, norunt Monasticarum rerum periti.

Addit præsens Canon: *Secundùm Regulam Sancti Benedicti.* In interrogatorio Caroli Magni Capitulari exstat hæc quæstio: *Utrùm aliqui* C. 12. *Monachi esse possint præter eos, qui Regulam Sancti Benedicti observant? Inquirendum etiam, si in Gallia Monachi fuissent, priusquam traditio Regulæ Sancti Benedicti in has Parochias pervenisset?* Posterior quæstionis pars est inutilis ac imperita. Quis enim nesciat Sancti Antonii institutum ex

Ita-

Italia in Gallias deportatum à Sancto Martino, ac ibidem à Sancto Victricio Rothomagensi Episcopo, Joanne Cassiano, Sanctis Cæsario & Aureliano Arelatensibus Archiepiscopis, Sancto Ferreolo Episcopo Ucetiensi, & aliis pluribus ante Sanctum Benedictum Patribus fuisse per omnes Gallias propagatum? Quòd Sanctus Victricius Barbaram Morinorum terram, hoc est,
Epist. 28. hodiernam Flandriam & Artesiam Monasteriis impleverit, testatur Sanctus Paulinus. A Sancto Benedicto Monachos, qui ejus Regulam docerent, misti in Galliam primus postulavit Francorum Rex Theodobertus, ac impetravit Sanctum Maurum, qui in Andegavensi agro exstruxit Glanofolii Monasterium: Rei seriem latè exponit Monachus Aimoinus. Etiamnum
L. 2. c. 22. 23. Gallia habet plura Monasteria Sancto Benedicto seniora. Et hinc posteriorem istam quæstionem in subsequenti Capitulorum Brevi correxit ipse Carolus per hanc quæstionem: *Quæ Regula*
C. 12. *Monachi vixissent in Gallia, priusquam Regula Sancti Benedicti in ea tradita fuisset, cùm legamus Sanctum Martinum & Monachum fuisse, & sub se Monachos habuisse, qui multò ante Sanctum Benedictum fuit?* Hanc quæstionem Episcopis & Abbatibus Imperator proposuit, & quid responsum fuerit ignoro. Respondendum verò fuerat Monachos istos vixisse juxta aliquam ex Regulis jam laudatorum Patrum. Quin tamen Sanctus Maurus Magistri sui Regulam, Regio favore fretus, propagare studuerit non est dubitandum.

Et cœptum ab ipso opus insigniter adjuvit Sanctus Gregorius Magnus, scribens in libris Dialogorum: *Benedictus Vir Dei inter tot miracula,*
L. 2. c. 36. *quibus in mundo claruit, doctrinæ quoque verbo non mediocriter fulsit. Nam scripsit Monachorum Regulam, discretione præcipuam, sermone luculentam. Cujus si quis subtiliùs mores vitamque vult cognoscere, potest in eadem institutione Regulæ omnes Magisterii illius actus invenire: Quia Sanctus Vir nullo modo potuit aliter docere quàm vixit.* Quòd Sanctus Gregorius Sancti Benedicti Monachus fuerit, & juxta ejus Regulam in suo
L. 4. c. 80. ad Clivum Scauri Monasterio vixerit, Joannes Diaconus affirmat esse luce clarius, & prosequitur: *Gregorius sui Monasterii Monachos, Benedicti utique Regulis mancipatos, in Saxoniam,* id est Angliam, *destinavit.* Et infrà: *Quòd monachi, qui à Gregorio in Saxoniam missi, Sancti Benedicti Regulæ fuerint mancipati, inter alia illud etiam ostendit, quod ex ipsius discipulis vix potest in illis partibus Monachus aliquis inveniri,*
C. 82. *à quo non observetur tam in proposito, quàm in cultu Regula Benedicti.* Omnem Anglicanum Clerum esse Monasticum, & ipsas etiam Episcopales Ecclesias non à Clericis, sed à Cathedralibus Monachis regi jussit laudatus Gregorius: Jussit esse, uti est etiamnum hodiè, Benedictinum. Et hinc ad plenam Angliæ Synodum dixit Sanctus Wilfridus Archiepiscopus Eboracensis, *Se primum fuisse qui verum Pascha in Northumbria Scotis ejectis docuerit, qui Cantus Ecclesiasticos Antiphonatim instituerit, qui Sanctissimi Benedicti Regulam à Monachis observari jusserit.* Sancti Benedicti Regulam, quam Sanctus Apostolus Augustinus Saxonibus dederat, Wilfridus Fol. 266. traduxit ad Scotos. Exstant hæc apud Guilielmum Malmesberiensem. Etiam à Jacobo Syro adversùs Chalcedonensem Synodum, circumscriptos Armenios ad rectam viam reduxit, & Romanos insuper ritus ipsis persuasit Gregorius, atque ità de eorumdem Patriarcha Nierse habet ipsorum Menologion: *Nierses Lampronensis ex Græco vertit in Armenium historiam Sancti Gregorii Papæ Romanorum, & Regulam Benedicti, apud eosdem Romanos observatam.* Re- Jul. 17. lictis Sancti Basilii institutionibus, Nierses suis Monachis imposuit Sancti Benedicti Regulam, imitatus Gregorium, qui ipsam imposuerat Romanis. Hinc & hujus historiam, seu Dialogorum libros transtulit in Armenium. Quòd nempè ista Regula cum suo auctore, & omnis Monastica vita ab hisce libris insigniter commendetur. Et hinc lucet primam horum librorum Græcam translationem non esse à Zacharia Pontifice, sed multò priorem. Quod interim laudatam Regulam omnibus Italiæ Monachis Gregorius imposuerit, non est ambigendum. Et ità omninò credidit secunda Synodus Duziacensis: *Beati Benedicti Regula Sancto Spiritu promulgata, & laudis auctoritate Beati Papæ Gregorii inter Canonicas Scripturas, & Catholicorum Doctorum scripta est teneri decreta.*

Ex eodem principio laudata Regula plurimum profecit etiam per Gallias. Quod post Sancti Mauri adventum vix ullum sit in Francia fundatum, nisi sub Sancti Benedicti aut Sancti Columbani Regula Monasterium, possit facilè & lucidè demonstrari: Et variis exemplis demonstravit in suis ad trigesimam secundam Sancti Lanfranci Epistolam notis Lucas Dacherius. Quæ verò sit Sancti Columbani Regula, edicit in sui Besuensis Cœnobii Chronico Joannes Monachus: *Amalgarius Dux sub manu filii sui Waldaleni, & sub Regula Beati Columbani studuit Monachos aggregare.* Et ab ipso relatum, quo fundatio ipsa confirmatur, Clotarii Regis Præceptum: *Waldalenus Abbas Monachos sub Regula Beati Columbani, seu Beati Benedicti adunavit.* Beatus Columbanus fecit quod postea Cluniacenses, Cistertienses, ac Cœlestini sunt imitati. Sancti Benedicti Regulæ quædam constitutionum additamenta superposuit: Et hæc aggregata sunt Regula Sancti Columbani, Cluniacensis, Cistertiensis, aut Cœlestina. Rem insigniter elucidat in Historia Ecclesiastica Oderici Vitalis: *Columbanus admirandæ Sanctitatis* Lib. 8. *Pater inter præcipuos laboravit, signis & prodigiis gloriosè inter Terrigenas effulsit, & Spiritu sancto edoctus Monachalem Regulam edidit, primusque Gallis tradidit. Florentissimi de Schola ejus Monachi prodierunt, & in mundo, velut astra in firmamento, virtutibus micuerunt. Eustasius enim Lexoviensis, Agitus Rebacensis, Faro Meldensis, Audomarus Bononiensis, Philipertus Gemmeticensis, aliique plures Episcopi & Abbates excellentissimæ professere Religionis, quorum Sanctitas evidentibus miraculis cœlitus ostensa est, ipsorumque studio in filiis Ecclesia insigniter propagata. Ipsi,*

rem,

ctor, *beatum Maurum ejusque Socios & Discipulos moverunt, utpotè vicini, & ab ipsis, sicut ab aliis Scripta Doctorum, ædificationis causa Sancti normam susceperè Benedicti: Ita tamen ut non abhorrerent sui Statuta Magistri, almi videlicet Columbani*. Et hæc Regula non solis novis fuit imposita Monasteriis, sed insuper in suis Canonibus generatim sanxit Sanctus Leodegarius Episcopus Augustodunensis: *De Abbatibus vel Monachis ita observare convenit, ut quidquid Canonicus Ordo vel Regula Sancti Benedicti edocet, & implere & custodire in omnibus debeant. Si enim hæc omnia fuerint legitimè apud Abbates vel Monasteria conservata, & numerus Monachorum, Deo propitio, augebitur, & omnis mundus per eorum orationes assiduas malis carebit contagiis*. Per Canonicum Ordinem intelligit generales Ecclesiæ de Monastica disciplina Canones, his solis dicit suæ Diœcesis Monachos fuisse tunc usque directos, deinceps autem decernit dirigi etiam per Regulam Sancti Benedicti. Aut sanè nescio cujus sui Antecessoris simile Statutum innovat & confirmat. Et suo, quod Corbeiensi Monasterio dedit, privilegio Bertefridus Ambianensis Episcopus adjunxit: *Illud addi placuit, ut ipsi Monachi sub Regula Sancti Benedicti, vel Sancti Columbani conversari & vivere debeat*. Particula, *vel*, hic non disjungit, sed explanat, & æquivalet vocibus, *Id est*: Bertefridus vult Corbeienses, alterius anteà disciplinæ Monachos, deinceps vivere secundùm Sancti Benedicti Regulam, & illi superpositas constitutiones Sancti Columbani. Apostolica hodie Sedes Ecclesiis ac Monasteriis privilegia dat ea lege, ut deinceps admittant & observent Romanum Missale ac Breviarium: Eodem modo Gallicani tunc Episcopi honorarunt Regulam Sancti Benedicti.

Merovingiorum interim Regum ignavia, & Caroli Martelli in ipsos ac Ecclesiam violentia Clericos & Monachos detrusit in extremam paupertatem, paupertas in desperationem, desperatio in Apostasiam & adnexa crimina: Quin imò pleraque Monasteria Dei servis vacuavit. Ad reparandam disciplinam Gregorius secundus legavit nobis Sanctum Bonifacium Apostolum, id est, ad nullam Sedem, sed ad solas Apostolicas vices ordinatum Episcopum, Anglicanum Sancti Benedicti Monachum, seriis mandatis ac solemni ad Sancti Petri corpus professione constrictum plantare Romanam ubique disciplinam, quæ, uti & Anglicana, Monachos jam dudum vivere jusserat secundùm Regulam Sancti Benedicti. An. 719. Hinc ille fecit quod scribit Marianus Scotus: *Sanctus Bonifacius à Præsule Sedis Apostolicæ Gregorio Moguntinæ Civitati Metropoli Germaniæ Archiepiscopus ordinatur, & Legatus Germanicus Romanæ Ecclesiæ in Franciam mittitur, qui prædicatione sua multos Thuringorum, Hessorum, & Austrasiorum ad fidem rectam, à qua deviaverant, convertit. Monasteria sexus utriusque primò instituit Germaniæ*. Remensium Metropolita Hincmarus asserit ipsum non ad Moguntinam Ecclesiam, sed ad solam Apostolicam Legationem fuisse à Gregorio consecratum. Et an primus Monasteria Germaniæ instituerit, videtur vacillare. Quidquid sit, in nescio qua Germanica Synodo sub Hilderici regno & Carolomanni Principatu edidit hunc pro universa Francorum Ecclesia Canonem: *Decernimus ut Monachi & Ancillæ Dei Monasteriales juxta Regulam Sancti Benedicti Cœnobia vel Xenodochia sua ordinare, gubernare, vivere studeant, & vitam propriam degere secundùm prædicti Patris ordinationem non negligant*. Et in Synodo Leptinensi: *Abbates & Monachi receperunt Regulam Sancti Patris Benedicti ad restaurandam normam Regularis vitæ*. In notis ad trigesimam secundam Sancti Lanfranci Epistolam eruditus Lucas Dacherius urget verbum, *Recipio*, solis amissis rebus convenire, & concludit: *Declarat ergo Synodus illa Abbates & Monachos, qui Leptinas convenerant, Benedictinæ Regulæ observationes susque deque habitas, ejus sanctionibus ultrò se submittentes, ad pristinum velle rigorem revocare*. Existimat omnes Franciæ Monachos jam olim fuisse ad Sancti Benedicti Regulam compulsos, & istam antiquam constitutionem hic innovari.

Cap. 7.

Cap. 13.

Cap. 1.

At certum est falli. Istam enim constitutionem nulla commendat antiqua memoria: Nec verosimile est, quod ad Sancti Mauri ingressum & prædicationem cuncta Galliæ Monasteria Sanctorum Martini, Honorati, Cæsarii, Ferreoli, Aureliani, ac aliorum Patrum Regulis valedixerint. Etenim dudum post Sancti Mauri adventum Sanctus Donatus Vezontinensis Episcopus suæ Provinciæ Monachis scripsit singularem Regulam, adeoque Sancti Benedicti Regula non potest tunc omnes Galliæ Monachos obligasse. Quapropter Leptinensis Canon respicit priorem Germanicum. Hunc quidam prioris suæ Regulæ tenaces Abbates aut admittere detrectaverant, aut admissum excusserant, redeuntes ad avitam Regulam: Et hi tandem in Leptinensi Synodo Sancti Benedicti Regulam receperunt. Addidit proxima sub eodem Hilderico Rege & Majore domus Pippino celebrata Synodus Suessionensis. *Ordo Monachorum vel Ancillarum Dei secundùm Regulam sanctam stabilis permaneat*. Sancti Benedicti Regulam per antonomasiam titulat absolutè Regulam, & quidem Regulam sanctam, & de ipsius apud Leptinas recepta ab omnibus professione vult deinceps non cespitari: Ipsam sancit esse immobilem ac inconcussam. Quæ omnia à Carolo Magno per magnam omnium Abbatum Synodum fuisse innovata & confirmata secundo noni sæculi Anno, testatur Chronicon Monasterii Mossiacensis. Acta latent aut perierunt.

Verum nec hac via Regulam fuisse immobilem demonstrat suprà adductum interrogatorium ejusdem Caroli Capitulum. Inter Benedictinæ ac inter alterius Regulæ professores orta est magna dissensio: Isti ante Sancti Benedicti Regulam asseruerunt nullos in Gallia fuisse Monachos, ideoque solos istius Professores esse genuinos ac legitimos Ecclesiæ Gallicanæ filios. Erat assertio absurda: Ignorans istud sæculum ita cæcutiebat. Et hinc tandem meliora instructus Imperator in Responsorio Capitulorum Brevi flagitavit ab istis assertoribus, an ergo Sanctus Martinus non fuisset germanus Gallicanæ Ecclesiæ Mona-

Monachus, & qua ille Regula vixisset? Videtur Benedictinæ Regulæ refutatoribus faviſſe, & ipsos ad illam noluisse compelli. Per semetipsum interim definire noluit, sed controversiam proposuit Moguntinæ in Episcopos, Abbates, ac Proceres distributæ Synodo, cujus Prologus hæc habet: *In alia turma consederunt Abbates ac probati Monachi, Regulam Sancti Benedicti tenentes atque tractantes diligenter, qualiter Monachorum vitam in meliorem statum atque augmentum cum Dei gratia perducere potuissent*. Monasticum statum Carolus volebat plenè reparatum: Hinc per ipsos Abbates Synodaliter discussum voluit, an hunc ad finem expediret Benedictinam omnibus imponere, an singulis suam priorem Regulam permittere? Ac tandem Sanctus Benedictus vicit, & prodiit hic Canon: *Abbates censuimus ita cum Monachis suis pleniter vivere, sicut ipsi qui in præsenti Synodo aderant, palàm nobis omnibus promiserunt, id est, secundùm doctrinam Regulæ Sancti Benedicti, quantùm humana permittit fragilitas*. Confirmavit secunda Remensis Synodus: *Lecta est Regula Sancti Benedicti, ut ad memoriam reduceretur Abbatibus minus scientibus, si qui fortè adfuerint, qualiter & se & suos secundùm eandem Regulam custodire valerent atque gubernare*. Utraque hæc Synodus celebrata fuit anno tertio decimo noni sæculi: eodem anno statuit tertia Turonensis: *Monasteria Monachorum, in quibus olim Regula beati Benedicti Patris conservabatur, sed nunc fortè qualicumque negligentia subrepente remissiùs ac dissolutiùs custoditur, vel certè penitùs abolita negligitur, bonum videtur ut ad pristinum revertantur statum, & Abbates eorumdem in eodem habitu & vita, qua ipsa Regula præcipit eos incedere, vivere studeant. Quoniam aliqua sunt Monasteria, in quibus jam pauci sunt Monachi, qui prædicti Patris Regulam suis Abbatibus promissam habeant. Quippe cum ipsi Abbates magis Canonicè, quam Monachicè, inter suos conversari videntur*. Receptam ac professam in Leptinensi, Suessionensi, ac præsertim Aquensi Abbatum Synodo Regulam quidam Turonensis Regionis Abbates denuò excusserant, ideoque ipsos ad illam laudatus Canon denuò coegit. Eundem scopum habet secunda Synodus Cabilonensis: *De Abbatibus & Monachis idcircò hic pauca scribimus, quia penè omnia Monasteria Regularia in his Regionibus constituta secundùm Regulam Sancti Benedicti se vivere fatentur. Inquiratur ergo diligenter, ubi secundùm ipsum Ordinem vivitur, & ubi ab ipso Ordine digressum est, ut juxta ejusdem beati viri institutionem vivere certent, qui se ut ita viverent cum attestatione professi sunt*. Eos qui usque huc Regulam istam professi non fuerant, videtur ad ipsam admittendam non velle compelli.

Cap. 11.

Cap. 9.

Cap. 19.

Cpa. 22.

C. 1. 2. 3.

Quidquid sit, post tot Synodorum Decreta & Canones Regulam nondum fuisse in omni Francia firmatam demonstrant sequentes ab Aquensi, quam ad patris Caroli exemplum convocaverat Ludovicus Pius, Abbatum Conventu editi Canones: *Ut Abbates, mox ut ad sua Monasteria remeaverint, Regulam per singula verba discutientes pleniter legant, & intelligentes, Domino opitulante, efficaciter cum Monachis suis implere studeant. Ut Monachi omnes, qui possunt, Regulam memoriter discant. Ut officium juxta quod in Regula Sancti Benedicti continetur, celebrent Monachi*. Et Canon secundæ ibidem Episcopalis Synodi: *Monachi secundùm traditam à Beato Benedicto Regulam unanimiter, quantumcumque posse est, cujusque Religionis Regularem vitam in omnibus sectentur*. Lucidè mandat quascumque deseri Regulas & acceptari solam Sancti Benedicti. Et hasce Synodos laudat Ludovici Pii Annalista Astrologus: *Conventus Aquisgrani post natalem Domini habitus, in quo multa de Statu Ecclesiarum & Monasteriorum tractata atque ordinata sunt*. Et adjungit: *Constituit Deo amabilis Ludovicus Imperator Benedictum Abbatem, & cum eo Monachos strenuæ vitæ, qui per omnia Monasteria Monachorum euntes, redeuntesque, uniformem traderent cunctis Monasteriis, tam viris quàm Sanctimonialibus fœminis, vivendi secundùm Regulam Sancti Benedicti incommutabilem morem*. Notanda est vox, *Incommutabilem*: Edicit quòd Ludovicus peremptoriè obedire jusserit, & deinceps de hoc articulo non disceptari. Consonat Lambertus Schafnaburgensis: *Præceptum est ut omnes Monachi cantarent Ordinem Sancti Benedicti. Ludovicus Pius Aquisgrani habuit Synodum, ibique ordinavit vitam Monachorum*. Utique juxta Regulam laudati Patriarchæ. Alias Synodos de hac re Lambertus non memorat: Quòd hæc sola fuerit irrefragabilis, ac nullum reliquat tergiversandi locum. Et ità post tot Synodos, Canones, ac Regia Decreta per omnem Franciam Regula tandem plenè triumphavit. Et ex his lucet ipsam usque ad Sancti Bonifacii Apostolatum in laudata Monarchia non fuisse universalem.

L. 1. c. 15.

An. 819.

An. 815.

Et ex isto tempore Gallicana Ecclesia Sancti Benedicti Regulam cœpit absolutè per Antonomasiam appellare Regulam, Ordinem, Sanctum Ordinem, aut Regulam Sanctam. Ità suprà audivimus à Synodo Suessionensi, & Aquensi Conventu Abbatum. Etiam Vernensis Synodus statuit: *Monasteria tam virorum quàm puellarum secundùm ordinem Regulariter vivant*. Detrectantes Abbates aut Abbatissas mandat per Episcopum, aut etiam per Metropolitam aut Synodum compelli, & concludit de contumacibus: *Honorem suum perdant, & tales in eorum loco constituantur, qui secundùm Ordinem Sanctum ipsum gregem regant*. Ordo Sanctus idem est quod Regula sancta. Et Moguntina sub Carolo Magno Synodus: *Decrevimus, sicut Sancta Regula dicit, ut Monasterium, ubi fieri possit, per Decanos ordinetur, quia Præpositi sæpè in elationem incidunt*. Ubi clarum est intelligi Regulam Sancti Benedicti. Eodem modo in litteris ad Goisfridum Constantiensem in Normandia Episcopum loquitur ex Gallicanæ Ecclesiæ Monacho Cantuariensium Archiepiscopus Sanctus Lanfrancus: *De servanda Regula professionem fecerunt. Ad servandam Regulam moneantur*. Istis nempè temporibus & Gallicana & Anglicana Ecclesia non admittebat aliam Monachalem Regulam, ideoque ad illam denotandam nulla speci-

Cap. 5.

Cap. 11.

Ep. 32.

ſpecificante voce erat opus. Omittere nolim grande encomium, quod illi dat in ſuo adverſus Dudam lapſam Monialem Decreto ſecunda Cap. 7. Synodus Duziacenſis: *Sanctus Spiritus per Beatum Benedictum eodem ſpiritu, quo & Sacri Canones conditi ſunt, Regulam Monachorum edidit.* Alludit ad phraſim Sancti Leonis, qui generales Eccleſiæ Canones dixit Spiritu Dei conditos, & Cap. 3. totius mundi reverentia conſecratos. Quod ipſum encomium repetit Synodus Trosleiana. Interim ex laudato Vernenſi Canone iterùm lucet, quod ad laudatam Regulam cunctis Franciæ Monachis imponendam & Synodi & Reges debuerint quaſi ſudare ſanguinem, & Abbatibus degradationem comminari.

Quin à S. Gregorii temporibus in Sicilia, Corſica, Sardinia, ac aliis Italiam reſpicientibus Inſulis eadem Regula fuerit univerſalis, non eſt dubitandum. Iſto enim tempore Corſica & Sicilia reſpiciebant urbem ac ejus Pontificem uti ſuam Metropolim atque Metropolitam, ideoque non minus apud ipſas, quàm in hac laudata Regula habuit plenum vigorem. Et varia S. Benedicti Monaſteria Gregorius apud Siculos exſtruxit. Sardinia ſemper habuit ſuam Eccleſiaſticam Metropolim. Verùm quomodo Gregorius dilectam Regulam, quam traduxit in alieni Patriarchatus Armeniam, in ſubditam ſuæ Diœceſi ac viciniſſimam Provinciam non traduxiſſet? Quòd ipſam in Hiſpanias traduxerit, certo teſtimonio firmare non poſſum, & non velim divinare. Quidquid ſit, ipſam admiſit, & omnibus ſuis utriuſque ſexus Monaſteriis impoſuit Hiſpanorum ſub Sancti Leonis noni Pontificatu celebrata Coyacenſis Synodus: *Omnes Abbates ſe & fratres ſuos* Cap. 8. *& Monaſteria, & Abbatiſſæ ſe & Monailes ſuas & Monaſteria ſecundum Beati Benedicti regant Statuta.* E Saracenica ſervitute exurgere tunc incipiebat afflicta Hiſpania, ideoque & lapſam reparare diſciplinam.

Quod Sanctus Auguſtinus, uſitato iſtius ſæculi more, Monachatum cum Baptiſmo acceperit, lucidè in ejus vita affirmat Sanctus Poſſidonius. Quod & ipſe & omnis Africa vocem, *Monaſterium*, uſque ad ejus tempora ignoratit, habemus in octavo Confeſſionum libro, ac in nonageſimo ſeptimo tractatu ſuper Evangelium Sancti Joannis. Sancti Antonii Inſtitutum ipſe ex Cap 6. Italia portavit in Africam, & ab Aurelio Carthaginenſium Primate adjutus quaquaverſum propagavit. Hinc enim maledicus Conſtantinenſium Donatiſtarum Epiſcopus Petilianus Circumcelliones improperanti repoſuit Monachos, & cum ſarcaſmo eſt percunctatus: *Quid ſunt Monachi? Monachorum nomen ubi habetur in Sacris litteris?* De advectis in Africam Monachis culpavit Auguſtinum, quaſi novis monſtris illam maculaſſet. Et quòd Regulam viris ſcripſerit, & poſteà Sanctimonialibus ex nata occaſione dumtaxat accommodaverit, poſſit lucidè demonſtrari. Et hinc ad Sancti Dionyſii Abbatem non malè ſcripſit Stephanus Tornacenſis Ep. 151. Epiſcopus: *Beato Benedicto Sacræ Religionis Primitias ſanctus contulit Auguſtinus.* Hoc eſt, propagandi Monachiſmi dedit exemplum. Neuter enim induxit novam Monachiſmi ſpeciem; ſed Sancti, quod unicum tunc in Eccleſia, Antonii Inſtitutum novis dumtaxat, & ad ſua tempora & loca accommodatis legibus polierunt & propagarunt. Ex Auguſtini propagine fuit Sanctus Fulgentius. Hinc omnia, quæ intra Africam, & exul in Sardinia fundavit Monaſteria, certum eſt fuiſſe Auguſtinianæ Regulæ. Uti Judaica in Apoſtolos perſecutio plurimùm Eccleſiæ profuit, & fidem ſeminavit per omnem mundum, ità & Wandalica perſecutio Religionem ac Regulam Auguſtinianam. Etenim de Ruffiniano Byzacii Epiſcopo ſcribit in Sancti Fulgentii vita Ferrandus Diaconus, vel quis alius antiquus Doctor: *Epiſcopus quidam Ruffinianus nomine, qui perſecutionis violentiam fugiendo declinans ex Byzaceno Concilio navigarat, Provinciæ Siciliæ vicinus in quadam breviſſima commorabatur Inſula, vitam Monachi laudabiliter gerens.* Utique ædificato iſtic Monaſterio. Dixi: *Vel quis alius.* Etenim in operis præfatione Scriptor ille affirmat ſe in Sardinia ſub exule Fulgentio fuiſſe Monachum: Quod Ferrando Carthaginenſi Diacono videtur non quadrare. Et de Sancto Gaudioſo Aptungenſi Epiſcopo, ac Quodvultdeo Primate Carthaginenſi ſcribit ad Nicolaum ſecundum Pontificem Sanctus Petrus Damiani: *Beatus Gaudioſus Aptungenſis Eccleſiæ, quæ* Lib. 1. Ep. 9. *Africanæ Diœceſis eſt, Cathedram obtinens, Wandalis Africam devaſtantibus, cum Sancto Quodvultdeo ac cæteris Præſulibus fugit, & in Parthenope Civitate Monaſterium condidit.* Loquitur ex Wandalica Victoris Vitenſis Epiſcopi hiſtoria: Lib. 1. *Geizericus Rex memoratæ Urbis Epiſcopum, id eſt, Carthaginis, Deo & hominibus manifeſtum, nomine Quodvultdeus, & maximam turbam Clericorum, navibus fractis impoſitam, nudos atque exſpoliatos expelli præcepit. Quos Dominus miſeratione bonitatis ſuæ, proſpera navigatione Neapolim Campaniæ perducere dignatus eſt Civitatem.* Et hi iſtic Monaſterium conſtruxerunt. Hic eſt ille Quodvultdeus, ad quem Eccleſiæ Carthaginenſis adhuc Diaconum Sanctus Auguſtinus ſcripſit librum de Hæreſibus. Et de Africano Monacho Sancto Donato ſcribit in virorum Illuſtrium Catalogo Sanctus Hildefonſus Archiepiſcopus Toletanus: *Donatus, & profeſſione & opere Monachus, cujuſdam Eremitæ fertur in Africa exſtitiſſe Diſcipulus. Hic violentias Barbararum Gentium, atque ouilis diſſipationem, & gregis Monachorum pericula pertimeſcens, ferè cum ſeptuaginta Monachis, copioſiſque librorum codicibus, navali vehiculo in Hiſpaniam commigravit, qui ab illuſtri Religioſaque fœmina Minchea ſubſidiis ac rerum opibus miniſtratis, Servitanum Monaſterium viſus eſt conſtruxiſſe. Iſte prior in Hiſpaniam Monaſticæ obſervantiæ uſum & regulam dicitur adduxiſſe, tam vivens virtutum exemplis nobilis, quàm defunctus memoriæ claritate ſublimis. Hic & in præſenti luce ſubſiſtens, & in crypta ſepulchri quieſcens, ſignis quibuſdam proditur effulgere ſalutis: Undè & monumentum ejus honorabiliter colere perhibentur Incolæ Regionis.* Eundem Donatum laudat in ſuo Chronico Joannes Abbas Biclarenſis: *Donatus Abbas Monaſterii Servitani, mi-*

rabilium operator, clarus habetur. Claruiſſe affirmat ſub Imperio Juſtini primi. Et ex iſto Servitano Monaſterio prodierunt & plurimi & ſanctiſſimi Hiſpaniarum Epiſcopi, quos inter fuit Sanctus Eutropius Valentinus Antiſtes, quem laudat in virorum Illuſtrium Catalogo Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis Archiepiſcopus, & adjungit: *Scripſit ad Petrum Epiſcopum Italicenſem de diſtinctione Monachorum, ſalubri ſermone compoſitam epiſtolam, & valdè Monachis neceſſariam.* Ad quod Donati Encomium addit Aubertus Miræus: *Donatus ſcripſit Regulam ad Virgines, quam ex vetuſto codice ſuo deſcriptam Canonici Regulares Monaſterii Corporis Chriſti Colonia ad me tranſmiſerunt.* Et edicit iſtius Regulæ exordium: *Sanctis à me plurimùm venerandis Chriſti Virginibus Gautſtrudæ, omnique ſuæ congregationi in Cœnobio, à famula Dei Flavia conſtructo, Donatus.* Ex quo lucet utriuſque ſexus Monaſteria à Sancto Donato per Hiſpaniam fuiſſe diffuſa. Et quis inficietur aut ambigat ipſum fuiſſe Auguſtinianæ Regulæ? Etenim nullos niſi Sancti Auguſtini Monachos tunc noverat Africana Eccleſia. Eutropius floruit ſub Magno Gregorio, quem omnes ſcimus & Benedictinæ Regulæ zeloſiſſimum, & Richaredo Gothorum in Hiſpania Regi, ac ejus Doctori & Directori Sancto Leandro Hiſpalenſi Archiepiſcopo fuiſſe amiciſſimum. Forſitan ille hos ad admittendam iſtam Regulam voluerit inducere, & Sanctus Eutropius, utpotè Servitani Monaſterii nuper Abbas & jam Protector, poſſit pro Sancti Auguſtini Regula interceſſiſſe. Scio has quæſtiones eſſe rixas Monaſticas ac interminabiles genealogias, nec ipſis velim intricari: attamen arrogantiæ non eſt dicere veritatem. Benedictina Regula eſt per Summos Eccleſiæ Patres judicata Monachis aptior quam Auguſtiniana, atque ita plura Sancti Auguſtini per Europam Monaſteria olim obtinuit Sanctus Benedictus. Præſentis, inquam, Synodi tempore nullam Monaſticam niſi Sancti Benedicti Regulam noverat Gallicana, Italica, Hiſpanica, Anglicana, & omnis fermè Europæa Eccleſia. Hinc noſter Canon mandat Monachis victum & veſtitum præberi juxta Regulam Sancti Benedicti.

Ad evellendas quaſvis proprietatis radices addit de Monachis: *Abſque voluntate Abbatis Præpoſituram aliquam non teneant.* Voces, *Præpoſitus ac Præpoſitura*, apud antiquos Monachos habuerunt ſignificationem variam, de qua in data ſuis Canonicis Regula Sanctus Crodogangus Cap. 46. Metenſis Epiſcopus: *Quamvis omnes, qui præſunt, Præpoſiti ritè dicantur, uſus tamen obtinuit eos vocari Præpoſitos, qui quandam Prioratus curam ſub aliis gerunt.* Præpoſitum dicit eſſe illum, quem plura hodie Monaſteria vocant Proviſorem aut Procuratorem. Eodemque modo loquitur in ſua Regula Sanctus Pachomius: Diſtinguit enim Monaſterii Patrem, Monaſterii Principes ſeu Majores, Monaſterii Præpoſitum ac Secun- dum, id eſt, Præpoſiti abſentis aut impediti Cap. 11. Vicarium. Quod ipſum in ſua Regula facit Sanctus Fructuoſus Archiepiſcopus Braccarenſis. Eodem ſenſu loqui videtur vita Sancti Fulgentii: *Fulgentius ſine ſuo conſilio nec eum Fratrem, qui Præpoſiti gerebat Officium, ſinebat aliquid agere.* Lucidè ità loquitur in Sancti Auguſtini vita beatus Poſſidonius. Loquitur de Monaſterio Cleri- Cap. 24. corum. Et hinc lucet aliam Clericis Auguſtini, aliam ejus Monachis fuiſſe regiminis formam, & Regulam his, non iſtis ſcriptam: Ea enim per Præpoſitum intelligit non Procuratorem, ſed ipſum Patrem ſeu Monaſterii Præfectum. In Monaſtica item Regula ſcribit Sanctus Iſidorus Archiepiſcopus Hiſpalenſis: *Ad Præpoſitum pertinet ſollicitudo Monachorum, actio cauſarum, cura poſſeſſionum, ſatio agrorum, plantatio & cultura vinearum, diligentia legum, conſtructio ædificiorum, opus Carpentariorum ſeu Fabrorum.* Omnia temporalia Monaſterii Officia dicit ordinanda à Patre, & ſpectare ad curam Præpoſiti. Etiam ad ſuos Sancti Quintini Regulares Canonicos ſcribit Sanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus: *Ab-* Ep. 32. *bas veſter faciat ſibi Præpoſitum, qui omnia exteriora diſponat.* Et in Auguſtano Sancti Udalrici Monaſterio alium Sveviæ, alium Bavariæ fuiſſe Præpoſitum, teſtatur ejuſdem Eccleſiæ Chronicon: Quòd nempe alter apud Svevos, alter L. 2. c. 2. apud Bavaros ſita Monaſterii bona gubernaret. Uti quædam Eccleſiæ diverſos Archidiaconos, ita magna Cœnobia varios habuere Præpoſitos; Et Monachorum Cœnobia & Clericorum. Eadem in ſignificatione vocem uſurpat prima Aquenſis Synodus. Refert verba ſuperiùs adducta Sancti Crodogangi. Et hunc Præpoſitum leges Juſtiniani appellant Monaſterii Apocriſarium.

Aliter verò in Eccleſiæ ſuæ hiſtoria ſcribit Simeon Monachus Dunelmenſis: *Sanctus Cudber-* L. 4. c. 8. *tus ſucceſſit in Præpoſiti, id eſt, Prioris officium. Nam qui nunc Prior, à Beato Benedicto Præpoſitus Monaſterii appellatur.* Hinc idem Benedictus ei Cap. 21. ſupponit omnes Decanos, quos hodiè dicimus Superiores. Eum ſtatuit ab Abbate cum meliorum Fratrum conſilio eligendum, & proſequitur: *Sæpiùs contingit ut per ordinationem Præpoſiti* Cap. 65. *ſcandala gravia in Monaſteriis oriantur, dum ſint aliqui maligno ſpiritu ſuperbiæ inflati, qui æſtimantes ſe ſecundos eſſe Abbates, aſſumentes ſibi tyrannidem, ſcandala nutriunt, & diſſenſiones in Congregatione faciunt; & maximè in illis locis, ubi ab eodem Sacerdote, vel ab eiſdem Abbatibus, qui Abbatem ordinant, ab ipſis etiam & Præpoſitus ordinatur. Quod quàm ſit abſurdum, facilè advertitur. Quia ab ipſo initio ordinationis materia ei datur ſuperbiendi, dum ei ſuggeritur à cogitationibus ſuis, exutum eum eſſe à poteſtate Abbatis ſui, quia ab ipſis eſt ordinatus, à quibus & Abbas. Hinc ſuſcitantur invidiæ, rixæ, detractiones, æmulationes, diſſenſiones, exordinationes. Et dum contraria ſibi invicem Abbas Præpoſituſque ſentiunt, & ipſorum neceſſe eſt ſub hac diſſenſione animas periclitari, & ii qui ſub ipſis ſunt, dum adulantur partibus, eunt in perditionem. Cujus periculi malum illo reſpicit in capite, qui talibus in ordinatione fecerunt auctores. Ideoque nos prævidemus expedire propter pacis charitatiſque cuſtodiam, in Abbatis pendere arbitrio ordinationem Monaſterii ſui. Et, ſi fieri poteſt, per Decanos ordinetur omnis utili-*

tas

tus Monasterii, prout Abbas disposuerit : ut dum pluribus committitur, unus non superbiat. Quòd si aut locus expetit, aut Congregatio petierit rationabiliter cum humilitate, & Abbas judicaverit expedire, quemcumque elegerit Abbas cum consilio Fratrum timentium Deum, ordinet ipse sibi Præpositum. Tanta in quibusdam Monasteriis erat Prioris seu Præpositi dignitas, ut ipse non minùs quàm Abbas ab Episcopo solemniter benediceretur. Et hinc tanta illi etiam superbia, ut se ab Abbatis potestate exemptum crederet, imò secundum Abbatem. Qua de causa maluit Sanctus Benedictus sua Monasteria carere Præpositis & variis per ipsos disciplinæ periculis, ac regi per solos Abbates ac Decanos. Permisit tamen arbitrio Abbatum. Et hunc articulum innovat, ac servari mandat Moguntina sub Carolo Magno Synodus : *Decrevimus, sicut sancta Regula dicit, ut Monasterium, ubi fieri possit, per Decanos ordinetur, quia Præpositi sæpè in elationem incidunt, & in laqueum Diaboli.* Quam formam etiam in Ægypti Monasteriis fuisse servatam, scribit ad Eustochium Sanctus Hieronymus.

Cap. 11.

Ep. 22. c. 15.

Et ex his intelligimus varia Patrum ac Synodorum obscuriora loca. In primis Sancti Gregorii Epistola ad Agnellum, quem vulgata Epigraphe perperam appellat Episcopum, Abbatem Ariminensem : *Dicimus quòd Dilectio tua Præpositum non habens, omninò in regendis fratribus elaboret. Si ergò qui vos in ordine sequitur, talis est ut circa cellæ ordinationem, Fratrumque custodiam, nec non & in lucrandis animabus solers valeat inveniri, is debet ad hunc locum incunctanter accedere. Si verò talis non est qualem locus reposcit, de quolibet etiam ultimo gradu, si talis inter fratres fuerit repertus, hujus non locus, sed utilitas profectò est prævidenda.* Episcopos Gregorius ac omnes semper Romani Pontifices, *non vestræ Dilectionis, sed vestræ fraternitatis* titulo semper honorarunt. Et isto tempore Castorium Episcopum semper infirmum habebat Ariminensis Ecclesia, ac ejus loco visitatorem Leontium Episcopum Urbinatem, atque ità constat Agnellum fuisse Abbatem. Et Episcopos aut Clericos esse simul Abbates numquam permisit, sed sanctissimè semper Gregorius interdixit. Agnellus itaque Sancti Patris Benedicti secutus consilium, noluit habere Præpositum, sed per Decanum aut Decanos rexit suum Monasterium. Verùm quia onus superabat, aut certè fatigabat ejus vires, Præpositum assumi jussit Pontifex : Et hoc non juxta ætatis, sed juxta meritorum ordinem ac idoneitatis. Præposito affirmat incumbere ordinationem cellæ, Fratrum custodiam, lucrandarum animarum zelum, Fratribus dandum omnis virtutis exemplum : Quæ omnia lucidè sunt officium Prioris. Lucidè Gregorius loquitur ex Sancti Benedicti Regula, atque ità lucet ipsam tunc in omnibus Italiæ Monasteriis habuisse vim Canonis, ac solam viguisse. Eodem sensu secunda Turonensis Synodus duos in eadem cella habitare, aut in eodem lecto decumbere Monachos vetat, & adjungit : *Schola labore communi construatur, ubi omnes jaceant aut Abbate aut Præposito gubernante.* A Monasterii septis item mandat arceri mulieres, & denuò subjungit : *Si Abbas in hac parte aut Præpositus negligens apparuerit, excommunicetur.* Utrumque hoc officium manifestè spectat ad Priorem. Et Sancti Leodegari Augustodunensis Episcopi Monachales Canones habent : *Monachi Abbati suo ac Præposito sint obedientes.* Et iterùm : *Quisquis hæc dictata tentaverit aliqua transgressione cassare, si Abbas est, annò uno ei communionis potestas suspendatur, si Præpositus, annos duos.* Edicit Præpositum Monasticæ disciplinæ post Abbatem esse custodem, ideoque eundem cum hodiernis Prioribus. Et in directis ad Monachos Capitulis Carolus Magnus commendat exhibendam Abbati reverentiam, & subjungit : *De Decanis & Præpositis, ut eorum mutatio secundùm Regulam fiat.* Ubi Sancti Benedicti Regulam denuò antonomasticè appellat Regulam. Et Aquensis Abbatum sub Ludovico Pio conventus : *Præpositus intra & extra Monasterium post Abbatem majorem reliquis Abbatis subditis habeat potestatem. Senior Decanus reliquis Decanis præponitur, & Abbate vel Præposito præsente proprium locum teneat. Ut Abbas, Præpositus, vel Decanus, quamvis Presbyteri non sint ; Lectoribus benedictionem tribuant.* Per Præpositum Prior, per Decanum intelligitur Supprior. Et idem Conventus quandoque habebat plures. Nam & hodiè quidem habent plures Priores : Magnum, & secundum, & tertium, & quartum. Primus est Præpositus, alii sunt Decani. Et hinc etiamnum hodiè solus primus habet ubique, etiam præsente Abbate, suæ dignitatis locum, aliorum senior non nisi Abbate ac magno Priore absente. Eis præsentibus, recedit ad locum suæ professionis. Pomposa tot Priorum gradus & nomina peperit posteriorum sæculorum humanus dies : Sunt tamen antiqua. Etenim de Guilielmo Sancti Carilefi Monacho scribit Simeon Dunelmensis : *Primò Prior Claustri, deindè secundus ab Abbate, Major scilicet Prior constituitur.* Prior Claustri fuisse tunc videtur senior seu primus Decanorum. Sancti Benedicti Ordo hodiè Pachomiano more Œconomum appellat Præpositum. Excipe Monasteria perpetuò commendata : Hæc titulum istum avito more dant Priori.

Cap. 14.

Cap. 16.

Cap. 31.

Cap. 55.

Cap. 62.

F. 4 c. 1.

Verùm de neutra Præpositorum specie statuit hic noster Canon. Præter Abbatias ac solemnes Monachorum Conventus olim fuerunt, ac etiamnum sunt conventiculi, quos Patres & Canones vocant Abbatiolas, Cellas, Obedientias, Gangrias, Prioratus, Præposituras. Dependent ab Abbatia, sicut membra à capite : Et ipsorum Præfectus semper debuit esse manualis ad nutum Abbatis, & illi obligatus ad rationes. Apud quosdam titulatur Prior, apud quosdam Præpositus : Nam Sancti Benedicti Regula hos titulos confundit. Hinc intellige quid apud antiquos Monasticarum rerum Scriptores sint Prior & Monachi Obedientiarii, quid Claustrales : Hi ipsam Abbatiam incolunt, isti Obedientias seu Cellas. Habuerunt semper propria, & à principali Conventu divisa bona, atque ex illis obligantur alere fratres certo numero, facere Divina

Divina quotidie Officia, & in incolas ac peregrinos pauperes consueta opera charitatis. Ea Abbas augere poterat, non diminuere, nec suæ mensæ applicare. Quidam olim studebant bonorum augmento, atque ità adspirabant suo tempore erigi in Abbatiam : Quibusdam Fundator hanc conditionem apposuerat. Laxata disciplina hosce Conventiculos redegit in solitudinem, & quasi in carceres aut insulas, in quas Abbates invisos sibi Monachos detrudebant. Et hinc natus est alius abusus, in quem statuit apud Guilielmum Malmesberiensem Sanctus Anselmus. *Ne Monachi teneant villas ad firmam.* Et apud Rogerium Hovedensem Successor ejus Hubertus: *Prohibemus ne Monachi reditus, quos Obedientias vocant, teneant ad firmam.* Et in Oxoniensi Synodo ejusdem Sedis Antistes Stephanus : *Monachus Ecclesiam vel Monasterium, vel quodlibet prædium Ecclesiæ suæ non audeat retinere ad firmam.* Et ad Auxitanum in Gallia Archiepiscopum scripsit Innocentius tertius : *Ad audientiam nostram noveris pervenisse, quòd Monachi, Canonici, & alii Regulares tuæ Provinciæ, cùm deberent in Claustro potiùs juxta Regularia Constituta divinis obsequiis vigilare, de Obedientiis acreditibus, quorum curam gesserunt, pecunia congregata, Claustrum abhorrentes, per Curias Principum & Potentum discurrere non verentur.* Mandat illos compesci, spoliari ipsis pecuniis, ipsaque redigi in usum communem. Exstat Epistola apud Gregorium nonum. Præfatas igitur vacuas Cellas seu Præposituras Abbates elocabant suis Monachis, atque ita Simoniam committebant, fovebantque proprietatem ac inobedientiam. Conductor enim Monachus gerebat se, non ut manualem,

Fol. 756. Fol. 228.

L. 1. tit. 31. cap. 7.

sed ut firmum ac immobilem, & tam quoad administrationem, quàm ejus resignationem dependere nolebat à voluntate Abbatis. Et hunc abusum noster Canon abolet & circumscribit.

At ecce hinc humana iniquitas invenit aliam artem, adversùs quam scribit ad Ucetiensem Episcopum laudatus Innocentius : *Ad nostram audientiam pervenit, quòd quidam Canonici Nemausensis Ecclesiæ à nobis litteras confirmationis super administrationibus suis obtinere laborant, Religionis suæ conditione suppressa.* Nemausensis enim Ecclesia erat tunc Regularis. Et in aliis ad nescio quem Abbatem litteris : *Porrecta nobis ex parte tua petitio continebat, quòd plures ex Religiosis, qui Prioratibus vel aliis administrationibus præsunt, à nobis super ipsis quoad vixerint possidendis confirmationis litteras se asserunt impetrasse.* Et Monachi & Regulares Clerici, quòd Cellas aut Præposituras à suis Abbatibus aut Episcopis deinceps conducere, & ad vitæ finem firmi retinere non possent, firmitatem istam ab Apostolica Sede flagitabant, & quandoque impetrabant : & quidem suæ professionis qualitate suppressa. Omnes istiusmodi gratias esse subreptitias, communis vitæ professioni ac paupertatis voto substantialiter adversas, ideoque nullas declarat Pontifex, & ab omnibus exsufflandas. Exstant ambæ litteræ apud laudatum Gregorium. Quæ omnia insigniter confirmavit atque innovavit sancta Tridentina Synodus, sanciens nulli Regulari, cujuscumque conditionis fuerit, bona stabilia posse à Superioribus concedi in usumfructum, usum, administrationem, aut Commendam.

Lib. 2. tit. 30. c. 5. 6.

Sess. 25. cap. 2.

CANON VII.

PLacuit quoque Presbyteros, Diaconos, & reliquos Clericos, qui Ecclesiasticos tenuerint honores, abstinere omnimodis ab uxoribus, vel reliquis mulieribus. Quod si non fecerint, honore simul & officio priventur, & à propriis Episcopis excommunicentur.

SCHOLION.

HInc lucet quod Sancti Leonis noni adversùm conjugatos Clericos Decreta extendere ad Ultramontanos primus non cœperit Gregorius septimus. Factum hic vides etiam à Victore secundo. Et quidem istud, quod excommunicatione in Laico castigare consuevit Ecclesia, crimen sola degradatione in Episcopo aut Clerico passim castigavit. Crimen, ob quod Clericus & degradetur & excommunicetur, immane semper esse debuit atque horrendum. Quam disciplinam & vulgares Apostolorum Canones, & in canonicis suis Epistolis laudant Sanctus Basilius, fundantes se in exemplo Divinæ clementiæ, quæ idem crimen non castigat bis in idipsum. Nihilominus sacrorum Clericorum sacrilega conjugia utroque gladio percussit hæc Synodus : Adeò laudatus Pontifex fuit ipsa detestatus. Verùm modico fructu : Sancti enim hujus operis adimpletio laudato Gregorio per divinam providentiam servabatur. Et hinc præsentem Canonem moderatus plurimùm est Nicolaus secundus. Quòd fœdis istis maritis solam suspensionem inflixerit, atque hac clementia castitatem reddere sit conatus, infrà patebit.

CANON VIII.

INter hæc quoque placuit noxios diverſorum ſcelerum diverſis ſententiis refrænari. Et quia audivimus quoſdam Laicorum nefario auſu res Eccleſiaſticas ſuis uſibus applicuiſſe, & injuſto Dominio in ſuum opus retinuiſſe, idcircò omnimodis prohibemus, ut nemo Laicorum Abbatiam Monachorum, vel Clericorum Archidiaconatum, neque Præpoſituram, vel honorem Presbyterii, vel Sacriſtæ, ſeu Magiſtri Scholæ, neque ullos honores ad jus prædictum pertinentes auſit ſuis uſibus retinere. Et ſi fecerit, excommunicationi ſubjaceat.

SCHOLION.

UTi Carolus Martellus, & quidam poſt ipſum Reges, Duces & Comites Epiſcopatus, Abbatias, ipſarum Cellas, & alia pinguiora Sacerdotia, ita inferiores Proceres ac Pagorum etiam Domicelli Archidiaconatus, Parochiales Eccleſias, & alia id genus beneficia violenter iſto ſæculo redigebant in ſuam ſervitutem atque utilitatem, ſibi aut ſuis filiis tradebant in Commendam, & utebantur tanquam propriis: Præſertim illis, quorum ipſorum Majores ferebantur fuiſſe Fundatores. Exemplis variis hoc ſuprà oſtenſum eſt, & ſuo adhuc loco oſtendendum. Hæc igitur ſacrilegia præſens Canon proſcribit & damnat.

CANON IX.

PRæcipimus quoque ut nullus Laicorum aliquid ſuſcipere audeat de rebus aut ſubſtantiis defunctorum, niſi quantum ipſi defuncti, adhibitis idoneis teſtibus, in vita ſua ordinaverint: Aut ſi inteſtati obierint, ad libitum propinquorum hæredum dividantur.

SCHOLION.

FIlios in parentum bona ſuccedere & natura mandat & jus gentium. At verò in extraneos teſtandi, legandi, aut per quamvis ultimam voluntatem de ſuis bonis diſponendi facultatem Gentiles Romanorum Principes cenſuerunt eſſe ſuum beneficium. Mors enim aufert dominium, & decedentium bona devolvit in communem mundum, ideoque Principis eſt de ipſis arbitrari & ordinare. Apud plures Barbaras Gentes nullum fuit jus extremæ in extraneos voluntatis. Et ità etiamnum eſt apud noſtros in Belgio Geldrienſes. Et hinc tam Chriſtiani quàm Gentiles Romanorum Imperatores iſtud jus ſuis populis dederunt ſub variis conditionibus, & quædam ob crimina ipſo privaverunt. Scribit Nicephorus Calixtus: *Antoninus Pius, abrogata veteri Caii Julii Cæſaris lege, qua Senatorio viro de bonis ſuis teſtari non permiſerat, niſi dimidiam eorum partem, qui pro tempore futurus eſſet, Principi relinqueret, omnibus per conſtitutionem dedit liberam poteſtatem de facultatibus ſuis ita ut vellent diſponendi.* Et conditionum unam prodit in Neronis Auguſti vita Sveto-
Lib. 3. cap. 31.
nius Tranquillus: *Nero inſtituit ut ingratorum in Principem teſtamenta ad fiſcum pertinerent, & ne impunè eſſet ſtudioſis juris, qui ſcripſiſſent ea vel dictaſſent.* Et in Antonini Philoſophi vita Julius Capitolinus: *Leges addidit de vigeſima hæreditatum.* Et de Antonino Heliogabalo Ælius Spartianus: *Ad vigeſimam hæreditatum Mulionem curare juſſit.* Ex quo fonte Nicephorus iſta hauſerit, ignoro: Iſtius ſanè per Julium Cæſarem in Senatores inducti, aut per Antoninum Pium exſtincti oneris nemo Romanæ Hiſtoriæ authenticus Scriptor meminit. Et ſtatim adducenda aliud demonſtrabunt. Quidquid ſit, firmato Auguſti Octaviani Imperio omnis ſtatim populus cœpit adeò adulari, ut ſcribat memoratus Svetonius: *Nonnulli Patrum familiarum teſtamento caverunt, ut ab hæredibus ſuis, prælato Victimæ titulo, in Capitolium ducerentur, votumque pro ſe ſolveretur, quòd ſuperſtitem Auguſtum reliquiſſent.* Et exinde invaluit mos, quo quiſque moriens Principem legato aliquo atque elogio honoraret. Hinc de defuncta Junia, Caſſii uxore, ſorore Marci
Lib. 6. cap. 32.
Cap. 11. Cap. 12.
Lib. 2. cap. 59.

Bruti, ſcribit in Annalium libris Cornelius Tacitus: *Teſtamentum ejus multo apud vulgus rumore fuit. Quia in magnis opibus cùm fermè cunctos Proceres cum honore nominaſſet, Cæſarem omiſit. Quod civiliter acceptum: Neque prohibuit quo minùs laudatione pro roſtris, cæteriſque ſolemnibus funus cohoneſtaretur.* Multus erat rumor in populo, timebaturque Tiberius Juniam uti ingratam funebribus honoribus privaturus: Quòd nempe conſuetum tunc honoris morem idonea perſona in ſuo teſtamento non ſervaſſet. Et iſtum morem Nero in legem redegit, legatum iſtud non poſſe eſſe vigeſima hæreditatis parte minus definivit Antoninus Philoſophus, & iſtis vigeſimis colligendis ordinavit Præfectum & Curatorem. Erat officium honoratum: Hinc notatur fœdus Heliogabalus, quòd ipſo Mulionem donaſſet. Ex quo lucet Neronis legem à nullo Succeſſore fuiſſe circumductam. Circumduxiſſe tandem videtur magnus Conſtantinus: Nullus enim Chriſtianus Imperator legitur uſus iſto jure. Et neque in Theodoſiano, neque in Juſtinianæo Codice eſt ulla ipſius memoria.

Adulatrix Gentilitas dicto legati honore paſſim non fuit contenta. Romanorum plurimi Principem ſcripſerunt vel nuncuparunt hæredem. Adeò mos iſte invaluit, ut de reducto ad inopiam, ideoque ad rapinas converſo Imperatore
Lib. 4. c. 38.
Cajo Caligula ſcribat Svetonius: *Teſtamenta Primipilarium, qui ab initio Principatus Tiberii neque illum neque ſe hæredem reliquiſſent, ut ingrata reſcidit. Item cæterorum ut irrita & vana, quoſcumque quis diceret hærede Cæſare mori deſtinaſſe. Quo metu injecto, cum jam & ab ignotis inter familiares, & à parentibus inter liberos palàm hæres nuncuparetur, deriſores vocabat, quòd poſt nuncupationem vivere perſeverarent. Et multis venenatas macteas miſit.* Et aliis inſuper modis occidit. Pergit idem Scriptor de Imperatore Domitiano:
L. 12. c. 12.
Confiſcabantur alieniſſimæ hæreditates, vel exiſtente uno, qui diceret audiſſe ſe ex defuncto, cum viveret, hæredem ſibi Cæſarem eſſe. Ad Principem ex nuncupativo teſtamento probandum hæredem volebat ſufficere unicum teſtimonium. Simili tyrannide uſi fuiſſe videntur & quidam Chriſtiani Imperatores, adversùm quos in ſcripta ad Conſtantinopolitanum populum & omnes Provinciales Lege ſanxerunt Honorius ac Theodoſius ſecundus: *Nolumus convelli deficientium ſcriptas jure ac ſolemniter voluntates, dum quoddam morientis ſupremum, & non adſcriptum proceſſiſſe confirmatur arbitrium, tanquam Patrimonium ſuum ad nos deficiens maluerit pertinere. Omnibus enim privatis & militantibus interdicimus, ne hujuſmodi perhibeant teſtimonia, & falſi criminis reos teneri præcipimus, ſi cum ſcriptæ jure ac ſolemniter deficientium exſtiterint voluntates, non ſcriptum aliquod ſub noſtrorum nominum mentione falſo adſtruere moliantur.* Exſtat lex in Codice Theodoſiano.
Lib. 4. tit. 4. c. 5.
Per ejuſdem tituli ſecundam, Proculo Urbis Præfecto ſcriptam, legem Valentinianus ſecundus ac Theodoſius Magnus ſibi aliquid per Epiſtolam aut Codicillum legari, quod in privatos beneficium omninò valebat, prohibent, & quoad alias cum legitimis ſolemnitatibus ſcriptas aut nuncupatas in ſui favorem extremas voluntates ſanciunt ſe nullo frui privilegio, ſed populo eſſe pares. Adducta junioris Theodoſii lex eſt multo benignior. Etenim ſcriptum teſtamentum non ſolùm alio poſteriori ſcripto, ſed etiam, ſi quidem ſua forma conſtiterit, nuncupativo teſtamento ſtatuit revocari atque caſſari. At verò in ſui favorem nec unico nec centum teſtibus credi hic voluit optimus Princeps, nuncupativo teſtamento nullum permiſit eſſe locum. Omnem qui deinceps pro tali teſtamento teſtis juraſſet, tractari voluit ut perjurum: Quia nempe anteà quidam adulatione pejeraverant. Hanc legem ſuo Codici inſeruit etiam Imperator Juſtinianus, verùm temperatam, ac reductam ad juris communis terminos. Cenſuit Principem in hoc puncto non oportere eſſe iniquioris conditionis quam privatos. Redeamus ad Gentiles Auguſtos. Memoratum ipſos inſtituendi morem probat etiam factum Nobilis viri Lucii veteris, de quo per Neronem ad mortem damnato ſcribit in ſexto decimo Annalium libro Cornelius Tacitus: *Nec defuere qui monerent magna ex parte hæredem Cæſarem nuncupare, atque ita nepotibus de reliquo conſulere. Quod aſpernatus: Ne vitam proximè libertate actam noviſſimo ſervitio fœdaret.* Cap. 11.
Nobilem virum Agricolam tanti fecit idem Scriptor, ut ſingularem de ejus vita libellum nobis reliquerit. Etiam ab ipſo teſtatur exoſum Domitianum ex æquo cum uxore & filiis ſcriptum hæredem, & adjungit de Tyranno: *Satis conſtabat lecto teſtamento Agricolæ, quo cohæredem optimæ uxori & piiſſimæ filiæ Domitianum ſcripſit, lætatum eum velut honore, judicioque. Tam cæca & corrupta mens aſſiduis adulationibus erat, ut neſciret à bono patre non ſcribi hæredem, niſi malum Principem.* Et de Commodo Imperatore, multos per calumniam trucidante, ſcribit Ælius Lampridius: *His, quibus deerat falſi criminis oppoſitio, objiciebatur quod ſcribere voluiſſent Commodum hæredem.* Et utique non ſcripſiſſent. Ex quibus liquet inſtitutiones iſtas fuiſſe omninò adulatorias atque extortas. Cap. 43. Cap. 5.

Et hinc in Octaviani Auguſti laudem ſcribit Svetonius: *Quamvis minimè appeteret hæreditates, ut qui nunquam ex ignoti teſtamento capere quidquam ſuſtinuerit, amicorum tamen ſupremas judicia moroſiſſimè penſitavit, neque dolore diſſimulato, ſi parciùs, aut citra honorem verborum, neque gaudio, ſi gratè pieque quis ſe proſecutus fuiſſet. Legata vel partes hæreditatum à quibuſcumque Parentibus relicta ſibi, aut ſtatim liberis concedere, aut ſi pupillari ætate eſſent, die virilis togæ vel nuptiarum, cum incremento reſtituere conſueverat.* Lib. 2. c. 66.
Et in rectum adhuc agentis Domitiani laudem: *Relictas ſibi hereditates ab iis, quibus liberi erant, non recepit.* Etiam Tiberium Imperatorem in Annalium libris laudat Cornelius Tacitus: *Hæreditatem cujuſquam non adiit, niſi cum amicitia meruiſſet. Ignotos, & aliis infenſos, eoque Principem nuncupantes, procul arcebat.* Quidam enim, ne bona ſua ad malè ſibi viſos hæredes tranſirent, inſtituebant Principem, ſperantes de hujus adverſùm iſtos potentia. Et de Adriano Imperatore ſcribit Ælius Spartianus: *Ignotorum hæreditates repudia-*
Lib 12. c. 9. Lib. 2. c. 48.
Cap. 15.

pudiavit, nec notorum accepit, si filios haberent. Quod ipsum de Antonino Pio, & Antonino Philosopho scribit Julius Capitolinus. Et de pertinace Augusto: Cap. 7. *Legem tulit, ut testamenta priora non prius essent irrita, quàm alia perfecta essent, neve ob hoc Fiscus aliquando succederet. Ipseque professus est nullius se aditurum hæreditatem, quæ aut adulatione alicujus delata esset, aut lite perplexa, ut legitimi hæredes & necessariis privarentur.* Cap. 7. *Addiditque Senatusconsulto hæc verba: Sanctius est, Patres Conscripti, inopem Rempublicam obtinere, quàm ad divitiarum cumulum per discriminum atque dedecorum vestigia pervenire.* Ex quibus lucet omnes has institutiones fuisse captatas ab avaris Principibus, ideoque fuisse populi expilationes atque rapinas. Hinc item lucet, quod litigiosa bona Regio Fisco, aut etiam, quod hinc inde consuevit, Ecclesiæ legare, atque ita suo competenti suscitare adversarium irrefragabilem, sit facinus non tantùm ab Ecclesiastica pietate aut Christiana charitate, sed etiam à Pagana justitia alienum.

Et dictis rapinis non contenti quidam Impeperatores, aliis insuper artibus in hæreditates sunt grassati. Quomodo enim Caius Caligula, Nero, Domitianus, atque Antoninus Commodus authentica testamenta ex frivolis causis exsufflarint, jam audivimus. Hinc processit & ista, per Pertinacem cassata, lex quæ jam perfectum testamentum per alterius inchoationem irritabat, atque ita hæreditatem istam devolvebat ad Fiscum. Quin & de Cæsare Augusto, quòd illustris viri Titi Vinii testamentum ob opum magnitudinem cassarit, atque in Fiscum transcripserit, scribit in primo Historiarum libro Cornelius Tacitus. Ex quo fonte processit & multa Cap. 48. in Christianos carnificina. Etenim quod Galerius Maximinus, non propter fidem, sed propter opulentorum patrimonia moverit nobis persecutionem, testatur in Ecclesiastica Historia Anastasius Bibliothecarius. Quod ipsum de Licinio Augusto asseverat in magni Constantini vita Eusebius Cæsariensis Episcopus, addens ipsius rapinas fuisse Martyrum hæredibus, aut ubi illi deficerent, Ecclesiis à laudato Con- Lib. 2. c. 21. 35. 36. stantino restitutas.

Malum profecit etiam ad quosdam Christianos Imperatores. Etenim de Arcadio Augusto, uxore ejus Eudoxia, ac reducto ad Cathedram Sancto Joanne Chrysostomo scribit Zozymus: Lib. 5. *Joannes reversus eadem tractabat, consimiles in Urbe tumultus excitati.* Utique concionando in vitia Imperatricis. *Calumniatorum verò natio magis, quàm antehac unquam, velut inundans, & Eunuchos Aulicos perpetuò stipans, si quis opulentus vita decederet, ejus facultates nuntiabat, quasi nulli liberi vel cognati exstarent. Hinc Rescripta Principis adferebantur, quibus hujus patrimonium illi vendi jubebatur. Simul hæreditates illis cedebant qui eas petiverant, adstantibus interim liberis, & parentes cum gemitu implorantibus. Denique simpliciter nihil erat quod non lamentis impleret oppida, cuivis municipi detrimentum præter rationem afferens. Nam cum Princeps extremè stolidus, conjux ejus suprà sexum arrogans, & insatiabili avaritiæ, tum Eunuchorum, tum familiarium sibi mulierc ularum, quæ maximè huic imperabat, undique addicta esset, vitam omnibus acerbam reddebat, adeò quidem ut modestis hominibus morte nihil esset optabilius.* In hocce vitium declamabat Sanctus Joannes, ideoque meruit deportari denuò, ac in ærumnis mori. Scio Zozymum esse in omnes Christianos Imperatores maledicum Paganum, ideoque non solùm Arcadium & Eudoxiam de stoliditate & avaritia, sed & laudatum Joannem de tumultibus ab ipso argui: Hac tamen in parte adstipulatur ei in Sancti Epiphanii vita Polybius Rhinocururæ Episcopus, affirmans nobilis, improlis, ac delati, sed nondum auditi, longè minùs damnati, in Cypro viri Faustiniani hæreditatem fuisse invasam ab Arcadio: Et de invaso Callitropes viduæ agro nota est Historia. Quòd interim à laudato Epi- Cap. 58. phanio correptus Arcadius Faustiniani viduæ reddiderit omnia, addit laudatus Polybius. Et rara sunt in Christianis Imperatoribus similia rapacitatis exempla.

Verùm Barbari, qui Romanum posteà laceraruntImperium, Reges resumpserunt ista omnia, & facti Christiani quædam retinuerunt. Etenim de Charegisilo Sigeberti Francorum Regis Secretario, scribit Sanctus Gregorius Turonensis Episcopus: *Charegisilus fuit levis opere, gravis cupiditate, competitor rerum alienarum, testamentorumque effractor, cui talis fuit vitæ exitus, ut non mereretur voluntatem propriam morte imminente complere, qui aliorum voluntates sæpè destruxerat.* Fuit enim à sicariis infeliciter trucidatus. Et in quintæ Parisiensis Synodi confirmatorio Edicto statuit Clotharius secundus: *Cuicumque defuncto, si intestatus decesserit, propinqui absque contrarietate Judicum in ejus facultate juxta legem succedant.* Legem utique Romanam. Nempe intestatorum hæreditates sibi Judices rapuerant, aut fuerant partiti cum Regio Fisco. Nec violentia fuit tunc plenè exstincta, aut sanè posteà revixit. Etenim de Hincmaro Remensi Archiepiscopo scribit in ejusdem Ecclesiæ Histo- Lib. 3. c. ria Presbyter Flodoardus: *Hincmarus Amalberta illustri Comiti scripsit pro injustitia, quam audierat eum in suo perpetrasse judicio, exigendo res cujusdam interfecti ab eo, qui secundùm commendationem ipsius eas in illius eleemosynam distribuerat, perhorrescens quòd Christianus & moriturus admittere talia non expaverat, timens Dei futurum judicium.* Quispiam ex lethali vulnere defunctus nuncupativo testamento instituerat pauperes, & piam hanc voluntatem amico suo commiserat exequendam, qui & fuit executus. At ecce Amalbertus Comes interceptit, exsuflavit testamentum istud, defunctum tractavit uti intestatum, & pium executorem compulit ad restituenda omnia, quæ manus pauperum deportaverant in Cœlum. Facinus istud non solùm divinis ac humanis legibus, sed etiam suorum Regum Capitularibus adversari clamavit Hincmarus, atque ita lucet, non Clotharium dumtaxat, sed etiam Carolum Magnum ac ejus Successores ad evertendam istam barbariem fuisse compulsos.

Etiam

Etiam apud Britones grassata fuit iniquitas. Etenim ipsorum Ducem Nomenoium, quòd *Nobilium hæreditates auferret*, arguit Landrannus Archiepiscopus Turonensis, & cum ipso celebrata ibidem quarta Synodus. Istius item successorem & filium Salomonem per ipsius Episcopos de variis excessibus admoneri jussit Tullensis apud Saponarias Synodus, quos inter & hic fuit: *Ut proprietates à parentibus relictas, vel quolibet modo rationabiliter acquisitas, justos possessores habere permittat.* Aliam adhuc rapacitatis speciem fuisse istic grassatam refert in litteris ad Honorium secundum Sanctus Hildebertus Archiepiscopus Turonensis: *Usque in* Namnetensis Concilii *diem hujusmodi consuetudo in terra Comi-* Epist. 65. *tis exstiterat, ut decedente marito vel uxore, universa decedentis mobilia in proprietatem Potestatis transirent.* Potestas apud Britones & quosdam Francos est oppidi Præfectus aut pagi. Abusum exstinxit Hildebertus in laudato Concilio, Comes & ejus Proceres solemniter abjurarunt, & omnia laudatus Pontifex Apostolica auctoritate Epist. 66 confirmavit. Longè fœdior fuit quorumdam præsertim Germanorum consuetudo, quæ cuncta penes defunctum peregrinum reperta mobilia transcribebat in potestatem Cauponis. Eam damnavit Honorius tertius Pontifex, & Imperator Fredericus secundus.

Eandem iniquitatem viguisse in Anglia, docent apud Joannem Bromptonum Abbatem Jornalensem leges Canuti Regis: *Siquis ex hac vi-* C. 7. *ta decedat sine distributione rerum suarum, vel per incustodiam, vel per mortem improvisam, non usurpet sibi Dominus ejus de pecunia sua, nisi quantum ad justam relevationem pertinet, quæ Anglicè dicitur Heeregelt, sed sit secundùm dictionem ejus ipsa pecunia rectè divisa, uxori, pueris, & propinquis, unicuique secundùm modum, qui ad eum pertinet.* Faciendæ per hæredem relevationis impensas præfigit, ac pergit: C. 100. *Persolvat omnis vidua relevationem suam infrà duodecim menses sine forisfactura, si non possit anteà.* Guilielmi Lambardi versio est clarior: *Si quis incuria, sive morte repentina fuerit intestatò mortuus, Dominus tamen nullam rerum suarum partem, præter eam quæ jure debetur Hæreoti nomine, sibi assumito, verùm eas judicio suo uxori, liberis, & cognatione proximis, pro suo cuique jure, juste distribuito.* Itaque usque ad undecimi, quo regnavit Canutus, sæculi exordium Rex aut alius directus Dominus cuncta defuncti per negligentiam aut repentinam mortem sine testamento Vasalli mobilia invadebat, excludens etiam uxorem & liberos. Hinc enim præfatur laudatus Rex: *Hæc* C. 66. *est alleviatio, quam omni populo meo providere volo, in quibus omninò nimis fuerant gravati.* Et est hæc omninò iniquitas, adversùs quam in Gallia grassantem statuit Rex Clotharius, & declamavit Metropolita Hincmarus.

Guilielmi Rufi in Anglia Regis iniquitas fuit longè major, de qua Henricus Archidiaconus Huntindonensis: *Guilielmus omnium hæres esse studebat.* Quod ipsum iisdem verbis testatur Henricus Cnyghtonus. Ejus frater & successor Hen- L. 7. L. 2. C. 7. ricus primus circumduxit ejus violentias, Re-

gnoque reddidit avitas libertates, inter quas apud Richardum Hugustaldensis Monasterii Priorem in libro de Bello Standardico habentur hi articuli: *Si aliquis Baronum meorum, vel Comitum, sive aliorum qui de me tenent, mortuus fuerit, hæres suus non redimat terram suam, sicut faciebat tempore fratris mei, sed legitima & justa relevatione relevabit eam. Similiter homines Baronum meorum legitima & justa relevatione relevabunt ter-* A. 1135. *ras suas de Dominis suis.* Plures habet istiusmodi articulos, & concludit: *Si quis pro hæreditate sua aliquid pepigit, illud condono, & omnes relevationes, quæ pro ratis hæreditatibus pactæ erant. Et si quis Baronum vel hominum meorum infirmabitur, sicut ipse dabit vel dare disponet pecuniam suam, ità datam esse concedo. Quòd si ipse præventus vel armis vel infirmitate, pecuniam suam non dederit, vel dare disposuerit, uxor sua, sive liberi, aut parentes & legitimi homines ejus eam pro anima ejus dividant, sicut melius eis visum fuerit.* Eadem scribit Matthæus Parisiensis, & ad ipsa præfatur: *Henricus promisit emendationem legum, quibus oppressa fuerat Anglia tempore patris sui, & fratris nuper defuncti.* Hac arte seniorem fratrem suum A. 1100. Robertum, in terra Sancta militantem, excludit à Regno. Quocirca non solùm Guilielmus Rufus, sed etiam ipsius Pater Guilielmus Conquæstor decedentium suorum vasallorum invasit mobilia, feuda non relevari tantùm jussit, sed de manu sua etiam redimi, & quasi de novo vendi. Omnem antiquorum Regum, quam Canutus Rex correxerat, in suorum Feudalium hæreditatem ac testamenta violentiam resumpserunt. Ipsamque denuò correxit & abjuravit Henricus primus, reddens legem Regis Eduardi, id est, legem laudati Canuti noviſſimè confirmatam à Rege Eduardo. Nempè Guilielmus Conquæstor Anglorum Proceres habebat suspectos: Hinc fero isto jugo censuit domandos. Violentiam resumpsit ejus ex filia nepos, & post Regem Stephanum successor Henricus secundus. Etenim inter septem articulos, quos in ipsius regimine corrigendos suasit nobilis in Normandia miles Philippus de Estrebi, *Quartus fuit de* A. 1192. *ablatis hæreditatibus restituendis.* Exstat apud Joannem Bromptonum.

Idem Scriptor refert ac laudat ab illius filio & successore Richardo, dum ad sacrum Bellum proficisceretur, pro sua & parentum suorum æterna salute remissam antiquam servitutem, & statutum fuisse: *Quòd omnis naufragus, qui ad terram vivus pervenerit, omnes res suas liberè habeat & quietè; si autem in navi mortuus fuerit, filii vel filiæ, fratres aut sorores ejus res suas habeant, secundùm quod ostendere poterunt se esse propinquiores hæredes illius. Et si defunctus filios vel* A. 1190. *filias, fratres aut sorores non habuerit, habeat Rex Catalla.* Anteà igitur Rex excludebat etiam filios & fratres. Certè nullo justitiæ fundamento. Nec etiam nepotes, consobrinos, aut alios consanguineos excludi permisit justitia, atque ità Richardus Rex plenam non meruit laudem. Exstat ibidem alia ejusdem necnon & Ludovici Francorum Regis de Sacrorum militum testamentis constitutio: *Reges sanxerunt, quòd omnes*

omnes Peregrini, qui in via hujus peregrinationis morerentur, de omnibus armaturis suis, equitaturis & vestibus, quibus usuri erant, disponerent. Et de medietate possessionum suarum, quas in via secum habent, pro arbitrio suo similiter faciant, dummodò nihil in patriam remittant. Et Clerici de Capellis, & omnibus utensilibus ad Capellas pertinentibus, & de omnibus libris pro voto suo liberè ordinabunt. Altera verò pars tradetur ad subventionem terræ Hierosolymitanæ. Certè peregrinos istos ad nihil de suis rebus remittendum in patriam, aut ad ipsarum medietatem sacro exercitui legandam compelli æquitas non permittebat.

Quòd Richardi frater ac successor Joannes quasvis hæreditates à se redimi denuò jusserit, L. 13. C. 26. 27. ideoque graves cum Regno quæstiones habuerit, testatur in Scotorum Annalibus Hector Boetius. Hujus filius & successor Henricus tertius ob illata Populo & Clero gravamina duras item cum Episcopis habuit contentiones, de quibus Matthæus Parisiensis: *Rex promisit se certissimè Ecclesiæ oppressiones temperando ad statum debitæ libertatis revocare. Undè formati sunt articuli, circiter quinquaginta, quos Prælati in scripta redegerunt, ut apto tempore coram Rege & Magnatibus, & Prælatis lecti effectum debitum sortirentur. Qui articuli vel capitula fuerunt similia illis, pro quibus Beatus Thomas Archiepiscopus Cantuariensis dimicavit Martyr, victor effectus gloriosus.* Articulorum Brevem seu indiculum suo additamentorum libro inseruit idem Matthæus cum hac Epigraphe: *Articuli pro quibus Episcopi Angliæ fuerant pugnaturi.* Hi sunt vigesimus quartus & vigesimus quintus: *Cùm quis tenens Laicum feudum de Domino Rege, decedit, Ballivi Regis omnia bona defuncti saisiunt, nec permittunt ejus executores de eis disponere, donec inquisitum fuerit à Scacario, utrùm aliquid debeat Regi. Et hoc juri dissonum est, & contrarium chartæ, qua cavetur, quod licet Ballivis sic facere cùm litteras Domini Regis de summonitione talis debiti patentes ostendunt, & sic possunt attachiari Catalla aliqua ad honorem ipsius debiti, per visum legalium hominum, donec illud debitum persolvatur, in aliis catallis libera administratione executoribus omninò dimissa. Item mortuo Laico intestato, Dominus Rex & cæteri Domini feudorum, bona defuncti sibi applicantes, non permittunt de ipsis debita solvi, nec residuum in usus liberorum & proximorum suorum, & alios pios usus per loci Ordinarium, quorum interest aliqua converti.* Eòs cum Sancti Thomæ articulis non malè comparat laudatus Matthæus. Etiam ob similia, quæ Henrici Pater Joannes Populo & Clero intulerat gravamina scribit apud Franciscum Bosquettum antiqua Innocenti tertii Pontificis vita: *Licet Beatus Thomas Archiepiscopus animam suam pro Ecclesiastica posuerit libertate, nulla tamen utilitas quoad hoc in sanguine ejus erat, quoniam Anglicana Ecclesia per Principum insolentiam in profundo servitutis ancillata jacebat.*

Barbara consuetudo, quæ omnium naufragio pereuntium catalla transcribebat in Principem, viguit etiam apud Nortmannos. Quòd enim ipsi non solùm quoad Angliam, sed etiam quoad Normandiam cesserit ac renuntiaverit Rex Richardus, in loco superiùs laudato disertè testatur Abbas Joannes Bromptonus. Uxorem dumtaxat & filios, ac fratres & sorores cessavit etiam illic, nepotes & consobrinos Rex omninò perrexit excludere. Grassata ibidem sunt & alia Populi & Cleri gravamina, adversùm quæ cum eodem Rege strenuè pugnavit Guilielmus Rothomagensis Archiepiscopus, & quorum articulos refert Radulphus de Diceto. Hic est nonus articulus: *Si quis subitanea morte, vel quolibet alio fortuito casu præoccupatus fuerit, ut de rebus suis disponere non possit, distributio bonorum ejus Ecclesiastica auctoritate fiet.* Damnat violentiam illam, quam suprà audivimus etiam à Canuto Anglorum Rege damnatam. Hic est sextus articulus: *Distributio eorum, quæ in testamenta relinquuntur, auctoritate Ecclesiæ fiet, nec decimæ pars, ut olim, subtrahetur.* Uti Gentiles Romanorum Augusti vigesimam, ita Normandiæ Duces omnium hæreditatum habebant decimam partem. Et huic in populum violentiæ Richardus Rex etiam valedixit. A. 1190.

Nec mireris violentiam istam in Nortmanno Principe. Etenim ad duodecimi sæculi annum vigesimum tertium scribit de venerabili Alberone Leodiensi Episcopo, Ducis nostri Godefridi Barbati fratre, Magnum Belgii Chronicon: *Venerabilis Albero, hujus nominis primus, frater Ducis Godefridi Lovaniensis ex parte matris, ex Clero Sancti Stephani Metensis Electus, Leodiensium ordinatur Episcopus. Maxima pax Leodiensium hoc tempore fuit. Undè de nocte dicitur orare solitus hic Episcopus pro grege sibi commisso ante fores diversarum Ecclesiarum. Ubi semel audiit mulierem flentem mortem mariti sui, & præsertim propter mortuum maritum auferri culcitram suam ab Episcopo. Quapropter Episcopus iste anno Pontificatus sui tertio, primus omnium inter Prædecessores suos, juri suo vel servituti, quæ dicitur manus mortua, quæ adhuc in quibusdam partibus Dominis temporalibus à suis subditis exhibetur, ex superafluentia immensæ sibi misericordiæ in tota terra Episcopatus Leodiensis renunciavit, & hanc abusionem sustulit. Quæ quidem servitus conditioni humanæ, quàm liberam in exordio Deus condidit, penitus adversatur. In eo verò consistebat jus, ut quandocumque aliquis paterfamilias, qui hanc debuit servitutem, moreretur, in signum servitutis præteritæ optimum pignus vel jocale, quòd in ipsius domo reperiri contigerit, à Dominis exigeretur; sin autem nihil esset, ut tum defuncti dextera manus abscissa Dominis offerretur?* Leodiensis enim Episcopus est unà temporalis Dominus, ideoque hac olim violentia ad Laicorum in Germania Procerum morem utebatur. Eadem usi fuerunt Constantienses ibidem Episcopi. Etenim de Sancto Episcopo Gebehardo scribit in ipsius vita ejusdem Ecclesiæ Chronicon: *Gebehardus convocatis servis suis elegit ex eis optimos quosque, & constituit ex eis coquos & pistores, &c. Ut autem bono animo ministrarent, hujusmodi donario cumulavit ipsos, scilicet cùm quis præsentium, vel successorum qui de progenie illorum esset, moreretur, exuviæ de eis non sumerentur, sed hæredes relictam hæreditatem indivisam possiderent.* Quin & eadem violentia utebatur Abbas Lobbiensis. Lucet ex Fulcardi Abbatis apud Henricum quartum Imperatorem de sui Cœnobii Advocatis, & ipsorum in illud ac ejus subditos violentiis querimonia: *In mortua manu nihil debet habere Advocatus, nisi Minister Abbati declamaverit apud eam, & ipse Advocatus ei redemerit. Modò aliquando tertiam partem, & aliquandò totas tres partes deripiendo sibi vindicat.* Queritur circa sibi competens mortuæ manus jus ab Advocato prætendi tertiam partem, imo quandoque totum diripi ac invadi. Exstat querula Epistola apud Lucam Dacherium in supplemento ad dicti Monasterii Chronicon, scriptum ab Abbate Folquino. Exstat & Diploma, quo Imperator Henricus Advocatorum rapacitatem compescuit, & Abbates in avito mortuæ manus jure confirmavit. Tom. 6.

Eorum, qui intestati nullos relinquunt consanguineos, bona, omnium ferè gentium jure, semper spectarunt ad Principem. Et meritò. Quidam Principes noluerunt eis esse facultatem testandi. Ejusmodi testamenta censebant condi in sui fraudem & injuriam. Quidam ista bona tradebant Episcopis, distribuenda in pauperes. Christiani Principes his æquarunt bona acquisita per usuras. Hæc enim restitutioni sunt obnoxia, ideoque dum isti quibus debentur, aut defuncti sunt aut ignoti, esse in pias Ecclesiæ causas aut in publicas populi necessitates impendenda, in opusculo ad Brabantiæ Ducissam rectè tradit Doctor Angelicus. Hinc varii Principes ista bona in suum Fiscum transcripserunt. Et ecce hinc iterùm abusus. Etenim inter reformationis articulos, quos Richardo primo Anglorum Regi extorsit Guilielmus Rothomagensis Archiepiscopus, fuerunt & hi: *De bonis Clericorum, etsi dicantur fuisse usurarii, vel quocumque genere mortis præventi, nihil pertinet ad sæcularem potestatem, sed Episcopali auctoritate in pias causas distribuentur. Item quidquid Laici in vita sua donaverint, vel quocumque titulo à se alienaverint, etsi usurarii fuisse dicantur, post mortem non revocabitur. Quæ verò post mortem non alienata invenientur, si recognitum fuerit ipsos tempore mortis fuisse usurarios, confiscabuntur. Item si mortuus habuerit aliquod vadium, undè sortem suam perceperit, portio ipsius libera ad eum qui invadiavit, vel ad hæredes ipsius revertetur. Idem fiet de portionibus uxoris & filiorum ejus post mortem ipsorum.* Normandiæ ergò Dux variè excedebat. Primò etiam Clericorum usurariorum invadebat bona, quod lucidè spectat ad Episcopos. Secundò, etiam bona quæ usurarius in vita donarat aut vendiderat, revocabat ad Fiscum, atque ità bonæ fidei emptores iniquè spoliabat. Tertiò, apud usurarium reperta mobilia pignora aut immobiles etiam hypothecas rapiebat. Item uxoris dotem, & legitima bona filiorum. Ad hæc omnia emendanda Richardum Guilielmus coegit. Acta exstant apud Radulphum de Diceto, & apud Matthæum Parisiensem. Etiam ad Philippum Augustum, invasæ Normandiæ tunc possessorem, scripsit Innocentius tertius: *Ad nostram noveris audientiam, referente Venerabili fratre nostro Rothomagensi Archiepiscopo perveniſſe, quod Justitiarii tui per Normandiam constituti, & quidam alii Regiæ ditioni subjecti, postponentes penitus zelum Dei, præpediunt Laicos ægritudine laborantes, ne de terris, vel suis hæreditatibus aliquid in eleemosynam alicui largiantur, sive pro suarum animarum salute secundùm Ecclesiasticam sanctionem, vel condant testamentum exindè in ultima voluntate. Imponentes illis post obitum crimen usurarium, qui pœnitentes, judicio Ecclesiæ satisfactione præmissa, viam sunt universæ carnis ingressi, ut prætextu criminis usurarum decedentium bona Fisco Regio in detrimentum juris Ecclesiastici applicentur.* Ad abusui renunciandum Pontifex Regem graviter adhortatur, & Epistolæ annexa subnotatio habet: *Super hoc scriptum est Dilectis filiis, Abbati Sancti Victoris, Archidiacono, & Cancellario Parisiensi, ut Regem ad hoc efficaciter moneant, & prudenter inducant.* Sola manifestorum aut convictorum usurariorum bona affirmat spectare ad Fiscum, ideoque ex sola suspicione aut accusatione nullum moribundum aut mortuum esse iniquè vexandum. Philippus Rex abusus est hisce initi inter Richardum Regem & Guilielmum Archiepiscopum Concordati verbis: *Etsi usurarii fuisse dicantur.* Credidit non requiri plenam probationem, sed vulgarem famam sufficere. Præsentis Synodi tempore grassabantur pleræque hæ in hæreditates & testamenta violentiæ: Ipsos Canon conatur corrigere. Verum non plenè correxit. Nam adductarum violentiarum plures sunt ipso posteriores. A. 1190.

L. 1. C. 19.

CANON X.

STatuimus etiam, ut Ecclesiæ ad Sedem pertinentes, quæ solvunt tertium, aut Paratam, vel Synodum, solito more persolvant Episcopis vel Clericis. De iis verò Ecclesiis, quæ non dant tertium, vel Paratam, tertia pars Decimarum cum Primitiis & Oblationibus, quæ de Cæmiteriis & defunctis consequuntur, Episcopo & Clericis assignetur. Simili quoque modo statuimus de Ecclesiis ad Monasteria pertinentibus.

SCHO-

SCHOLION.

ECclesiasticæ substantiæ administrationem ac dispensationem Episcopali fidei credidit & commisit Apostolicus Canon. Hinc inter vulgares quadragesimus primus non sine fundamento statuit. *Præcipimus ut in potestate sua Episcopus Ecclesiæ res habeat.* Et adducit causam: *Si enim animæ hominum pretiosæ illi sunt creditæ, multò magis oportet eum gerere curam pecuniarum, ita ut potestate ejus indigentibus omnia dispensentur per Presbyteros & Diaconos, & cum timore ac omni solicitudine ministrentur. Ex iis autem, quibus indiget, si tamen indiget, ad suas necessitates & peregrinorum fratrum usus ipse percipiat, ut nihil eis possit omninò deesse.* Addit Canon trigesimus nonus: *Omnium Ecclesiasticorum negotiorum curam Episcopus habeat, & ea velut Deo contemplante dispenset.* Plenam omnium administrationem ac dispensationem committunt fidei & arbitrio solius Episcopi, qui utramque functionem aut per se aut per Vicarios Clericos possit exercere, & quidem tamquam contemplante Deo, id est, soli Deo obligatus ad rationes. Nam & de omni generatim Episcopali officio scribit aliquoties Sanctus Cyprianus: *Habet arbitrii sui potestatem quisque Episcopus, actus sui rationem Domino redditurus.* Quæ omnia iisdem ferè verbis per suum quartum & quintum supra vigesimum Canonem sanxit Antiochena Synodus. Et quia istos Apostolicos Canones non laudat, videtur ipsa esse verborum origo & mater, & Apostolicam traditionem per illa innovasse & confirmasse. Quin imò est non tantùm Apostolica traditio, sed omninò scriptus per Apostolum Canon in prioribus litteris ad Timotheum: *Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Et iterùm: *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt.* Ephesiorum Ecclesiæ præfectum Timotheum docet & Clerum & pauperes alendi modum, quòd nempè istud arbitrium ad solum tunc Episcopum pertineret. Nulla igitur tunc erat Ecclesiasticæ substantiæ divisio, nullus Œconomus, nullus pauperum aut fabricæ Curator: Omnia erat solus Episcopus. Et hinc de abeunte ad Martyrium Sancto Cornelio scribit liber Pontificalis: *Antequam passus est, omnia bona Ecclesiæ tradidit Stephano Archidiacono.* Quod ipsum Archidiacono suo Sancto Laurentio fecit Sixtus secundus. Quia nempè etiam Romanus, licet omnium Ecclesiarum sollicitudine distentus, Episcopus omnia suæ Ecclesiæ bona habebat solus in manu, & vicariis præsertim Archidiaconi ministeriis circa ipsa utebatur.

Antiquæ administrationis formam exponit in litteris ad Furnensis Ecclesiæ Clerum ac populum Sanctus Cyprianus: *Clerici in honore sportularium fratrum, tamquam Decimas ex fructibus, accipiunt.* Et de Celerino ac Aurelio Confessoribus, quos exul in Lectores ordinaverat, scribit ad suæ Ecclesiæ Clerum & populum: *Presbyterii honorem nos designasse illis jam sciatis, ut & sportulis eisdem cum Presbyteris honorentur, & divisiones mensurnas æquatis quantitatibus partiantur.* Etiam de Philumeno ac Fortunato Subdiaconis, & Favorino Acolytho, qui Apostatæ statim ad Ecclesiam redierant, scribit exul ad suum Clerum: *Interim se à divisione mensurna tantum contineant, non quasi à Ministerio Ecclesiastico privati esse videantur.* Clerici ergò tunc partim ex sportulis, partim vivebant ex divisione mensurna: Et aliam partem Episcopus, aliam Presbyteri, aliam Diaconi, aliam percipiebant inferiores Clerici, singuli juxta sui Ministerii gradum & meritum. Omnes de manu Episcopi. Hinc portionem & augere & minuere ille poterat, & Lectori ex causis adscribere portionem Presbyteralem. Etiam quem privare divisione mensurna poterat, & sportulas relinquere. Eadem fuit ratio viduarum & pauperum. Hinc enim conversum Histrionem, quem Thenensis Ecclesia alere non poterat, per Euchratium Episcopum mitti Carthaginem Cyprianus jussit, spondens istic alendum. Quin ad Numidiæ fratres è Barbarica captivitate redimendos Episcopis misit partim ex suæ Ecclesiæ Gazophylacio, partim ex populi collatione Sestertia centum millia nummum. Quæ omnia sapiunt, imò manifestè referunt formam Romanæ Reipublicæ. Et enim Apostoli & proximi ipsorum Successores, uti Christianitatis Hierarchiam, ita & Ecclesiasticæ annonæ administrandæ ac dispensandæ rationem è Romano Imperio sunt mutuati.

Epist. 66.

Epist. 34.

Epist. 28.

Quid porrò apud Romanos fuerit sportula, exponit in Gallieni Imperatoris vita Trebellius Pollio: *Gallienus convivatus in publico est, congiariis populum mollivit, Senatui sportulam sedens erogavit.* C. 16.

Quod item in pomposis Romanorum Nobilium conviviis fieret *solemnium sportularum distributio*, testatur Ammianus Marcellinus. L. 14. c. 16.

Et de Domesticorum Protectorum scholam intrantibus scribunt ad Severum Domesticorum Comitem Imperatores Valentinianus & Valens: *Sicuti variis itineribus ad Scholam* hanc varios *venire conspicimus, ita etiam sportularum diversa debebit esse insumptio. Grave enim admodum est, viros post emensum laborem, qui nullius rei cupidiores fuere quam gloriæ, hujusmodi erogationibus fatigari.* Taxant ac præfigunt, quot in ista sua solemnitate solidos possint *sportularum nomine in Primates distribuere.* L. 4. Tit. 24.

Est Theodosiani Codicis lex tertia sub titulo de Domesticis Protectoribus. Eorundem Imperatorum ad Engrammium lex exstat sub libri octavi undecimo titulo: *Cum anni exordia certis inchoanda Consulibus nunciantur, à tenuioribus sportulæ specie conlationis necessitas separetur.* Ipsorum respectu affirmant esse, non *legitimum munus*, sed *injuriosam necessitatem*, idoneis tamen per Provincias personis permittunt spontaneam oblationem. C. 1.

Et ad titulum de ludorum expensis est famosa Valentiniani secundi & Magni Theodosii lex: *Constitutione sollemni, ut exceptis Consulibus ordinariis, nulli prorsus alteri auream sportulam, Dypticha ex ebore dandi facultas sit. Cum publica celebrantur officia, sit sportulis nummus argenteus, alia materia dypticbis. Nec majorem argenteum nummum fas sit expendere, quam qui formari solet, cum argenti libra una* L. 15. Tit. 9. c. 1.

una in argenteos sexaginta dividitur. Minorem dare volentibus non solum liberum, sed etiam honestum esse permittimus. Itaque sportula erat Rogæ seu erogationis species, quam Imperatores, Consules, Protectores Domestici, ac alii Reipublicæ vel Augustæ domus Officiales, in promotionis suæ aut alterius lætitiæ solemni die dividebant in populum, vel populus pro ipsis ad edenda congratulationis spectacula, seu alia publica signa conferebat. Erat tunc distributus in populum nummus. Et quoniam aliqui sese per prodigalitatem depauperabant, Magnus Theodosius nummo præfixit materiam & valorem. Nummo adjungebantur eburnea aut alterius materiæ dypticha, id est, promoti Officialis nomen continentes pugillares tabulæ, nec non & argenteum Caniſtellum, de quibus Romanæ urbis Præfectus Symmachus: *Filius noster offert tibi dona Quæstoria. Quæso igitur, ut ejus nomine dypticha & apophoreta suscipere dignemini. Prætereà Domino & Principi nostro, auro circumdatum dypticbum misi. Cæteros quoque amicos eburneis pugillaribus, & caniſtellis argenteis honoravi.* Et iterum in Auctuario: *Offero vobis eburneum dypticbum, & caniſtellum argenteum librarum duarum, filii mei nomine, qui Quæstorum munus exhibuit.* L. 2. Epist. 31. 87.

Principi igitur missa dypticha erant non solum eburnea, sed & auro ornata. Epist. 7.

Verùm fuit & aliud originalium & propriarum sportarum ac sportularum genus, de quo in Claudio Augusto scribit Svetonius Tranquillus: *Claudius anniversarium in Castris Prætorianis, extraordinarium & breve, exhibuit munus, quod appellare cœpit sportulam, quia primum daturus edixerat, velut ad subitam conditam cœnulam invitare se populum.* Et in Nerone: *Multa sub Nerone & animadversa fuere, & coercita, nec minus instituta. Adhibitus sumptibus modus: Publicæ cœnæ ad sportulas redactæ.* Et in Domitiano: *Domitianus Congiarium populo nummorum trecenorum ter dedit, atque inter spectacula muneris largissimum epulum: Septimontiali sacro quidem Senatui Equitique panariis, plebi sportellis cum obsonio distributis. Initium vescendi primus fecit.* Et iterum: *Multa in communi usu novavit. Sportulas publicas sustulit, revocata cœnarum rectarum consuetudine.* C. 21. C. 16. C. 4.

Cœna recta erat solemne principalium ad mensam accumbentium amicorum convivium, sportula verò erat ipsorum clientibus aut aliis inferioribus amicis è mensa submissum ferculum: Passim portabatur in sportula, ideoque & sportula vocabatur. Easdem sportulas Trebellius Pollio in Imperatoris Gallieni vita, ac de epulantibus Romanis Nobilibus loquens supra laudavit Ammianus Marcellinus. Eodem sensu in tertio adversùs Marcionem & fictum ab ipso Christum libro loquitur rerum Romanarum peritissimus Tertullianus: *Si nomen Christi, ut sportulam latrunculus, captavit, cur etiam Jesus voluit appellari?* Romanarum rerum imperitis obscurum locum insigniter exponit Beatus Rhenanus: *Docet Asconius Pedianus in Verrinas Ciceronis, sportam, sportulas, nummorum esse receptacula, ac spartea utensilia ad majoris summæ pecunias capiendas. Quamquam locus ille mendis non* C. 7. C. 16.

caret, ut ubique fermè miserè corruptus est optimus ille Ciceronis Interpres. Hic verò non arbitror Tertullianum de fure nummorum loqui, sed sportulam eam intelligere, quæ pauperculis clientibus, salutatoribusque dabatur à divitibus apud Romanos. Huic rectæ cœnæ opponitur. Id erat legitimum convivium à liberalioribus Patronis exhiberi solitum. Inter eos autem qui sportulam accipiebant, accidebat nonnumquam, ut alieni, qui de numero clientum non erant, ingererent sese, non satis ab Atrienſi servo inspecti exploratique. Nam interdum ab absentibus se summissos mentiebantur. Id quod Juvenalis Satyra 1.

> *Tunc sportula primo*
> *Limine parva sedet, turbæ rapienda togatæ.*
> *Ille tamen faciem priùs inspicit, & trepidat ne*
> *Suppositus venias, & falso nomine poscas.*
> *Agnitus accipies.*

Hoc est ergo quod Tertullianus dicit: Nunc si nomen Christi, ut sportulam furunculus, captavit. *Cæterum hujus temporis Religiosi plerique mendicis sportulam dant ad ostium domus, divitibus, quibus abundè per se suppetit quod edant, cœnæ rectæ adhibitis.* Eodem sensu super hæc Apostolicæ ad Galatas epistolæ verba, *Considerans te ipsum, ne & tu tenteris*, loquitur Sanctus Joannes Chrysostomus: *Quemadmodum divites sportulas mittunt egentibus, quo si quando & ipsi in egestatem inciderint, eadem consequantur; sic & nobis est faciendum.* Cap. 6. Vera igitur Romana sportula erat amico, clienti, aut pauperi missum è convivio aut quavis mensa ferculare donum.

Et mos iste viguit usque ad Christianæ pacis tempora. Quia enim rectas suas cum sportulis cœnas varia idololatrica superstitione fædabant Gentiles, eas Christiani Imperatores abrogarunt, seu transmutarunt in dona nummaria, atque exindè sportula esse cepit aureus vel argenteus nummus, quandoque solus, quandoque habens adjunctum cum eburneo dypticho caniſtellum. Nempè caniſtellum hoc rememorabat antiquam sportulam. Et hinc in Christianorum Imperatorum legibus nulla est verarum, sed nummariarum dumtaxat sportularum mentio. Nam & Romani illi, quos sub Constantii Imperio fuisse cum solemnium sportularum distributione convivatos scribit Ammianus Marcellinus, erant omninò Gentiles. Et hunc in sensum forsan etiam loquitur famosus Ibæ Edesseno Episcopo intentatorum criminum indiculus: *A Paganis incidentibus in peccatum sacrificiorum Daniel Carrensis Episcopus sportulam accipiens, remittit crimen, negotians & hinc sibimet lucrum faciens.* Opipera forsan fercula è Gentilium conviviis accipiebat Daniel: Forsan sola dona nummaria. Quidquid sit, quòd etiam apud Christianos sportulæ tunc non fuerint penitus exstinctæ, demonstrat laudatus Chrysostomi locus. Hi enim ipsas, verum simplices & ab omni idololatrico solemni purgatas, perrexerunt ad pauperes mittere. Et hinc antiqua de magnæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ dignitatibus & officiis apud Joannem Marinum notitia affirmat magnum Œconomum præesse omnibus Ecclesiæ possessionibus, proventibus ac sportulis. Quin in Florentini Concilii

Concilii historia, exponens modum quo Latini Græcos aluerunt in Italia, scribit Sylvester Sguropulus : *Imperatorem semper incessit solicitudo, ex quo Ferrariam appulimus, ut Græci cibaria acciperent, secundùm quod erat comprehensum in Decreto Basileensi. Papales autem volebant distribuere panes, vinum, carnes, pisces, unicuique ad debitum pondus. Quod Imperator noluit, duram rem clamans & inurbanam, ut Principes & Magnates obsoniis tamquam è sportula nutrirentur. Dari volebat stipendia pro hominum qualitate, ut unusquisque se ipsum & famulos ex arbitrio aleret.*

Lib. 4. cap. 28. Et hinc in originum libris rectè scribit Sanctus Isidorus Archiepiscopus Hispalensis : *Sportula diminutivum à sporta. Sporta autem dicta quia aliquid exportat.* Antiqui sportis & canistris solebant prandia & cœnas è triclinio in convivium ferre. Et sportula exportabat extra domum. Mittendarum ex opiparis conviviis sportularum modus etiamnum viget apud varios. Ob mutata vasa vocant scutellas.

Lib. 20. cap. 9.

Et hinc vides, quid apud primos Christianos fuerit Ecclesiastica Clericorum sportula, quid fratres sportulantes. Episcopus suis Clericis ac pauperibus quotidiè dabat certam panis, vini, carnis, & cæteri alimenti mensuram, forsan & vestes suo tempore : Ad normam Romanæ annonæ. Quòd enim hæc etiam diurna fuerit, & omnem esculenti ac poculenti speciem, ac suo etiam tempore arma & vestes complecteretur, omnibus Romanæ Œconomiæ peritis est exploratum. Et hinc primæ adversùs Mauritium Imperatorem militaris proteviæ causam fuisse ad tres species, nempè vestes, arma, & certos aureos nummos contractam annonam scribit in ejus vita Theophylactus Simocata. Nempè anteà quævis etiam alimenta ad ipsam spectabant. Porrò non annonæ, sed sportulæ nomen usitavit antiqua Ecclesia, quod annona jus & exactionis facultatem, sportula importet meram quasi eleemosynæ gratiam. Nullos enim tunc fundos, nullos census habebat, sed ex sola fidelium stipe ac spontanea oblatione vivebat Ecclesia, ideoque quidquid aut sibi aut suo Clero donabat Episcopus, erat gratiosa Christiani populi sportula. Et hinc intellige hanc, quam historiæ suæ Eusebius Cæsariensis inseruit, Sancti Apollonii in Montanum ac ejus sequaces Invectivam : *Pecuniarum exactores constituit, oblationum nomine munera accipienda prætexit, sui verbi Prædicatoribus, ut ejusdem verbi doctrina sordido ventris abdomine & ingluvie roboretur, salaria suppeditat.*

Lib. 7. cap. 1.

Lib. 5. cap. 17. Exactio & oblatio capitaliter repugnant: Hæc spontanea, illa extorta est, ideoque Montani avaritia pugnabat in semetipsam. Solam exactionis speciem aut suspicionem adeò aversata fuit antiqua Ecclesia, ut statuerit in Eliberino Concilio : *Emendare placuit, ut hi qui baptizantur nummos in concham non mittant, ne Sacerdos, quod gratis accepit, pretio distrahere videatur.* Hinc & salarii vocem est aversata. Salarium enim quandoque cum annona confudit, quandoque ab ipsa discrevit, & pro stipendio usitavit Romana Respublica, atque ità vox ista semper importavit rigidum debitum & facultatem exactionis. Montanus igitur uti exegit à populo, ità suo Clero fanxit salaria, atque ideò monstravit se alienum à temporis istius disciplina, & vera tunc Clericali castitate. Nam castitas, quam in Episcopo requirit Apostolus, est non solius corporis, sed etiam animæ : Est integritas ab omni quæstu & lucro. Et hinc patet ratio, cur etiam Judicum salaria appellentur sportulæ. Quòd nempè olim nihil deberet litigans, sed ex spontaneo arbitrio offerret. Litigantes olim adeò nihil solvebant, ut in Basilii Imperatoris laudem scribat Michael Glycas : *Basilius Edictis propositis instituit, ut Judices è publico acciperent salaria, ne agitatas pro tribunali causas parvi facerent, obiterque tractarent. Item paupertioribus, jure adversùm alios experiuntibus, alimenta decrevit, ne fame contabescentes litibus renunciarent.* Semper crescens humana iniquitas sportulas demutavit in salaria, quæ uti non habent naturam, ità nec nomen deberent habere commune.

C. 48.

Fol. 197.

Præter laudatas sportulas Ecclesia olim suis Clericis dabat divisiones mensurnas. Has enim Sanctus Cyprianus lucidè ab istis distinguit. Existimo fuisse paucos nummos, quos ex oblationis Gazophylacio Episcopus quovis mense dividebat. Quem etiam morem fuisse mutuatum è Romana Republica, apud Aurelium Cassiodorum demonstrat Gothorum in Italia Rex Theodoricus, pro Thomate insigni Auriga scribens ad Faustum Præpositum : *Quoniam in hoc opere Thomas Primatum noscitur obtinere, mensfrua eum duximus largitate solidandum.* Omninò loquitur ex antiqua Romanorum disciplina. Eandem in suos Clericos semper observavit Ecclesia Constantinopolitana. Etenim de Patriarcha Macedonio secundo scribit in Ecclesiastica Historia Anastasius Bibliothecarius : *Macedonius Acholium quemdam, qui adversus se exemerat machæram ex submissione inimicorum suorum, per singulos menses annonas præcepit accipere super mansuetudine collaudatus. Hoc autem & in egenis sacrilegis egit.* Vocat annonas, non sportulas. Quod nempe fixas possessiones tunc haberet Ecclesia, ideoque & has & istas posset donare. Et antiqua de magnæ istic Ecclesiæ dignitatibus atque officiis notitia habet : *Mensfruæ distributiones ita disponuntur inter Clericos. Primus Quinarius duplum accipit, secundus partem cum dimidia, tertius partem & integram quartariam. Incipit autem in sinistro Choro duplam partem Archipresbyter accipere.* Et concludit : *Hic est sanctæ Dei Ecclesiæ ordo, à sanctis Patribus congregatis in Conciliis institutus. Et ipsum ab Ecclesia hoc pacto observari præceperunt.* Laudata Ecclesia videtur dedisse solas sine sportulis divisiones mensurnas : Hinc enim istum erga se & suos Episcopos ac Proceres morem in Italia custodiri exegit ab Eugenio quarto Pontifice Imperator Joannes Palæologus, ac impetravit. Ipsorum enim quisque quòd per mensem nummos deinceps acceperit, præfatus Sguropulus edicit. At verò antiquæ disciplinæ amantissima & observantissima Romana Ecclesia cunctis Palatinis officiis etiam hodiè dat & sportulas & divisiones mensurnas : Et suum morem

Fol. 50.

morem crediderat Græcis placiturum. Eundem in sua familia servant plerique Domini Cardinales, & plures per Italiam Episcopi.

Porrò utraque hæc collatio erat adeò moderata ac macilenta, ut in litteris ad Euchratium Thenensem Episcopum Sanctus Cyprianus ejusmodi victum appellet parciorem ac salutarem.

Epist. 61. Scio illum non de Clericis, sed de matricularibus Ecclesiæ pauperibus loqui. Nihilominus etiam Clericorum sportulas ac divisiones non fuisse multò lautiores, docet quarta, in plena Ecclesiarum pace ac Romani Imperii flore celebrata, Carthaginensis Synodus : *Clericus, quantumlibet verbo Dei eruditus, artificio victum quærat.* Quòd nempe multarum inopum Ecclesiarum & sportula & mensurna divisio cunctis Clericis ac pauperibus plenè alendis non sufficeret. Quin & de Patriarchali Antiochena Ecclesia scribit in Homiliis super Sancti Matthæi Evangelium

Hom. 67. Sanctus Joannes Chrysostomus : *Unius divitis, nec valde locupletis hæc Ecclesia fructus colligens, cogita tecum quot viduis, quot virginibus quotidiè succurrat. Jam enim numerus earum in Catalogo adscriptus ad tria millia pervenit. Et præterea multis qui carceres habitant, auxiliatur, multis in hospitali laborantibus, multis advenis, multis leprosis, omnibus qui altari assistunt cibaria & indumenta præbet, multis etiam qui quotidiè ad petendum accedunt. Nec tamen Ecclesiæ opes idcircò diminutæ sunt.* Ex tam modicis opibus tantus Clericorum & pauperum numerus debuit fuisse parvo contentus. Notanda sunt verba : *Cibaria & indumenta præbet.* Suadent utriusque rei sportulam fuisse Clero istic ministratam. De eodem Joanne Constantinopolitano Episcopo scribit in ejus vita Palladius Episcopus Helenopolitanus

L. 3. Epist. 51.

C. 5. : *Joannes victum quoque castigat Cleri diligenter, orans & exhortans, ut contenti stipendiis suis nidores divitum non sequerentur, ne fumum hujusce insequentes libidinis flammæ traderentur, assentatorum ac parasitorum instituto viventes.* Adeò tunc modica erat tantæ Ecclesiæ substantia, ut quidam ejus Clerici præinopia non erubescerent adulari alienis mensis, ac vivere parasitos. Et frænum, quod turpi vitio injecit Sanctus Joannes, ipsos indignatos permovit ad tanto Episcopo infidiandum. Laudatæ Ecclesiæ proventus largè ampliavit Justinianus Augustus, & tamen de ejus post multa tempora successore, & nostræ præsentis Synodi Cœtaneo Constantino Monomacho scribit Georgius Cedrenus : *Ad id tempus insignioribus tantùm solemnitatibus in magno Dei templo, & in Sabbathis ac Dominicis diebus incruentum Dei sacrificium peragebatur, reliquis diebus nequaquam. Omittebatur enim ob redituum defectum. Hunc Monomachus liberaliter supplevit, ut quotidiè Missa celebraretur eo in templo. Laudabili sanè instituto, quod hodieque obtinet.* Id ipsum scribit Michael Glycas. Quæ breviter dicta volui, ut luceat Clericales sportulas ac mensurnas divisiones in medio Gentilium persecutionum æstu fuisse omninò modicas.

Fol. 790.

Nec sola Clericalis, sed etiam Episcopalis divisio ac sportula fuit tunc admodum modica. Lucet ex Ammiano Marcellino. Urficini contra Sanctum Damasum Pontificem schismaticas turbulentias refert ac profequitur : *Neque ego abnuo, ostentationem rerum considerans urbanarum, hujus rei,* utique Romani Episcopatus, *cupidos, ob impetrandum quod appetunt, omni contentione laterum jurgari debere, cum id adepti, futuri sint ita securi ut ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis insidentes circumspectè vestiti, epulas curantes profusas, adeò ut eorum convivia Regales superent mensas. Qui esse poterant beati re vera, si magnitudine Urbis despecta, quam vitiis opponunt, ad imitationem Antistitum quorumdam Provincialium viverent, quos tenuitas edendi, potandique parcissimè, vilitas etiam indumentorum, & supercilia humum spectantia, perpetuò Numini, verisque ejus Cultoribus ut puros commendant & verecundos.* Solùm Romanum Episcopum dicit opulentum & splendidè vivere.

L. 27. c. 6.

Nec mireris tunc tantas ex solis oblationibus divitias. Quod enim etiam post reparatam utcumque Gothicam captivitatem statim Roma fuerit suprà fidem populosa, testatur apud Photii Bibliothecam Olimpiodorus. Apostolicum interim de dupliciter honorando Episcopo Canonem semper adeò custodivit antiqua Christianitas, ut adversum Catholicæ Ecclesiæ Agapas scribit in libro de jejuniis Montanista Tertullianus : *Ad elogium gulæ tuæ pertinet, quod duplex apud te Præsidentibus honor binis partibus deputatur, cum Apostolus duplicem honorem dederit ut & fratribus & Præpositis.* Agapem olim sine Episcopi auctoritate non potuisse agi, Ecclesiasticæ antiquitatis indagatores passim concludunt ex hisce Martyris Ignatii verbis in Epistola ad Smyrnenses : *Nemo præter Episcopum aliquid eorum agat quæ ad Ecclesiam pertinent.* Hinc illi passim præsidebat Episcopus, & ex quovis escæ aut potus ferculo duplicem habebat partem. Et huc respicit in litteris ad Epictetum Assuritanæ Ecclesiæ Episcopum, ejusque Clerum ac populum Sanctus etiam Cyprianus : *Stipes, & oblationes, & lucra desiderant, quibus priùs insatiabiles incubabant, & cœnis atque epulis etiam nunc inhiant, quorum crapulam nuper superstite in dies cruditate ructabant, nunc manifestissimè comprobantes, nec ante se Religioni, sed ventri potius & quæstui profana cupiditate servisse.* Agit adversus Fortunatianum ejusdem Civitatis nuper Episcopum, qui ob idololatricum in persecutione lapsum degradatus, per violentiam respirabat ad recuperandum Episcopatum : Ait ab istiusmodi hominibus non Christi Ministerium, sed duplices in Agapicis cænis partes, populi stipes & oblationes, duplicemque ex ipsis mensurnam divisionem ambiri, ideoque non audiendos. Pro solis pauperibus fiebat Agape : Et quidem quotidie apud multas Ecclesias. Si augurari liceat, dicam ex ipsis à præsidente Episcopo fuisse unicuique Clerico missam suam sportulam. Quidquid sit, uti ex ista, ita ex quavis alia fidelium oblatione Episcopus habebat partem duplicem. Et istum esse Apostolici Canonis litteralem scopum, Patres unanimiter affirmant. Lapso ad Montanum Tertulliano sola calumniandi libido aliud persuasit.

C. 17.

Epist. 61.

suasit. Vulgaris Apostolicus Canon rectè addit: *Ex iis autem, quibus indiget, Episcopus ad suas necessitates & peregrinorum fratrum usus percipiat, ut nihil eis possit omninò deesse.* Peregrinorum fratrum susceptio spectabat ad solum Episcopum: Hinc duplici omnium parte erat ipsi omninò opus. Dum nec istæ ad tanta onera sufficerent, poterat ille sibi supplere.

Et hæc vivendi forma omninò permansit usque ad nobis datam à Magno Constantino pacem. Paulatim tunc fuit mutata. Plena autem Episcoporum in Ecclesiasticam substantiam potestas perseveravit longè diutius. Ipsam enim, quod nempe labi inciperet, sustinuit & confirmavit Antiochena Encæniorum Synodus, nec non per Apostolicas Constitutiones personatus Romanus Clemens, quem certum est esse posteriorem. Quin imò quod Chalcedonensis Synodi tempore plures adhuc Episcopi non haberent Œconomos, adeoque omnia Ecclesiæ bona tenerent ad suam manum, lucet ex ejus Actis circa Ibam Edessæ Episcopum, ac ex vigesimo sexto Canone. Et de Sancto Augustino scribit Sanctus Possidonius:
Cap. 24. *Domus Ecclesiæ curam omnemque substantiam ad vices valentioribus Clericis delegabat & credebat. Numquam clavem, numquam annulum in manu habens, sed ab eisdem domus Præpositis cuncta & accepta & erogata notabantur.* Et iterum:
Cap. 23. *Pauperum semper memor erat, eisque inde erogabat, unde & sibi suisque omnibus secum habitantibus, erogabatur; hoc est, vel ex reditibus possessionum Ecclesiæ, vel etiam ex oblationibus fidelium.* Lucidè affirmat nullum Hipponensi Ecclesiæ fuisse Œconomum, nullam bonorum divisionem, sed omnia in manu & arbitrio solius Augustini. Nec dubitandum, quin ista fuerit forma totius Africanæ Ecclesiæ. Etiam de Sancto Joanne Chrysostomo scribit in ejus Episcopalibus Actis Palladius Episcopus Helenopolitanus: *Dispensatoris Ecclesiastici scripta Joannes relegens, inutilesque Ecclesiæ sumptus deprehendens, amputari hos protinus jubet. Accessit & ad solemnes Episcopi sumptus inspiciendo. Invenienfque immodicam profusionem, transferri hanc magnificentiam ad infirmorum solatia præcepit.* Istam Episcopalem magnificentiam exponit ipse Chrysostomus in Sermone de Pseudoprophetis ac falsis Doctoribus. Sanctos Antiochenæ Ecclesiæ Episcopos Evodium atque Ignatium, Dionysium Areopagitam, Magnum Basilium, Magnum Athanasium, Gregorium Nazianzenum, aliosque antiquos Episcopos & ipsorum sanctissimam modestiam deprædicat, ac prosequitur de sui temporis Episcopis:
Tom. 6. *Vides, quantum sit interstitium, quantaque differentia illorum Beatorum ac Sanctorum virorum ab his qui nunc sunt. Illi potentes opere & sermone erant, at isti in jumentis & equis, ac mulis, & coquis, mensisque splendidis studium ponunt. Denique si quis eos fortè de sacris libris interroget, respondent & dicunt: Pauperes sumus, & facultas libros comparandi non est nobis. Posteà verò prodeunt, non ut pauperes, sed vestimentis politis ac nitidis amicti, marsupiaque plena & colla sibi parantes, tamquam saginati aliqui tauri, discipulorum autem multitudinem attrahunt, aut potius corporum, quin & opum affluentia subintroductas tenent, prætextu ancillarum. O malam opulentiam. O acerbam avaritiam.* Quæ omnia largius deducit in nona Homilia super Epistolam ad Philippenses. Quomodo Eusebius Pelusii Episcopus ac ejus Œconomus Zozymus conspirarint, Ecclesiasticam inter se divisam substantiam dilapidarint, reliquumque Clerum defraudarint ac pauperes, multis queritur & castigandum expostulat à suo & ipsorum Patriarcha Sancto Cyrillo Alexandrino Isidorus Lib. 2. Pelusiota. Istiusmodi Episcoporum excessus Ep. 127. coegerunt Ecclesias ad alia consilia & cogitationes, ad novam administrationis ac dispensationis formam.

Pleræque omnem suum proventum & obventum sanxerunt dividendum in quatuor æquales portiones: Episcopo, Clero, pauperibus, fabricæ. Alterius partem sanxerunt sine furti crimine non posse ab altero contingi. Cuique parti dederunt suum Œconomum: Et ne cum Episcopo conspirare posset, sanxerunt non ab ipso solo, sed etiam à Clero eligendum, aut certè coram utroque compellendum ad rationes. Nec mireris plenam quartam cessisse uni Episcopo. Joannem quartum Constantinopolitanum Episcopum meritò prædicat Theophylactus Simocata: *Joannes Ecclesiæ Byzantinæ Præsul hujus lucis* L. 7. c. 6. *usuram reddidit. Qui quod voluptates egregiè pessumdaret, & vitiosas animi motiones compesceret, ventrique assiduum bellum faceret, à Byzantiis cognomentum jejunatoris tulit. Fertur à Mauritio Imperatore complura talenta mutuatus, Syngraphamillidedisse, & rem familiarem pignori opposuisse. Postquam die suo est perfunctus, Mauritius in ejus facultates inquirens, paupertatem consectatum invenit, ac magnopere singularem Hierarchæ sanctimoniam admiratus, Syngraphamgratuitò conscidit. Nihil siquidem aliud inveniisse ajunt præter lectum ligneum, & laneum stragulum nullius pretii, ac deformem penulam. Vili enim vestitu delectabatur vir frugalitate vitæ conspicuus.* Fuit digna Episcopo vita. Similem in Magno Basilio Valens Augustus, & alii in aliis sunt admirati. Nihilominùs adversum illos, qui suo obganniebant Episcopo: *Ille lavat ut ego, comedit, bibit, vestimentis operitur, domus curam gerit atque familiæ; cujus ergo rei gratia est mihi prælatus? Sed & famulos habet, qui illi ministrant, & asello vehitur: Cur præesse mihi debet?* Adversum hos, inquam, murmuratores rectè scripsit in prima super Epistolam ad Titum Homilia Sanctus Joannes Chrysostomus: *Vide, quanta rerum absurditas? Num Episcopus debet carere Ministro, ut illi necesse sit & incendere ignem, & aquas adferre, & ligna perfringere, atque in forum sæpè necessariò ingredi? Et potest esse major perversitas, majorque confusio?* Nervosè ostendit Episcopo deberi suam dignitatem & statum. Et quis ignoret Episcopum esse Patrem omnium pauperum, & nulli hospiti claudendam ipsius domum? Magnas opes hæc requirunt.

Quis primus hanc divisionem cœperit, ignoro. Gratianus primo, ad quinti sæculi medium celebrato, Toletano Concilio adscribit hunc Cano-

12. q. 2. C. 31. nem: *Sancimus omnibus Episcopis curam Laicorum instare. Ut si quos in fide Christi invenerint, nimio affectu diligant. Insuper confirmamus, ut si aliqua ab ipsis accipiant dona, statim in quatuor dividant partes, ita ut prima pars secundum Apostolica Præcepta titulorum nec non cœmiteriorum restaurationibus diligenter attribuatur, secunda Clericis, tertia cunctis pauperibus, quarta verò advenis.* Verùm antiquus Scholiastes hunc Canonem meritò proscripsit ad paleas. Quis enim umquam authenticus Canon peregrinos discrevit à pauperibus, quis Episcopum confudit cum Clericis, quis fabricam donavit primo loco? Et Hispanica Ecclesia substantiam suam numquam in quatuor, sed in tres dumtaxat partes semper
C. 16. divisit. Et quidem ab antiquo. Etenim priscos de hac re Canones laudat Emeritensis Synodus, & sextadecima Toletana, & ipsis longè antiquior Tarraconensis ruinosas Basilicas mandat
C. 8. reparari per Episcopos, atque adjungit: *Quia tertia pars ex omnibus per antiquam traditionem ut accipiatur* hunc in finem, *ab Episcopis novimus statutum.* Verùm ista Episcopalis Synodus aut periit aut latet. Quadripartitæ item divisionis auctorem esse & ignotum & antiquum, lucet ex decretali Sancti Gelasii ad Brutiorum, Lucaniæ atque Siciliæ Antistites Epistola: *Quatuor tam de reditu, quam de oblatione fidelium, sicut dudum rationabiliter est decretum, convenit fieri portiones. Quarum sit una Pontificis, altera Clericorum, pau-*
Epist. 9 *perum tertia, quarta fabricis applicanda. De quibus, sicut Sacerdotis interest integram Ministris Ecclesiæ memoratam dependere quantitatem, sic Clerus ultra delegatam sibi summam nihil insolenter noverit expetendum. Ea verò, quæ Ecclesiasticis ædificiis attributa sunt, huic operi veraciter prærogata locorum doceat instauratio manifesta sanctorum: Quia nefas est, si sacris ædibus destitutis, in lucrum suum Præsul impendia his designata convertat. Ipsam nihilominus adscriptam pauperibus portionem, quamvis divinis rationibus se dispensasse monstraturus esse videatur, tamen juxta quod scriptum est.* Ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est, *oportet etiam præsenti testificatione prædicari, & bono famæ præconio non taceri. Quapropter nec Clericorum quispiam se hujus offensæ futurum confidat immunem, si in his, quæ salubriter sequenda deprompsimus, sive Episcopum, sive Presbyterum, sive Diaconum viderit excedentem, non protinus ad aures nostras deferre curaverit, probationibus dumtaxat competenter exhibitis, ut transgressoris ultio fiat & cæteris interdictio delinquendi.* Affirmat Episcopum circa pauperum quartam deinceps non posse ex sola fide agere quasi contemplante Deo, sed etiam hominibus obligari ad rationes. Nec per divisionem hanc Ecclesia pauperes sola sua quarta voluit esse contentos, sed ipsis etiam in reliquas partes reliquit plurimum juris. Et Episcopo, & Clero, & fabricæ debetur sola honesta sustentatio, superflua omnia sunt in istos refundenda. Illis tribus adscripta est portio superabundans, ut ipsis manus non esset contracta ad largiendum, sed semper aperta. Quod enim ex opulento fabricæ Ærario superfluas Basilicas aut superflua ipsarum ornamenta conflare non posset Episcopus, sed ipsum in pauperes obligetur exonerare, demonstrat vel sola lis Isidori Pelusiotæ cum Theophilo Patriarcha Alexandrino. Et hanc divisionem adeò coluit semper Romana Ecclesia, ut ad Sancti Augustini apud Anglos Apostoli de ipsa quæstionem respondent Magnus Gregorius: *Mos Apostolicæ Sedis est ordinatis Episcopis præceptum tradere, ut de omni stipendio quod accedit, quatuor fieri debeant portiones. Una videlicet Episcopo, & familiæ ejus propter hospitalitatem & susceptionem: Alia Clero, tertia pauperibus, quarta Ecclesiis reparandis.* Ad divisionem hanc, tunc ubique necdum radicatam, L. 12. Ep. latissimè propagandam videtur Romana Ecclesia 31. q. 1. omnem à se consecratum Episcopum ad ipsam admittendam sub solemni professione obligasse. Addit tamen Gregorius servandam in solis Clericalibus, non in Ecclesiis Monachalibus, quales jubebat esse Anglicanas. Hæ enim in plena Fratrum paupertate de Episcopi arbitrio & manu debent victitare.

Eandem divisionem Gregorius commendat, propagat, & variè explanat in aliis etiam epistolis. Urbis veteris Ecclesia habebat exiguam substantiam, & Calumniosus ipsius Clericus, assidua laborans infirmitate, non poterat Divinis adesse Ministeriis, ideoque sua illum distributione privabat Candidus Episcopus. Hinc rescripsit Gregorius: *Secundùm loci ejus ordinem* L. 2. Ep. 5. *quæ ei, si sanus esset, poterant ministrari, de ipsa exiguitate, quæ Ecclesiæ potest accedere, Fraternitas tua, divini contemplatione judicii, ægrotanti præbere non desinat.* Cleri igitur portio unicuique debet juxta suum loci ordinem distribui, & ipsa ægrotus, etiam assiduus, non potest privari. Nequidem in paupere Ecclesia. Nescio quam Sanctæ Mariæ Parochialem Ecclesiam Pontifex contulit Dominico Presbytero, & scripsit ad Importunum ejus Episcopum: *Fraternitas tua ei emolumenta ejusdem Ecclesiæ faciat sine cun-* Epist. 10. *ctatione præstari.* Etiam fructus vacationis tempore perceptos. Quare tunc Pagenses Italorum Ecclesiæ habebant discretos & proprios proventus, ideoque quadripartita divisio vigebat in solis Ecclesiis Cathedralibus. Ea enim tempora necdum noverant Ecclesias Collegiatas. Brutiis, Lucanis, ac Siculis Ecclesiis laudatam divisionem videtur imposuisse per superius laudatas litteras Sanctus Gelasius. Et Siculorum Episcopi judicarunt esse Decretum onerosum ac odiosum. Admiserunt quoad tunc acquisita Ecclesiis bona, non quoad acquirenda: Hæc juxta antiquam disciplinam tenuerunt ad suam manum, imò & suis dumtaxat usibus applicarunt. Hinc ad Sanctum Maximianum Syracusæ Episcopum, suum istic Vicarium, scripsit Gregorius: *Cogno-* Lib. 3. *vimus de redditibus Ecclesiarum noviter acquisitis Ca-* Ep. 11. *nonicam dispositionem Quartarum minimè provenire, sed Episcopos locorum tantummodò distribuere Quartam antiquorum reddituum, nunc verò quæsita suis usibus retinere. Quam rem pravam, subintroductamque consuetudinem Fraternitas tua vivaciter emendare festinet, ut sive de præteritis redditibus, sive de iis quæ nunc obvenerunt, vel obvenerint, Quartæ secundùm distributionem Canonicam dispen-*

sentur. Incongruum namque est unam eandemque Ecclesiæ substantiam duplici quodammodo jure censeri, id est, usurpationis & Canonum. Petro Tricalitano Episcopo, Agrigentinæ Ecclesiæ Visitatori, adscribit totam Quartam. Ex quo lucet Ecclesiam istam, hodie opulentam, tunc fuisse inopem. Ad Gaudentium Nolæ Episcopum, Capuanæ Ecclesiæ Visitatorem, hæc scripsit: *Fraternitatem tuam præsentibus hortamur affatibus, ut Clericis Capuanæ Ecclesiæ, qui in Civitate Neapolitana consistunt, Quartam in Presbyterium eorum de hoc, quod ante Ecclesiæ singulis annis accesserit, juxta antiquam consuetudinem distribuere secundùm personarum studeat qualitatem, quatenùs aliquod stipendiorum habentes solatium, ministerium officiumque suum circa eandem Ecclesiam devotiori mente provocentur impendere.* Ex quo vides omnium istic Presbyterorum portionem non fuisse æqualem, sed pro singulorum qualitate ac ministerio variam. Longobardi tunc ceperant Capuam: Hinc istorum Presbyterorum aliqui fugerant Neapolim. Ipsis tamen solos ante fugam istam lapsos & perceptos fructus videtur Pontifex assignasse. Castorius Ariminensis Episcopus erat semper ægrotus, ideoque isti Ecclesiæ Leontium Urbini Episcopum Gregorius dedit Visitatorem, & adjunxit: *Quidquid de redditibus Ecclesiæ ipsius accesserit, quatuor juxta consuetudinem oportet fieri portiones; unam scilicet, quæ Clero præbenda sit, aliam quæ pauperibus. De reliquis autem duabus partibus tres fieri volumus: Unam sartis tectis profuturam, aliam pro sustentatione sua Castorio proprio Episcopo dirigendam, reliquam tibimet retinendam.* Visitatorem partim ex infirmi Episcopi, partim ex fabricæ Quarta sanxit stipendiandum. Cleri & pauperum portionem voluit illæsam. Catanensis Ecclesia duas Clericalis Quartæ tertias dudum diviserat in sacros Clericos, inferiores sola reliqua jubens esse contentos. Mutavit id Leo Episcopus: Duas tertias divisit in inferiorem, utpotè numerosiorem Clerum, sacrum sola reliqua jussit esse contentum. Verùm & priorem consuetudinem, & novellum hocce Statutum improbavit Gregorius, ideoque scripsit ad Leonem: *Et quia inter alia de quarta portione Clerus hoc tenendum statuit, ut unam portionem hi qui in sacro loco sunt positi, & reliquas duas Clerus accipiat, & latores præsentium Donatus Presbyter, nec non & Theodosianus atque Viator Diaconi, aliorum quoque qui in sacrato sunt Ordine constituti, relationem ad nos deferentes, conquesti sunt hoc contra antiquam consuetudinem in suo gravamine præjudicialiter statutum, quippè quia de eadem quarta semper se duas partes, & Clerum tertiam perhibent consecutum, & petierunt ne hæc definitio in suo præjudicio permaneat. Nos hoc Fraternitatis tuæ dispositioni oportere prævidimus committendum. Volumus ergò, ut quidquid Ecclesiæ tuæ ex redditu vel quolibet alio titulo fortassis accesserit, quartam exinde portionem sine diminutione aliqua debeas segregare, atque eam secundum Dei timorem Presbyteris, Diaconis, ac Clero, ut tibi visum fuerit, discretè dividere, ita sanè & unicuique, sicut meritum laboris exegerit, libera tibi sit, juxta quod prævideris, largiendi licentia, quatenùs & hi qui merentur, etiam temporali se sentiant hoc commodo consolari, & alii adjuvante Domino eorum ad melius contendant imitatione proficere.* Quarta non juxta Clericorum capita, nec juxta Ordinis gradum, sed juxta personarum merita voluit Episcopali arbitrio dispensari. Nescio quæ Italiæ Ecclesia pauperes peregrinos non susciebat hospitio, sed istud onus incumbebat civibus. Quare horum unusquisque Theodoro Episcopo aliquid contulerunt de sua substantia, & onus in Ecclesiam traduxerunt. Concordatum religiosè servari mandavit Pontifex: Existimo pauperum quartam fuisse auctam à Civibus, ideoque tribus aliis exinde fuisse majorem. Fortunatus Neapolitanus Episcopus Cleri & pauperum portiones plenè non solverat, atque ita fuerat defunctus: Restabant quadringenti solidi. Ipsos ex vacantis Ecclesiæ proventu mox solvi per Paschasium Successorem jussit Pontifex, definiens quantum unicuique Clerico, quantum occultis & mendicare erubescentibus, quantum palàm mendicantibus pauperibus esset distribuendum. Addit solidos istos per Fortunatum fuisse injustè detentos, ideoque omninò restituendos. Joannes Panormitanus Episcopus quædam cùm Clero suo circa ipsius Quartam iniit Concordata, quorum hi fuerunt capitales Articuli: *Primùm ut de redditibus Ecclesiæ quartam in integro portionem Ecclesiæ Clericis secundùm meritum, vel officium, sive laborem suum, ut ipse unicuique dare prospexeris, sine aliqua præbere debeas tarditate. De hoc verò quod ex fidelium oblatione accesserit, id est, quartam partem in solidis vel cellario, eis juxta pristinam consuetudinem dare non differas. Reliqua autem omnia mobilia in tua retineas potestate. Immobilia enim Ecclesiasticis redditibus aggregentur, ut multiplicata quantitate, Clericorum usibus proficiant.* Sunt verba Pontificis ad Episcopum, quibus adductos articulos confirmavit. Ubi rursum videt quartam istam non juxta Ordinis gradum, sed juxta personarum in ministerio meritum per omnem Italiam fuisse divisam. Quod ipsum in inferioris Ordinis Clericos servandum sanxit in litteris ad Sanctum Augustinum, adjungens hæc omnia in solis singulariter, non in communiter viventibus Clericis habere locum: Hos ex Ecclesiæ proventu mandat esse solo victu & amictu contentos, reliqua omnia pauperibus erogari.

Lib. 4. Ep. 12.

Ep. 26.

Lib. 8. Ep. 29.

Lib. 9. Ep. 29.

Ep. 42.

Lib. 11. Ep. 51.

Lib. 7. Ep. 8.

Verùm his adversari videtur Sancti Gelasii, in Sancti Ivonis Decreto exstans, ad Siciliæ Antistites Epistola: *Quomodo Præsulum nostrorum auctoritas emanavit, ut facultates Ecclesiæ Episcopi ad regendum habeant potestatem, ita tamen, ut viduarum, pupillorum, atque pauperum, nec non & Clericorum stipendia distribuere debeant, hoc eis statuimus dari, quod hactenùs decretum est. Reliquum sibi Episcopi vendicent, ut peregrinorum atque captivorum largitores esse possint.* Ecclesiasticam substantiam affirmat in solas tres, Episcopi, Cleri, & pauperum portiones dividendam, nulla facta mentione fabricæ. Episcopi portionem asserit amplissimam, ut & ipse de illa possit in pauperes esse amplissimè largus. Respondeo fabricam, licet non exprimatur, ideò non excludi.

Part. 3. c. 147.

Siculo-

Siculorum Episcopi videntur anteà profusi in semetipsos, in pauperes & Clerum fuisse contracti: Sola illis ad pondus & mensuram necessaria ministrasse. Quod ipsum viguisse videtur apud Brutios & Lucanos. Hinc per laudatas superiùs litteras quadripartitam divisionem in istarum trium Provinciarum Ecclesiis laudatus Pontifex plantavit. Verùm Apostolicæ Sedis prima mandata, dum novam figunt disciplinam, passim firmas non jaciunt radices, nec plenam statim habent executionem. Hinc & Siculorum Episcopi fuerunt in hoc puncto tergiversati. Quapropter hasce executoriales litteras submisit Gelasius, & à suis jam pridem Antecessoribus probatam & Ecclesiis impositam quadripartitam divisionem voluit etiam in Sicilia vigere ex integro, & sine Episcoporum recalcitratione custodiri. De fabrica non loquitur, quòd Clerus pro sua dumtaxat & favorabili pauperum causa querimonias detulisset. Et quòd exindè laudata divisio per Siciliam plenè obtinuerit, lucet ex variis jam adductis magni Gregorii Epistolis. Nulla Provincia aut Ecclesia tot objecit remoras: A laudato enim Gregorio memoratæ & compositæ pleræque provenerunt à Siculis. Et quòd non ad tripartitam divisionem, sed ad avitam plenæ Episcopalis potestatis consuetudinem & Canonem proclamarint, liquet ex ejusdem Pontificis Rescripto ad relationes Sancti Maximiani Episcopi Syracusani. Et ex hisce posterioribus Sancti Gelasii litteris iterum claret quadripartitam divisionem esse opus Sedis Apostolicæ. Item ipsam juxta Clericorum merita ex Episcopi arbitrio faciendam. Et sanè omni in Clericos potestate non erant hic Episcopi privandi.

Quapropter tripartita divisio fuit propria solis Hispaniarum Ecclesiis. Ità jam audivimus à Synodo Tarraconensi. Attestatur & prima Bracarensis: *Placuit ut de rebus Ecclesiasticis tres æquæ fiant portiones. Id est, una Episcopi, alia Clericorum, tertia in reparatione, vel in luminariis Ecclesiæ. De qua parte sive Archipresbyter, sive Archidiaconus illam administrans, Episcopo faciat rationes.* Illam aut Episcopo non credidit, aut potiùs ipsum hac viliori cura noluit à meliori spiritualium sollicitudine devocari. Consonat & secunda Bracarensis: *Placuit ut nullus Episcoporum, cùm per Diœceses suas ambulant, præter honorem Cathedræ suæ, id est, duos solidos, aliquid aliud per Ecclesias tollat. Neque tertiam partem ex quacumque oblatione populi in Ecclesiis Parochialibus requirat, sed illa tertia pars pro luminariis Ecclesiæ, vel reparatione servetur: Et singulis annis Episcopo indè ratio fiat. Nam si tertiam partem illam Episcopus tollat, lumen & sarta tecta abstulit Ecclesiæ.* Et Pagensibus & Cathedralibus Hispaniarum Ecclesiis discreta ac propria, nec non & tripartita fuisse bona lucidè affirmat. Quidam in Presbyterum, ejus Pagensem Clerum, ac fabricam, quidam in Pagensem Clerum, pauperes, & fabricam existimant divisa; at certum est divisa fuisse in Episcopum, Pagensem Clerum, & fabricam. Quòd enim plures Pagenses Hispaniarum Ecclesiæ tunc unicum dumtaxat Presbyterum habuerint, vario possit demonstrari testimonio, ac statim audiemus à sexta decima Synodo Toletana. Quidam igitur Episcopi sua tertia non contenti, sub Cathedratici fuco rodebant ac invadebant etiam fabricæ tertiam: Hos compescit adductus Canon, ipsorum interim avaritiæ duos adhuc solidos à quavis Ecclesia indulgens. Eandem rapacitatem damnat & tertia Toletana Synodus, quæsta *quosdam Episcopos, non sacerdotaliter, sed crudeliter desævire in suas Parochias, ideoque excepto quòd veterum constitutiones habere jubent*, videlicet excepta Episcopali tertia cum duobus è fabricæ tertia solidis, jubens quasvis exactiones denegari.

Cap. 25.

Can. 2.

Cap. 26.

Quartæ Toletanæ Synodi querimonia est longè gravior. Queritur Episcoporum quosdam tanta fordere avaritia, ut integras Pagensium Ecclesiarum oblationes seu dotes in se transcribant, atque ità à miseris per inopiam Clericis, & Divinis ipsorum officiis illas deseri cogant, atque subjungit: *Pro qua re constitutum est à præsenti Concilio, Episcopos ita Diœceses suas regere, ut nihil jure præsumant auferre, sed juxta priorum auctoritatem Conciliorum, tam de oblationibus quàm de tributis & frugibus tertiam consequantur. Quòd si amplius quidquam ab eis præsumptum exstiterit, per Concilium restauretur.* Adversùs tripartitam divisionem videntur ad avitum Canonem proclamasse, omnia Diœcesios bona revocanda tentasse ad suam manum, & Pagensium Presbyteris vix competens alimentum dedisse quidam Episcopi. Hinc divisionem istam uti antiquam & authenticam laudat adductus Canon, duobus supernumerariis solidis ipsos privat, & sancit sola sua tertia deinceps fore contentos. Hinc ad Ecclesiasticæ disciplinæ reparationem, non à membris, sed à capite inchoandam præfata nona Toletana Synodus hunc in Episcopos emisit suum primum Canonem: *Omnis itaque rei Ecclesiasticæ quantitas, sicut remedium veniæ tribuit conferenti, ità damnum ritè præparat fraudatori. Et ideò nullus Sacerdotum vel Ministrorum ex rebus Ecclesiæ, quæ in quibuscumque locis à fidelibus largiuntur, aliquid auferat, vel juri suo aut Cathedræ propriæ Civitatis connectat. Devotio enim uniuscujusque sicut gratanter votum contulit Deo, ita definivit quòd plenitudo votorum conservaretur in loco, in quo velut si collata tenentur, manet gratia offerentis, ità si frustrantur, imminet pernicies defraudantis.* Disertè sanxit, ne Pagensium Ecclesiarum dotes aut alia bona Episcopi uniant suis Cathedris, vel devocent ad suas manus, sed divisa permittant, & sua ex ipsis antiqua tertia sint contenti. Aliud attentantem Episcopum ad Metropolitam, Metropolitam autem ad Regem deferri mandat, & castigari. Plurium Pagensium Ecclesiarum substantia erat tenuis. Hinc addit sextus Canon, ut suam tertiam, *ex paterna sanctione sibi competentem*, possint remittere Episcopi, vel etiam alteri donare pauperi Ecclesiæ, & istam remissionem aut donationem fore immobilem, nec per successores posse concuti, longe minùs exsufflari. Pagenses Ecclesias duro tertiæ jugo conatus est eximere, & reddere in libertatem.

Cap. 32.

Pagenſes Luſitaniæ Eccleſias aut hæc Epiſcoporum vexatio aut alia calamitas reddiderat ruinoſas, caducas, deſolatas. Hinc Emeritenſis Synodus eſt ulteriùs progreſſa: *Benè diſpoſuit Divina gratia, quidquid unicuique Eccleſiæ à fidelibus collatum eſt, habeat. Priſcis quippe Canonibus erat decretum, ut Epiſcopus de Parochianis Eccleſiis tertiam ſequeretur, cui ſua pleniſſimè ſufficere poſſunt. Placuit huic Sancto Concilio, ut nullus Provinciæ Luſitaniæ Epiſcopus ſententiæ hujus terminum excedat, nec à qualibet Parochiana Eccleſia tertiam auferre præſumat, ſed quidquid exindè conſequi potuerat, totum in reparationem ipſarum Baſilicarum proficiat. Omnes verò Presbyteri, qui virtutem habuerint, Epiſcopo ſuo placitum faciant, ut reparare Eccleſias ſibi commiſſas intendant. Quod ſi facere diſtulerint, ab Epiſcopo ſuo diſtricti, Eccleſias ſibi creditas dignè reparent. Eccleſiæ tamen, quæ mundiales res nullas habent, ſollicitudine & diſpoſitione Epiſcopali habeant reparationem.* Aſſerit cunctis Luſitaniæ Cathedralibus Eccleſiis eſſe competentem ſubſtantiam, ideoque Pagenſium Eccleſiarum tertia nullum Epiſcopum indigere. Iſtam ergò ſancit deinceps applicandam reparandis Baſilicis, tamdiu Epiſcopos ab ipſa eſſe ſuſpenſos, & ante expletum hocce neceſſarium opus, eandem à nullo Epiſcopo prætendi aut vexari. Addit pauperum Pagorum, licet ab illis nulla detur tertia, Eccleſias Epiſcopi impenſa etiam reparandas. Item ſtatuit Cathedralis & Pagenſium Eccleſiarum bona manere diviſa: Quòd nempè Epiſcoporum aliqui ad avitam indiviſionem non ceſſarent adſpirare. Quæ Decreta poſtmodùm adeò probavit Rex Egicanes, ut ſextam decimam Toletanam Synodum fuerit adhortatus in hunc modum: *Quia comperimus, quòd multæ Dei Baſilicæ in diſperſis locis veſtrarum Parochiarum conſtitutæ, dum ad unius reſpiciunt ordinationem Presbyteri, nec aſſidua in eis ſacrificia Domino delibantur, & deſtitutæ remanent, atque ſine tectis vel ſemi-tectæ ferè noſcuntur, ſpecialiter in Canonibus adnotetis, unaquæque Eccleſia, quamvis pauperrima, quæ vel decem mancipia habere poteſt, ſui debeat cura gubernari cultoris; cæterùm ſi minùs habuerit, ad alterius Eccleſiæ Presbyterum pertinebit. Nam dum ex omnibus plurimæ Baſilicæ unius ſollicitudine reguntur, ſolitum eſt, quia & viduatæ perſiſtunt, & difficilè ſacris Cultibus ordo debitus exhibetur. Quod non tantùm Sacerdotibus Dei in culpa eſt, verùm etiam & infidelibus Judæis ridiculum adfert. Qui dicunt nihil præſitiſſe interdictas ſibi ac deſtructas fuiſſe Synagogas, cùm cernant pejores effectas eſſe Chriſtianorum Baſilicas. Pro quarum etiam reparatione à veſtra univerſitate cenſendum eſt, ut eas unuſquiſque Epiſcopus de tertiis Parochialium Baſilicarum Canonicè reſtaurandas invigilet. Qui ſi tertias ipſas conſequi noluerit, cura ſui gerendum eſt, ut Preſbyter deſtructæ Eccleſiæ exindè commiſſam ſibi Baſilicam reparet: Evidentem cenſuræ modum apponentes in Canone, qualiter debet incuriоſus quiſque Epiſcopus condemnari, ſi præſcriptum pro reparandis Dei Templis ordinem neglexerit adimplere. Nam & hoc Honorificentia veſtra promulgare curabit, ut Epiſcoporum nemo pro Regiis inquiſitionibus exhibendis Parochialium Eccleſiarum jura contingat, nec quaſcumque exindè inquiſitiones aut evectiones exigere audeat, ſed de prædiis ſuarum ſedium Regio culmini ſolita perquiſitionum obſequia deferat, nihilque de rebus earumdem Parochialium Eccleſiarum cauſa ſtipendii cujuſpiam dare præſumat. Quod ſi fecerit, duorum menſium ſpatio excommunicari ſe noverit.* Et Regio conſilio obtemperans Synodus emiſit hunc Canonem: *In medio cœtus noſtri deducta eſt quorundam conſuetudo inordinata Sacerdotum, qui Parochias ſuas ultra modum diverſis exactionibus vel angariis comprimunt, per quod quamplures Eccleſiæ deſtitutæ perſiſtunt. Idcirco unio noſtræ adunitionis decernit atque inſtituit, ut tertias, quas antiqui Canones de Parochiis ſuis habendas Epiſcopis cenſuerunt, ſi eas exigendas crediderint, ab ipſis Epiſcopis dirutæ Eccleſiæ reparentur, ſi verò eas maluerint reddere, ab earumdem Eccleſiarum cultoribus, ſub cura & ſollicitudine ſui Pontificis, reparatio eiſdem adhibenda eſt Baſilicis. Quòd ſi omnes Eccleſiæ aut incolumes fuerint, aut quæ diruptæ erant reparatæ exſtiterint, ſecundùm antiquorum Canonum inſtituta, tertias ſibi debitas unuſquiſque Epiſcopus aſſequi ſi voluerit, facultas illi omnimoda erit: Ità videlicet ut citra ipſas tertias nullus Epiſcoporum quidpiam pro Regis inquiſitionibus à Parochianis Eccleſiis exigat, nihilque de prædiis ipſarum Eccleſiarum cuiquam aliquid cauſa ſtipendii dare præſumat.* C. 5

Hiſpaniarum itaque Epiſcopi è cunctarum Pagenſium Eccleſiarum bonis non ſolùm extorquebant tertiam, ſed inſuper ex aliis duabus partibus ſolvebant Regias à ſuis Cathedralibus Eccleſiis exactiones, atque ita iſtas in caducitatem aut etiam ruinam, earumque Clericos redigebant in miſeram paupertatem. Hinc laudata Synodus ſtatuit varia. Primò, ut Regiæ exactiones è ſolis Cathedralium, quas utique ſolas Rex gravabat, Eccleſiarum bonis ſolvantur. Deindè, ut Epiſcopi aut renuncient Pagenſium Eccleſiarum tertiis, aut ad reparandas Baſilicas ipſi deinceps obligentur. Quapropter fabricæ tertia tunc fuit illic exſtincta, & adjuncta ad partem Cleri. Exindè fuit bipartita dumtaxat diviſio, verùm inæqualis. Unica tertia fabricæ, aliæ duæ partes ceſſerunt Clero. Porrò licet pauperes ſingularem iſtic partem non habuerint, non ideò fuerunt ſuo jure excluſi. Ad omnium partium ſuperflua retinuerunt avitum jus, cujus executio & diſpenſatio deinceps pertinuit ad ſingularum partium Præfectos aut Curatores. Tripartitionis auctrix Synodus credidit nec ab Epiſcopo, nec à Clero, nec à fabrica negligendos pauperes, multò minùs defraudandos.

Antiquæ diſciplinæ amans ſemper ac tenax Gallicana Eccleſia videtur nec ſub Romano Imperio, nec ſub Merovingiorum Regno ullam Eccleſiaſticæ ſubſtantiæ diviſionem admiſiſſe. Nec tripartitam, nec quadripartitam. Lucet ex Gallicanorum de hoc puncto Canonum conſequentia. Ex Canone vigeſimo ſecundo Agathenſi: *Licet ſuperfluum ſit de re nota, & antiquis Canonibus prohibita, aliquid iteratò definire, attamen quo faciliùs cupiditas aut improbitas reprimatur, id ſtatuimus, quod omnes Canones jubent, ut*

ut Civitatenſes ſivè Diœceſani Presbyteri vel Clerici, ſalvo jure Eccleſiæ, rem Eccleſiæ, ſicut permiſerint Epiſcopi, teneant. Et ex Canone trigeſimo ſexto: *Clerici omnes, qui Eccleſiæ fideliter vigilanterque deſerviunt, ſtipendia ſanctis laboribus debita, ſecundùm ſervitii ſui meritum, vel ordinationem Canonum, à Sacerdotibus conſequantur.* Per Romanam Eccleſiam inducta quadripartitio tunc adhuc erat nova, & per Italiam proficiebat. Hinc quidam etiam Gallicani Clerici ad ipſam, utpotè ſibi favorabilem, videntur adſpiraſſe. Verùm interceſſit hujus Synodi auctoritas, affirmans diviſionem iſtam antiquis, omnem Eccleſiaſticæ ſubſtantiæ adminiſtrationem ac diſpenſationem Epiſcopi arbitrio ac fidei credentibus, Canonibus notoriè adverſari, ad ipſam adſpirari à ſolis cupidis aut in ſuum Epiſcopum improbis, ideoque omni, & Civitatenſi & Pagenſi, Clero etiam deinceps vivendum antiquis juxta avitos Canones moribus, & omnia neceſſaria ex manu Epiſcopi accipienda. Non ſolius Cathedralis, ſed & Pagenſium Eccleſiarum bona in Epiſcopi arbitrio & manu confirmat: Quòd nempe & ad iſtam diviſionem Clerici adſpirarent. Addit Clericalia ſtipendia non ſecundùm Ordinis gradum aut ætatem, ſed ſecundùm Miniſterii meritum per Epiſcopos diſtribuenda: Et hoc ſecundùm ordinationem Canonum. Quòd enim Romana, uti ſuprà à magno Gregorio audivimus, quadripartitio ex Clericorum quarta, hoc antiquus Canon faciendum ſemper juſſit ex tota Eccleſiaſticæ ſubſtantiæ maſſa. Conſonat Can. 14. 15. 16. prima Aurelianenſis Synodus: *Antiquos Canones relegentes, priora Statuta credidimus renovanda, ut de his quæ in Altario fidelium oblatione conferuntur, medietatem ſibi Epiſcopus vendicet, & medietatem ſibi diſpenſandam ſecundum gradus Clerus accipiat, prædiis de omni commoditate in Epiſcoporum poteſtate durantibus. De his quæ Parochiis in terris, vineis, mancipiis atque peculiis, quicumque fideles obtulerint, antiquorum Canonum Statuta ſerventur, ut omnia in Epiſcopi poteſtate conſiſtant. De his tamen quæ in Altario acceſſerint, tertia fideliter Epiſcopis deferatur. Epiſcopus pauperibus vel infirmis, qui debilitate faciente non poſſunt ſuis manibus laborare, victum & veſtitum, in quantum poſſibilitas habuerit, largiatur.* Statuit varia. Primò, omnia & Cathedralis & Parochialium Eccleſiarum, tam mobilia quàm immobilia bona juxta antiquum Canonem mandat eſſe in manu Epiſcopi. Mancipia enim & peculia ſunt non tantùm mobilia, ſed & moventia ſemetipſa. Addit, *De omni commoditate*: Hoc eſt, & præſentia bona & futura. Secundò, & Cathedrali & Parochiali Clero aliquid concedit. Illi mediam partem, huic duas tertias factæ à populo ad Altare oblationis. Quæ enim ad Altare, quæ ad Gazophylacium, quæ ad Epiſcopi aut Presbyteri domum deberent offerri à populo, antiqui Canones diſcreverunt. Tertiò, infirmos ac pauperes non per proprium Præfectum, ſed per Epiſcopum curari mandat. Quòd nemè diſcretam illi non haberent partem, ideoque ad Cleri modum ex Antiſtitis manu deberent edere ac veſtiri. Ampliorem Pagenſibus Clericis gratiam fecit Synodus Carpentoratenſis: *Ad nos querela pervenit, quòd ea quæ à quibuſcumque fidelibus Parochiis conferuntur, ità ab aliquibus Epiſcopis præſumantur, ut aut parùm, aut propè nihil Eccleſiis, quibus collata fuerant, relinquatur. Hoc nobis juſtum & rationabile viſum eſt, ut ſi Eccleſia Civitatis ejus, cui Epiſcopus præeſt, ità eſt idonea, ut Chriſto propitio nihil indigeat, quidquid Parochiæ fuerit derelictum, rationabiliter diſpenſetur. Si verò Epiſcopum multas expenſas, & minorem ſubſtantiam habere conſtiterit, Parochiis quibus largior fuerit conlata ſubſtantia, hoc tantùm, quòd Clericis vel ſartis tectis rationabiliter ſufficiat, reſervetur. Quòd autem ampliùs fuerit, propter majores expenſas Epiſcopus ad ſe debeat revocare, ità tamen ut nihil de facultatula ipſa, vel de miniſterio Clerici loci ipſius licentiam habeant minuendi.* Quis non videat hæc emanaſſe ad Pagenſium Clericorum querimonias? Magnam illis gratiam fecit Synodus contra antiquum morem & Canonem, nullam tamen admiſit diviſionem, ſed per opulentos etiam Epiſcopos voluit omnia Pagenſium Eccleſiarum bona & adminiſtrari & diſpenſari. Ex hoc interim Decreto emanaſſe videtur conſuetudo illa, de qua ſtatuit tertia Synodus Aurelianenſis: *Si quæ oblationes in quibuslibet rebus atque corporibus collatæ fuerint Baſilicis in civitatibus conſtitutis, ad poteſtatem Epiſcopi redigantur, & in ejus ſit arbitrio, quid ad reparationem Baſilicæ, aut obſervantium ibi ſubſtantiam deputetur. De facultatibus verò Parochiarum vel Baſilicarum in pagis Civitatum conſtitutis, ſingulorum locorum conſuetudo ſervetur.* C. 5.

Ob Carpentoratenſe Decretum videntur quidam opulentarum Eccleſiarum Epiſcopi Pagenſium Eccleſiarum bona diviſiſſe, & ipſorum ſucceſſores adversùs diviſionem ad antiquos Canones reclamaſſe. Hinc à novitatibus turbas metuens Synodus, mandat inductam conſuetudinem neque concuti neque mutari. Omnem tamen adminiſtrationem credit Epiſcopo. Lucidiùs expreſſit hoc quarta ejuſdem loci Synodus: *In Pontificis poteſtate conſiſtat, qualiter pro conſervando jure Eccleſiaſtico rem poſſeſſam inter Clericos debeat communicare.* C. 18. A magni Gregorii præſertim tempore quadripartita diviſio pleniſſimè viguit per omnem Italiam, & tamen medio poſt ſæculo celebrata prima Cabilonenſis Synodus ſtatuit: *Nonnulli ex fratribus & Coepiſcopis noſtris, reſidentibus nobis in Sancta Synodo in querimoniam detulerunt, quod Oratoria per villas Potentum jam longo conſtructa tempore, & facultates ibidem collatas, ipſis quorum villæ ſunt Epiſcopis contradicant, & jam nec ipſos Clericos qui ad ipſa Oratoria deſerviunt, ab Archidiacono coercerí permittant. Quod convenit emendari. Ita dumtaxat ut in poteſtate ſit Epiſcopi, & de Ordinatione Clericorum, & de facultate ibidem collata, qualiter ad ipſa Oratoria & officium Divinum poſſit impleri, & ſacra libamina conſecrari. Quod ſi quis contradixerit, juxta priſcos Canones communione privetur.* C. 14. Quis denùo hic non videat Pagenſes Clericos non dumtaxat murmuraſſe adversùm Epiſcopos, ſed etiam ad Laicos ſuarum Eccleſiarum Fundatores habuiſſe refugium, & violenta ab ipſis

auxilia poſtulaſſe? Interim ad antiquos Canones permanſit Synodus, nec inter Cathedralis & Pagenſium Eccleſiarum bona diviſionem ſuſtinuit, moribus antiquis voluit ex ſolius Epiſcopi arbitrio & plena poteſtate omnia adminiſtrari. Admiſſam tamen à tertia Aurelianenſi Synodo exceptionem & conſuetudinem exiſtimo hic non fuiſſe exſufflatam. Et privilegio, quod Corbeienſi Monaſterio dedit, hæc inſeruit Berthefridus Ambianenſis Epiſcopus: *Epiſcopus neque in Monaſterio, ſeu in rebus aut ornamentis ipſius, neque in perſonis utatur ulla alia poteſtate. Nec Archidiaconus aut quælibet alia perſona, Ordinator Eccleſiæ Ambianenſis, quodcumque de eodem Monaſterio, ſicut de reliquis Parochiis, uſurpare aut commutare, aut aliquas res auferre, vel ſpecies, quæ ad ipſum Monaſterium ſunt collatæ, deferre ad Civitatem audeat, ut de perfecta quiete valeant ipſi Monachi per tempora exultare.* Sub Merovingenſis Regni finem emanavit hoc privilegium. Notanda ſunt ejus verba: *Sicut in reliquis Parochiis.* Edicunt omnia Parochialium Eccleſiarum bona etiam tunc pependiſſe ad manum & fidem Epiſcopi. Et iſti ſuo in illius item Monaſterii bona juri Berthefridus renuntiavit. Quòd enim omnia etiam Monaſteriorum bona olim fuerint in manu ac pleno arbitrio Epiſcopi, eſt antiquæ Diſciplinæ peritis exploratum. Magna eſt Epiſcoporum Majeſtas, altum Nomen. Et hinc prima, quæ aut à ſuis Epiſcopis, aut à Romanis Pontificibus Monachi ſollicitarunt ac impetrarunt, privilegia fuerunt bonorum diviſio, ac ipſorum adminiſtrandorum libera facultas.

Laudata indiviſio & plena Epiſcoporum in Eccleſiaſticam ſubſtantiam facultas duravit in Gallicana Eccleſia uſque ad Carolum Martellum, qui hanc poteſtatem in ſe tranſcripſit, ſubſtantiam diviſit in ſuos milites, & omnem apud nos deſtruxit Chriſtianitatem. Huic reparandæ Gregorius ſecundus Pontifex nobis Apoſtolum deſtinavit Anglicanum Sancti Benedicti Monachum Bonifacium, ad Romanæ Diſciplinæ plantandos in nobis mores ſolemni apud Sancti Petri corpus profeſſione conſtrictum, & de ipſo ſcripſit ad Thuringiæ Clerum ac Populum: *Fratrem jam & Coepiſcopum noſtrum Bonifacium vobis ordinavimus Sacerdotem. Cui dedimus in mandatis, ut de redditu Eccleſiæ vel oblatione fidelium quatuor faciat portiones; quarum unam ſibi ipſe retineat, alteram Clericis pro officiorum ſedulitate diſtribuat, tertiam pauperibus & peregrinis, quartam Eccleſiaſticis fabricis noverit reſervandam. De quibus Divino Judicio erit redditurus rationes.* Quæ poſtrema verba important plenam & efficaciſſimam voluntatem, qua Pontifex Bonifacium ad hanc in Francia plantandam quadripartitionem ſub Divini interminatione Judicii obligavit.

Ep. 4.

Notanda ſunt & hæc verba: *Pro officiorum ſedulitate diſtribuat.* Firmant Romanæ Eccleſiæ morem, quo Clericorum quartam non juxta ordinis ætatem aut gradum, ſed juxta ſingulorum in Miniſterio merita fuiſſe diſtributam, ſuprà audivimus à magno Gregorio. Et horum etiam meritorum æſtimatio erat penes ſolum Epiſcopum. Lucet ex Sancti Gelaſii, exſtante in Sancti Jvonis Decreto, ad Juſtinum Volaterranæ Eccleſiæ Archidiaconum, & Fauſtum Defenſorem Epiſtola: *Portionem quartam, quæ ad Clericos pertinet, ſua Pontifex ordinatione diſtribuat, pro ut cujuſque locum, meritumque cognoſcit.* Et hinc intellige vigeſimum tertium Canonem primæ Synodi Aurelianenſis: *Si Epiſcopus humanitatis intuitu, vineolas vel terrulas Clericis vel Monachis præſiterit excolendas, vel pro tempore tenendas, etiamſi longa tranſiſſe annorum ſpatia comprobentur, nullum Eccleſia præjudicium patiatur, nec ſæculari lege præſcriptio opponatur.* Et Symmachi Pontificis ad Sancti Cæſarii Arelatenſis Archiepiſcopi conſultationes reſponſoriam Epiſtolam: *Poſſeſſiones Eccleſiæ alienari non patimur, niſi forſitan aut Clericis honorum meritis, aut Monaſteriis religionis intuitu, aut certè peregrinis neceſſitas largiri ſuaſerit. Sic tamen, ut hæc ipſa non perpetuò, ſed temporaliter donec vixerint perfruantur.* Et quartum decimum Canonem Epaonenſem: *Quiſquis Clericus aliquid de munificentia Eccleſiæ cui ſervierat, ad ſummum Sacerdotium alterius Civitatis eſt aut fuerit ordinatus, quod dono accepit vel acceperit reddat.* Benemeritos de Eccleſia Clericos poterat non ſolùm amplioribus ſportulis aut ſtipendiis honorare Epiſcopus, ſed etiam modicas agri aut vineæ poſſeſſiones concedere in beneficium: Temporale tamen atque precarium, ex quo præſcriptio titulari non poſſet, imò nec colorari. Ea beneficia laudatus Epaonenſis Canon Eccleſiæ munificentiam ac donum, tertia Aurelianenſis Synodus vocat munera, à ſtipendiis diſtinguit, & ob quemvis exceſſum aut aliundè obvenientem vitæ commoditatem voluit Clericos ipſis privari. Ita Epiſcopi Clericos ad fidum ac fervens miniſterium hortabantur & animabant. Quæ etiam praxis mutuò deſumpta eſt ex Romano Imperio. Nam & ipſum reſpexit hæc Magiſtri noſtri Dei apud Evangeliſtam Lucam prædicatio: *Reges Gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur.* Apud Romanos aliud fuiſſe quorum vis Officialium ſtipendia, aliud ſedulorum beneficia, in primo de Auguſtæ domus officiis libro eruditè demonſtrat Jacobus Gutherius. Notanda item ſunt hæc Gregorii ſecundi verba: *De redditu Eccleſiæ vel oblatione fidelium.* Conſonat laudata Sancti Gelaſii ad Juſtinum Archidiaconum Epiſtola, mandans omnes poſſeſſionum proventus Epiſcopo tradendos, per ipſum dividendos in partes quatuor, atque adjungens: *Pariter etiam ex fidelium oblatione faciendum.* Avitam enim Epiſcoporum poteſtatem ultra neceſſarios quadripartitionis terminos mutilare noluit Romana Eccleſia: Omnia quæ olim illi in Clericos poterant ex tota maſſa, voluit adhuc poſſe ex Clericorum quarta. Et hinc medietas & duæ tertiæ, quas Cathedralibus & Pagenſibus Clericis ex Altaris oblationibus adſcripſit tertia Aurelianenſis Synodus, debent Eccleſiæ muneribus ſeu Epiſcoporum beneficiis adnumerari.

Part. 3. cap. 151.

Epiſt. 3. cap. 1.

C. 11. 18.

Cap. 22.

Cap. 37.

Gregorii itaque ſecundi mandata, ac ſuam ad Sancti Petri corpus profeſſionem adimplens Apoſtolus Bonifacius, apud Agrippinam Colo-

niam celebravit Synodum, & hunc in Sancti Jvonis Decreto cuſtoditum nobis Canonem emiſit: *Quòd Decima, quæ à fidelibus datur, Dei cenſus nuncupandus eſt, & Deo ex integro reddenda. Cujus tertia pars, ſecundùm Canonem Toletanum, Epiſcoporum eſſe debet. Nos verò hac poteſtate uti nolumus, ſed tantùm ſingulis annis quartam partem juxta uſum Romanorum Pontificum, & obſervantiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, de eadem habere volumus.* Canon lucidè clamat Epiſcopos ab avita ſua in Eccleſiæ ſubſtantiam poteſtate invitos receſſiſſe, quibuſdam placuiſſe tripartitionem Hiſpanicam, ac omnes tandem in Romanam quadripartitionem conſenſiſſe. Canonem, tamquam ſuo tempore famoſum & fundamentalem, ſuo Capitulari inſeruit, qui ſub Carolo Magno floruit, Hatto Baſileenſis Epiſcopus, atque ità conſtat ipſum tunc fuiſſe antiquum & Bonifacianum. Ipſum executioni ac obſervantiæ mandandum credidit hac via Hatto, verùm illa fuit difficilior. Lucet ex Canonum conſequentia. Etenim nec Cabilonenſis, nec Turonenſis, nec Remenſis, nec Moguntina, nec alia ſub Caroli Magni Regno aut Imperio celebrata Synodus, nullum item ejuſdem Principis Capitulare, nullam etiam ſub ejus filio Ludovico aut patre Pippino acta Synodus Romanam quadripartitionem Cathedralibus Eccleſiis imponit. Primum Ludovici Capitulare ſic habet: *Statutum eſt, quidquid tempore Imperii noſtri à fidelibus Eccleſiæ ſponte collatum fuerit, in ditioribus locis duas partes in uſus pauperum, tertiam in ſtipendia cedere Clericorum aut Monachorum, in minoribus verò locis æquè inter Clerum & pauperes fore dividendum. Niſi fortè à datoribus, ubi ſpecialiter dandæ ſint, fuerit conſtitutum.* Nihil Epiſcopo, nihil fabricæ adſcribit: Nec de quavis ſtatuit ſubſtantia, ſed de ſola ſub ſuo Imperio acquirenda. Et videtur de ſolis Monaſteriis loqui, ac Eccleſiis Parochialibus. Nam ſub ejuſdem Imperio celebrata ſexta Pariſienſis Synodus de Epiſcoporum avaritia graviſſimè queritur, & adjungit: *Quamquam auctoritas Canonica doceat, ut quarta pars Decimarum & reddituum ex oblationibus fidelium in uſus Epiſcoporum cedat, ubicumque tamen Epiſcopus ſua habet, ſuis contentus ſit; ubi autem nihil rerum Eccleſiæ ſuæ habet, accipiat de memorata quarta parte ſibi ſuiſque, non quod avaritia ſuaſerit, ſed potiùs quod neceſſitas compulerit. Cæterùm ſi accipiendi nulla neceſſitas urſerit, nihil de memorata quarta parte accipiat, ſed uſibus Eccleſiarum & pauperibus Chriſti impertiendam ſecundùm hanc diſpoſitionem relinquat.* Lucidè agit de ſolis Eccleſiis Pagenſibus, & ab ipſis Epiſcopalem quartam non vult niſi juxta præciſos rigidæ neceſſitatis limites extorqueri. Et in Canonicis ad Laudunenſem Eccleſiam de ordinato Hedenulpho Epiſcopo litteris ſcribit Hincmarus Metropolita Remenſis: *Regulam, quæ de quarta parte redditumm Eccleſiæ, juxta conſuetudinem aliarum Regionum, ità ut eſt ſcripta, Epiſcopus intelligat, & non pravè illam interpretans, perindè in his Regionibus quæ ſunt Preſbyterorum contra ſacras litteras diripiat.* Lucidè loquitur ex laudato Pariſienſi Decreto. Verba, *Juxta conſuetudinem aliarum Regionum*, reſpiciunt omninò Italiam: Edicunt conſuetudinem hanc ex ipſa veniſſe in Gallias, atque ità Pagenſium Eccleſiarum quartam etiam illic ad Epiſcopum pertinere. Quod ipſum infra ſtatim audiemus à Ratherio Epiſcopo Veronenſi. Attamen morem iſtum in Sancto Gelaſio hunc uſque non reperi, nec in Magno Gregorio. Solas etiam Pagenſes Eccleſias exprimit in ſuo Capitulari Riculphus Sueſſionenſis Epiſcopus; Unam quartam adſcribit Epiſcopo, additque, *Si velit*, hoc eſt, ſi indigeat, juxta Decretum Pariſienſe. Eandem diviſionem ſolis etiam Pagenſibus Eccleſiis diſertè imponit Synodus Namnetenſis. Quocirca in Cathedralibus Francorum Eccleſiis numquam admiſſa fuit Romana quadripartitio, aut certè non perſeveravit. Etenim communem in Clauſtro vitam, quam in Remenſi Metropoli incœperat ſub Caroli Martelli Ducatu Sanctus Rigobertus, omnibus ſuæ Monarchiæ Cathedralibus Eccleſiis impoſuerunt Carolus Magnus ac Ludovicus Pius, ideoque juxta Magni Gregorii ad Sanctum Auguſtinum pro Anglorum Eccleſia & diſciplina inſtructiones iſta quadripartita diviſione Cathedrales Francorum Eccleſiæ non habuerunt opus.

Lib. 3. c. 201.

Cap. 5.

Lib. 3. c. 31.

Cap. 10.

Africana Eccleſia diviſionem hanc ſemper ignoravit: Et tripartitam & quadripartitam. Quòd enim Sancti Auguſtini tempore & Epiſcopus & Clerici, & pauperes ex eadem maſſa viverent, ſuprà audivimus à Sancto Poſſidonio. Et ſuam quadripartitionem Romana Eccleſia tunc necdum induxerat. Ante inductam invaſa fuit à Wandalis Africa, & ſub iſto crudeli jugo ſpoliata ac pauperrima gemuit uſque ad Juſtinianum Auguſtum: Et per ipſum liberata vix umquam caruit inteſtinis motibus & bellis. Reparandæ ejus diſciplinæ ſingulariter ſtuduit Magnus Gregorius; Quod tamen laudatam quadripartitionem illi impoſuerit, nulla docet memoria, nullum teſtimonium. Sub Juſtiniano ſecundò à Saracenis invaſa eſt, & uſque huc numquam plenè liberata, atque ità his partitionibus pauperrima non habuit opus. Quòd etiam, dum ſub Romano Imperio floreret, ejus Eccleſiæ eſſent ſubſtantia mediocres, diſertè teſtatur Sanctus Auguſtinus. Illyriciana item Diœceſis ſine diviſionibus ſemper vixit juxta antiquos Canones. Licet enim ad Romanum ſpectaret Patriarchatum, Græcæ tamen linguæ cauſa Græcos & Orientales mores ſemper dilexit, apud quos omnis hæc diviſio fuit ſemper ignota. Ipſam in recuperata per Godefridum Lotharingiæ Ducem terra Sancta Urbanus ſecundus, ac in invaſo per Flandros Conſtantinopolitano Imperio plantavit Innocentius tertius, verùm cum ipſorum poſteris poſteà per Saracenos aut Græcos ejectis & ipſa fuit ejecta. Avita diſciplina, quæ omnia & Pagenſium etiam Eccleſiarum & Monaſteriorum bona ponebat ad manum & fidem Epiſcopi, & quam labentem ſuis Canonibus revocarunt Antiochena Synodus & vulgares Canones Apoſtolici: Hæc, inquam, apud Græcos diſciplina ad Magni Theodoſii tempora vix permanſit. Quod & Monaſteria paſſim, & dictæ

Ep. 225.

Ec-

Ecclesiæ tunc discreta haberent, & suo nutu administrarent bona, possit lucidè demonstrari. Verùm Græcorum disciplina non spectat ad præsentem Canonem.

Saracenica captivitas omnem in Hispania dormire fecit Ordinem, omnem Regulam: Præsertim quoad temporalia. Quod ipsum Gallia & Occidentale Imperium passa sunt post exstinctum genus Caroli Magni. Romana tunc quadripartitio variis in locis fuit variè læsa. Etenim de suis Cathedralibus Clericis plura queritur Ratherius Veronensis Episcopus. Primò, quòd suam quartam ipsi administrarent, separarent ab aliis partibus, ac inter se distribuerent. Secundò, quòd eam dividerent inter solos Presbyteros ac Diaconos. Tertiò, quòd eam non juxta merita, sed juxta capita dividerent, & quidem per villas & massas. Quartò, quòd Episcopum ab omni ejus dispensatione arcerent. Quintò, quòd inferior Clerus eis faveret & adhæreret adversùs Episcopum: Utique ex spe in has violentias suo tempore succedendi. Urget hæc in opusculo de contemptu Canonum, ac in opusculo de causis discordiæ inter se & Clerum. Hæc ab ipsis fieri affirmat ex uxorum & filiorum amore, atque hinc occasionem sumpsit in ipsorum sacrilega conjugia potenter declamandi. Et quidem omnium quatuor portionum administrationem & dispensationem spectare ad Episcopum, rectè demonstrat ex Eugenii primi, Leonis quarti, ac aliorum Pontificum Decretis: Et lucidè id ipsum docet in laudata ad Justinum Archidiaconum & Faustum Defensorem Epistola Sanctus Gelasius. Sexta Ratherii querimonia est, quòd è fabricæ quarta donari aliquid pauperibus Clerici nollent. Insigniter ostendit unam quartam posse ac debere juvari & fulciri ab alia: Deficientem à superabundanti. Et hinc ipse inferioribus per majores ab omni spæ quartæ participatione exclusis Clericis de sua succurrit Episcopali. Hinc item aliam, in Gratiani Decreto exstantem, laudati Gelasii ad eosdem Justinum & Faustum Epistolam, quæ fabricæ superflua mandat tradi enthecis, & suo tempore magnam ex ipsis construi fabricam, aut aliquam possessionem emi, intelligendam puto cum hoc moderamine: Si pauperes non indigeant. 12. Qu. 2. c. 23.

Notanda est memorati Ratherii ad Pagenses suos Clericos adhortatio: *Cùm authoritas contineat Ecclesiastica, ut de rebus Ecclesiasticis quatuor fieri debeant partes, è quibus una Episcopi, altera fabricæ Ecclesiæ, tertia Clericorum, quarta debeat esse pauperum & hospitum, si vestram pleniter habetis, de illis quæ ad Episcopum, fabricam, vel pauperes pertinent, nullam invidiam habeatis. De ipsa verò, quæ ad vos pertinet, fidem inter vos habetote, & communiter eam dividite, sive sit magna, sive sit modica. Noveritis etiam, quòd melius sit omni Christiano fraudem pati quam inferre.* Ostendit varia. Primò, quod omnia Veronensis Ecclesiæ bona fuerint divisa in duas massas: Pagensium Ecclesiarum, & Cathedralis. Omnia Pagensium Ecclesiarum bona fuere in unum confusa. Secundò, quòd etiam ex hac Episcopus suam quartam habuerit. Tertiò, quod Cleri quarta consueta fuerit dividi æqualiter in pagos, aut in Presbyterorum capita, ideoque quælibet Pagensis Ecclesia fuerit æquè dives aut pauper. Diversæ Ecclesiæ habuerunt diversam consuetudinem. Et hæc communio atque divisio in longè pluribus vacillare cœperant circa præsentis Synodi tempora: Cathedralium Clericorum quarta secari in Præbendas, Pagenses Ecclesiæ cœperant suam substantiam discernere, ac ipsæ administrare. Quin & multæ possidebantur à Laicis, multæ à Monasteriis, reliquæ spectabant ad sedem, seu ad avitam Episcopi potestatem.

Quare hæc præsentis Canonis verba, *Ecclesiæ ad sedem pertinentes, quæ solvunt tertiam, solito more persolvant Episcopis & Clericis*, respiciunt Hispanos. Nam & ipsorum Episcopi Synodo adfuerunt. E Saracenica servitute caput erigere jam cœperat Hispania, ideoque & de reparanda disciplina seriò cogitabat. Sexta decima Toletana Synodus, quæ cunctos Episcopos aut ad Pagensium Ecclesiarum tertiæ renuntiandum, aut ad ipsarum Basilicas reparandas obligaverat, induxit diversam consuetudinem. Quidam enim Episcopi renuntiarunt tertiæ, quidam ipsam cum dicto onere retinuerunt. Et ad horum Ecclesias diriguntur laudata verba nostri Canonis. Notanda sunt verba: *Episcopis & Clericis*. Utique Cathedralibus. Videntur hanc tertiam non soli Episcopo adscribere, sed sancire ipsam etiam Clero communem ac dividendam. Quod an antiquum sit, & observatum ante Saracenicam servitutem, ignoro. Certè Cathedrales aliarum gentium Clerici, exceptis Archipresbytero & Archidiacono, consueti non fuerunt de Pagensium Ecclesiarum bonis participare. Porrò dicta tertia debuit esse integra ex cunctis Pagensis Ecclesiæ proventibus. Hinc enim additur de Ecclesiis tertiam non consuetis solvere: *Tertia pars Decimarum, cum primitiis & oblationibus, quæ de cœmeteriis & defunctis consequuntur, Episcopo & Clericis assignetur.* Solas cum quibusdam oblationibus immobiles possessiones à tertia solvenda eximit, Decimas & cum primitiis faciendas ad defunctorum suffragia aut sepulturam oblationes vult isti oneri subjectas. Eandem legem statuit spectantibus ad Monasteria Ecclesiis. Etenim Monasteria in hujusmodi Ecclesiis usurpabat omnia: Et Episcopi, & Presbyteri, & pauperum, & fabricæ partem. Presbyterum dumtaxat alebant ad suum arbitrium, frequenter in pane angustiæ & aqua brevi. Ita demonstrant frequentes Presbyterorum de Monasteriis querimoniæ, & multi adversùm illa Canones. Hinc ipsa ad tertiam Episcopi partem præsens Canon obligavit. Verùm quemadmodum modica sit secuta obedientia & executio, plures suo loco Synodi docebunt. Et certè cunctis Pagenses Ecclesias & ipsarum proventus possidentibus Monasteriis frequenter inculcanda est Regula: *Res transit cum suo onere.* Cum onere non solum in Episcopum, sed præsertim in Presbyterum, pauperes item & fabricam. Ecclesia in Monasterium transiens nec iota nec apicem nativæ suæ obligationis deponit.

Et ex hucusque dictis patet quintum sextæ decimæ

mæ Toletanæ Synodi Canonem fuisse læsum à præsenti, ac mutilatum. Primò enim præsens Canon Episcopos, qui ex illius jussu ad sustentandæ fabricæ excutiendum onus suæ tertiæ renuntiarant, restituit in grandem hujus partem, nec tamen reponit in partem istius oneris. Deinde Episcopos, qui & onus & tertiam retinuerant, firmat in hujus plenitudine, nullamque facit oneris memoriam, quin imò sancire videtur istam non ampliùs impendendam fabricæ, sed Episcopo & ejus Cathedrali Clero dejnceps dividendam. Etiam resuscitat exstinctum secundæ Bracarensis Synodi Canonem. Licèt enim præter tertiam cunctis Episcopis non assignet duos Cathedratici solidos, quibusdam tamen confirmat Synodaticum & Paratam. Synodaticum alio loco abundè exposui, Paratam verò eruditus Carolus Sigonius existimat fuisse collationes, quas populus ad reparandos publicos pontes & parandas vias facere cogebatur. At certum est labi. Labuntur & illi, qui vocem *Parata* existimant barbaram. Etiam in Canonis nostri sensu est antiquissimè Romana. Etenim de Posthumio Albino Romanorum Consule, L. 42. quòd primus jusserit *ut sibi Magistratus obviam exiret, & locum publicè pararet in quo diverteretur*, scribit Titus Livius. Et hæc est omninò prima Paratæ origo. Et in funebri Valentiniani secundi Imperatoris Encomio *Mansionem Paratam* laudat Sanctus Ambrosius. Quæ vox frequentissima olim fuit apud Reges Barbaros, Etenim in tertia Marculphi formula Francorum Rex scribit ad suos Judices de domibus Episcopalibus: *Nec Mansiones aut Paratas exigetis*. Et in quarta formula: *Nullus Judex ingredi debet ad Mansiones aut Paratas faciendum*. Et in privilegio, quod Helenensi Sancti Andreæ Monasterio dedit Rex Carolus Calvus; *Nullus Judex ingrediatur ad Mansiones aut Paratas faciendas*. Quod ipsum in Narbonensis ad Sanctum Polycarpum Monasterii privilegio repetit Rex Carolomannus. Exstat utrumque privilegium in Specilegio Lucæ Tom 8. Tom. 4. Dacherii. Porrò Mansionem laudat etiam Sanctus Joannes Chrysostomus, asserens Romanum fol. 264. Imperium dividi in Civitates, Villas, ac Mansiones. Et in libro de unitate Ecclesiæ Sanctus Cap. 12. Augustinus: *Quærite Donatistæ, ab Hierusalem per terrena itinera usque in Illyricum, quot Mansiones sint*. Et in Monasticis Institutionibus Joannes Cassianus: *Septem Mansionibus, vel eo ampliùs, illius separabatur habitatio*. Et ad Chalce- Lib. 10. Cap 24.

donensem Synodum de Hæresiarcha Eutychete, quod per ipsius calumnias fuisset ad quadraginta Mansiones deportatus, questus fuit Ibas Metropolita Edessenus. Quare Romanæ Mansiones erant publica hospitia, distantia unius diei itinere, de quibus in lege ad Viventium Prætorio Præfectum scribunt Imperatores Valentinianus & Valens: *Addimus ut quisque Judex Provinciæ Præsidentem propria possessione susceperit, ager quem diversorium prædictus habuerit in transitu, Fisci viribus vindicetur. Sic enim Judices Mansiones instruere & instaurare nitentur.* Et in lege ad Mamertinum Prætorio Præfectum eidem Principes cum laude scribunt de Anatolio Consulari: *Pabula, quæ hactenùs ex Tabulariorum voluntate atque arbitrio ad mutationes Mansionesque singulas, animalibus cursui publico deputatis, repentè atque improvisè solebant convehi, nunc in consilio ratione tractata, pro longinquitate vel molestia itineris, ab unoquoque oppido, certo ac denunciato tempore devehi ordinavit.* Proindè mansiones non erant cauponæ aut tabernæ meritoriæ, sed ad Imperium spectantia, ac omnibus ad lassorum hominum & jumentorum refectionem necessariis instructa hospitia, quorum Princeps summam habebat curam. Hinc enim Judicem, qui Provinciæ Præfectum non in ipsis, sed in proprio agro suscepisset, ejusdem agri jactura & confiscatione Valentinianus & Valens mulctarunt. Suas mansiones voluerunt semper esse instructas atque paratas. Principis aut militis in alieno agro aut domo hospitium Romana Respublica non appellavit mansionem, sed Metatum. Et hinc ad omnes Clericos scripsit Constantinus Augustus: *Neque hospites suscipiatis*. Privilegium istud eadem Respublica appellabat *exemptionem ab onere Metati*. Barbarorum Reges hæc non distinxerunt: Nec enim habuerunt mansiones proprias. Hinc metatum vocarunt mansionem. Et in suis Edictis ac Præceptis mansionem ac Paratam passim conjungunt, volentes intelligi non qualemcumque mansionem, sed instructam omnibus ac plenè paratam. Itaque Episcopo à Pagensi Ecclesia deberi paratam, est & ipsi, & ipsius cum jumentis & vehiculis familiæ deberi hospitium, quod hoc tempore passim vocamus Procurationem. Et hoc Pagensibus Ecclesiis durissimum jus quibusdam Hispaniarum Episcopis, quoties Pagos suos transiverint, præsens Canon confirmat. Act. 10. L. 1. tit. 7. c. 4. Lib. 11. tit. 1. c. 9. Lib. 16. tit. 2. c. 8.

CANON XI.

ITem de Ecclesiis in Alodiis Laicorum constitutis, ut tertia pars Decimarum cum Primitiis, & Presbyterio, & cæteris, in potestate Presbyteri ad servitium ipsius Ecclesiæ sub Episcopi vel Clericorum ditione permaneant. Qui autem contrarii sanctæ Matri Ecclesiæ

clesiæ & auferunt & retinent ad ſuum opus Alodia, quæ pertinent ad communitates Canonicorum vel Monachorum, niſi reſipuerint, & reddiderint ea, prædicto anathemati ſubdantur.

SCHOLION.

QUod Pagenſium Eccleſiarum Fundatores Domicelli ipſarum paſſim ſubſtantiam invaſerint, & Presbyteros uti mancipia tractaverint hujus Synodi ſæculo, jam aliquoties eſt demonſtratum, & ſuo adhuc loco demonſtrandum. Adverſum illos ſtatuit Canon tertiam Decimarum & oblationum partem permitti Pagenſi Clero, idque in ſervitium Eccleſiæ, hoc eſt, ad ejus fabricam. Hanc enim præſertim portionem Domicelli invadebant. Et quia Canon tertiam partem fabricæ adſcribit, ſtatuere videtur de ſolis Hiſpanis. Et hinc lucet quod præcedens Canon iſtos ejuſdem gentis Epiſcopos, quibus totius ad Pagenſem Eccleſiam ſpectantis ſubſtantiæ confirmavit tertiam, abſolverit ab onere fabricæ, atque ita quinto decimæ ſextæ Toletanæ Synodi Capitulo plenè derogarit. Præſens Canon denuò addit: *Sub Epiſcopi vel Clericorum ditione*. Lucidè intelligit Clericos Cathedrales. Vult fabricæ tertiam non ex ſolo Epiſcopi, ſed etiam ex Cathedralis Cleri judicio eſſe à Pagenſi Clero diſpenſandam ac impendendam. Statuit de Decimis, primitiis, ac Preſbyterio. Per Presbyterium videntur intelligi illæ populi oblationes, quas hodie titulant Jura Stolæ. Poſterior Canonis pars ſtatuit in Domicellos, qui etiam immobiles Monaſteriorum aut Clericalium Collegiorum poſſeſſiones invaſerant, aut detinebant.

CANON XII.

ADulteros verò, incœſtuoſos, ac perjuros monemus per Domini obedientiam, & Petri Apoſtolorum Principis, & Domini Victoris, & noſtram, ut reſipiſcant à vitiis hujuſmodi, & ad dignam ſatisfactionem, ſecundùm Statuta Canonum, perveniant. Et excommunicamus id in futuro fieri nullatenùs.

SCHOLION.

GUilielmus Normandiæ Dux adhuc fœtebat in incœſtuoſo conjugio, & ejus terra gemebat ſub Eccleſiaſtico Interdicto. Eadem ſcabies graſſabatur per Franciam. Quàm horrendum porrò crimen ſit adulterium, demonſtrat primæva Eccleſiæ diſciplina, quæ tribus peccatis neceſſarium Chriſtianæ Reconciliationis Viaticum negavit etiam in mortis articulo, ipſa coegit ad perpetuam totius vitæ pœnitentiam, ſummo noſtro ad Dei Patris dexteram exaltato Pontifici JESU Chriſto reſervavit, & ad ipſum tranſmiſit ſolvenda vel retinenda. Iſtorum unum fuit adulterium, & quævis mœchia. Iſtius diſciplinæ per Zephyrinum Pontificem facta mitigatio adeò diſplicuit Tertulliano, ut à nobis, tamquam impudicitiæ palponibus, ad impugnatum à ſe anteà Montanum apoſtatare maluerit, quàm Decreto obedire. Erravit dicendo Eccleſiæ nullam in tantum flagitium eſſe à Deo creditam poteſtatem. Quòd multæ per Africam Eccleſiæ, ſalvo tamen Catholicæ fidei ac fraternitatis vinculo, Decretum ſuo adhuc tempore non admiſiſſent, teſtatur in Epiſtola ad Antonianum Epiſcopum Martyr Cyprianus. Primianum Carthaginenſem Donatiſtarum Archiepiſcopum, quòd neſcio quos mœchos admiſiſſet in Eccleſiaſticam communionem, fuiſſe à ſui Diaconi Maximiani factione degradatum demonſtrat Sanctus Auguſtinus. Factionis celebratam apud Cavernas Suſis Synodum refert & exponit in ſecunda concione ſuper Pſalmum trigeſimum ſextum. Ex quo lucet flagitium hoc etiam Hæreticis ſemper fuiſſe horrori. Eſſe homicidio gravius non vanè colligi videtur ex divino Decalogo. Etenim ejus ſecundam tabùlam, quam nos legimus, *Non occides*, *Non mœchaberis*, fuiſſe olim lectam inverſo ordine, *Non mœchaberis*, *non occides*, ſuadent multa teſtimonia. Ex iſta lectione conſtanter & confidenter ſcribit in libro de Pudicitia Tertullianus: *Ergo mœchia, quod etiam fornicationis eſt res, ſecundùm opus criminis, qualis æſtimanda ſit ſceleris, prima lex Dei præſto eſt. Siquidem poſt interdictam alienorum Deorum ſuperſtionem, ipſorumque Idolorum fabricationem, poſt commendatam Sabbathi venerationem, poſt imperatam in parentes ſecundam à Deo religionem, nullum aliud in talibus titulis firmandis muniendiſque ſubſtruxit Præceptum, quàm, Non mœchaberis. Poſt ſpiritualem enim caſtitatem ſanctitatemque corporalis ſequebatur integritas. Et hanc itaque munivit, hoſtem ſtatim ejus prohibendo mœchiam. Quale de-* Cap. 5.

le delictum, jam intellige, cujus cohibitionem poſt idololatriæ ordinavit. Eidem lectioni innixus ſcribit in alio ejuſdem libri capite: *Servatus eſt mœchiæ & fornicationi locus honoris ſui inter idololatriam & homicidium*. Utique locus medius. Eodem ordine legit Apoſtolicis temporibus vicinus Sanctus Irenæus. Etiam in ſecunda ad Januarium Epiſtola, & in vigeſimo ſecundo contra Fauſtum libro Sanctus Auguſtinus: *Non mœchaberis*, eſſe ſecundum ſecundæ tabulæ Præceptum diſertis verbis tradit in libro de decem Chordis, ac in ſecundo ſermonum fragmento. In Commentariis item ſuper Apoſtolicam ad Epheſios Epiſtolam quærit Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Quod eſt primum mandatum?* Utique poſt illud quo jubemur revereri Parentes. Et reſpondet: *Non mœchaberis, non occides*. Et in Commentariis ſuper ejuſdem Apoſtoli litteras ad Romanos Decalogum eodem ordine profitetur Theodoretus. Et quid miri? Ipſe in laudatis litteris Apoſtolus ipſum tradit ac profitetur eodem ordine. Etiam Scriptor ille, qui apud Iſidorum Mercatorem ſe titulat Clementem Romanum, in prima ſua Epiſtola docet primum peccatum eſſe idololatriam, ſecundum eſſe mœchiam. Nihilominùs in alia ſuper Apoſtolicam ad Epheſios Epiſtolam homilia ſcribit laudatus Chryſoſtomus: *Audi Moyſem dicentem, primùm, Non occides, & deinde, Non mœchaberis*. Qui varius ordo reperitur & apud alios Patres, ideoque rigida iſta opinio non eſt penitùs firma. Firma interim eſt hæc ejuſdem Chryſoſtomi in primæ ad Theſſalonicenſes Epiſtolæ Commentariis ſententia: *Unicuique Deus tribuit uxorem, naturæ conſtituit terminos, nempe cum una concubitum. Quamobrem qui eſt cum altera concubitus, eſt tranſgreſſio, & latrocinium, & quod per avaritiam & plura habendi cupiditatem infertur damnum. Imò verò eſt gravior quovis latrocinio. Non enim ita dolemus, ſi noſtræ exſportentur pecuniæ, ut ſi noſtrum matrimoniale perfodiatur cubile*. Affirmat non eſſe qualemcumque, ſed illam avaritiam, de qua Apoſtolus ad Epheſios: *Scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habet hæreditatem in Regno Chriſti & Dei*. Ubi per avaritiam intelligi non nummorum cupiditatem, ſed cuncta aut naturæ aut etiam ſolius conjugii adulteria, conſtanter docet & nervosè demonſtrat Sanctus Hieronymus. Agit enim Apoſtolus in avaritiam illam, cujus cauſa veniſſe addit iram Dei ſuper filios diffidentiæ, id eſt, ſuper Sodomam & Gomorrham. Fœda enim iſta avaritia eſt & mater & filia diffidentiæ in Dominum Deum, ſeu deſperationis. Non ſolùm à noſtra anima & corpore, ſed etiam ab ore & auribus proſcribenda ſunt iſta flagitia: Et turpiloquium in iſto ipſo Epiſtolæ loco damnavit Apoſtolus. Hinc doctrinam ſuam executus, res iſtas honeſtioribus vocabulis circumvolvit, atque ita eſt effatus. Ex his interim vides adulterium comparari idololatriæ. Hinc enim idololatriam Sacra Scriptura paſſim vocat mœchiam aut fornicationem. Etiam Gentiles Romanorum Principes ipſum percuſſerunt gladio, & Magni Conſtantini ſucceſſores ac filii Conſtantius & Conſtans in ſua ad Catullinum Africæ Vicarium lege addiderunt: *Sacrilegos nuptiarum, tamquam manifeſtos parricidas, inſuere culeo vivos, vel exurere oportet*. Exſtat lex in Codice Theodoſiano. Affirmat adulterium eſſe & ſacrilegium & parricidium: Quia nempè omnem parentelæ & cognationis ſecuritatem aufert, & violat Chriſtianum Sacramentum. Quòd non ſolùm domos & familias, ſed etiam Provincias & Regna evertat, poſſit variis demonſtrari exemplis. Imitandus eſt Iſaacius Comnenus Imperator, quem periculoſiſſimè laborantem mori maluiſſe, quàm abſentis uxoris conjugium violare, laudant meritò Joannes Schylitzes & Michael Glycas. Etiam de Ludovico ſeptimo Francorum Rege ſcribunt Joannes Bromptonus & Henricus Knyghtonus: *Rediens Rex Ludovicus de terra ſancta, cùm ex diutina continentia, prout Medici dicebant, ægritudinem incurreret, ſuaſumque ſibi foret per Medicos & Prælatos, ut ob nimiam Reginæ diſtantiam puella aliqua uteretur, reſpondit: Malo mori caſtus, quàm vivere adulter. Et ſic totum Deo committens citò convaluit*. Si præſentis Synodi tempore omnem Franciam atque Hiſpaniam decoraſſet tanta caſtimonia, hujus Canonis fræno non fuiſſet opus.

Lib. 4. cap. 27. Ep. 119. cap. 12. Cap. 53. Cap. 6. 9. Cap. 5. 6. Hom. 22. Cap. 3. Cap. 13. Hom. 17. Hom. 5. Cap. 5. Lib. 11. tit. 36. c. 4. L. 2. c. 10. C. 18. L. 2. Epiſt. 188. L. 3. c. 14. L. 2. c. 25.

Quantum perjurii horrorem Gentiles Romani habuerint, lucet ex famoſo facto Marci Attilii Reguli. Verùm Manichæi ac Priſcillianiſtæ hanc legem tenuerunt: *Jura, perjura, ſecretum prodere noli*. Et de Meſſalianis ſcribit in libro de Sectis Conſtantinus Harmenopulus: *Impunè jurant & perjurant*. Et de ſui ſæculi vitiis ſcribit ad Iſidorum Diaconum Iſidorus Peluſiota: *Multi per Deum jurantes perjurii crimine ſe devinciunt, per filiorum autem caput, ne jurare quidem audent*. Quomodo Theodoricus Francorum Rex factioſum Regni affectatorem Mundericum ſtudioſis perjuriis in mortem circumſcripſerit, refert Sanctus Gregorius Epiſcopus Turonenſis. Supra Evangelium ac Sanctorum præſertim Reliquias jurare eſt antiquiſſima Francorum conſuetudo. Quod perjurare volentes ſupra vacuas capſas jurarent, teſtantur laudatus Gregorius, ejuſdem ſupplementum, Fredegarius, & alii Scriptores: Exiſtimabant non eſſe perjurium aut peccatum. Hinc enim Capitulari ſuo Hatto Baſileenſis Epiſcopus indidit hunc articulum: *Admonendus eſt populus, ut perjurii crimen omninò devitent. Quia non ſolùm in Evangelio, vel Reliquiis Sanctorum crimen perjurii, ſed in veritate, quæ Deus eſt, ſi mentitur, perpetrare dignoſcitur*. Et in libris de Laicali inſtitutione Jonas Epiſcopus Aurelianenſis: *Putatur à quibuſdam, quòd ſolummodò ille, qui falſitatem ſuper oſſa alicujus ſancti viri, aut ſuper Reliquias, aut ſuper Altare, aut Evangelia jurat, perjurii crimine teneatur obnoxius; ille verò, qui pro qualibet re, magna aut parva, Deum teſtem invocat, & per ſanctam Trinitatem, ſuperoſque Cives jurare non trepidat, immunis habeatur à perjurio*. Et de ſuis Anglis ſcribit Radulphus de Diceto: *Diebus Sabbathorum præſtita Sacramenta, ſicut arbitrantur nonnulli, rarò*

robur

A. 1191. *robur obtinent firmitatis*. Et hi errores utramque gentem in horrenda & frequentia perjuria præcipitarunt. Quàm enim Franci & sub Merovingiis & sub Carolinis Regibus fuerint fœdati perjurio, docent prima Matisconensis Synodus,
C. 17. Aquisgranense Caroli Magni Capitulare, Concilium Meldense, Tullense secundum, & varia Episcoporum Capitularia, inter quæ omninò est & Sancti Theodulphi Episcopi Aurelianensis: *Prædicandum est etiam, ut perjurium fideles caveant, & ab hoc summopere abstineant, scientes hoc grande scelus esse, & in lege, & Prophetis, sive Evangelio prohibitum. Audivimus enim quosdam parvi pendere hoc scelus, & levem quodammodo perjuris pœnitentiæ modum imponere: Qui nosse debent talem de perjurio, qualem & de adulterio, de fornicatione, de homicidio, & de cæteris*
C. 26. *criminalibus vitiis, pœnitentiam imponendam.* Adeò malum invaluerat, ut etiam à Sacerdotibus vilipenderetur. Hunc Canonem Gratianus malè adscripsit Eutychiano Pontifici. Adversùs eandem pestem scripserunt in suis Capitularibus Herardus Turonensis, & Isaac Lingonensis Episcopus: *Testes jejuni jurent, ac priùs de perjurio*
C. 12. *moneantur*. Grassabatur enim iniquitas, de qua Rothomagense Walteri Archiepiscopi Concilium: *Quidam postposito Dei timore, Dei Ecclesiam*
C. 26. *per falsos juratores in foro Civili vel Ecclesiastico minuere, necnon & proximos suos exhæredare conantur*. Similium perjuriorum & emptores & venditores gravissimè punit ista Synodus, novissimè publicata ad calcem operum Petri Blesensis. Etiam apud Anglos olim adeò grassatum fuit istud crimen, ut ejus causa Angliam transisse in Normannorum Ducum potestatem, & lacrymabiles sub illa calamitates, scribant in
Fol. 46. Anglorum Regum historia Guilielmus Malmesberiensis, ac in Abbatum Albanensium vita Matthæus Parisiensis. Periuros fuisse frequenter divinitùs percussos docent plurima quorumvis temporum exempla, & verissima est hæc Magni Gregorii in Evangeliorum Commentariis assertio: *Ad Martyrum corpora ægri veniunt & curantur, Dæmoniaci veniunt & sanantur; perjuri veniunt & à Dæmonio vexantur*. Adjungit & exponit Meldensis Synodus. *Tantum hoc malum est, ut ad Sanctuaria Martyrum, ubi diversorum ægritudines sanantur, ibi perjuri, licet manifestè vexari interdum non videantur, justo Dei judicio à Dæmonibus arripiantur*. Postea tamen Franci C. 39. insigniter se correxerunt. Scribit enim in Sacri belli historia Baldricus Archiepiscopus Dolensis: *Franci omninò perjurium vitant*. Quòd Fol. 93. etiam Herodiana sua juramenta prævaricari nollent, nec sine inconstantiæ nota possent, testatur in suis litteris Sanctus Bernardus. Quòd tamen Epist. 219. correctio non fuerit universalis, laudata Rothomagensis Synodus, & plura testimonia evincunt. Hinc & nostra Synodus debuit manum apponere.

Incœstuosa conjugia, & cum perjuriis adulteria vetat in meritum salutaris obedientiæ, de qua jubendi formula scribit in Sancti Petri Damiani vita Joannes Monachus: *Petrus sæpè nobis referre solebat, cùm sermocinantis occasio id videretur exposcere, quo sui nos exemplo, velut ex propinquo, ad obedientiam efficaciter provocaret, quod si quid olim sibi cum obedientiæ additamento præcipi contigisset, tanto sua viscera verbum hoc illicò terrore concuteret, ut nulla injunctæ operis difficultate ab ipsius executione retardari valeret*. C. 6. Verbum istud non minùs quàm excommunicationis sententiam fuisse à Petro reveritum, etiam infrà ostendit. Quæ omnia ipse etiam Petrus confirmat in vita Sancti Romoaldi. Scio utrumque de Monachis agere, & ipsis obedientiam maximè necessariam: Est etiam necessaria omnibus Christianis, utpotè solemniter promissa in Baptismo.

CANON XIII.

CUm Hæreticis, & cum Excommunicatis ullam participationem vel societatem habentem, præcipuè excommunicamus, nisi correctionis vel admonitionis causa, ut ad fidem redeant Catholicam. Si qui autem adjuvantes, eos defendere conati fuerint, vinculo simul excommunicationis cum eis subditi permaneant.

SCHOLION.

GEneralibus adversùm Hæreticos præscriptionibus Tertullianus rectè adnumerat hanc: *Non omittam ipsius etiam conversationis hæreticæ*
C. 41. *descriptionem. Quàm futilis, quàm terrena, quàm humana sit, sine gravitate, sine auctoritate, sine disciplina, ut fidei suæ congruens*. Sana enim fides non tolerat publica, ac præsertim universalia disciplinæ vulnera. Pluribus istiusmodi vulneribus fœdari sui temporis Gnosticos demonstrat, & inter ipsa fuit: *Pacem cum omnibus miscent*. De aversanda Hæreticorum communione Apostolicum Canonem habemus in secunda Sancti Joannis epistola: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite recipere in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis*. Etiam ob hospitalitatem, ob cujus defectum ipse Diotrephem Episcopum rigidissimè damnavit, noluit Hæreticis communicari. Et hinc cum Cherinto Hæretico nec lavari in eodem balneo ausus dixit ad Collegas: *Fugiamus ocius, ne balneum, in quo*

quo est Cherintus veritatis adversarius, extemplo corruat. Ità testantur Sanctus Irenæus, Hieronymus, ac Epiphanius. Ejusdem Apostoli Discipulus Sanctus Polycarpus, Smyrnensis Episcopus, & Asiaticæ Ecclesiæ ad Romanam Legatus, obvium & salutantem Marcionem nec resalutare voluit, sed reposuit: *Cognosco primogenitum Diaboli*. Idem docuit Apostolus Paulus, Timotheo mandans Hæreticum bis corripi, & tunc tamquam incorrigibiliter Deo mortuum devitari. Et ex hisce regulis in errantis Cypriani Legatos Episcopos fecit Sanctus Stephanus Pontifex, quod scribit Firmilianus Cæsarienſis in Cappadocia Archiepiscopus: *Legatos Episcopos Stephanus patienter satis & leniter suscepit, ut eos nec ad sermonem saltem colloquii communis admitteret. Adhuc insuper dilectionis & charitatis memor præciperet fraternitati universæ, ne quis eos in domum suam reciperet, ut venientibus non solùm pax & communio, sed & tectum & hospitium negaretur*. Cum Hæreticis nihil nobis posse intercedere communionis scribit in Dialogo cum Tryphone etiam Martyr Justinus. Et Heraclam Alexandriæ Patriarcham, quòd non solùm Hæreticos, sed & omnes illis familiariter communicantes proscripserit ab Ecclesia, apud Eusebium Cæ-
L. 7. c. 6. sariensem in Ecclesiastica historia laudat illius successor Sanctus Dionysius. Et fideles unà cum Montanistis incarceratos Confessores laudans Sanctus Apollinarius Hierapolitanus in Phrygia E-
L. 5. c. 15. piscopus scribit apud eundem Eusebium: *Cum illis communicare ad extremum usque spiritum prorsùs recusarunt*. Et Pauli Samosatensis degradationem referens Antiochena Synodus, Dionysium Papam rogat, ne *communionis litteras* ipsi deinceps scribat, vel ab ipso accipiat, & adjungit: *Paulus ad Artemonem*, ejusdem cum illo sectatorem hæresis, *litteras scribat, & si qui Artemonis partibus favent, cum eo communicent*.
L. 1. c. 1. Dicit, *Communionis litteras*: Quòd communicatoriæ & familiares Epistolæ differant plurimùm, & istæ solæ vetentur scribi ad Hæreticos, af-
Epist. firmat in libris contra Petilianum, & in Epi-
163. stola ad quosdam Donatistarum Episcopos Sanctus Augustinus. Cum Catholicis aliter, aliter cum Hæreticis & per sermonem & per litteras tractandum, affirmat in Epistola ad Euphemium Constantinopolitanum Episcopum etiam Sanctus Papa Gelasius, & dat causam: *Quia ipse Dominus alio modo verba faciebat à sua prædicatione discretis, alio discipulis Regni cœlestis Secreta pan-*
Epist. 1. *debat. Consequenter quoque Apostoli non ità à suo Collegio separatis, quemadmodum fidei domesticis loquebantur*. Suæ ab omni hæresi discernendæ communionis Ecclesiam fuisse semper studiosissimam scribit in litteris ad Dardaniæ Episcopos. Quin etiam familiares litteræ non nisi ad instruendum & corrigendum, aut alia ejusmodi de causa possint scribi. Et hinc de Sancto Antonio scribit Sanctus Athanasius: *Antonius neque cum Meletianis quidquam habuit commercii, neque cum Manichæis, aliisve Hæreticis amicè contulit umquam, nisi moniturus ut mutato animo pietati se dederent. Existimabat enim & asseverabat amicitiam horum & consuetudinem esse animi*

perniciem atque interitum. Accedentes Arianos rejecit à suo monte, ipsorum sermones asserens *Serpentum veneno deteriores*. Quod ipsum moriens suis discipulis commendavit. Et de Sancto Hilario, ante Episcopatum adhuc laico, scribit in ejus vita Presbyter Fortunatus: *Quod inter mortales adhuc valde videtur difficile, tam cautum esse quemquam, qui se à Judæis vel Hæreticis cibo suspendat, adeò vir sanctissimus hostes Catholicæ Religionis abhorruit, ut non dicam convivium, sed neque salutatio cum his fuerit prætereunti communis*. De Lucio Samosatenſium Ariano Episcopo, & fidelibus ibidem pueris rem insignem memorat in Ecclesiastica historia Theodoretus: *Pueri in foro pilam mutuò contorsere, quo quidem ludo se admodum oblectabant. Fortè-fortuna, dum transibat illac Lucius, pila è manibus cujusdam pueri elapsa per asini ejus pedes provolvebatur. Pueri autem vociferari: Quippe pilam scelere pollutam existimarunt. Quin & igne accenso*
L. 4. c. 14. *eam per flammam torserunt, sicque eam purgatam sunt arbitrati*. Didicerant à suis parentibus, qui Sanctum Joannem Apostolum imitati, cum Lucii Antecessore Eunomio nec lavari in eodem balneo sustinuerant: *Aquam*, in qua ille laverat, *hæreticæ nequitiæ contagio infectam rati, in cloacam emiserant, aliamque sibi imperavant infundi*. Plura habemus ejusmodi exempla. Quin & de Valente Augusto, auxilia adversùm Barbaros sui Imperii invasores Gothos postulante à fratre suo Valentiniano, scribit idem Theodo-
C. 28. retus: *Rescripsit Valentinianus nefas esse hominem bellum gerenti cum Deo opem ferre, cujus temeritas esset meritò coercenda*. Valentinianus enim Orthodoxus, Valens erat Arianus. Quòd antiqui fideles mori & trucidari, quam Hæreticis in quovis etiam civili negotio communicare maluerint, docent exempla plurima, & Ariana sub Constantio Imperatore tempora: Plurimi exindè Martyres processerunt.

Longè minus in quavis divina re licuit ista communio. Hinc statuit vulgaris Canon Apo-
C. 63. stolicus: *Si quis Judæorum vel Hæreticorum Synagogam ingressus sit ad orandum, deponatur & segregetur*. Et Canon Laodicensis cum illis orari à nobis vetat, ipsorum celebrari festa, accedi Martyres, aut orationis vel sanitatis gratia intrari Cœmiteria aut Ecclesias: Prævaricantes aliquantisper à communione suspendit. Etiam C. 9. 32. in domo privata cum ipsis orari interdicunt con- 33. 34. stitutiones Apostolicæ apud Clementem Roma- 37. num. Et quarta Carthaginensis Synodus: *Cum hæreticis nec orandum, nec psallendum*. Quem Ca- C. 72. nonem in sermone ad populum Cæsariensem laudat Sanctus Augustinus, dicens ad Emeritum Donatistarum ibidem Episcopum: *Fratrem me accipe, ut simul oremus Patrem. Non tecum oro*. Et rogatus, *An debet Clericus præsentibus Arianis vel aliis Hæreticis orare, & an eum lædit, quando facit orationem seu oblationem*, respondit Timotheus Patriarcha Alexandrinus: *In divina oblatione Diaconus ante salutationem loquitur, Qui non communicatis ambulate. Non debent ergo intereſſe, nisi profiteantur se pœnitentiam acturos & hæresim vitaturos*. Tunc tamquam Pœnitentes aut Catechu-

menos admittit ad Narthecen : pertinacibus nullum in Ecclesia indulget locum. Ita rectè exponit Theodorus Balsamon. Quomodo Regiæ urbis Basilicas Demophilo Arianorum Episcopo abstulerit, & Sancto Gregorio Nazianzeno tradiderit Theodosius Augustus, refert Hermias Zozomenus, & adjungit : *Postquam Ecclesiam Demophilus reliquisset, ingressus Imperator preces fudit*, Et matrem suam Nonnam, quòd Hæreticorum Basilicas transiens nec salutarit, laudatus Gregorius laudat. Et de Saturnino Arelatensi, & aliis cum ipso in Arium propendentibus Episcopis scribit in libro contra Constantium Imperatorem Sanctus Hilarius Pictaviensis Episcopus : *Nec interim criminis loco duxi, quemquam aut cum his colloqui, aut suspensa licet communionis societate orationis domum adire, aut paci optanda sperare, dum erroris indulgentiam ab Antichristo ad Christum recurrentium per pœnitentiam præpararemus*. Ait se ipsorum quidem non communicasse personis, tamen adhuc intrasse Ecclesias : Quòd manifestè necdum essent Ariani, & quòd hac via speraret corrigendos. Et ad populum Mediolanensem, extra Basilicas nescientem orare, ideoque cum Ariano suo Episcopo Auxentio intrantem, hæc scripsit : *Cavete Antichristum, malè vos parietum amor cepit, malè Ecclesiam Dei in tectis ædificiisque veneramini, malè sub his nomen pacis ingeritis*. Ut cum Prophetis & Martyribus montes potiùs & sylvas, lacus, voragines, aut carceres oraturi adeant, hortatur & mandat. Ita enim in Oriente fecisse tunc fideles, plurimis testimoniis & exemplis possit demonstrari. Etiam ob Petrum Fullonem Eutychianistam intrusum in sedem Antiochenam, fideles plurimos *relictis suis sedibus cessisse* ac fugisse, testatur Felix tertius Pontifex in litteris ad Bythiniæ Clerum, & populum Constantinopolitanum, Metuebant cogi ad intrandam cum ipso Ecclesiam,

De nostris vice-versa Ecclesiis statuit laudata Synodus Laodicena : *Quòd non oportet Hæreticis concedere, ut in domum Dei ingrediantur, si in Hæresi permaneant*, Eos nec ad Narthecem aut ferulam admittendos, suprà nobis juxta Theodori Balsamonis Commentarium dixit Timotheus Patriarcha Alexandrinus. Qui tamen mos non fuit universalis. Quòd enim Sancti Augustini tempore Africana Ecclesia pertinaces etiam Hæreticos ad publicum Dei Verbum audiendum, adeoque & ad Narthecem admiserit cum Catechumenis, profitentur Canones Africani. Et Britannionem Schytarum in Thracia Episcopum, quod Valente Augusto Ariano Ecclesiam suam intrante, fugerit cum omni populo ad aliam Basilicam, laudat Hermias Zozomenus. Quoniam Principem expellere non potuerat, ipse cum populo exivit. Cur eundem Principem Sanctus Basilius etiam ad spectandum suum sacrificium admiserit intra Sanctuarium, varia à variis adducitur ratio : Ego adscribendum puto consuetis Basilii dispensationibus. Quòd item Levigildi, Arianorum Gothorum in Hispania Regis, Legatos ante Ecclesiæ ingressum Gallicani Episcopi coegerint ad Catholicæ fidei professionem, habes in Francorum Historia apud Sanctum Gregorium Episcopum Turonensem. Et in octava Synodo dixerunt de Romana Ecclesia gloriosissimi Judices : *Mos est in Romana Ecclesia, ab omni homine hospite libellum fidei exigendi, & ita permitti hunc in Sanctum Petrum intrare*. Est mos antiquissimus, Etenim etiam ad fidem reversus dixit Romæ Pyrrhus Patriarcha Constantinopolitanus : *Dignus habear Templorum Apostolorum, ac potiùs ipsorum Principum Apostolorum adoratione*. Ante professam enim fidem nulla ei fuerat spes. Ita habes in Dialogo Sancti Maximi. Et hinc Donatistis, quòd Romæ non solùm non offerre, sed neque Sanctorum Apostolorum memoriis communicare possent, improperat, atque inde Hæreticos esse præscribit Sanctus Optatus Episcopus Milevitanus. Addidit Pyrrhus : *Deindè ut videam faciem Sanctissimi Papæ*. Romana enim Ecclesia Hæreticorum communionem semper fuit adeò aversata, ut nec ad sui Episcopi videndam faciem admitteret ipsos, licet Patriarchas. Quem morem esse antiquissimum lucet ex illis, quæ in errantis Cypriani Legatos fuisse acta à Sancto Stephano Pontifice, suprà audivimus à Sancto Firmiliano.

Romanæ Ecclesiæ pro Catholicæ communionis integritate constantissimus zelus insigniter splenduit in Schismate Acaciano. Nequaquam Hæreticus, sed Petro Mogo Alexandrinæ, & Petro Fulloni Antiochenæ Ecclesiæ Eutychianistis invasoribus dumtaxat communicarat Acacius Episcopus Constantinopolitanus, ideoque natas inter ipsum & Felicem tertium Pontificem lites & apertum Schisma compositurus Anastasius Imperator, unicam à Gelasio Pontifice postulavit gratiam, ut Acacii jam defuncti, viri quoad cætera optimè de Ecclesiis meriti, nomen in sacris perseveraret tabulis, & ad sacrificium recitaretur. Verùm Gelasius reposuit : *Sicut in unaquaque Hæresi cum pravitatis auctore damnato successores ejus & complices, atque hujusmodi sectatores polluta communione permixtos Catholica vitare debet integritas, ita cum Eutychete Dioscorus, simulque Timotheus Ælurus, & Petrus Alexandrinus, ejusque communicator Acacius, nec non etiam Antiochenus Petrus, cum suis sunt omninò participibus abdicandi*, Non solùm ipsos Hæreticos, sed & quosvis ipsorum communicatores affirmat esse pollutos & scabiosos : Contagiosam esse hanc scabiem usque in infinitum, ideoque istorum nulli posse à Catholicis sine ejusdem lepræ incursu communicari, Et quia jampridem defunctus, ideoque à pœnitentiæ medicina seclusus erat Acacius, addit nullum esse remedium, nisi ut ejus contagiosum nomen ex omnibus Ecclesiarum tabulis radatur, Romanam Ecclesiam affirmat esse totius Catholicæ communionis radicem, fundamentum & centrum, ideoque uti à recta fide indeclinabilem, ita & in sua communione immaculabilem, Et ità omninò oportere, Maculata enim Romana Ecclesia omnem sibi communicantem macularet Christianitatem, atque ità Orthodoxæ communionis Sanctimoniam demutaret in monstrum fœdæ confusionis, Et hinc de Anastasio secundo Pontifice scribit liber Pontificalis : *Multi Clerici & Presbyteri*

teri se à communione Anastasii erexerunt, eo quod communicasset sine consilio Episcoporum, vel Presbyterorum, vel Cleri cunctæ Catholicæ Ecclesiæ, Diacono Thessalonicensi, nomine Photino, qui communis erat Acacio. Et quia occultè voluit revocare Acacium, & non potuit. Aliud est Romanus Episcopus, aliud Romana Ecclesia, aliud ipsius Apostolica Cathedra : Antiquissima est ista distinctio. Ne ergò maculatus Anastasius Romanam etiam Ecclesiam aut Cathedram macularet, ab ejus se communione Cardinales Episcopi ac Presbyteri, & omnis Clerus segregaverunt. Ex eodem principio Hormisda Pontifex Joanni Nicopolitano Episcopo, novæ Epiri Metropolitæ, per Dorotheum Thessalonicensem Acacianæ factionis Episcopum ad communionem exacto per pœnas gravissimas, ideoque ipsius licentiam postulanti, respondit : *Nostra quoque communio contagium sustineret*. Istiusmodi licentiam sine suæ & personæ & Ecclesiæ contagio affirmat non posse indulgeri, ideoque moriendum potiùs, quàm Dorotheo communicandum.

Et hunc Apostolicum Canonem contemni passim à Gnosticis, Valentinianis præsertim, ideoque apud ipsos non communionem Ecclesiasticam, sed esse Gentilem confusionem, Tertullianus suprà rectè præscripsit. Quòd enim Valentiniani damnarent Martyria, fidem suam occultarent, imò & negarent liberrimè, ubique communicare se fingerent, & cum ipsis etiam Gentilibus se mentirentur Gentiles, affirmat etiam Sanctus Irenæus. Eandem nequitiam omninò amplexus fuit etiam Manichæus ac Priscillianus. Solam fidem sufficere ad salutem, nullum requiri opus bonum, nullum facinus aut flagitium, ideoque & nullam communionem obesse docuit cum omnibus ex ipso natis fungis ac vermibus Simon Magus. Et adversùs hanc humanæ vitæ pestem Sanctus Jacobus Apostolus scripsit suam Epistolam. Qui postmodum per Ætium ac Eunomium resumptus, & per istius sæculi Patres in inferno sepultus error, nostro tempore per Martinum Lutherum ac Joannem Calvinum est reductus in mundum. Etiam de nescio quo Rhetorio scribit Sanctus Philastrius : *Rhetorius omnes laudat hæreses, dicens omnes benè sentire, & neminem errare ex eis, sed ambulare benè omnes illos, & malè eos non credere*. Et de Donatistis ad ipsorum in Rogati parte Cartennensem Episcopum Vincentium scribit Sanctus Augustinus : *Multi nihil interesse credentes, in qua quisque parte sit Christianus, ideò permanebant in parte Donati, quia ibi nati erant*. Cum nostris Lutheranis & Calvinistis volebant quemque salvari in sua fide, ideoque nullum à quavis communione metuendum contagium. Ejusmodi Errones apud Eusebium Cæsariensem Sanctus Serapion Patriarcha Antiochenus in litteris ad Rossensem Ecclesiam appellat opinatores. Ortos affirmat ex Apocrypho Evangelio secundùm Petrum. Quidquid sit, suo adhuc tempore grassantem fabulam acerrimè insectatur in Homilia de Evangelii profectu Sanctus Joannes Chrysostomus. Et Faustinus ac Marcellinus Presbyteri Romani in suis ad Theodosium Imperatorem precibus scribunt de lapsis in Ariminensi Concilio Episcopis : *Cùm adversùs se libros vel Epistolas singuli quique conscribant, tamen sibi omnes vel ex directa, vel ex obliqua concatenatione communicant*. Ipsorum alios Origenistas, alios Antropomorphitas, alios Apollinaristas, alios asseverant esse Arianos, & pergunt : *Inani studio Philosophorum, solis disputationibus litigantes, non ut Christiani ex devotione Sacramenti, alter alterum velut impium devitantes, ut jam sicut in scholis ingenii videatur inter eos esse certamen, non autem sacra defensio veræ Religionis, quandoquidem inter se Sacramenta non separant, cùm impiis sententiis ab invicem separentur. Hoc autem ideò faciunt, quia eorum quidam humanæ gloriæ, quidam avaritiæ student, & indè est quòd sibi invicem sub impia dissimulatione conludunt, ut nec possessiones perdant Ecclesiæ, nec honores*. Ecclesiam ab ipsis in Academiam, & sub fœdæ pacis nomine Catholicam communionem conqueruntur demutari in scabiosam confusionem, ideoque sibi potiùs cum ipsis placere bellum quàm pacem. Scio Faustinum & Marcellinum fuisse calumniosos Luciferianos : Ipsorum tamen quædam querimoniæ non caruerunt fundamento. Quidquid sit, istud ipsum facinus factioni Eusebianæ & omnibus Arianis adscribit in Epistola ad Patrophilum, & in Epistola ad Evasenos Magnus Basilius. *Unus*, inquit, *illorum scopus est ubique quæ sua sunt quærere, & pro amico habere, si quis desideriis ipsorum cooperetur, hostem verò ducant, si quis desideriis ipsorum resistat*. Patenter hæc, quasi totus mundus careat oculis, ab ipsis agi indignatur. Etiam de Iberis scribit ad septimum Ancyranum Canonem Theodorus Balsamon : *Nihil referre dicunt, an cum Orthodoxis, an cum Hæreticis comedatur*. Et de nescio quo imperito Monacho scribit & queritur in Prato spirituali Sanctus Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus : *Ubicumque eum esse contigisset, indiscretè communicabat*. Quod ipsum hodiè omnino factitant Lutherani etiam & Calvinistæ. Quis enim nesciat ab illis, ut Hæreticorum nomen & pœnas evadant, & Missas nostras audiri, & solemniter sumi etiam Eucharistiam ? Et quis nesciat istud esse consilium & dogma Calvini ? Quòd profanam istam confusionem horrendè ac frequenter castigare etiam in præsenti sæculo consueverit Divina justitia, ostendi potest exemplis multis & certis : Quædam habes apud memoratos Faustinum & Marcellinum.

Est tamen locus dispensationi ac Epickeiæ. In Regionibus enim, ubi est Hæreticorum aut Schismaticorum cum Catholicis numerosa ac inevitabilis permixtio, quis nullam etiam in Divinis quibusdam indulgeat communionem ? Moriendum potiùs est, quam ullum ab ipsis accipiendum Sacramentum : Nam & Baptisma ab ipsis susceptum non nisi in extrema necessitate permittit antiqua Ecclesiæ disciplina. Attamen sanxit quarta Carthaginensis Synodus : *Clericus Hæreticorum & Schismaticorum tam convivia quam sodalitates evitet æqualiter*. Ob nimiam Donatistarum multitudinem solis Clericis, non Laicis sanxit istam legem. Et hinc de iisdem Donatistis

tistis queritur in libris adversus Crescionium Sanctus Augustinus: *Contingat alicui vestrum orare in navi nobiscum, jam pollutus, jam traditor appellatur*. Carthaginensem, qui cum Hæreticis
L. 4. c. 37 orare vetat & psallere, Canonem vult ad solas Ecclesias & loca libera, non ad naves extendi aut similes necessitates. Eadem de causa Hæreticos atque Gentiles videntur Africani Episcopi ad publicum Dei verbum admisisse. Ex ipsa & Magnus Basilius apud Theodoreti Historiam creditur Valentem Arianum Imperatorem etiam intra sacra vela, imò & ad Altaris oblationem suscepisse. Quod tamen mirandum est potiùs, quàm imitandum. Unde quod in quibusdam Germaniæ locis Lutherani Canonici cum Catholicis stent & psallant in Choro, & quòd in eadem Ecclesia aliud Altare hi, aliud isti habeant, nullo modo est probandum. Interim in quibusdam Orientalibus Basilicis & Græci Schismatici & Latini Orthodoxi habent distincta Altaria, imò & in eodem dicuntur celebrare. Nempe Pagana sub Turcis captivitas cogit ad multa
Cap. 124. dissimulanda. Rectè tamen cum Hæreticis vetans comedi, ipsos salutari permittit in brevioribus Regulis Magnus Basilius: Quin & ita statui affirmat Divino & Apostolico Præcepto. Quomodo tamen Sanctum Joannem Apostolum, vel *Ave* illis dici vetantem, sibi conciliet, non video. Et certè omnes Apostolos idem hac in re sensisse & fecisse affirmat disertè Sanctus Irenæus:
L. 3. c. 3. *Neque verba communicarunt alicui eorum, qui adulterabant veritatem*. Interim ita servandum in sua Diœcesi Basilius non sanxit: Suum de Apostolico Canone sensum dumtaxat edixit. Plerosque enim Ponticos tunc cum Arianis comedisse non dubitem. Ut non à cunctis illis, licet pertinacibus, sed à solis belli istius auctoribus simus aversi penitùs & alieni, suadet in litteris ad Sanctum Eusebium in Euphratesia Provincia Episcopum Samosatenum. Quin suos firmiores fideles, ut cum Anomæis familiares essent, atque ipsos ita reducerent, suasit Sanctus Joannes Chrysostomus. Et in Epistola, qua cruce signatos cum
Tom. 7. f. 315. excommunicatis Venetis permittit eadem navi vehi ad Terram sanctam, addidit Innocentius tertius: *Est cautum in jure, quòd si quispiam per terram Hæreticorum transierit, necessaria emere atque recipere poterit ab iisdem*. Exstat Epistola in ejus vita publicata per Dominum Franciscum Bosquettum. De qua re vide jus noviissimum Francisci Zypæi. Porrò præsentis Synodi tempore grassabantur in Gallia Berengariani, & ipsorum Doctor à nupera sua professione erat denuò relapsus: Hinc ipsos, licet non nominet, de Hæresi iterum Synodus damnat, & tamquam solemnes Hæreticos præcipit ab omnibus devitari.

VICTORIS II. PONTIFICIS CONCILIUM COLONIENSE.

A. 1055. 1056. 1057. HAnc Synodum laudat Sigebertus Gemblacensis: *Balduinus Flandrensis cum Godefrido Lotharingiæ Duce avunculum suum Fredericum Ducem intra Antroverpum obsidet, sed concurrentibus Lothavingis ab oppugnatione desistit. Victor Papa in Gallias veniens gloriosè ab Imperatore suscipitur: Et eo præsente non multò post Imperator Henricus moritur. Et post eum filius ejus Henricus imperat annis quinquaginta. Coloniæ generali Conventu habito, Balduinus & Godefridus, mediante Papa Victore, ad gratiam Regis & pacem reducuntur. Et omnes bellorum motus sedantur.* Et Siffridus Presbyter Misnensis: *Imperator Henricus de-*
A. 1046. *functus est Leodii, & sepultus Spiræ cum Patre suo Conrado Imperatore, cujus exequiis interfuit Papa Victor, & Patriarcha Aquilejensis, & plurimi Episcopi, & Nobiles*. Henricum subitanea morte fuisse septimo decimo Imperii anno defunctum in sylva Hartz propè Butfeld, testatur in Citizensis Ecclesiæ Chronico Paulus Langius. Quod ipsum confirmat, & latiùs exponit Hermannus Contractus. Et Lambertus Schafnaburgensis:
A. 1047. *Rex natalem Domini Ratisbonæ celebravit, præsente adhuc Victore Papa, qui exinde compositis mediocriter, prout tunc copia erat, Regni negotiis, in Italiam regressus, quinto Kalendas Augusti migravit ad Dominum*. Porrò Godefridi cum Frederico
A. 1038. discordias exponit laudatus Sigebertus: *Frederico Mosellanorum Duce mortuo, quia mares filios non habebat, quibus Ducatus competeret, Gothelo Dux impetrato ab Imperatore etiam Mosellanorum Ducatu, in Lotharingia potentiùs principatur*. Hæc scribit ad undecimi sæculi annum trigesimum tertium, & ad annum quadragesimum quartum prosequitur: *Gothelo Dux obiit, cujus filius Godefridus, dum ei Ducatus Mosellanorum dene-*

denegatur, altero Ducatu repudiato, contra Imperatorem rebellat. Lotharingiæ enim Ducatus non ita pridem fuerat divisus in duos, & Henricus speraverat Godefridum istorum uno fore contentum. Pergit Sigebertus ad annum sequentem: *Godefridus hortatu quorumdam Dei fidelium ad recuperandam Imperatoris gratiam adductus, ab Imperatore capitur, & custodiæ mancipatur, sed filium suum obsidem dans relaxatur. Quo defuncto in obsidatu, ad rebellandum grassatur*. Godefridus hic
Fol. 110. fuit istius nominis Dux secundus, de quo magnum Belgii Chronicon: *Iste Godefridus genuit ex uxore sua Godefridum Gibbosum, qui ei successit in Ducatu Lotharingiæ, & unam filiam nomine Idam, quam nuptui tradidit Eustachio secundo Comiti Bolonienst, qui genuerunt Godefridum de Bullione, & fratres ejus, postea Reges in Hierusalem*. Refert ejus in Imperium facinora, & subdit: *Anno Ducatus Godefridi quarto, Albertus qui Ducatum Mosellanorum Godefrido negatum susceperat, à Godefrido perimitur. Ducatum ejus Gerardus de Alsatia, alterum verò Ducatum, scilicet Lotharingiæ, Fredericus frater Gothelonis & Godefridi Ardennensis obtinet, & ex tunc usque in hodiernum diem uterque istorum Principes & Duces Lotharingiæ se nominant*. Longa est hæc lis atque Historia. Nec illi solus Balduinus Insulensis Flandrensium Comes, sed etiam Lambertus Comes
A. 1054. Lovanienstum fuit admixtus, pergitque de ipso Sigebertus: *Henricus Imperator, filio suo Henrico puero quinquenni in Regem sublimato, Aquis contra Balduinum proficiscitur, qui Scaldim Fluvium Balduino fugiente transiens, omnia depopulatur, & insuper apertis sibi clausulæ portis multam cædem inimicorum facit, & ultra progressus, Lambertum Comitem, Balduini Satellitem, cum multis perimit. Multos etiam Flandrensium Primates, exercitum suum prosequentes, concludit intra urbem Tornacum, & obsessos capit*. De eodem Lamberto scribit in Belgico Chronico Ferreolus Lo-
A. 1047. crius: *Lambertus, cognomento Baldericus, Comes Bruxellensis, augustissimam Divæ Gudulæ Basilicam in ipsa Bruxellensi urbe condit, eoque corpus Divæ Gudulæ, è Divi Gaugerici æde transferri jubet, ubi & duodecim Canonicorum Collegium ab eodem institutum*. Francorum Monarchia ac Germanicum ab ipsa Imperium fuerunt olim divisa in Regem aut Imperatorem, Duces, & Comites. Duces Provinciarum, Comites erant Civitatum Præfecti. Nequaquam hæreditarii, sed ad supremi Principis nutum manuales juxta formam Romanæ Reipublicæ. Per exstinctum Caroli Magni genus declinante & Galliæ Regno & Germanico Imperio, & Duces & Comites cœperunt civitas erigere, & delegatam potestatem vertere in hæreditariam proprietatem. Hen-

ricus tertius pro avita dignitate Imperii, Godefridus Dux stabat firmus pro prætenso suæ familiæ jure: Et hinc horrida bella. Germaniæ fines à Flandris, Hannonibus, & Brabantis, Brabantia, Hannonia, & Flandria fuerunt vastata atque incensa à Germanis. Nam ad hos suis finibus excludendos Balduinus Comes fecit famosam fossam, quæ etiamnum hodiè titulatur fossa nova, & hodiernam Flandriam dividit ab Arthesia. Olim enim usque ad Ludovici sancti tempora duæ hæ gentes erant unica Provincia, ejusque Metropolis erat Civitas Atrebatensis. Bella hæc Sanctus Leo nonus non ita pridem composuerat: verùm post ejus mortem denuò recruduerunt. Quòd Victor secundus fuerit Henrico tertio quasi pater, & unicus Consiliarius, suprà audivimus à Leone Hostiensi Episcopo, & Sancto Petro Damiani. Hinc enim Hildebrando illum nominanti in Pontificem Henricus fuit dudum refragatus: Hinc & ipsum ob has bellorum necessitates evocavit in Germaniam. Verùm res suas componere non potuit, subitanea morte præventus. Successorem reliquit Henricum filium, puerum adhuc & ferè infantem. Quapropter Colonienstm Synodum indixit Victor, rectèque scribit Lambertus Schafnaburgensis: *Regni negotia mediocriter composuit*. Rebelli enim Godefrido omnia postulata concedere fuit compulsus. Hanc Synodum omninò respicit in sua ad Victorem Epistola Sanctus Petrus Damiani, inducens Christum Dominum hæc Pontifici inter cætera dicentem: *Sublato Re-* Epist. 5.
ge de medio, totius Romani Imperii vacantis tibi jura permisi. Affirmat Pontificem, quòd Henricus quartus adhuc esset puer, à præsenti Synodo constitutum fuisse Imperii Vicarium & Administratorem. De illius enim negotiis nemo erat instructior. Quin hic omnes suos & Sancti Leonis noni Canones innovarit, ac denuò damnarit Berengarianam Hæresim, non est dubitandum, & abundè lucet ex suprà dictis. Quin imò quòd ad damnandum Berengarium statuerit Remos proficisci, & ibidem celebraret Concilium, non obscurè colligitur ex litteris proximi ejus Successoris Stephani decimi ad Guilielmum Archiepiscopum Remensem: *De Concilio Remis habendo quid aliud dicendum, nisi quod beatæ memoriæ Dominus Victor Dei judicio hinc est raptus, & quod tu, sicut inter nos convenit, non remandasti, an in hoc esset Regis consensus*. Difficultatum & remorarum, quas in Remensi sua Synodo à Regis Ministris sustinuerat Sanctus Leo nonus, memor Victor Regium consensum jusserat Guilielmo Archiepiscopo præparandum. Verùm Henrici Imperatoris morte compulsus fuit regredi in Italiam.

STEPHANI X. PONTIFICIS CONCILIUM ROMANUM.

DE Stephano decimo scribit Lambertus Schafnaburgensis: *Fredericus Archidiaconus Constantinopoli regressus, ubi comperit Leonem Papam humanis rebus excessisse, & alium jam Ecclesiastici regiminis jura suscepisse, dona quidem, quæ ab Imperatore Constantinopolitano permagnifica deferebat, Ecclesiæ Romanæ consignavit, & statim urbe excedens, in Monasterium Cassinum se contulit, ibi deinceps Christo sub sanctæ professionis titulo militaturus. Quod factum malè plerique interpretabantur. Sed nemo qui sanum sapiebat, aliter hoc eum, quam ardore fidei & tædio sæcularium negotiorum fecisse credebat. Præsertim cùm eodem tempore & longi itineris labore exhaustus, & gravi corporis molestia pulsatus, diu se posse vivere desperaret.* Exponit Victoris secundi mortem, & pergit: *Tum universi, quidquid Principum, quidquid plebis Romanæ erat, uno animo, pari voluntate, in electionem consenserunt Frederici fratris Godefridi Ducis, extractumque de Monasterio Cassino, ubi lucerna Dei ardens & lucens sub lecto Monasticæ quietis delitescebat, super candelabrum extulerunt Sedis Apostolicæ. Nec quisquam sanè multis retrò annis, lætioribus suffragiis, majori omnium exspectatione, ad regimen processerat Romanæ Ecclesiæ. Sed tantam spem, heu! frustrata est mors immatura.* Mortuum enim ait quarto Kalendas sequentis Aprilis, & translatum ad Angelorum gaudia, & adjungit. *Indicio sunt signa & prodigia, quibus sepulchrum ejus usque hodie illustratur.* Rationes, ex quibus Monasticum hunc ingressum aliqui habuere suspectum, edicit Sigebertus Gemblacensis: *Fredericus filius Gothelonis Ducis, ex Clerico Sancti Lamberti septimus Levita Romanæ Ecclesiæ, quia exosus erat Imperatori Henrico pro odio fratris sui Godefridi Ducis, post Legationem Constantinopolitanam apud Cassinenses Monachus, & posteà Abbas est factus.* Ob rebellem fratrem creditus est ab adversario Imperatore & ejus Protectore Pontifice sibi timuisse, ideoque se clausisse in Monasterio. Et præsertim quia posteà se permisit eligi in Abbatem. Et certè quòd fratri suo faverit, ac etiam jam Pontifex de ipso in Henrici pueri Regnum intrudendo humanas cogitationes fuerit passus, testatur in Cassinensis Monasterii Chronico Leo Episcopus Hostiensis.

A. 1055.

A. 1057.

A. 1058.

A. 1058.

Lib 1. c. 99. & 100.

Electum dicit in Ecclesia Sancti Petri ad Vincula in Festo Sancti Stephani Papæ & Martyris, hinc ex Frederico appellatum Stephanum, & prosequitur: *Quatuor mensibus Romæ remoratus est, crebris Synodis urbis Clerum populumque conveniens, maximeque conjugitis Clericorum & Sacerdotum, consanguineorumque copulationibus tollendis insistens.* Quot pauco isto tempore Synodos celebrarit, ignoratur. Acta enim Synodalia latent aut perierunt. Ejus adversùs sacrilega sacrorum Clericorum conjugia Synodale Decretum laudat etiam in litteris ad Cunibertum Taurinensem Episcopum Sanctus Petrus Damiani, istiusmodi Clericorum varias divinas percussiones referens, & adjungens: *Alio quoque tempore, cùm Papa Stephanus, qui zeli Phinees æmulabatur ardorem, omnes Clericos Romæ, qui post interdictum Papæ Leonis incontinentes exstiterant, de Conventu Clericorum & Choro Ecclesiæ præcepisset exire, ut quamquam relictis fœminis per pœnitentiæ se lamenta corrigerent, tamen quia sancto viro inobedientes fuerant, & de Sacrario ad tempus exirent, & celebrandæ Missæ licentiam de cætero non sperarent, juxta Canonicam beatæ Ceciliæ trans Tyberim constitutam Presbyter habitabat, qui nec fœminam ullo modo acquiescebat abjicere, nec umquam poterat hæc Statuta, nisi vana prorsus & frivola judicare: Quadam itaque die, dum incolumis, vegetus, ac robustus existeret, vespertinis horis ad quiescendum se in lecto composuit. Sed repentinæ divinæ ultionis animadversione percussus, manè repertus est cadaver exanime. Illicò præfatæ Canonicæ Religiosus certè conventus duos ad me Clericos direxerunt, quæ tali deberent mortuo consulentes; Nos consilium dedimus, ut eum quidem, quia Presbyter fuerat, penes Ecclesiam sepelirent, sed nullum ipsi vel Hymnorum vel Psalmodiæ officium redderent: Quatenùs & incæstis terror accresceret, & castitatis gloria germinantiùs pullularet.* Sancti Leonis noni de sacrilegis istis conjugiis Decreta adjectis in ipsorum prævaricatores pœnis Stephanus confirmat. Et hinc statuit in solos Clericos urbis Romanæ.

Aliud ejusdem Pontificis Synodale Decretum refert memoratus Leo Hostiensis Episcopus: *Post hæc congregatis intra Ecclesiam Episcopis, & Clero, populoque Romano, sub districta nimis inhibitione Stephanus constituit, ut si, antequam Hildebrandus Romanæ Ecclesiæ tunc Subdiaconus, ab Imperatrice,* Lib. 2. c. 101.

ratrice, ad quam pro quibusdam Reipublicæ negotiis communi consilio mittebatur, rediret, se mori contingeret, nullus omninò Papam eligere auderet, sed usque ad illius reditum Sedes Apostolica intacta vacaret, ejus demum ordinanda consilio. Summi talenti vir fuit iste, tunc adhuc solùm Subdiaconus, postmodùm Papa Gregorius septimus, Hildebrandus. Quòd vacante per Sancti Leonis noni mortem Sede, Romanus Clerus novi Pontificis electionem in ipsum compromiserit, ac ille solus Victorem secundum elegerit, est suprà ostensum. Papalem electionem sine ipso non attentandam, sed ejus consiliis dirigendam, denuò sanxit hæc Synodus. Quòd nempè Stephanus Pontifex esset infirmæ valetudinis, & crederetur non dudum victurus. Et melior Romani Cleri & populi pars omninò obedivit. Etenim Joannem Velitrensem Episcopum, à paucis factiosis intrusum & vocatum Benedictum decimum, admittere noluit, exspectavit Hildebrandi è Germania reditum, Senas ad ipsum accessit, & cum ipso elegit Gerardum Florentinum Episcopum, & appellavit Nicolaum secundum. Hunc confirmavit Henricus quartus Imperator, & omnis Ecclesia in verum Pontificem admisit.

Alia ejusdem adhuc Pontificis Decreta adduc memoratus Leo, affirmans ipsum in festo Sancti Andreæ accessisse ad Cassinense Monasterium, ibidem permansisse usque ad decimam Februarii diem, & subnectens: *Quoniam vitium proprietatis paulatim à prioribus annis irrepserat in Cassinense Monasterium, cœpit Stephanus omnibus modis insistere, opportunè importunè arguens, obsecrans, increpans, districtiùs inhibens, ut prædictum vitium juxta mandatum Regulæ radicitùs velleret. Quod ex parte maxima fecit. Tunc & Ambrosianum cantum in ista Ecclesia cani omninò interdixit.* Ecclesia enim Romana semper stetit constans pro cantu & officio Gregoriano. Verùm hæc Decreta non fuerunt Synodalia, sed quod Fredericus Abbas non potuerat, solus Stephanus Papa in isto tandem Monasterio perfecit. Eodem præsente electus est in Abbatem frater Desiderius, & ab ipso confirmatus. Verùm sub conditione. Etenim uti Leo nonus Tullensem, & Victor secundus Eistetensem Episcopatum, ita Stephanus Cassinensem Abbatiam cùm Papatu retinuit. Desiderii electionem & confirmationem priùs post suam mortem voluit valere, nec ipsum anteà esse Abbatem. Hic est ille Desiderius, qui Gregorio septimo succesit infeliciter, appellatus Victor tertius. L. 3. c. 8.

NICOLAI II. PONTIFICIS CONCILIUM ROMANUM.

NIcolaus Episcopus, servus servorum Dei, omnibus Episcopis Catholicis, cunctoque Clero & Populo salutem carissimam, & benedictionem Apostolicam. Vigilantia universalis regiminis assiduam sollicitudinem omnibus debentes, saluti quoque vestræ providentes, quæ in Romana Synodo nuper celebrata, coram centum tredecim Episcopis, nobis licet immeritis præsidentibus, sunt Canonicè constituta, vobis notificare curamus, quia ad salutem vestram executores eorum vos esse optamus, & Apostolica auctoritate jubendo mandamus.

CANON

CANON I.

De Electione Romani Pontificis.

PRimò namque inſpectore Deo, ſtatutum eſt, ut Electio Romani Pontificis in poteſtate Cardinalium Epiſcoporum ſit: Ita ut ſi quis Apoſtolicæ Sedi ſine præmiſſa concordi & Canonica Electione eorùm, ac deinde ſequentium Ordinum Religioſorum, Clericorum & Laicorum conſenſu inthronizatur, is non Papa, vel Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus habeatur.

DECRETUM DE EADEM RE.

IN nomine Domini noſtri & Salvatoris *JESU CHRISTI.* Anno ab Incarnatione ejuſdem milleſimo quinquageſimo nono, menſe Aprili, indictione duodecima, propoſitis Sacro-ſanctis Evangeliis, præſidente quoque Reverendiſſimo ac Beatiſſimo Nicolao Apoſtolico Papa, in Baſilica Lateranenſis Patriarchii, quæ cognominatur Conſtantiniana, conſidentibus etiam Reverendiſſimis Epiſcopis, Abbatibus, Presbyteris, Diaconis, idem Venerabilis Pontifex auctoritate Apoſtolica decernens de Electione Summi Pontificis, inquit: Novit Beatitudo veſtra, Dilectiſſimi Fratres Coepiſcopi, inferiora quoque membra Chriſti non latuit, defuncto piæ memoriæ Domino Stephano Prædeceſſore noſtro, hæc Apoſtolica Sedes, cui auctore Deo deſervio, quot adverſa pertulerit, quot denique per Simoniacæ Hæreſeos trapezitas repetitis malleis, crebriſque tunſionibus ſubjacuerit, adeò ut columna Dei Viventis jam jam videretur penè concuſſa nutare, & ſagena Summi Piſcatoris, procellis intumeſcentibus, cogeretur in naufragii profunda demergi. Unde, ſi placet Fraternitati veſtræ, debemus, auxiliante Deo, futuris caſibus prudenter occurrere, & Eccleſiaſtico ſtatui, ne recidiva, quod abſit, mala prævaleant, præcavere. Quapropter inſtructi Prædeceſſorum noſtrorum, aliorumque Sanctorum Patrum auctoritate, decernimus atque ſtatuimus, ut obeunte hujus Romanæ univerſalis Eccleſiæ Pontifice, imprimis Cardinales Epiſcopi diligentiſſimè ſimul de electione tractantes, mox Chriſti Clericos Cardinales adhibeant, ſicque reliquus Clerus & Populus ad conſenſum novæ electionis accedat, nimirùm prævidentes, ne venalitatis morbus aliqua occaſione ſubrepat. Et ideò Religioſiſſimi Viri Præduces ſint in promovenda Pontificis electione, reliqui verò ſequaces. Certus verò atque legitimus electionis ordo perpenditur, ſi perſpectis diverſorum Patrum Regulis ſive Geſtis, etiam illa Beati Leonis Prædeceſſoris noſtri ſententia recolatur: *Nulla ratio ſinit, ut inter Epiſcopos habeantur, qui nec à Clericis ſunt*

ſunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à Comprovincialibus Epiſcopis cum Metropolitani judicio conſecrati. Quia verò Sedes Apoſtolica cunctis in orbe terrarum præfertur Eccleſiis, atque ideò ſuprà ſe Metropolitanum habere non poteſt, Cardinales Epiſcopi procul dubio Metropolitani vice funguntur, qui videlicet electum Epiſcopum ad Apoſtolici culminis apicem provehant.

Eligant autem de ipſius Eccleſiæ gremio, ſi reperitur idoneus; vel ſi de ipſa non invenitur, ex alia aſſumatur, ſalvo debito honore & reverentia dilecti filii noſtri Henrici, qui in præſentiarum Rex habetur, & futurus Imperator, Deo concedente, ſperatur, ſicut jam ei conceſſimus, & Succeſſoribus illius, qui ab Apoſtolica Sede perſonaliter hoc jus impetraverint. Quòd ſi pravorum atque iniquorum hominum perverſitas ita invaluerit, ut pura, ſincera, atque gratuita fieri in urbe non poſſit electio, Cardinales Epiſcopi cum Religioſis Clericis, Catholiciſque Laicis, licet paucis, jus poteſtatis obtineant eligere Apoſtolicæ Sedis Pontificem, ubi congruere viderint. Planè poſtquam electio fuerit facta, ſi bellica tempeſtas, vel qualiſcumque hominum conatus malignitatis ſtudio reſtiterit, ut is qui electus eſt, in Apoſtolica Sede juxta conſuetudinem authorizari non valeat, Electus tamen, ſicut verus Papa, obtinet auctoritatem regendi Romanam Eccleſiam, & diſponendi omnes facultates illius. Quod Beatum Gregorium antè ſuam conſecrationem feciſſe cognovimus.

Quòd ſi quis contra hoc noſtrum Decretum, Synodali ſententia promulgatum, per ſeditionem vel præſumptionem quolibet ingenio electus, aut etiam ordinatus, ſeu inthronizatus fuerit, auctoritate Divina, & Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, perpetuo anathemate cum ſuis auctoribus, fautoribus & ſequacibus à limine ſanctæ Dei Eccleſiæ ſeparatus, abjiciatur ſicut Antichriſtus, invaſor, & deſtructor totius Chriſtianitatis. Nec aliqua ſuper hoc audientia reſervetur, ſed ab omni Eccleſiaſtico gradu, in quocumque fuerat priùs, ſine retractatione deponatur. Cui quiſquis adhæſerit, vel qualemcumque tamquam Pontifici reverentiam exhibuerit, aut in aliquo eum defendere præſumpſerit, pari ſententia ſit mancipatus.

Quiſquis autem hujus noſtræ decretalis ſententiæ temerator exſtiterit, & Romanam Eccleſiam ſua præſumptione confundere, & conturbare contra hoc Statutum tentaverit, perpetuo anathemate, atque excommunicatione damnetur, & cum impiis, qui non reſurgent in judicio, reputetur. Omnipotentis iram contra ſe ſentiat, & Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, quorum Eccleſiam præſumit confundere, in hac vita & in futura furorem ſentiat. Fiat habitatio ejus deſerta, & in tabernaculis ejus non ſit qui inhabitet. Fiant filii ejus orphani, & uxor ejus vidua. Commotus commoveatur ipſe, & filii ejus, & mendicent, & ejiciantur de habitationibus ſuis. Scrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam ejus, & diripiant alieni labores ejus. Orbis terrarum pugnet contra eum, & cuncta elementa ſint ei contraria, & omnium Sanctorum quieſcentium merita illum confundant, & in hac vita ſuper eum

apertam

apertam vindictam ostendant. Observatores autem hujus nostri Decreti Omnipotentis Dei gratia protegat, & auctoritas Beatorum Apostolorum Petri & Pauli ab omnium peccatorum vinculis absolvat.

SCHOLION.

VArio tempore variam Papalis electionis formam, singulasque istius varietatis origines & causas exponere est magni moliminis opus, accuratè præstitum ab erudito Onuphrio Panuino, quod utinam tandem aliquando fiat publici juris. Uti magnus thesaurus servatur in Vaticana Bibliotheca. Hujus interim edendi Canonis causam vides fuisse natas in Nicolai secundi Electione Schismaticas turbas, de quibus
A. 1048. in suo Chronico Matthæus Palmerius: *Pontifex centesimus sexagesimus primus, Benedictus decimus, mensibus novem. In Electione hujus Benedicti quidam pretio corrupti magnas dissensiones inter Patres suscitaverunt. Quapropter de Pontifice deligendo, nova constitutio facta est, quam Nicolaus post assumptionem suam statim sancivit, & observari decrevit.* Erat Benedictum hunc fuisse legitimum Pontificem. Rationem scribit Lambertus Schafnaburgensis: *Sedem Apostolicam, inconsulto Rege & Principibus, invasit quidam Benedictus Lateranensis, adjutus factione popularium, quos pecunia corruperat.* Licet tempore prior, omninò tamen fuit intrusus atque Schismaticus, ideoque & postmodùm, etiam post petitam humiliter veniam, à Nicolao Pontifice degradatus, & donatus sola communione Laica, uti ex Vaticano Codice, qui inscribitur liber Censuum, & aliis ex documentis ostendit Cardinalis Cæsar Baronius. Non igitur huic Benedicto, sed Stephano nono Nicolaus secundus successit.

Hunc nostrum Canonem laudat etiam in litteris ad Cadaloum, ex Parmensi Episcopo Antipapam adversùs Alexandrum secundum, Sanctus Petrus Damiani: *Quo pacto præsumpsisti,*
Lib. 1. Ep. 20. *ignorante Romana Ecclesia, Romanum te Episcopum eligi? Taceamus interim de Senatu, de inferioris ordinis Clero, de populo. Quid tibi de Cardinalibus videtur Episcopis? Qui videlicet Romanum Pontificem principaliter eligunt, & quibusdam aliis prærogativis non modò quorumlibet Episcoporum, sed & Patriarcharum atque Primatum jura transcendunt.* Primævam, Judæis olim à Deo Optimo Maximo traditam, & ab Apostolis in Ecclesias introductam, eligendorum Episcoporum formam, edicit in litteris ad Legionensem, Asturicensem, ac Emeritensem Ecclesiam Sanctus Cyprianus: *Diligenter de traditione Divina,*
Epist. 68 *& Apostolica observatione observandum est & tenendum, quod apud nos quoque, & ferè per Provincias universas tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem cui Præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem Provinciæ proximi quique conveniant, & Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè novit, & uniuscujusque actus de ejus conversatione perspexit. Quod & apud vos factum videmus in Sabini Collegæ nostri ordinatione, ut de universæ fraternitatis suffragio, & de Episcoporum, qui in præsentia convenerant, quique de eo ad vos litteras fecerant, judicio Episcopatus ei deferretur.* Hanc eligendi formam dicit esse traditionem Divinam & observationem Apostolicam: Quòd Judæis à Deo tradita, & per Apostolos fuisset in Ecclesiam traducta. Insigniter id ibidem ostendit, & adjungit. *Videmus de Divina auctoritate descendere, ut Sacerdos, plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur.* Ubi quosdam codices habentes, *A plebe præsente deligatur*, eruditus vir Nicolaus Rigaltius rectè castigat. Etenim de Sancti Cornelii Pontificis Electione scribit idem Cyprianus ad Antonianum Episcopum: *Cornelius factus est Episcopus à plurimis Collegis nostris, qui tunc in urbe Roma aderant. Factus est Episcopus de Dei & Christi ejus judicio, de Clericorum penè omnium testimonio, de plebis quæ tunc adfuit suffragio, & de Sacerdotum, antiquorum & bonorum virorum, Collegio.* Quidam Codices legunt, & certè meliùs, *Consensu*. Cleri testimonium, populi suffragium, & Episcoporum distinguit Collegium seu consensum, atque ab hoc solo dicit fieri novum Episcopum: Eum non à populo aut Clero, sed à solis dicit eligi Episcopis, Clero & populo præsente. Quòd nempè soli Episcopi decisivum haberent calculum, quem suo super Electum testimonio Clerus, suo suffragio populus confirmarit. Provinciæ Episcopum à suis Comprovincialibus, Romanum autem Pontificem à cunctis in urbe præsentibus Episcopis affirmat consuetum eligi: Quod nempè uti in Primatis aut Patriarchæ Electione cuncti ad ejus Diœcesim spectantes, ità in universalis Antistitis promotione cuncti sub cœlo Episcopi haberent jus activæ vocis. Ut ab Episcoporum Collegio, Clericorum suffragio, & populi postulatione eligatur Episcopus, per Ecclesiasticas Sanctiones statui affirmat etiam in litteris apud Ecclesiasticam
L. 4. c. 20. Theodoreti Historiam exstantibus Petrus Patriarcha Alexandrinus. Et adversùm Eusebianæ factionis, Sanctum Athanasium à sex dumtaxat aut septem Episcopis fuisse clandestinè electum impudenter ubique blaterantis, mendacia respondit in litteris ad omnes sub cœlo Orthodoxos Episcopos Alexandrina Synodus: *Nos cum tota Civitate & universa Provincia testamur, omnem multitudinem, populumque Catholicæ Ecclesiæ in unum coactum, quasi in speciem unius corporis & animæ, clamoribus & vociferationibus postulasse Athanasium Ecclesiæ Episcopum dari, idque votis publicis à Christo expetisse, nosque ut faceremus, per multos dies & noctes jure jurando obtestatos fuisse.* Voces, *Nosque ut faceremus*, lucidè edicunt decisivum calculum fuisse solorum Episcoporum. Quod ipsum in litteris ad Leonem Augustum, exstantibus post

Ep. 22. post Synodum Chalcedonensem, scribit eadem Ægyptiaca Synodus, affirmans ita præcipi à Patrum Regulis & antiqua consuetudine, ideoque populari violentia intrusum Timotheum Ælurum supplicans uti tyrannum expelli. Et hanc, quæ innumeris testimoniis atque exemplis firmari possit, eligendi formam stabilivit
C. 12. 13. Synodus Laodicensis, Metropolitæ & Comprovincialium Collegarum judicio mandans creari Episcopos, ipsorumque electionem popularibus turbis non permitti. Tumultuosa & conspiratoria acclamatione certum sibi Episcopum populus quandoque postulaverat, atque ad illum eligendum & sibi dandum cogebat Episcopos. Hunc abusum Synodus damnat. Qui nullum invitis dandum Episcopum, sed Cleri, populi, ac Ordinis consensum ac desiderium esse requirendum scripsit ad Viennensis ac Narbonensis Provinciæ Episcopos Sanctus Pontifex Cælestinus, Apuliæ & Calabriæ Episcopis jussit docendum ac ducendum in hoc negotio populum, non sequendum. Etiam Sacro-sancta Nicæna
Cap. 4. Synodus statuit: *Episcopum convenit ab omnibus, qui sunt in Provincia, Episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, tribus tamen omnimodis in id ipsum convenientibus, & absentibus quoque parimodo decernentibus, & per scripta consentientibus, tunc Ordinatio celebretur.* Loquitur præsertim de Consecratione. Quin tamen etiam de electione loquatur, non est dubitandum. Loquitur cum suprà laudatis Sancti Cypriani litteris, affirmantibus Sabino de universæ fraternitatis suffragio, & de Episcoporum, qui in præsentia convenerant, & qui absentes de eo litteras fecerant, judicio fuisse delatum Episcopatum. Episcoporum judicium distinguit contra Cleri & populi suffragium. Eademque phrasi usum fuit Concilium Laodicenum. Vox, *Judicium*, apud Patres nostros importabat decisivum calculum. Quæ disciplina, apud Græcos semper permansit constantissima, apud nos Latinos non item. Circa Damasi aut Siricii Pontificis tempora, nescimus ex quo principio, eligendi Episcopi auctoritas in Civitatis Clerum & populum fuit traducta. Ipsam Episcopis, quòd Clerus & populus non rarò abuterentur, restituere conata frequenter est Gallicana Ecclesia, præsertim celebrata apud Sanctam Macram Synodus, ex cujus nomine adversùs Belluacensis Ecclesiæ abusum scripsit ad Ludovicum tertium Francorum Regem
Ep. 12. Hincmarus Metropolita Remensis: *Relectis coram omnibus, qui adfuerunt, sacris Canonibus, secundùm easdem sacras leges constituimus designatos ex nomine dilectos fratres & venerabiles Coepiscopos nostros, per quos vestræ Dominationi litteras direximus, in quibus inter cætera hæc continentur. Ut sicut sacræ leges & Regulæ præcipiunt, Archiepiscopis & Episcopis collimitanearum Diœcesium electionem concedere dignemini, ut undecumque secundùm formam Regularem electionis, Episcopi talem eligant, qui & sanctæ Ecclesiæ utilis, & Regno proficuus, & vobis fidelis ac devotus Cooperator existat: Et consentientibus Clero & plebe eum vobis adducant, & secundùm ministerium vestrum res & facultates Ecclesiæ dispositioni ejus committatis, & cum consensu & litteris vestris eum ad Metropolitanum Episcopum ac Coepiscopos ipsius Diœceseos, qui eum ordinare debent, transmittatis.* Hanc esse avitam, quam & Nicæna Synodus confirmavit, eligendi formam multis ostendit. Eandem restituere conata est octava Synodus. Verùm sine effectu. Quòd ipsam quoad Romani Pontificis Electionem reparârit hac in Synodo Nicolaus secundus, quidam existimant. Existimant partim reparatam, partim mutilatam, Romani Pontificis Electionem, totius mundi, ac Romani præsertim Patriarchatus Episcopis competentem ex antiquo Canone, & jampridem traductam ad solum Romanæ Ecclesiæ Clerum & populum, existimant solis Cardinalibus Episcopis à præsenti Canone adscriptam. Hunc in sensum accipiunt hæc Apostolici Decreti verba: *Religiosissimi viri*, Cardinales Episcopi, *Præduces sint in promovenda Pontificis Electione, reliqui autem*, utique Cardinales & omnis cum populo alius Clerus, *sequaces*: Hoc est, aliud non possint quam factam Electionem suo suffragio comprobare.

At longè aliud edicunt hæc ejusdem Decreti verba: *Cardinales Episcopi diligentissimè simul de electione tractantes, mox Christi Clericos Cardinales adhibeant, sicque reliquus Clerus & populus ad consensum novæ electionis accedat.* Exponit in adductis ad Cadaloum litteris Sanctus Petrus Damiani. *Romani Pontificis Electio per Episcoporum Cardinalium fieri debet principale judicium, secundo loco jure Clerus præbet assensum, tertio popularis favor attollit applausum.* In edendis Senatus-Consultis, ac decidendis aliis Reipublicæ negotiis Romani olim Consules habuerunt duplex jus. Primùm fuit relatio seu propositio, de qua Polybius: *De iis quæ deliberanda incumbunt, referunt Consules, ipsique universam Decretorum Senatus rationem gubernant.* De Prætoribus, Tribunis, designatis Consulibus, aliisque Reipublicæ Primatibus scribit in Annalium libris Cornelius Tacitus: *Licebat Patribus, quoties jus dicendæ sententiæ accepissent, quæ vellent expromere, relationemque in ea postulare.* Postulare, non facere. A solis Consulibus ipsa fieri poterat, & sine ea nullum valebat edi Senatus-Consultum. Hinc post relatum Pæti Thrazeæ in Senatu judicium pergit idem Tacitus: *Magno assensu celebrata sententia. Non tamen Senatus-Consultum perfici potuit, abnuentibus Consulibus ea de re relatum.* Ad quæ verba scribit Justus Lipsius; *Licuisset ergò Consulibus referre ea de re ad Patres, sed ils aliter visum. Jus relationis autem erat solis Consulibus: Nec sine relatione perfici potuit ullum Senatus Consultum. Ideò Vespasiano concessum, ut ei Senatum habere, relationem facere, remittere liceret. Ideò sequentibus Principibus honoris causa datum est jus tertiæ, quartæ, quintæ relationis, id est, me interprete, quoties Consules ipsi non essent, tres nihilominùs, quatuor aut quinque relationes facere possent, qua de re cumque ita visum.* Augusti Principes, licet Reipublicæ libertatem insigniter castrarint, hocce tamen jus non abstulere Consulibus, sed sibi tantùm communicarunt. Et quidem Cæsari Augusto unicæ

Lib. 6.

Lib. 13.

Lib. 15.

dum-

dumtaxat relationis jus fuisse indultum cum Tribunitia potestate, affirmat Dio Cassius. Ampliatus Principum honos ampliavit & relationes: Lib. 54. Quatuor enim vel quinque negotia eidem congregationi referre tandem permisit. Sic enim eruditi viri intelligunt jus tertiæ, quartæ aut quintæ relationis.

Aliud Consulum jus fuit primum ac principale super relato negotio suffragium, de quo Cap. 51. in libro Apologetico Tertullianus: *Tiberius* Imperator, *cujus tempore nomen Christianum in sæculum intravit, annuntiatum sibi ex Syria Palæstina, quæ veritatem istius Divinitatis revelaverat, detulit cum prærogativa suffragii sui ad Senatum. Senatus, quia non ipse probaverat, respuit.* Voces, *Suffragii prærogativa*, edicunt magni ponderis fuisse Principis calculum, attamen à Senatu potuisse refutari. Et hinc ad eundem Tiberium dixit apud Tacitum in Annalium libris Piso: *Quo* Lib. 1. *loco censebis, Cæsar? Si primus, habebo quod sequar; si post omnes, verear ne imprudens dissentiam.* Consules enim debebant primi, Augusti Principes ex arbitrio vel primi vel ultimi poterant promere suffragium: Et etiam huic poterat Senatus refragari. In Romani igitur Pontificis Electione Nicolaus secundus Cardinalibus Episcopis dedit jus Consulum: Jus referendarum seu nominandarum capacium personarum, & suffragii prærogativam, quam Sanctus Petrus Damiani vocat principale in electione judicium, & ipse Nicolaus electionis potestatem. Nam & Consularis suffragii prærogativam Romana antiquitas frequenter titulavit auctoritatem. Et utilitate Consulum auctoritas Senatum, ita & ista Cardinalium Episcoporum potestas Cardinales Clericos non privavit calculo decisivo. Hinc addit laudatus Nicolaus: *Mox Christi Clericos Cardinales adhibeant.* Cardinales Episcopos priùs solos de electione tractare jubet, & reliquos ad ipsam simul celebrandam adhibere Collegas: *In Canonicè* & concorditer per ipsos factam reliquo Clero & populo nullum permittit jus, nisi simplicem, qui non nisi ex manifestis causis denegari possit, assensum. Et hinc Romanum Pontificem non à solis Cardinalibus Episcopis, sed principaliter ab illis eligi, supra nobis dixit Petrus Damiani. Addit Cadaloum Parmensem Episcopum, Alexandri secundi Antipapam, à Vercellensi & Placentino Episcopis fuisse electum. Hosce arguit, non quòd se immiscuerint electioni, sed quod sine Cardinalibus Episcopis ac Romana Ecclesia Romanum Pontificem elegissent. Disertè id scribit in litteris ad Lib. 3. Ep. 4. Henricum Archiepiscopum Ravennatem. Et in Synodali adversùs Regium Advocatum disputatione affirmat Alexandrum secundum esse legitimum Pontificem, quod ipsum unanimiter vocassent Cardinales Episcopi, ac elegisset Clerus, utique Cardinalis. Et in litteris ad universum Germaniæ Clerum ac populum, exstantibus Lib. 2. ep. 54. apud Radevicum Frisingensis Ecclesiæ Presbyterum, Cardinalis Octavianus, seu adversùs Alexandrum tertium Antipapa Victor tertius scribit se electione Episcoporum & Presbyterorum Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Cleri quoque Romani petitione, & populi assensu, in Pontificem fuisse assumptum. Et in litteris ad Bononiensis civitatis Episcopum ac generale Studium laudatus Alexander affirmat se ab omnibus unanimiter Cardinalibus, Clero & populo assentiente, electum in Pontificem: Addit solùm cum Joanne & Guidone Cardinalibus Presbyteris Octavianum fuisse sibi adversatum. Et post Adriani quarti Pontificis mortem *convenerunt*, inquit in suis ad omnes sub cœlo Episcopos litteris fautrix Octaviani pars Cardinalium, *Episcopi, Presbyteri, Diaconi Cardinales Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & promiserunt sibi invicem in verbo veritatis, quòd in Electione futuri Pontificis tractabunt secundùm consuetudinem istius Ecclesiæ.* Cap. 56. Quod nempè omnes decisivum suffragium haberent. Et dum solam, in quam duæ Cardinalium tertiæ unanimiter concordarint, Romani Pontificis electionem deinceps fore validam statuit in Lateranensi Synodo idem Pontifex Alexander, decisivum suffragium cunctis Cardinalibus etiam anteà fuisse, lucidè supponit. Proindè Nicolaus secundus Cardinales Presbyteros ac Diaconos nequaquam excluserit à suffragio; Cardinalibus Episcopis solam, consuetudine priori abolitam, dedit suffragii principalitatem ac prærogativam.

Adscripsit illis & aliam auctoritatem, de qua in litteris ad Anastasium Thessalonicensem Archiepiscopum, Apostolicæ Sedis per Illyrici Ecclesias Vicarium, Sanctus Leo Magnus: *Nulla ratio finit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebe expetiti, nec à Comprovincialibus Episcopis cum Metropolitani judicio consecrati* Comprovincialibus Episcopis non ampliùs electionem novi Collegæ, sed solam consecrationem adscribit. Electionum enim forma circa Damasi aut Siricii Pontificatum mutari cæpit, & adscribi populo & Clero vacantis Ecclesiæ. Attamen Metropolitæ aduc agnoscit judicium, de quo Nicæna Synodus: *Illud gene-* Cap. 6. *raliter clarum est, quòd si quis præter sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus definit Episcopum esse non oportere.* Et rursùm: *Firmitas eorum, quæ geruntur per unamquamque Provinciam, Metropolitano tribuatur Episcopo.* In Græco habetur, Κυρὸς & Γνώμη. Prior dominium, posterior uox non quamvis, sed auctoritativam sententiam, & magistrale judicium, Decretum aut Præceptum importat, quo etiam sensu Laodicena Synodus mandat villarum Episcopos aut Presbyteros nihil agere sine sententia aut auctoritativo Præcepto Episcopi civitatensis. Et in Chalcedonensi Synodo Cap. 57. Ægyptii Episcopi fuerunt protestati nihil illic à se posse agi citra sententiam, seu παρὰ τὴν Act. 4. γνώμην sui Patriarchæ. Vulgaris Apostolorum Canon & Metropolitæ & omnium Comprovincialium sententiam vocat γνώμην, mandans nec hos sine illa, nec istum sine hac aliquid agere in Provincia, adeoque solius Metropolitæ judicium æquat cum judicio omnium Comprovincialium Episcoporum; cum judicio majoris ipsorum partis. Et hinc à majori ipsorum parte Electum sine Metropolitæ, quam hodiè vocamus con-

confirmationem, sententia non posse esse Episcopum, firmat potiùs quam statuat laudata Nicæna Synodus, atque etiam in factis à Clero & populo electionibus obtinere affirmat Sanctus Leo. Hinc item laudatis ejus verbis adjungit Nicolaus secundus: *Quia Sedes Apostolica supra se Metropolitanum habere non potest, Cardinales Episcopi procul dubio Metropolitani vice funguntur, qui videlicet electum Episcopum ad Apostolici culminis apicem provehant.* Eis non solam suffragii prærogativam in electione tribuit, sed & illius jam per reliquos Cardinales factæ confirmationem. Quocirca factam ab eis electionem ex causis omninò poterant & cassare. Hinc de Petri Leonis Antipapæ electione scribit apud Guilielmum Malmesberiensem Petrus Cardinalis Episcopus Portuensis: *Hanc ego electionem Canonicè celebra-* Fol. 177. *tam conspexi, & auctore Deo confirmavi.* Et de Gregorio septimo, sibi ab Henrico quarto Imperatore suscitandum Antipapam metuente, scribit Cardinalis Benno: *Gregorius* Cardinales *Episcopos convocavit, & in manu sua jurare coegit, ne unquam ab eo dissentirent, numquam Regis causam defenderent, numquam superordinato sibi Papæ faverent vel obedirent.* Ex nostro hoc Canone norat Gregorius sine Cardinalibus Episcopis nulli posse esse vel Papæ speciem. Græcorum, apud quos Episcopi per Comprovinciales Collegas fuere constanter juxta Apostolicum morem semper electi, Metropolitæ semetipsos ab electionibus excluserunt, eisque præfecerunt suos Chartophylaces: Ne datum cum prærogativa suffragium ipsos, ubi factam electionem cassare tentarent, de humano in istud affectu redderet suspectos. Quare Cardinalium Episcoporum, quibus & suffragii prærogativam, & electionis confirmationem esse sanxit Nicolaus Pontifex, auctoritas fuit admodum magna.

Canonis partem, quæ etiam Religiosorum Ordinum, Clericorum, & Laicorum consensum requirit, intelligere possis ex suprà adductis litteris, quibus Antipapa Octavianus scribit se ex Romani Cleri petitione & populi, etiam Senatoriæ dignitatis Honoratorum, & Capitaneorum assensu fuisse electum. Et Alexander tertius affirmavit se coram Episcopis Cardinalibus, Abbatibus, Prioribus, Judicibus, Advocatis, Scriniariis, Primiceriis, Schola Cantorum, Nobilibus, & quadam populi parte fuisse solemniter consecratum. Quod nempè omnes isti in ejus electionem consensissent. Ad Romani populi petitionem, ac de totius ferè Senatus, omniumque Capitaneorum, Baronum, ac Nobilium, tam intra quam extra urbem habitan- Cap. 56. tium, consensu fuisse electum Octavianum, ad Fredericum Imperatorem scribunt etiam ipsius Cardinales. Quod ipsum in litteris ad eundem Principem confirmat Sancti Petri Capitulum, Cap. 70. addens etiam *se universo desiderante* electum. A Clero & populo dandi consensus modum exponit Papiensis apud eundem Radevicum Synodus: *Tunc*, celebrata per Cardinales electione Cap. 71. Octaviani, *Scriniarius secundùm antiquam Romanorum consuetudinem adscendens in altum, voce magna dicens; Audite Cives Romani & Cœtus Christ. Lupi Oper. Tom. V.*

Reipublicæ, secunda feria Pater noster Adrianus mortuus est, & proximo sequenti Sabbatho Dominus Octavianus Cardinalis Sanctæ Cæciliæ in Romanum Pontificem electus, & immantatus, & in Cathedra beati Petri collocatus est, & Papa Victor nominatus. Placet vobis? Respondit magna voce Clerus & populus: Placet. Addit ternis vicibus Clerum & populum consuetum ita interrogari & respondere. Enumerat & Romanum hujus consensus jure gaudentem Clerum: Nempè *Capitulum Sancti Petri cum suo Decano, omnium Titulorum, Ecclesiarum, ac Monasteriorum Rectores, Archipresbyteros, Decanos, Abbates, Priores, Clericos & Monachos.* Et hinc Sancto Petro Damiani, Cadaloum à nullo Romano electum fuisse aut expetitum asserenti, respondit Regius Advocatus adfuisse *Abbatem Monasterii ad Clivum Scauri, & Comitem Gerardum.* Romani Senatores habuerunt singulare privilegium: Eos enim ipsi in clausa Sancti Petri Ecclesia electioni adfuisse, lucet ex laudatis Alexandri tertii litteris ad Episcopum & studium civitatis Bononiensis. Proindè in præsenti Canone per Religiosos Ordines Clerus Regularis, per Laicos intelliguntur Senatus, Comites, Barones, Capitanei, Nobiles, Honorati.

Infima plebs solum applausum habuit & acclamationem, de qua scribit, Petri Alexandrini Patriarchæ electionem laudans, in Ecclesiastica Historia Theodoretus: *Suffragati sunt omnes, tum Sacerdotalis Ordinis, Honorati & Magistratus;* Lib. 4. c. 17. *populus quoque universus lætitiam suam acclamationibus declaravit.* Ita Bonifacium primum Pontificem Episcoporum ac Presbyterorum electione, meliorum Civitatis consensu, ac totius populi acclamatione fuisse promotum, habes in in Epistolis Symmachi Præfecti Urbani. Civi- Epist. 22. tatis meliores fuisse Senatum, Corporatos, Officia, ac Regionum Majores docet alia ibidem Epistola. Symmachum Papam à solis Cardinalibus & Senatu fuisse electum scribit in libro Pontificali Anastasius Bibliothecarius. Illustrissimus Lucas Holstenius nuper publicavit hocce Stephani quarti Synodale Decretum: *Nulli umquam Laicorum, sive ex armata manu, sive ex aliis Ordinibus, præsumant inveniri in electione Pontificis, sed à certis Sacerdotibus atque Proceribus Ecclesiæ, & cunctο Clero ipsa Pontificalis electio proveniat. Et priusquam Pontifex electus fuerit, & in Patriarchium deductus, omnes Optimates militiæ, vel cunctus exercitus, & Cives honesti, atque universa generalitas populi hujus Romanæ Urbis, ad salutandum eum sicut omnium Dominum properare debeat. Et ita more solito Decretum facientes, & in eo cuncti pariter concordantes subscribere debeant.* Utique Optimates militiæ & Cives honesti. Eos ab electione excludit, ipsorum tamen consensum ante illius publicationem vult exquiri & obtineri. Adrianum secundum ab Episcopis, Clero, & Urbis Primoribus promotum affirmat Bibliothecarius Guilielmus, addens hisce populos obsecundatos: Utique applausu & acclamatione. Apud Guilielmi Malmesberiensis novellam Historiam exstat Epistola, qua Petrum Leonis fuisse à Cardinalibus cum petitione populi & Hono-

ratorum consensu electum testatur Petrus Cardinalis Episcopus Portuensis. Quare per Henricum quartum Imperatorem intrusus Antipapa Wigbertus sine fundamento in Regia ejusdem Guilielmi Historia dixit in Romani Pontificis electione *sequendum Imperatoris Judicium, non Laniſtarum, aut Pellificum Romanorum*. Romani enim Pellifices nullum hic habuerunt judicium, sed solum gaudium & acclamationem. Quem morem in omnibus olim viguisse Ecclesiis possit facilè ostendi. Et hinc infimam plebem à dando in electiones consensu excludunt etiam leges Imperatoris Justiniani.

Fol. 176.

Fol. 115.

Ita fuit usque ad Innocentium secundum, de quo habet in Cælestino secundo liber Pontificalis: *Cælestinus secundus, juxta constitutionem Innocentii Prædecessoris sui, qua populus omninò à Pontificis electione arcebatur, primus sine ullis populi suffragiis, teste Onufrio, propter civile bellum, quod à Romanis Senatum restituere satagentibus imminebat, Pontifex creatus est*. Et hoc est Decretum, adversùs quod blateravit damnatus à Constantiensi Synodo hic Joannis Wicleffi articulus: *Electio Papæ à Cardinalibus est per Diabolum introducta*. Blateravit Laicos à Papali electione fuisse perperàm exclusos.

Art. 40.

Apud Photii Bibliothecam Sanctus Eulogius Patriarcha Alexandrinus *refert Novatum* seu Novatianum, *Cornelio Pontifice, Romanæ fuisse Ecclesiæ creatum Archidiaconum, ad quem ipsum Pontificium, pro ejus temporis more, decedente è vita Pontifice, deferebatur. Archidiaconum enim succedere Summo Sacerdoti statutum erat. Verùm hunc superbia laborantem Cornelius, & imminentem in suam mortem cum cognovisset, Presbyterum ordinat, omnes sic illi ad supremam Cathedram perveniendi spes præcidens*. Quod ipsum repetit in alio ejusdem Bibliothecæ libro, addens hanc fuisse palmarem radicem Novatianensis Schismatis. Ecclesiarum Archidiaconos, dum olim in Presbyteros inviti promoverentur, fuisse gravissimè conquestos, & sese sub honoris fuco degradari protestatos, plura docent exempla. Verùm quòd ipsis in Romana vel alia quavis Ecclesia Episcopalis successio ex Statuto vel consuetudine deberetur, Sanctus Eulogius sine fundamento affirmat. Etiam Novatiani in Romana Ecclesia Archidiaconatus nullo authentico testimonio possit ostendi. Et neutiquam Sancti Cornelii, sed Sancti Fabiani fuit Presbyter: Comnelii, Presbyter Sancti Cornelii, ideoque & in ipsum conflavit Schisma.

Lib. 282.

Lib. 280.

Antiquam eligendi Episcopi formam laudat in litteris ad factionem Eusebianam Sanctus Julius Pontifex, Georgii Cappadocis intrusionem Alexandrinam damnans uti adversam Canoni Apostolico, non solùm quòd facta per militarem violentiam, sed etiam quòd ipse ab Ecclesia ista esset extraneus & peregrinus. Quod vitium Parmeniano, Carthaginensi Donatistarum Primati, objicit item Sanctus Optatus Episcopus Milevitanus. Rationem dat in litteris ad Viennensis ac Narbonensis Provinciarum Episcopos Cælestinus primus: *Tunc alter de altera Episcopus eligatur Ecclesia, si de Civitatis ipsius Clericis, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus, quod evenire non credimus, poterit reperiri. Primùm enim illi reprobandi sunt, ut aliqui de alienis Ecclesiis meritò præferantur. Habeat unusquisque Clericorum suæ fructum militiæ in Ecclesia, in qua suam per omnia transegit ætatem. In aliena stipendia minimè alter obrepat, nec alii debitam sibi alter audiat vindicare mercedem. Sit facultas Clericis renitendi, si se viderint prægravari. Et quos sibi ingeri ex transverso agnoverint, non timeant refutare*. Quod Decretum in suis ad Carolum Calvum Francorum Regem, quibus Egilonem Monachum Ecclesiæ Senonensi confirmavit Archiepiscopum, litteris laudat, dolet non servari in Gallia, ac deinceps servandum mandat Nicolaus primus. Egilonis laudibus ac virtutibus congaudet, at dolet illum Senonensis, cui viri Episcopatu digni defuisse non possint, Ecclesiæ non fuisse filium. Et hinc Hincmarum, Sancti Dionysii propè Parisios Monachum, à Comprovincialibus Episcopis & Remensis Ecclesiæ Clero ac populo postulatum Archiepiscopum, antequam eligeretur, fuisse laudatæ Ecclesiæ incardinatum affirmant Acta Synodi Trecensis. Etiam Colonienſi ac Trevirensi, quarum Episcopos Guntharium & Thetgaudum degradarat, Ecclesiis novos ex propriis filiis eligi laudatus Nicolaus jussit. Jussit ex Ludovici Imperatoris Capitularibus, qui Gallicanæ Ecclesiæ Canonicas Episcoporum electiones restituens addidit: *De propria Diœcesi eligantur*. Et ad Gennadium Constantinopolitanum Episcopum scripsit Sanctus Leo Magnus: *Enitere, frater, ut Alexandrinis ex Clero suo Catholicus Episcopus secundùm morem vèterem consecretur*. Sancti Cælestini Decretum in sua Romana Synodo laudavit etiam ac innovavit Eugenius secundus, & addidit: *Quòd si in eadem Ecclesia dignus non inveniatur, tunc alter de altera eligatur*. Quod ipsum in variis Epistolis jussit Gregorius Magnus. Et Sancti Ignatii ejectione ac Photii intrusione devastatam Constantinopolitanam Ecclesiam reparaturus idem Pontifex Nicolaus, Michaelem Imperatorem hortatur, *ut tales alere omni Religione eruditos studeat viros, qui ad honorem Cardinis ipsius Sanctæ Ecclesiæ, Præsulibus suis mortuis, vel quolibet casu ac modo decedentibus, valeant subrogari, quod non solùm in tanto Patriarchatu observari omninò debet, verùm etiam in singulis quibusque civitatibus ex consuetudine Canonica, magnæ cum cautela servatur & custoditur*. Exstat Epistola in actis Synodi octavæ. Quod ipsum, degradatum Photium reparans ac restituens, jussit Joannes octavus: *Decernimus, ut post hujus Patriarchæ obitum nullus de Laicis vel Curialibus in Patriarchatus ellgatur & consecretur honore, nisi de Cardinalibus Presbyteris & Diaconis Constantinopolitanæ sedis, secundùm sacros Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos*. Et adversùs Constantinum, qui ex Laico Pontifex intrudi præsumpserat, statuit in Romana sua Synodo Stephanus quartus: *Oportebat ut hæc Sacro-sanctæ Domina nostra Romana Ecclesia, juxta quod à beato Petro & ejus Successoribus institutum est, ritè ordinaretur, & in Apostolatus culmen unus de Cardinalibus*

Cap. 5.

Ep. 54. 55.

Tit. 1. c. 84.

Ep. 100.

Cap. 5.

Act. 4.

libus Presbyteris aut Diaconis consecraretur. Et hunc Apostolicum Canonem præsenti in Synodo innovavit Nicolaus secundus.

Eligi oportet ex Cardinalibus Presbyteris aut Diaconis. Nequaquam ex Episcopis. Etenim etiam Cardinales Episcopos ad Sedem Apostolicam transferri adeò ignoravit olim Ecclesia, ut de Marino suo Antecessore ad Basilium Imperatorem scribat Stephanus sextus. *Qui dicunt Marinum anteà Episcopum fuisse, eoque ad aliam Sedem non potuisse transferri, ostendant*. Marinus Romanæ Ecclesiæ adhuc Cardinalis Diaconus, & Adriani secundi Pontificis Legatus, octavam Synodum celebrarat, factusque Pontifex ipsam validè muniverat: Ea omnia eversurus à Photio circumscriptus Basilius objecit Marinum non fuisse legitimum Pontificem, quia ex alio Episcopatu translatus. Fuisse dolosam Photii stropham affirmavit in litteris ad laudatum Stephanum Stylianus Metropolita Neocæsarienſis. Undè & ipsum in laudatis ad Principem litteris idem Pontifex constanter negavit. Ex Diaconi gradu Marinus Pontificatum adscenderat. Ejus in vita perperàm id negat libri Pontificalis ex variis Scriptoribus compilatum supplementum. Fuisse Romanæ Ecclesiæ Archidiaconum, disertè affirmant etiam Fuldenses Francorum Annales. Primus ex alia Cathedra translatus Pontifex fuit Formosus Portuensis Episcopus, eadem de causa post mortem degradatus. Iniqua & latrocinalis fuit degradatio; statuit interim in sua Romana Synodo Joannes nonus: *Quia necessitatis causa de Portuensi Ecclesia Formosus pro vitæ merito ad Apostolicam Sedem provectus est, statuimus & omninò decernimus, ut id in exemplum nullus assumat, præsertim cùm Sacri Canones hoc penitùs interdicant, & præsumentes tanta feriant ultione, ut etiam in fine laicam eis prohibeant communionem*. Utique primus ac secundus Canon Sardicensis. Clemens secundus, Damasus secundus, Leo nonus, ac Victor secundus, ex Germaniæ Episcopis nuper adscenderant Sedem Apostolicam. Hanc novitatem proscriptam volens, licèt ex Florentino Episcopo Pontifex Nicolaus secundus hocce propriæ promotioni adversum Decretum emisit. In Ecclesiasticarum, Curatarum præsertim ac Episcopalium, dignitatum electione aut collatione digniores semper præferri mandant & æterna naturæ lex, & avita Patrum Regula. Verùm intra solos ejusdem Ecclesiæ aut Episcopalis Parochiæ Clericos & Monachos est facienda comparatio. Quousque illic reperitur dignus, dignior foris quæri non debeat nec possit. Quisquis quæsierit, digno illi gravem irrogat injuriam. Qui antiquissimus ac universalissimus Ecclesiæ Canon est in nostra tempora omninò revocandus.

An. 883.

Primus Imperator, Romani Pontificis electioni se miscere ausus, fuit Constantius, fautor Eusebianæ factionis, de quo in Ecclesiasticorum Scriptorum Catalogo Sanctus Hieronymus: *Acacius Lusæus Cæsariensis Ecclesiæ in Palæstina Episcopus in tantum sub Constantio Imperatore claruit, ut in Liberii locum Romæ Felicem Ariani*

num Episcopum constitueret. Felicis intrusionem Acacius suasit, Constantius fecit. Exindè nullus audaciam imitatus est usque ad Odoacrim Erulorum in Italia Regem, cujus Edictum in quarta Symmachi Pontificis Synodo recitavit Hormisda Romanæ Ecclesiæ Diaconus: *Cùm in unum apud Beatum Petrum Apostolum resedissent* cum Simplicio Papa synodaliter adunati Episcopi, *sublimis & eminentissimus vir Præfectus Prætorio atque Patritius, agens etiam vices Præcellentissimi Regis Odoacris, Basilius dixit; Quamquam studii nostri & Religionis interfit, ut in Episcopatus Electione concordia principaliter servetur Ecclesiæ, ne per occasionem seditionis status Civitatis vocetur in dubium, tamen admonitione Beatissimi viri Papæ nostri Simplicii, quam ante oculos semper habere debemus, hoc nobis meministis sub obtestatione feciſſe mandatum, & propter illum strepitum & venerabilis Ecclesiæ detrimentum, si eum de hac luce migrare contigerit, non sine nostra consultatione cujuslibet celebretur electio*. Turbas, quas à quorumdam ambitu metuebat, in sui successoris electione compesci dumtaxat rogarat Simplicius: Neminem deinceps sine sua consultatione seu approbatione fieri Pontificem Odoacer de suo addidit. Hinc adversùs istud Edictum pronuntiavit in laudati Symmachi Synodo Cresconius Tudertinus Episcopus: *Hic perpendat Sancta Synodus, uti prætermissis personis Religiosis, quibus maximè cura est de tanto Pontifice, electionem Laici in suam redegerint potestatem, quod contra Canones esse manifestum est*. Edictum cassat atque exsufflat. Verùm non ità dudum post ipsum restituit ac resumpsit Theodoricus Gothorum in Italia Rex, de quo ad Urbis Senatum scripsit apud Cassiodorum ipsius nepos Rex Athalaricus: *Gratissimum nostro profitemur animo, quod glorioſi Domini Avi nostri respondistis in Episcopatus electione judicio. Oportebat enim arbitrio boni Principis obediri, qui sapienti deliberatione pertractans, quamvis in alia Religione, talem visus est Pontificem delegisse, ut nulli meritò debeat displicere: Ut agnoscatis illum hoc optasse præcipuè, quatenus bonis Sacerdotibus Ecclesiarum omnium Religio pullularet. Recepistis itaque virum, & Divina gratia probabiliter institutum, & Regali examinatione laudatum*. Post exstinctum in carcere Sanctum Joannem primum Pontificem, & Romanam Cathedram Catholico Episcopo privare, & ad à tanto ipsius zelo dogmaticas lites sustinere deinceps nolens Arianus Rex Theodoricus, eligendi Pontificis personam statuit designare, & pro prima vice designavit virum optimum, à Clero & Senatu sine contradictione admissum, Felicem quartum. Hocce avi sui factum laudat in adductis litteris, eodemque jure uti prætendit successor Athalaricus. Et utcumque ipso fuisse usum ostendunt ejus ad Joannem secundum Pontificem litteræ: *Nuper ad nos Defensor Romanæ Ecclesiæ flebili allegatione pervenit, cùm Apostolicæ Sedi peteretur Antistes*. Dico, *Utcumque*: Quòd enim eligendam personam non designarit, sed eligendi dumtaxat licentiam à se peti, & electio-

L. 8. Epist. 15.

L. 9. Epist. 15.

nem ac Electum confirmari prætenderit, persuadet schismatica Dioscori Diaconi contra Bonifacium secundum electio. Regia personæ desiignatio non poterat Schisma permittere. Omnem modum excessit Rex Theodatus, de quo in libro Pontificali Anastasius Bibliothecarius: *Silverius Pontifex levatus est à Tyranno Theodato sine deliberatione Decreti. Qui Theodatus, corruptus pecuniæ dato, talem timorem indixit Clero, ut qui non consentirent in ejus ordinatione, gladio punirentur. Sacerdotes quidam non subscripserunt in eum secundùm antiquum morem, neque Decretum confirmaverunt ante ordinationem. Jam autem ordinato Silverio sub vi & metu, propter adunationem Ecclesiæ & Religionis, postmodùm subscripserunt Presbyteri.* Qua ipsa violentia quidam existimant usum fuisse Regem Odoacrem.

Quidquid sit, eadem post ejectos Gothos usus est, in ipsorum quasi jura succedens, Imperator Justinianus. Quod enim ejus jussu Patritius ac Dux Belisarius in ejecti Silverii locum intruserit Vigilium Archidiaconum, testatur laudatus Anastasius. Videtur tamen ipsam non continuasse. Qui enim Canonicas electiones reddidit aut servavit omnibus Ecclesiis, quomodo possit solam Romanam oppressisse? Ejus ad Joannem secundum litteræ aliud profitentur. Et hinc de Pelagio secundo pergit Cardinalis Anastasius: *Hic ordinatur absque jussione Principis, eo quòd Longobardi obsiderent Civitatem Romanam.*

L. 10. C. 1. Et de ejus Successore Sancto Gregorio Magno in Pontificem Electo scribit in Francorum Historia Sanctus Gregorius Episcopus Turonensis: *Gregorius scripserat Mauritio Imperatori, conjurans ne umquam consensum præstaret populis, qui ipsum elegerant.* Et addit de Mauritio: *Data præceptione ipsum jussit institui.* Quod ipsum in ejus vita scribit Joannes Diaconus Romanus. Nempè & nominandi violentiam, & petendæ ad eligendum licentiæ necessitatem remiserat, solamque Electi, sine qua consecrari non poterat, confirmationem, & ab ipso præstandam quandam auri pensionem reservarat Justinianus, atque isto solo jure etiam Justinus secundus, Tiberius Constantinus, Mauritius, ac ipsorum Successores fuerunt usi. Hinc defuncto Papa Honorio, quòd Principum morte Imperialis auctoritas nutaret Constantinopoli, adeoque Augusta electionis confirmatio sperari non posset, Apostolicam Sedem per novendecim menses vacasse testatur Hermannus Contractus, addens

A. 638. ex simili causa vacasse defuncto Sabiniano per undecim menses. Attamen de Vitaliano Pontifice scribit Cardinalis Anastasius: *Hic direxit*

A. 605. 607. *Responsales suos cum Synodica juxta consuetudinem in Regiam urbem ad Piissimos Principes significans de ordinatione sua.* Non confirmandam electionem, sed solam suam jam factam consecrationem retulit, idque juxta consuetudinem, quòd nempè onus istud jam esset intercisum: Utique per lites Monotheliticas, factumque Schisma inter Martinum primum Pontificem & Constantem Augustum. Et hinc ejus Successor & filius Constantinus Pogonatus ob pacificatas per sextam Synodum Ecclesias Sancto Agathoni Pontifici remisit pensionis onus, *sic tamen ut si contigerit post ejus transitum electionem fieri, non debeat ordinari qui electus fuerit, nisi priùs Decretum generale introducatur in Regiam Urbem secundum antiquam consuetudinem, & cum Imperatoris conscientia & jussione debeat ordinatio provenire.* Ita in laudati Pontificis vita scribit laudatus Anastasius. Dicit: *Secundùm antiquam consuetudinem:* Quòd nempè proxima consuetudo solam ordinationem referret. Pensionis onus Constantinus remisit ea lege, ut antiqua & jam interpolata electionis confirmatio sibi repararetur. Adjungit Anastasius in vita Benedicti secundi: *Benedictus suscepit Divales jussiones Clementissimi Constantini, magni Principis, ad venerabilem Clerum & populum, atque felicissimum exercitum Romanæ Civitatis, per quas concessit, ut persona qui electus fuerit ad Sedem Apostolicam, è vestigio absque tarditate Pontifex ordinetur.* Petendæ confirmationis servitutem Constantinus etiam remisit. Et hinc de proximo Benedicti Successore Joanne quinto pergit Cardinalis Bibliothecarius: *Hic post multorum Pontificum tempora vel annorum juxta priscam consuetudinem à generalitate in Ecclesia Salvatoris electus est, atque exindè in Episcopium introductus.* Hoc est, sine Principis licentia mox missus fuit in possessionem, & consecratus. Revera post multorum Pontificum tempora: Primus post Joannem primum. Verùm de ejus Successore Conone rursum Anastasius: *Exercitus Decreto subscripserunt, & Missos pariter unà cum Clericis & ex populo ad excellentissimum Theodorum Exarchum, ut moris est, direxerunt.* Ex quo quidam inferunt Papalem electionem fuisse quidem ab Augustæ confirmationis, non tamen dandi per Exarchum Placiti necessitate solutam per laudatum Constantinum: Mutatam dumtaxat fuisse confirmatoris personam, ac remissum iter Constantinopolitanum. Sed longè aliud demonstrat promotio Joannis quinti. Quare Justiniano secundo adscribendum est novum istud onus, qui factam à Patre suo gratiam exsufflare palàm nolens, adinvenit istud temperamentum. Duravit usque ad Gregorium secundum, qui cum Imperatore Leone Isauro dimicans pro sacris imaginibus, omnem Divalium jussionum excussit servitutem.

Apud Gratianum exstat Regium Edictum, quo in Paschalis primi Pontificis gratiam Imperator Ludovicus Pius omnes ab Avo suo Pippino, & Patre Carolo Magno factas Romanæ Ecclesiæ donationes confirmat, Papali electioni ullum misceri Francum aut Longobardum vetat rigidissimè, & prosequitur: *Liceat Romanis cum omni veneratione, & sine aliqua perturbatione, honorificam suo Pontifici exhibere sepulturam, & eum, quem divina inspiratione, & beati Petri intercessione, omnes Romani uno consilio atque concordia, sine aliqua promissione, ad Pontificatus apicem elegerint, sine aliqua ambiguitate & contradictione, more Canonico consecrare. Et cùm consecratus fuerit, Legati ad nos, vel ad Successores nostros Reges Francorum dirigantur, qui inter nos & illum amicitiam, & charitatem, & pacem socient, sicut*

cut temporibus piæ recordationis Domini Caroli Atavi nostri, sive Domini Pippini Avi nostri, vel & Caroli Imperatoris genitoris, consuetudo erat faciendi. Ad quod Edictum rectè scribit in opere de Sacerdotii & Imperii concordia illustrissimus Petrus de Marca: *Ludovicus Pius Imperator beneficia Patris & Avi in Romanam Ecclesiam, Sardiniæ & Siciliæ donatione cumulavit, cui dono hanc legem addidit, ut Electi Pontifices post consecrationem suam Legatos ad Reges Francorum mittant, qui inter eos amicitiam, charitatem, & pacem firment.* Ex hoc, inquam, Edicto habemus duo. Primò, quod post excussam sacrarum jussionum, & suæ ab Exarcho postulandæ confirmationis servitutem Romani Pontifices cæperint Francorum Reges colere adjutórii gratia, ipsisque non tamquam Dominis confirmandam electionem, sed tamquam amicis suam factam consecrationem referre. Ita Gregorius tertius facere cæpit Carolo Martello, Regiæ domus Præfecto, & apud ejus filium Pippinum Regem, & Carolum Imperatorem Successores Papæ continuarunt. Et hinc lucet secundum: Quòd nempè Carolo Magno per Adrianum primum concessa nominandi Pontificis facultas sit manifesta fabula. Pluribus id suprà est ostensum. Et quomodo, si nominandi Pontificis jus habuisset ab Adriano primo Carolus, solam Papalis Consecrationis relationem data Sardania atque Sicilia Ludovicus Pius impetrasset? Marsilium Patavinum, & Radulphum de Columna, fabulosæ concessionis Patronos, in opere de translatione Imperii adeò pressit istud Edictum, ut profiteantur Carolum ista sua potestate numquam fuisse usum. Ei Ludovicum per istud Edictum renuntiasse scribit in libro de veteri Germanorum Principum in Christianam Religionem zelo Lupoldus Bambergensis. Verùm sine fundamento. Etenim Atavi, Avi, & Patris sui jura sibi impendi aut reparari stipulatur palàm Ludovicus. Adriano Pontifici nullam talis concessionis fuisse potestatem, rectè addit memoratus Marsilius. Revera enim Apostolicæ Sedis dignitatem isti servituti addicere non potuit, ideoque nec addixit. Quam libertatem suo adhuc tempore viguisse, suprà nobis dixit Magister Florus. Quod ipsum in libello de Episcoporum investitura agnovit Waltramus Naumburgensis Episcopus, scribens ab Adriano primo concessum fuisse Carolo, non ut electionem, sed ut Romani Pontificis consecrationem, utique facta ad se relatione, confirmaret. Et hinc de Adriani proximo Successore Leone tertio scribit Abbas Regino: *Leo in Pontificatu successit, statimque misit Regi Legatos cum muneribus.* Non antè, sed post consecrationem, qua sola tunc Papalis successio complebatur. Etiam Stephanum quintum sine Ludovici Pii venia fuisse consecratum affirmat Astrologus Annalista, & adjungit: *Misit duos Legatos, qui quasi pro sua consecratione Imperatori suggererent.* Pergit de ejus Successore Paschali primo: *Paschalis Successor electus post completam solemniter ordinationem suam, & munera & excusatoriam misit Imperatori Epistolam, in qua sibi non solùm nolenti, sed etiam plurimum renitenti Pontificatus honorem velut impositum asseverat, & pactum, quod Prædecessoribus suis factum fuerat, etiam secum fieri, ac firmari rogavit. Hanc Legationem Theodorus Nomenclator & detulit, & ea quæ petierat impetravit.* Exponit in Guntheri Ligurini ad primum de Frederici primi Augusti Gestis librum Commentario Jacobus Spigelius: *Germanorum Annales, ac etiam quidam externarum rerum Scriptores tradunt Ludovicum Augustum monuisse Clerum & populum Romanum, qui contra superiorum annorum exempla, non consulto Imperatore, Paschalem Pontificem elegerant, conducere Romanorum rebus, ut pristino instituto staretur, darentque publicè operam, ne ampliùs simili exemplo Imperatoris læderetur majestas.* Verùm solam Papalis consecrationis relationem spectare ad vetus institutum Paschalis ostendit, obtinuitque suprà laudatum Ludovici Edictum. Hinc pergit Astrologus de ejus Successore Eugenio secundo: *Eugenius subrogatus atque ordinatus est. Cujus rei nuntium Quirinus Subdiaconus ad Imperatorem detulit.* Et de Valentino primo: *Valentinus à Romanis electus & ordinatus est.* Quæ omnia affirmant etiam liber Pontificalis, & in suis Annalibus Eginardus. Quapropter Decretum istud, quod Romani Pontificis Electionem sine Imperialium Legatorum præsentia, & consecrationem sine Imperiali notitia contra Canonicum ritum & consuetudinem fieri vetat, Stephano quinto perperam adscribit Gratianus. Alteri alicui ex Successoribus potiùs adscribendum optimè censet illustrissimus Lucas Holstenius. Videtur esse Romanæ Synodi sub Joanne nono.

Lib. 3. c. 10.

An. 824.

An. 827.

Cap. 8.

Cap. 293

Dist. 63. cap. 28.

Cap. 8.

An. 795.

An. 816.

An. 817.

An. 820.

An. 827.

Ab Eugenio secundo Ludovicus non solam fidelitatis professionem exegit, sed insuper hæc, per Pauli Diaconi Continuatorem memorata, à Clero & populo Romano pacta: *Et quod non consentiam, ut aliter in hac Sede Romana fiat electio Pontificis, nisi Canonicè & justè, secundùm vires & intellectum meum; & ille, qui electus fuerit, me consentiente consecratus Pontifex non fiat, priusquam tale Sacramentum faciat in præsentia Missi Domini Imperatoris, & populi, cum juramento, quale Dominus Eugenius Papa sponte pro conservatione omnium factum habet perscriptum.* Avita fidelitatis professione contentus deinceps esse Ludovicus noluit, sed ipsam fieri voluit ante consecrationem. Verùm violenta hæc & extorta pacta adeò non curavit Romanus Clerus, ut ipsum Eugenii proximum Successorem more antiquo consecrarit. Primus ergò, cujus electio denuò vexari cæpit per Imperatorem, fuit Gregorius quartus, de quo Bertiniani Francorum Annales: *Non priùs ordinatus est, quàm Legatus Imperatoris Romam venit, & electionem populi, qualis esset, examinavit.* Et suprà laudatus Astrologus: *Gregorius Presbyter tituli Sancti Marci electus est, sed non priùs ordinatus, quàm Legatus Imperatoris Romam veniret, & electionem populi examinaret.* Et Joannes Baptista Platina: *Gregorius tantæ modestiæ fuit, ut electus à Clero populoque Romano, non priùs Pontificium munus obire voluerit, quàm à Legatis Ludovici Imperatoris, ob eam causam Romam missis, qui diligenter tantam electionem discussérant, confirmatus esset.*

Fecerat id Ludovicus, non superbia motus, sed ne jura Imperii amitteret. Verùm quæ Imperii jura? Adeò nihil juris hic habuit Francorum Imperium, ut Gregorii Successorem Sergium secundum sine Principis licentia denuò consecrarint Romani, ideoque factum sit quod in ejus vita refert Anastasius Bibliothecarius: *Hujus sacratissimæ consecrationis cum ad aures invictissimi Augusti Lotharii rumor pervenisset, Imperator Drogonem, suum ex concubina Patruum, Metensis Ecclesiæ Archiepiscopum, cum excellentissimo Ludovico filio suo, magno cum Francorum exercitu Romam direxit*, quasi suam injuriam vindicaturos. Horrendas fecerunt cædes & strages, verùm Papalis electionis libertatem Divina justitia tutata est, serenissimum Cœlum subitò obducens nubilo, vibransque fulmina, quibus etiam ex Primatibus Drogonis Consiliariis aliqui perierunt. Et hinc de Sergii proximo Successore Leone quarto pergit laudatus Anastasius: *Novi electione Pontificis congaudentes Romani cæperunt iterum non mediocriter contristari, eo quòd sine Imperiali non audebant auctoritate futurum consecrare Pontificem, periculumque Romanæ urbis maximè metuebant, ne iterum, ut olim* post Sergii consecrationem, *ab hostibus fuisset obsessa.* Eum tamen *sine Principis permissu* omninò consecrarunt. Et ausum feliciter successisse suadet apud Gratianum exstans laudati Leonis Pontificis cum eodem Augusto Lothario ac ejus filio Ludovico Concordatum: *Inter nos & vos pacti serie statutum est & confirmatum, quòd electio & consecratio futuri Romani Pontificis nonnisi juste & Canonicè fieri debeat.* Hoc est, sine prævia Principis licentia. Ita enim Canones omninò mandant. Istud tamen Concordatum à quibusdam relegatur ad paleas: Nec sine fundamento. Etenim de Benedicti tertii electione scribit laudatus Cardinalis: *Clerus & cuncti Proceres Decretum componentes, propriis manibus roboraverunt, & consuetudo prisca ut poscit, invictissimis Lothario ac Ludovico destinaverunt Augustis.* Utique confirmandum. Hinc à quibusdam Schismaticis circumscripti Principes sunt conati electionem cassare. Voces, *Consuetudo prisca ut poscit*, evincunt Concordatum istud esse de palea graviter suspectum. In Notis ad Agobardi Lugdunensis Episcopi opera Stephanus Baluzius sine legitimo fundamento istam Anastasii narrationem vocat in suspicionem falsi. Quidquid sit, inchoatam nescio quo spiritu à Ludovico Pio violentiam posteri ejus dudum continuarunt. Nempè usque ad Marinum Pontificem & Carolum Crassum Imperatorem, de quibus scribunt Fuldenses Francorum Annales: *Omni populo Romano unanimiter confortante, Marinus, qui in Romana urbe* An. 881. *Archidiaconus tenebatur, ordinari compactum est. Imperator obviam Papæ pergit, & illum honorificè suscepit.* Et hinc memorati Principis bonitate freus Adrianus tertius fecit quod habet liber Pontificalis: *De electione Pontificis Adrianus decrevit, ne in ipso creando Imperatoris auctoritas exspectaretur, idque ideò ut Cleri & populi libera sint suffragia.*

Antiquam consuetudinem reduxit in sua Romana Synodo Joannes nonus: *Quia Sancta Romana Ecclesia plurimas patitur violentias Pontifice obeunte, quæ ob hoc inferuntur, quia absque Imperatoris notitia, & suorum Legatorum præsentia Pontificis fit consecratio, nec Canonico ritu & consuetudine ab Imperatore directi intersunt Nuntii, qui violentiam & scandala in ejus consecratione non permittant fieri, volumus id ut deinceps abdicetur.* Mandat ut Electus *præsentibus Legatis Imperialibus consecretur.* Verùm quis Canon Augusto Principi istam umquam auctoritatem tribuerit, ignoro. Longè minùs oportet ejus Legatos interesse Electioni. Etenim de Adriani secundi electione scribit Guilielmus Bibliothecarius. *Quod audientes, tunc Missi Principis molestè tulere, indignati scilicet, non quòd tantum virum nollent Pontificem, quem nimirùm anxiè cupiebant; sed quòd se, dum præsentes essent, Quirites non invitaverint, nec optatæ à se futuri Præsulis electioni interesse concesserint. Qui accepta ratione, quòd non Augusti causa contemptus, sed futuri temporis hoc omissum fuerit omninò prospectu, ne videlicet Legatos Principum in electione Romanorum Præsulum mos exspectandi per hujusmodi fomitem inolesceret, omnem suæ mentis indignationem medullitus sedavere, ac ad salutandum Electum etiam ipsi humiliter accessere.* Legatos, licet in Urbe præsentes, nec vocari oportet, nec adesse. Ex isto interim Joannis noni Decreto processit, quod sub Joanne duodecimo factum scribit Luitprandus Ticinensis Ecclesiæ Diaconus: *Cives Romam Sanctum Imperatorem* Othonem primum *cum omnibus suis in Urbem* L. 6. c. 6. *recipiunt, fidelitatemque promittunt, hæc addentes, & firmiter jurantes, numquam se Papam electuros aut ordinaturos præter consensum atque electionem Domini Imperatoris Othonis Cæsaris Augusti, filiique ipsius Regis Othonis.* Laudat datum, aut certè innovatum à Leone octavo privilegium, de quo magnum Belgii Chronicon: Fol. 84. *Leo octavus propter Romanorum malitiam, qui suos intrudebant, statuit ut nullus Papa nisi de assensu Imperatoris fieret.* Addit eodem sensu accipiendum, quod ab Adriano primo dicitur Carolo Magno datum privilegium, ut scilicet nequaquam nominandi Pontificis facultatem tribuat, sed solùm jus Regii assensus. Eam fuisse Leonis mentem, lucet ex ejus in Benedictum quintum Antipapam Synodo, ubi hunc Benedictus Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus interrogat: *Num inficiari potes præsenti Domino Imperatori juramento promisisse, numquam te cum cæteris Romanis Papam electurum aut ordinaturum sine illius, filiique sui Regis Othonis consensu?* Sub Leone quippe octavo Benedictus iste fuerat Cardinalis Diaconus. Et in Edicto, quo Romanæ Ecclesiæ jura confirmavit laudatus Otho, liberam electionem patenter restituit, solumque sibi reservavit Regium assensum. Hinc etiam in Diplomate, quo Sylvestri secundi electionem confirmavit Otho tertius, habemus hæc verba: *Pro amore Sancti Petri Dominum Sylvestrum, Magistrum nostrum, Papam elegimus, & Deo volente, ipsum Serenissimum ordinavimus & creavimus.* Nec solùm

lùm hunc Sylvestrum, sed etiam Gregorium quintum fuisse à laudato Principe creatum scribit Glaber Rudolphus. Nempè Regia Episcopi Electi confirmatio olim titulabatur donum & concessio Episcopatus. L. 1. c. 4.

Per Othonum Augustorum mortem nequaquam dormivit servitus. Ipsam in Edicto, quo Romanæ Ecclesiæ patrimonia firmavit in Benedicti octavi gratiam, Henricus sanctus sibi diserte stabilivit. Ejus post Conrardum Salicum successor Henricus tertius præsumpsit etiam nominare. Etenim de Joanne Gratiano, Sancti Joannis ad Portam Latinam Cardinali Presbytero, qui Pseudopontifices Benedictum nonum & Sylvestrum tertium datis pensionibus ad cedendum induxerat, atque ità in Gregorium sextum fuerat provectus, Simoniæ & empti Papatus accusato, & ad dejectionem postulato apud memoratum Principem, scribit in generali sua historia Otho Frisingensis Episcopus: *Gratianus Regi*, Romam venienti ad ipsum ejiciendum, *apud Sutrium occurrens, ad leniendum ipsius animum, Diadema pretiosum obtulisse dicitur. Quem Rex primò, ut decuit, honorificè suscepit, postmodum autem, collecto Episcoporum Conventu, à Pontificatu pro nota Simoniæ cedere persuasit, eique Suegderum Bambergensem Episcopum, qui & Clemens secundus, consensu Romanæ Ecclesiæ substituit. Et hinc Romana Ecclesia in electione Canonica Pontificum in tantum infirmata invenitur, quod quatuor sequentes ab Imperatore ibi positi in Catalogo inveniantur. Qualiter autem industria Hildebrandi sub Leone juniore libertatem suam ex parte, sub Alexandro verò plenè rehabuerit, infrà dicemus.* Quomodo Clemens secundus, Damasus secundus, ac Leo nonus, non Canonicè electi, sed à memorato Principe nominati fuerint, latè exponunt istorum temporum Scriptores, addentes Benedictum decimum, non solùm ob Simoniam, sed etiam ob violatum Imperiale privilegium fuisse ejectum, & suffectum præsentis Synodi auA. 1046. ctorem Nicolaum secundum. Privilegium exponit Sigebertus Gemblacensis: *Romani jurant se sine Henrici consensu numquam Papam electuros.* Addit exstincti inter tres de Papatu contendentes schismatis fuisse mercedem. At longè aliter Sancti Benigni Divionensis Chronicon: *Defuncto Papa Clemente* secundo *Romani petierunt Halinardum* ex Sancti Benigni Abbate Lugdunensem Archiepiscopum. *Hoc namque à Romanis Imperator data pecunia non parva exegerat, ut sine ejus permissu Papa non eligeretur.* Et in Synodali apud Sanctum Petrum Damiani disputatione Regius Advocatus: *Henricus Imperator* A. 1046. *factus est Patritius Romanorum, à quibus etiam accepit in electione semper ordinandi Pontificis Principatum. Huc accedit, quod præstantius est, quia Nicolaus secundus Papa hoc Domino meo Regi* Henrico quarto *privilegium, in quo ex paterno jam jure successerat, præbuit, & per Synodalis insuper Decreti paginam* in hac nostra Synodo *confirmavit.* Et adversùs Gregorii septimi electionem queritur apud laudatum Frisingensem Episcopum in opere de Frederici primi Gestis ipse Henricus quartus, *quòd ipso inconsulto, qui* L. 1. c. 1. *tamquam Rex & Patritius in electione suæ Urbis Episcopi primus esse deberet, Romani sibi Pontificem præfecissent, cùm à patre suo Imperatore plures ibidem quasi sine electione intronizati fuerint.* Quocirca nequaquam nominandi Pontificis auctoritatem, sed solùm in electione principatum seu primum suffragium, ac Regii consensûs à præsenti hac Synodo firmatam consuetudinem Henrico tertio dederunt Romani, atque ità illæ Augusta potentia abusus legitimos limites horrendè excessit. Et hinc ipsum post Clementis secundi mortem de novo nominando Pontifice deliberantem, postulantemque consilia, de ejecto Gregorio sexto graviter arguit Venerandus Leodiensium Episcopus Wazo, affirmans Romanum Episcopum solo Divino subesse judicio; ipsum adhuc vivum revocari in Sedem, & ad novam non procedi nominationem suasit, atque adjunxit: *Cùm Judæ traditoris loco legamus Apostolos absque ulla sæculari potentia Matthiam Apostolum ordinasse, credimus hoc exemplo per Ecclesiasticos Ministros absque potentia sæculari electiones & promotiones Apostolicorum fieri debere.* Nequaquam Regium consensum damnat, sed solam nominandi Pontificis violentiam. Exstant hæc latiùs apud Anselmum Canonicum Leodiensem. Hinc etiam de Leone nono, qui per eundem Principem nomi- Cap. 106. natus statim assumpserat ornamenta Papalia, atque ità pomposè per Galliam proficiscebatur ad Urbem, scribit Otho Episcopus Frisingensis: *Hildebrandus*, Cluniacensis tunc Monasterii Prior, *Leonem adiens, æmulationis Dei plenus, constanter eum de incæpto redarguit, illicitum esse inquiens per manum Laicam Summum Pontificem ad gubernationem totius Ecclesiæ violenter introire. Verum si suis se credere velit consiliis, utrumque, & quòd Imperialis Majestas in ipso non exacerbetur, quodque libertas Ecclesiæ in electione Canonica renovetur, se pollicetur effecturum. Inclinatus ille ad monitum ejus, purpuram deponit, peregrinique habitum assumens, ducens secum Hildebrandum, iter carpit. Igitur ad Urbem usque venientes, consilio Hildebrandi, à Clero & Populo in Summum Pontificem Leo eligitur, sicque utcumque Romana Ecclesia ad faciendam electionem informatur.* Etiam suprà dixit idem Otho: *Industria & opera Hildebrandi sub Leone* nono *libertatem suam Romana Ecclesia ex parte rehabuit.* Reverà tantùm ex parte. Leonis enim electio quoad solam speciem fuit Canonica, utpotè facta in designatam à Principe personam. Etiam Hildebrandus non damnavit Regium consensum. Et hinc Nicolaus item secundus, à quo Romanæ Ecclesiæ Archidiaconatum Hildebrandus accepit, præsenti huic, quo papali electioni plenam libertatem cum novis quibusdam adversùs schismata cautelis restituit, Synodali Decretò diserte insecuit: *Salvo debito honore & reverentia dilecti filii nostri Henrici* quarti, *qui in præsentiarum Rex habetur, & futurus Imperator, Deo concedente, sperator, sicut jam sibi concessimus, & successoribus illius, qui ab Apostolica Sede personaliter*

hoc

hoc jus impetraverit. Et nominandi audaciam, & eligendæ personæ designationem damnat, solumque Regium de Electo consensum manifestè concedit.

Notanda sunt verba: *Sibi concessimus*: Et verba: *Hoc personaliter impetraverint*. Ostendunt indultum hoc pro sola fuisse Henrici persona & vita. Scio Henrici quarti Tutores ad paternum Henrici tertii privilegium reclamasse, ideoque in defuncti Nicolai secundi locum nominasse Cadaloum Parmensem: Verùm sine fructu Romanus enim Senatus, nisi præsentis Synodi Decreto deferretur, defectionem minitatus est, ideoque in Urbem Legatus Sanctus Anno Colonienſis Archiepiscopus nominationem circumduxit, atque ità Anselmus Lucensis Episcopus fuit electus in Alexandrum secundum. Latè hæc habes apud Lambertum Schafnaburgensem. Etiam in Synodali apud Sanctum Petrum Damiani disputatione Regius Advocatus, Regium saltem consensum prætendens non ad solam Romanæ Ecclesiæ liberalem gratiam, sed ad Imperialem successionem atque Augustæ Majestatis jura pertinere, nihil obtinuit. Etenim mera per Odoacrem, Theodoricum, Justinianum, ac Pium Ludovicum attentata Ecclesiasticæ libertatis invasio dedit isti servituti ansam & originem, ideoque non nisi per gratiosam Ecclesiæ Indulgentiam aut conniventiam purgari potuit & firmari. Quin & aliam isti suæ gratiæ limitationem adjecit Romana Ecclesia, Henrici quarti adhuc minorennis affirmans sese quoad spiritualia jura esse Tutricem, ideoque consecrandi Pontificis veniam non ab ejus matre aut Palatinis Curatoribus, sed ab ipsa Sede Apostolica fuisse postulandam. Hinc ab illis intrusum Cadaloum refutavit non solummodò, sed & sine ipsorum assensu coronavit Alexandrum secundum, protestata tamen adulto Principi jus suum fore salvum. Et hinc de Gregorio septimo, quem non solummodò electum, sed statim insuper consecratum acceperat ab ejus æmulis memoratus Rex Henricus, pergit laudatus Lambertus: *Statim Rex à latere suo Eberhardum Comitem misit, qui Romanos Proceres conveniens causam ab eis scisciteretur, quare præter consuetudinem Majorum Rege inconsulto Romanæ Ecclesiæ Pontificem ordinassent, ipsumque, si non idoneè satisfaceret, illicitè accepta dignitate abdicare se præciperet. Is veniens Romam, benignè à Gregorio susceptus est. Cumque illi mandata Regis exposuisset, respondit se, Deo teste, honoris hujus apicem numquam per ambitionem affectasse, & electum se à Romanis, & violenter sibi impositam Ecclesiasticî regiminis necessitatem, cogi tamen nullo modo potuisse, ut ordinari se permitteret, donec in electionem suam tam Regem quàm Principes Theutonici Regni consensisse, certa legatione cognosceret; Hac ratione adhuc distulisse ordinationem suam, & sine dubio dilaturum, donec sibi voluntatem Regis certus indè veniens nuntius intimarit. Hoc ubi Regi est renuntiatum, lubenter suscepit satisfactionem, & lætissimo suffragio, ut ordinaretur, mandavit. Quod & factum est sequenti anno.* Et hinc in primis suis ad varios Epistolis Gregorius dudum se titulavit Romanæ Ecclesiæ dumtaxat Electum, scripsitque ad Desiderium Abbatem Cassinensem: *Dominam Agnetem Imperatricem*, Henrici quarti matrem, *ex nostra parte saluta, & quantum erga nos dilectionis habuerit, nunc ut ostendat, fideliter obsecra.* Gregorium Magnum imitatus efflagitat, ut Regiam sui Papatus confirmationem Augustæ dignaretur impedire. Quapropter ipsum sine tali confirmatione fuisse consecratum, & in suis famosis libellis Cardinalis Benno, & in Brixinensi Conventu Rex Henricus mendaciter finxerunt. Ex ipsis eundem errorem hausit Otho Episcopus Frisingensis. In reprobam varii criminis mentem posteà datus Henricus Rex ad paternum nominandi Pontificis privilegium redire voluit, Guibertum Ravennæ Episcopum subintrusit Gregorio, atque ità miserabile schisma in Ecclesia suscitavit. Illius item filius Henricus quintus ob laicas Antistitum investituras horrendè vexavit Romanam Ecclesiam. Aliàs quoque cum ipsa lites habuerunt Fredericus primus, Henricus sextus, Otho quartus, Philippus, Fredericus secundus: Non fuit pax usque ad Austriacum Imperium Rudolphi primi. Hinc præsens à Nicolao secundo datum privilegium in Henrici quarti persona fuit exstinctum, nullique deinceps Augusto Principi concessum. Ità Romana Ecclesia per Gregorium septimum, attamen non per ejus, ut putat Otho Frisingensis, consecrationem, sed per ejus ab Henrico quarto prosecutiones, duram Regii consensus servitutem evasit.

A. 1063. 1064.

A. 1073.

Hæc de Henrico Rege verba, *In præsentiarum Rex habetur, & futurus Imperator speratur*, ostendunt Romani Imperii Electum, antè perceptam à Romano Pontifice unctionem & Coronam, vocari dumtaxat Romanorum Regem, non Augustum, aut Imperatorem. Quòd olim non se Romanorum Reges, sed simpliciter Reges, aut certè Francorum ac Longobardorum Reges titularint isti Electi, ex quodam Henrici Sancti diplomate monstrat in opere de Regni ac Imperii juribus Lupoldus Bambergensis. Est consuetudo antiquissima. Etenim de Carolo Magno, jam Francorum ac Longobardorum Rege, scribit Sigebertus Gemblacensis. *Romani Carolo Regi Imperatorias laudes acclamant, eumque per manum Leonis Papæ coronant, Cæsarem & Augustum appellant; Pippinum verò ejus filium Regem Italiæ ordinatum, ideoque & suo tempore futurum Imperatorem collaudant.* Et de Ludovici Pii Imperatoris adhuc viventis filio, jam Longobardorum Rege, Lothario: *Lotharius à Paschali Papa consecratus Coronam Regni, & Imperatoris atque Augusti nomen accepit.* Et de filio hujus Ludovico: *Ludovicus filius Imperatoris Lotharii à Sergio secundo Papa in Regem Longobardorum unctus est.* Ita futuri Imperii jus accepit. Et de Othone primo adhuc dumtaxat Rege Abbas Regino: *Rex Romæ favorabiliter susceptus, acclamatione totius Romani populi & Cleri, ab Apostolico Joanne Imperator & Augustus vocatur & ordinatur.* Et de ejus filio Othone secundo Lambertus Schafnaburgensis: *Otho Imperator misit Legatos suos ad Wilhelmum Moguntinum Archiepiscopum & alios Principes, ut Othonem filium suum cum omni dignitate Regali ad Italiam mitterent, quem ipse suscipiens Romam perduxit, ut Papa Joannes Imperatorem faceret; Quod & fecit.* Et de Henrico quinto Otho Frisingensis Episcopus: *Henricus à Paschale secundo Pontifice coronatus, Imperatoris & Augusti nomen sortitur.* Et in Ecclesiæ Citizensis Chronico Paulus Langius: *Notandum, quòd Electus mox Cæsar & Romanorum Rex appellatur, tum demum Imperator et Augustus, si eum Romanus Pontifex confirmasset.* Proindè antiquissima est ista consuetudo, ad Germanicum Imperium traducta ex avito Romano, apud quod jam à Marci Antonini Veri, qui primus Imperii Collegam Cæsarem assumpsit Lucium Aurelium, temporibus aliud fuit Cæsar, aliud Augustus. Cæsar idem istic erat quod apud nos Rex Romanorum. Et hinc de Commodo, quem in Lucii Aurelii defuncti locum Antoninus Pater Cæsarem crearat, scribit in Chronico Eusebius Cæsarienſis: *Commodus à Senatu Augustus appellatus est*. Et in suo Codice ad Augustæ suæ domus Curatores scribit de quibusdam à se datis privilegiis Imperator Justinianus: *Ex eo tempore valitura, quo nutu Divino Imperiales suscepimus insulas.* Ubi per Imperiales insulas intelligi Augustam Coronationem, ideoque novam juris ac dignitatis speciem ab illa tribui, meritò advertunt Interpretes. Et hinc in litteris, apud Radevicum Frisingensem exstantibus, rectè scripsit Adrianus quartus se per Imperialis coronæ insignia Frederico primo dedisse honoris ac dignitatis plenitudinem. Infeliciter tamen addidit se *ad majora* etiam *beneficia paratum*. Loqui enim existimatus est in sensu Innocentii secundi, qui post peractam Lotharii Imperatoris Coronationem Lateranensis Palatii parietibus inscripserat hosce versus:

L. 6. c. 32. 33. 34.

I. 54

A. 801.

A. 823.

A. 841.

A. 962.

Rex venit antè fores, jurans priùs urbis honores;
Hinc homo fit Papæ, sumit quo dante Coronam.

Occidentale Imperium voluit esse Apostolicæ Sedis beneficium & Imperatorem ejus professum hominem. Verùm & versus istos radi, & memoratam Adriani Epistolam circumduci voluit Fredericus, atque ex hisce litibus natum est longum illud schisma Cardinalis Octaviani contra Alexandrum tertium. Quocircà non penitùs malè scribit in concordantia Catholica Nicolaus Cardinalis Cusanus: *Unctio et diadema nihil præstant Imperiali potestati.* Ea affirmat esse dumtaxat sacra præhabitæ potestatis ornamenta, solumque Regni nomen per ipsa proficere in Augusti Imperatoris titulum, & adjungit causam: *Ut ad Coronationem anhelet Rex, servatur huic solemnitati hoc nomen.* Aliud quippè est Papalis Confirmatio, aliud Papalis Coronatio: Hæc solùm nomen, ista potestatem impartit, & ante ipsam nequit Rex Imperium administrare. Etenim prima Henrici quarti apud Gregorium septimum per Saxones accusatio fuit, *non decere tam flagitiosum regnare, maximè cùm ei Regiam dignitatem Roma non contulerit: Oportere Romæ jus suum in constituendis Regibus reddi*, Imperium esse sibi hæreditarium, ideoque Papali confirmatione non egere repositum Henricus: Quam quæstionem etiam Fredericus primus, Ludovicus quartus, & alii Romanorum Reges resumpserunt: Germanorum Jurisconsulti jam pridem certant, & adhuc sub Judice lis est. Nec spectat ad rem præsentem. Attamen Paulus Langius, affirmans à confirmatione tribui Augustum Imperatoris nomen, palàm fallitur: Nisi per confirmationem intelligit Coronationem.

L. 3. c. 3.

Hæc verba, *Electus authorizari non valeat*, videntur mendosa, & cum Gratiano videtur legendum, *Inthronizari*. Interim edicunt Romanæ Ecclesiæ Electum olim ante Consecrationem, seu Inthronizationem aut Coronationem non administrasse. Lucet ex Epigraphe litterarum, quas ad Scotorum Episcopos scripsit Joannes quartus: *Hilarius Archipresbyter, & servans locum Apostolicæ Sedis, Joannes Diaconus & in Dei nomine Electus, item Joannes Primicerius & servans locum Sacratæ Sedis Apostolicæ, & Joannes servus Dei, Consiliarius ejusdem Apostolicæ Sedis.* Joannes Electus se non Pontificem, sed dumtaxat Diaconum intitulat, & subscribit post Archipresbyterum: Quod nempè non electionis, sed dumtaxat delegatæ vicis jure Romanam Ecclesiam administraret. Et de Severino primo scribit Anastasius Bibliothecarius: *Devastatum est Episcopium Lateranense ab Isaacio Exarcho, cùm adhuc Electus esset*, adeoque administrandi facultatem necdum haberet, *Dominus Severinus*. Et litteris quibus suam electionem retulit Pippino Francorum Regi, Paulus primus ità super scripsit: *Paulus Diaconus, & in Dei nomine Electus Sanctæ Sedis Apostolicæ*. Etiam Benedictum tertium laudatus Anastasius assiduè vocat *Benedictum Electum*. Eodem modo Alexandrum secundum, licet jam pridem consecratum Lucensis Ecclesiæ Episcopum, quia Romanæ Cathedræ necdum inthronizatum, intitulat Sanctus Petrus Damiani. Se ipsum usque ad consecrationem constanter ità inscripsit Gregorius item septimus. Quòd Electus administrarit, lucet ex multis ejus tunc scriptis Epistolis: Verum uti Archidiaconus, non ut Papa. Quin & apud Rogerum Hovedensem exstat Epistola, qua Anglorum & Scotorum Episcopis electionem suam refert Innocentius tertius, atque incipit: *Innocentius Apostolicæ Sedis electus Episcopus.* Adeò dudum iste mos perduravit. Ejus radicem in suis ad universos in Germanico Imperio fideles enthronisticis litteris, apud Radivicum Frisingensem exstantibus, aperit Antipapa Octavianus: *Canonicè sumus electi, & in Sede Apostolica collocati, ac deindè Benedictionis consecrationem, ac nostri officii accepimus plenitudinem.* Consecratio enim est istius spiritualis matrimonii complementum, ideoque & tribuit jus plenæ administrationis. Quis morem mutaverit, ignoro. Quòd interim Adrianus quintus non solùm ante Episcopalem, sed & ante Presbyteralem consecrationem administraverit, testatur magnum Belgii Chronicon. Et hinc in ultimo communium Extravagantium libro & titulo habemus hanc constitutionem Clemen-

Epist. 1.

L. 1. pist. 10

Fol. 777.

L. 2. c. 54.

Fol. 263.

mentis quinti: *Quia nonnulli, prout accepimus, contra doctrinam Apostoli, suæ prudentiæ, quin potiùs imprudentiæ innitentes, ac disputare super his, de quibus eis non expedit, satagentes, asserere non verentur, quòd Summus Pontifex ante suæ Coronationis insignia se non debet intromittere de provisionibus, reservationibus, dispensationibus, & aliis gratiis faciendis, nec se in litteris Episcopum simpliciter, sed electum Episcopum scribere, nec etiam uti Bulla, in qua nomen exprimatur ipsius. Nos talium temeritates compescere cupientes, singulos, qui hujusmodi occasione aliquas litteras nostras super negotiis quibuscumque confectas, quæ à nobis ante Coronationis nostræ insignia manarunt, ausi fuerint impugnare, excommunicationis sententia innodamus.* Nempè uterque mos suas rationes habuit, & quisque suo tempori se debet accommodare. Quod tamen de Bulla Clemens addit, non fuit usu receptum. Lucet ex Gregorii duodecimi, apud Theodoricum à Niem exstantibus, ad Petrum de Luna Antipapam litteris: *De hoc, quòd Bulla sine impressione nostri nominis est appensa præsentibus, nullus debeat admirari. Nam ante nostræ Coronationis insignia hujusmodi imperfecta Bulla absque ipsius impressione nominis habetur.* Antiquum ergò morem præsenti hoc L. 2. c. 4. Decreto confirmavit Nicolaus secundus, excipiens tamen casum, quo Electus per bellicam tempestatem, æmulorum malitiam, aut alium id genus violentum obicem fuerit ab accipienda Consecratione impeditus. Quòd ob grassantis pestilentiæ necessitatem Magnus Gregorius administraverit ante consecrationem, testatur Joannes Diaconus: Ipsum interim assiduè vocat, non Pontificem, sed Levitam.

CANON II.

UT moriente Romano Pontifice, vel cujuscumque civitatis, nullus præsumat facultates eorum invadere, sed Successoribus eorum reserventur integræ,

SCHOLION.

SAracenorum aut Turcarum Principe defuncto, Palatium & Castra consuevisse per plebem diripi, testatur in Sacri Belli historia Guilielmus Metropolita Tyriorum. Barbara consuetudo dudum vexavit etiam Romanam Eccle-
L. 18. c. 17. siam. *Cùm Romani*, inquit Ludovici Pii Imperatoris Astrologus, *Leonem* tertium *Papam ægritudine decubuisse viderent, collata manu omnia prædia, quæ in singularum Civitatum ditionibus noviter exstruxerat, primò diripiunt, deindè immisso igne*
An. 8. 5. *cremant, tum Romam ire statuunt, & quæ sibi erepta querebantur, violenter auferre.* Quod ipsum in suis Annalibus scribit Eginardus. Duravit abusus usque ad Lotharium Augustum, cujus hocce Eugenio secundo datum privilegium nùper vulgavit Illustrissimus Lucas Holstenius: *Ut deprædationes, quæ hactenus fieri solebant, nullo modo fiant, neque vivente Pontifice, neque defuncto. Si quis verò ulteriùs hoc fecerit, sciat se legali sententia condemnandum. Quæ verò retrò factæ sunt, legaliter emendentur.* Exstat item in Longobardorum legibus ad tertii Libri undecimum titulum. Verùm post patrata in Formosum Pontificem scandala malum revixit. Lucet ex Romana Synodo Joannis noni: *Quia sceleratissima consuetudo inolevit, ut obeunte sanctæ Romanæ Ecclesiæ Sedis Pontifice, ipsum Patriarchium deprædari soleat, & non solùm in ipso Sancto Patriarchio, sed etiam per totam Civitatem & ejus suburbana talis debacchatur præsumptio, nec non quia & id inultum hactenus neglectum est; adeò ut omnia Episcopia patiantur eadem, uniuscujusque Ecclesiæ obeunte Pontifice, quod ne ulteriùs præsumatur, omnimodis interdicimus. Quod qui facere præsumpserit, non solùm Ecclesiastica censura, sed etiam Imperiali indignatione feriatur.* Largissimos, quos adjuvandis pauperibus aggregarat Honorius primus, auri & argenti thesauros fuisse ab Isaacio Italiæ Exarcho, Romanaque militia & plebe direptos, & ipsorum partem transmissam Heraclio Imperatori, latè in Severini Pontificis vita refert Cardinalis Anastasius, atque ità ostendit hunc abusum, licet non in cujusvis Pontificis morte semper attentatum, esse antiquissimum. Ecclesiastici thesauri seu vera seu mendax fama frequenter illi dedit ansam & fomenta.

Apud alias Ecclesias malum est longè antiquiùs. Lucet ex Canone Chalcedonensis: *Non licere Clericis post obitum sui Episcopi res ad eum pertinentes diripere, sicut antiquis quoque Canonibus* C. 22. *est constitutum.* Agit de solis rebus ad Episcopum proprio jure pertinentibus. Ipsas per testamentum & quamvis ultimam voluntatem distribuere Episcopus poterat, & ad ejus intestati hæredes devolvebat antiquus Canon, ideoque à Clericis deinceps diripi magna hæc Synodus interdixit. Et hinc de sui Cleri & populi, à quibus ejectus fuerat, in se violentiis scripsit in supplicibus ad Martianum Augustum & laudatam Synodum libellis Bassianus Archiepiscopus Ephesinus: *Post hæc quascumque res habueram, mobiles vel immobiles, abstulerunt, & sicut voluerunt, sibi partiti sunt.* Expulsum Episcopum uti defunctum tractaverunt. Loquitur ille palàm de suis rebus propriis. Hinc enim etiam per Synodum exauctoratus

ratus perrexit: *Quæ mihi ablata sunt, jubete restitui.* Et glorioſissimi Judices reposuerunt: *Si*
Act. 12. *quid Bassiano Reverendissimo Episcopo, ex rebus illi competentibus direptum est, hoc ei post Judiciales probationes ab his qui abstulerunt, vel causa læsionis fuerunt, restituetur.* Ecclesiasticam ergò tunc omninò nullam, propriam verò Episcopi substantiam solæ Clericorum manus præsumebat rapere, ideoque hanc solam solis Clericis interdixit Synodus Chalcedonensis. Nam & Bassiani substantiam videntur soli Clerici diripuisse.

Nec solùm apud Græcos, sed etiam apud Latinos grassata fuit ista rapacitas. Lucet ex Ilerdenſi Synodo: *Prisca Canonum auctoritas evidenti*
Can. 16. *sanctione præcepit, ut cujuscumque Ecclesiæ Pontifice defuncto, non passim pro libito suo de earum rerum, quas obiens dereliquit, direptionem quisquam irruat, domumque subvertat.* Priscus ille Canon videtur esse vel laudatus Chalcedonensis, vel certè duodecimus Tarraconensis, qui omnem defuncti Antistitis supellectilem mandat redigi in Inventarium, & à nullo Clerico furtivè attingi. Adversùm solos Clericos, defuncti aut etiam agonizantis Episcopi substantiam etiam palàm invadere atque abrodere consuetos, loquitur Ilerdensis Canon: Videtur tamen loqui non de solis Episcopo propriis, sed etiam de Ecclesiæ rebus. De ambabus palàm loquitur Hispanorum Valentina Synodus: *Clerici ab omni omninò supellectile, vel quæcumque sunt in domo Ecclesiæ vel*
C. 2. *Episcopi, in libris, in speciebus, utensilibus, vasculis, frugibus, gregibus, animalibus, vel omni omninò re rapaces manus abstineant, & nihil latronum more diripiant.* Agit etiam de illis, ex quibus vacante Sede oportebat ali Clerum, ideoque cuncta jubet successori integra servari. Hinc item à defuncti hæredibus vult nihil attingi: Ne fortè cum ejus rebus etiam Ecclesiæ aliquid auferant. Divisionem à successore mandat expectari, aut dum Sedes forsitan nimio tempore vacarit, à Comprovincialibus ac Metropolita. Et ità malum fuit istic plenè exstinctum. Nulla Hispalensis, Emeritensis, Bracarensis, aut Toletana Synodus illius meminit: Nempè Orthodoxa Gothorum Regum pietas istam barbariem constanter exclusit. Attamen Stephanus Baluzius ex Ecclesiæ Barchinonensis Chartulario & Gerundensis Episcopi Archivo protulit privilegium seu Diploma, quo Barchinonensium & Aragonum Princeps Raimundus Tarraconensi Metropolitæ, ac ejus Barchinonensi, Gerondensi, ac Ausonensi Suffraganeis remisit *quandam nefariam consuetudinem, quæ quondam exstiterat in Cathedralibus Ecclesiis. Erat enim consuetudo, ut decedentibus Episcopis, bona Pontificalia, quæ in Palatiis, & in Castris, & in Dominicaturis ipsorum inveniebantur, ab Bajulis & Vicariis Principis diriperentur & distraherentur.* Raimundus profitetur esse detestabilem, Divinisque & humanis legibus adversam consuetudinem, ideoque propter Dei amorem, ac suæ & suorum parentum animæ remedium plenè abolet & proscribit, mandans deinceps *omnia, quæcumque tam in pane quàm in vino, pecoribus & pecudibus, & omnibus domorum utensilibus, omnibusque ad jus ipsorum Episcopatuum pertinentibus, à decedentibus Episcopis fuerint congregata, cum omni integritate successoribus Episcopis tradantur.* Nempè post ejici cœptos Saracenos Tarraconensis Provinciæ Episcopi, quo usque ipsorum Metropolis gemuit sub Barbaro jugo, subfuerunt Archiepiscopo Narbonensi, atque ità eorum Princeps à nimio cum Francis commercio malos didicit mores. A Francorum Regibus & populis didicit viduatas Cathedras varia violentia divexare. Neque enim omnis promiscua plebs, sed soli Principis Bajuli & Vicarii agere poterant istam rapinam; Quòd nempè Princeps Episcoporum spolia crederet esse sui juris, & suis famulis elargiretur.

Porrò apud Francos admodum antiqua est hæc Barbaries. Etenim defuncti Episcopi, Presbyteri, Diaconi, ac cujusvis Junioris Clerici proprias aut ad ejus Ecclesiam spectantes res à quovis, etiam Judice aut Comite, ante reseratum testamentum contingi, occupari, disquiri, aut Ecclesiæ repagula infringi vetant quinta Parisiensis Synodus habita septimi sæculi anno decimo quinto, & ad annum trigesimum habita prima Remensis. Solorum tamen Consanguineorum, C. 7.
ab intestato volentium succedere, atque ità non C. 16.
solùm facta à defuncto legata, sed & ipsas Ecclesiæ res subindè invadentium, audaciam videntur compescere. Hinc mandant priùs referari testamentum, ex quo & defuncti voluntas & Consanguineorum jus cognoscantur. Hinc item rapinam istam nec per Judicem, imò nec ad Regium præceptum fieri permittunt. Malum videtur pedetentim crevisse. Ut enim defuncto Presbytero vel Abbate, nihil ab Episcopo, Archidiacono, vel alio quocumque auferatur, sancit prima Synodus Cabilonensis. Et Synodus Pontigonensis: *Quoties Divinum judicium Ecclesiæ* Part. 3.
Præsulem à sæculo vocaverit, nullus per ditionem c. 4.
facultates ejus invadat, diripiat, & ad suos usus transferat, sed Erogatariis & Eleemosynariis Ecclesiasticis, cum ipsius Ecclesiæ constituto Œconomo, liberum sit Canonico more justè rationabiliterque deputata successuro reservare, vel quibuscumque, sicut expedit, pro ejus spiritu distribuere. Voces, *Facultates ejus*, ostendunt proprias dumtaxat Episcopi res censuevisse invadi. Et Synodus Troslejana: *Inter Nostrates pessimus inolevit mos, ut defuncto Ecclesiæ Episcopo, mox à quibuscumque Potentioribus pervadantur res Ecclesiasticæ, quasi*
C. 14. *Episcopi fuerint propriæ, cùm etiamsi ejus essent, contra omne jus id fieret.* Ecce, malum denuò crevit, progressum usque ad rapinam Ecclesiasticæ etiam substantiæ. Quomodo Theodulphus Comes nescio cujus defuncti Presbyteri omnia, licet pauperibus legata, bona cum ipsa etiam Ecclesiæ substantia invaserit, & ab Hincmaro Remensium Archiepiscopo postulatus fuerit ad restitutionem, in ejusdem Ecclesiæ historia scribit Flodoardus. Et in litteris ad Herluinum Ca- Lib.
meracensem Episcopum, exstantibus apud Bal- 26.
dricum Episcopum Tornacensem, scribit Gregorius quintus Pontifex: *Hoc quoque nobis intimatum est, quòd obeunte Episcopo, vel cæteris Sacerdotibus sanctæ Cameracensis Ecclesiæ, aliqui Diabolico repleti spiritu soleant res Ecclesiasticas,* Lib. 1. c. 111.

quas

quas vel Episcopus, sive etiam Sacerdotes reliquerint, diripere ac devastare. Quibus Apostolica Censura, ne hoc amplius agere præsumant, interdicimus. Ipsos cogit ad omnium diripiendorum restitutionem.

Etiam apud Italos grassatam fuisse barbariem, lucet ex Sancti Leonis noni epistola ad Ecclesiam Auximanam: *Perversam & prorsus execrabilem quarumdam plebium consuetudinem, fama vulgante, cognovimus; ut videlicet suo defuncto Episcopo, domum Episcopii hostiliter irrumpentes invadant, ejus facultates prædonum more diripiant, prædiorum domos incendant, vites insuper & arbusta bestiali immaniores feritate succidant. Quod nimirum nisi fuerit Ecclesiastici vigoris censura correctum, haud dubium quin Regionibus illis repentini furoris immineat gladius.* Morem damnat sub horrendo anathemate. Videtur tamen non in cunctorum, sed in eorum dumtaxat, qui plebem offenderant, Episcoporum spolia fuisse grassatum ab Italis. Erat vindictæ species, quam laudatus Pontifex etiam acerrimè proscribit. Abusus originem alii referunt in Regia Episcoporum feuda. Hæc enim per Episcopi mortem aut degradationem vacantia Rex ad se usque ad novi Episcopi creationem retrahebat, atque ita ejus famuli, ipsisque commixta populi fæx, Episcopii & villarum cuncta mobilia, tamquam derelicta & ad neminem spectantia, diripiebat. Alii existimant pravam Ecclesiasticæ rei administrationem, ac profana præsertim Episcoporum testamenta fuisse mali exordium, aut saltem grande fomentum. Episcopalia bona sunt pauperum patrimonia, ideoque dum hi ista ab illis viderunt non distribui ex æquo, saltem à defunctis relicta crediderunt sibi deberi. Quidquid sit, omnem hunc abusum damnat hic denuò Nicolaus secundus.

Verùm non plenè obtinuit damnatio. Etenim viventem adhuc barbariem Urbanus secundus iterum damnare fuit compulsus in Claromontana
Fol. 131. Synodo: *Qui Episcoporum vel Clericorum morientium bona ceperit, anathema sit.* Exstat apud Guilielmum Malmesberiensem. Et apud Matthæum Parisiensem: *Qui Episcoporum aut Clericorum morientium bona rapuerit, anathema sit.*
A. 1095. Sunt Canonis dumtaxat compendia, plenus contextus exstare videtur in hodierna Conciliorum collectione: *Ne quis Clericus res Episcoporum vel Clericorum in vita vel post mortem eorum diripiat, vel in usus proprios conferat. Quod si quis fecerit, anathema sit. Et dictum est ab omnibus, Fiat.* Nam & ita habet Codex Lamberti Episcopi Atrebatensis. Vox, *Clericus*, cujus neutrum laudatum Compendium meminit, quibusdam videtur intrusa, & superesse. Hinc habet & aliud Compendium: *Qui bona morientium Episcoporum vel Abbatum invaderent, tamquam sacrilegi sunt excommunicati.* Verus Canonum contextus periit aut latet. Etiam Joannes ac Benedictus, Paschalis secundi per Galliam Cardinales Legati, statuerunt in secunda Synodo Pictaviensi: *Ut nemo Advocatus, vel quæcumque persona res Episcopi in vita, sive post mortem sibi vindicare præsumat. Quod si fecerit, anathema sit.* Ecclesiarum Advocati, quasi in Advocatiæ stipendium, spolia ista invadebant. Ad Paschalem secundum de redeunte ad sacrum bellum suo Comite Henrico Stephano scribit Sanctus Ivo Carnutensis Episcopus: *Divino adjutorio Carnutensis* Ep. 94.
Comes pravas consuetudines, quas habuerant Antecessores sui & ipse in domibus & rebus Carnutensis Episcopi defuncti vel depositi, multo meo labore & sumptu Ecclesiæ dimisit. Quod & Comes, & ejus famuli, ac illis admixta populi fæx soleret & Episcopale Palatium, & omnes ejus villas spoliare etiam pecudibus & armentis, lucet ex laudatæ cessionis instrumento, quod in suis ad memoratam epistolam Notis publicavit Joannes Baptista Souchetus. Eandem Comitis cessionem rigidissimarum pœnarum adjectu Paschalis confirmavit. Etiam in sua, per Stephanum Balu- Lib. 8.
zium in suis ad Petrum de Marca Notis publica- cap. 18.
ta, Tholosana Synodo sanxit Calixtus secundus: *Domos & bona cætera deficientis Episcopi & Clericorum à Principibus, vel quibuslibet Laicis diripi & teneri penitùs interdicimus. Qui pertinaciter ista præsumpserint, ab Ecclesiæ liminibus tamquam sacrilegi arceantur.* Huic Synodo & Canoni attestatur etiam magnum Belgii Chronicon. Fol. 149.
Quod ipsum in Lateranensi sua Synodo rigidissimè confirmavit Innocentius secundus. Hoc item tempore Barchinonensium & Aragonum Princeps hanc rapacitatem remisit Ecclesiis Provinciæ Tarraconensis. Eandem consuetudinem ab Ermengaudi suæ Civitatis Vice-Comitissa redemit bis mille solidis monetæ Melgorienſis Petrus Narbonensis Archiepiscopus, & Adrianus quartus confirmavit. Adeò dudum hæc barbaries vexavit Ecclesias.

CANON

CANON III.

UT nullus Missam audiat Presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere, aut subintroductam mulierem. Unde etiam ipsa sancta Synodus hoc Capitulum sub excommunicatione statuit, dicens: Quicumque Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, post Constitutum beatæ memoriæ Prædecessoris nostri sanctissimi Papæ Leonis de castitate Clericorum, concubinam palàm duxerit, vel ductam non reliquerit, ex parte Omnipotentis Dei, auctoritate beatorum Apostolorum Petri & Pauli, præcipimus & omninò contradicimus, ut Missam non cantet, neque Evangelium, vel Epistolam, ac Missam legat; neque in Presbyterio ad divina Officia cum iis, qui præfatæ constitutioni obedientes fuerint, maneat, neque partem ab Ecclesia suscipiat, quo usque à nobis sententia super hujusmodi, Deo concedente, procedat.

SCHOLION.

HUjus Canonis Auctorem fuisse Sanctum Petrum Damiani, lucet ex ejus ad præsentem Pontificem Nicolaum Epistola: *Nuper habens cum nonnullis Episcopis ex vestræ Majestatis auctoritate colloquium, sanctis eorum femoribus volui seras apponere, tentavi genitalibus Sacerdotum continentiæ fibulas adhibere. Sed quoniam hæc est Secta, cui ubique contradicitur, aliud quidem quodcumque vestræ constitutionis Imperium sub spe perficiendi fidenter indicimus, hujus autem Capituli nudam saltem promissionem tremulis prolatam labiis difficiliùs extorquemus.* Isti enim Episcopi castitatem, non solùm suis Clericis, sed & sibi ipsis impossibilem profitebantur. Publicam hanc fœditatem, populi de ipsa murmur & scandalum, Romanæ Ecclesiæ & plurium Synodorum in ipsa profliganda patientiam ac tepiditatem insigniter exaggerat Petrus, & concludit: *Tu autem, Domine mi Venerabilis Papa, qui Christi vice fungeris, qui summo Pastori in Apostolica dignitate succedis, noli pestem hanc per ignaviam ad incrementa perducere, noli connivendo & dissimulando grassanti luxuriæ frena laxare. Serpit enim hic morbus ut cancer, & virosa propago ad infinita porrigetur, nisi Evangelica falce, quoad malè pullulat, amputetur. Absit ut sanctum cor vestrum segnis Heli tor por emolliat, sed potiùs ad sceleris ultionem Ingenui Phinees zelus accendat. Deponantur ii, qui Ecclesiasticæ castitatis non verentur fœdare munditiam, & dejecti deterreant quos malè stantes ad turpis luxuriæ contumeliam provocabant.* His ergò stimulis, quibus & Cardinalis Hildebrandi calcaria accessisse scribit Bertholdus Constantiensis, incitatus Nicolaus Pontifex, licet cunctos concubinarios seu conjugatos Episcopos & Clericos degradare noluerit, compescuit tamen præsenti Canone.

Lib. 1. Ep. 6.

Christ. Lupi Oper. Tom. V.

Eum in litteris ad Lucium Sancti Juventii Ticinensis Præpositum elucidat Urbanus secundus: *Decessores nostri Nicolaus & Gregorius à Missis Sacerdotum, quos tales, utique Conjugatos & Con-* Ep. 17.
cubinarios, esse constiterit, fideles abstinere decreverunt, ut & peccandi licentiam cæteris auferrent, & hujusmodi ad dignæ pœnitentiæ lamenta revocarent. Non solùm publicorum Concubinariorum, sed etiam Hæreticorum sacrificia & Sacramenta ex Sancto Augustino affirmat esse valida ac rata, ipsorum tamen communionem populis rectè interdici insigniter ostendit. Et in litteris ad Guilielmum Abbatem Sanctus Anselmus. *De* Lib. 1.
Presbyteris, qui se apertè reproba libidinis conver- Ep. 56.
satione Deo reprobabiles exhibent: omninò tenendum est quod Apostolica providentia Ecclesiastico justoque rigore constituit. Nempè nullatenus convenit, ut ibi reverenter adstetur, ubi pertinaciter aperta & impudenti libidine fœtentes, Dei & Sanctorum probibitionem contemnendo, Sacris Altaribus deserviunt; imò non deserviunt, sed quantùm ad ipsos commaculant. Non quo quis ea quæ tractant contemnenda, sed tractantes execrandos existimet, ut qui Dei & Angelorum præsentiam non verentur, vel hominum detestatione depulsi Sacra contaminare desistant. Nec ullatenus oportet, ut illi sint consortes de Altari participantium, qui per immunditiam se faciunt extorres Altari deservientium. Et Marianus Scotus: *Ut per alios castigarentur, decrevit Papa ut nullus Christianus audiret Missa conjugati Presbyteri.* Quod Decretum fuisse indirectam degradationem, rectè advertit in libris de Concordantia Catholica Lib. 2. c.
Nicolaus Cardinalis Cusanus. Eundem Canonem 17.
variè & doctè defendit Anonymus Gregorii septimi Apologus, ac ipse Gregorius varias pro illo scripsit Apologeticas epistolas. Canon est adeò immaculatus, ut ipsum nec Cardinalis Benno culparit. Suis Decretalibus ipsum inseruit Gregorius nonus, & in sua adversùm Doctoris Augustini litteras ad Ladislaum Ungariæ Re-

gem Apologia fratres Waldenſes ejus ubique neglectum, imò & contemptum graviter deplorant. An verè, neſcio. Quidquid ſit, certum eſt illum obligare etiamnum, & eſſe in uſu.

Nicolaus ſecundus non eſt primus illius auctor. Etenim adversùs Euſtatium, Sebaſtenſem primæ Armeniæ Metropolitam, ſtatuit olim Synodus Gangrenſis: *Si quis diſcernit Presbyterum conjugatum, quaſi non oporteat, eo miniſtrante, ejus oblationi communicare, Anathema ſit.* Conjugati igitur Presbyteri Sacris aſſiſti & communicari interdixit etiam Euſtatius. Verùm iſta interdictio, quòd per laudatam Synodum caſſata fuerit atque damnata, à multis judicata eſt noſtro præſenti Canoni capitaliter obeſſe. Godefridi Lotharingiæ Ducis Capellani, & alii plures Clericalium conjugiorum Patroni blaterarunt hunc eſſe prævaricatorium antiquæ diſciplinæ. Gangrenſem enim Synodum non ſolùm Græca omnis recepit in ſuum Canonum Codicem, dictum Codicem Eccleſiæ univerſæ, ſed etiam Romana & cuncta Latina probavit Eccleſia, dum Dionyſii Exigui collectionem admiſit. Et hinc dictis Capellanis reſpondit Sanctus Petrus Damiani: *Quod objicitis, cautum eſſe Canonibus, ut quicumque conjugati Sacerdotis officia ſpreverint, debeant communione privari, ut pace veſtra loquar, dum litterarum ſuperficiem negligenter attenditis, ſobrietatem Eccleſiaſticæ intelligentiæ non tenetis. Ille nimirùm Sacerdos conjugatus dicitur, non qui habet uxorem, ſed qui potiùs habuit ante ſuſceptam Sacerdotalis officii dignitatem. Quem profectò ſi ſpernimus, conſequitur etiam, ut Beatum Petrum Apoſtolum, quod dictu nefas eſt, contemnere debeamus.* Eodem ſenſu Gangrenſem Canonem exponit laudatus Gregorii ſeptimi Apologus. Et favet antiqua, edita nuper per Chriſtophorum Juſtellum, latina editio: *Si quis dubitet à Presbytero, qui nupſit, quaſi non oportere eum conſecrare, noluerit oblationem accipere, ſit Anathema.* Et verſio Dionyſii Exigui: *Quicumque diſcernit à Presbytero, qui uxorem habuit, quòd non oporteat, eo miniſtrante, de oblatione percipere, anathema ſit.* Verùm rectè hic ſcripſit antiquus in Thuana Bibliotheca Interpres: *Presbyterum conjugatum vertit perperam Dionyſius Exiguus, Qui uxorem habuit. Vox quippè Græca,* Γεγαμηκοτος, *non præteritum, ſed omninò præſens importat conjugium. Et hinc de Euſtatio Sebaſteno ſcribit Socrates: In ædibus conjugatorum precationes fieri vetuit, & benedictionem & communionem Presbyteri habentis uxorem, quam lege, cùm eſſet Laicus, duxiſſet, tamquam ſcelus declinandum præcepit.* Et in ſuo ad iſtum Canonem Commentario Theodorus Balſamon. *Præſens Canon eos anathematizat, qui non indiſtinctè communicant Sacris Sacerdotum, qui habent uxores.* Nuptias enim damnavit Euſtatius, ideoque exercentis eas Presbyteri Sacris vetuit communicari. In Armenia tunc, Galatia, Paphlagonia, & omni fermè Pontica Diœceſi vigebat hodierna initi ante Diaconatum conjugii uſum permittens etiam Presbyteris, Græcorum conſuetudo: Eam ex hæretico fundamento eliminandam duxit Euſtatius, ideoque à Gangrenſi Synodo fuit meritò damnatus. At verò

Cap. 4.

Lib. 5. Ep. 13.

ullius conjugii uſum Sacris Clericis numquam permiſit Latina Eccleſia, atque ità ipſorum quovis conjugio utentium Sacra audiri vel percipi Nicolaus Pontifex meritò interdixit. Eccleſiaſticarum conſtitutionum & loca & tempora ſunt diſtinguenda. Hinc quod Gangrenſis Synodus rectè permiſit in Pontica Diœceſi, in Latina Eccleſia laudatus Pontifex rectiſſimè damnavit. Quod ſciens Dionyſius Exiguus dictæ Synodi Canonem ità tranſtulit, ut Latinæ Eccleſiæ mores non feriret.

Aliud adversùs præſentem Canonem argumentum producit in litteris ad Sanctum Annonem Colonienſem Archiepiſcopum Gregorius ſeptimus: *Novit Fraternitas veſtra, quia Præcepta hæc non de noſtro ſenſu exſculpimus, ſed antiquorum Patrum ſanctione, Spiritu ſancto prædicante prolatas, officii noſtri neceſſitate in medium propalamus, ne pigri ſervi ſubeamus periculum, ſi Dominicam pecuniam, quæ cum fœnore repoſcetur, ſub ſilentio abſcondamus. Quamquam huic ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſemper licuit, ſemperque licebit contra noviter increſcentes exceſſus nova quoque Decreta atque remedia procurare, quæ rationis & auctoritatis edita judicio, nulli hominum fas ſit ut irrita refutare.* Lib. 2. Ep. 67.

De Romanorum Pontificum Decretis ſcribit in libris de Concordantia Catholica Nicolaus Cardinalis Cuſanus: *Decretales aut Deciſiones judiciales Romanorum Pontificum, aut dubiorum in emergentibus, non ex voluntate purè poteſtativa robur firmitatis & juſtitiæ recipiunt, ſed quia ſecundùm Canones ità convenit eaſdem Deciſiones fieri.* Lib. 2. c. 14.

A ſolo Romano Pontifice vult novos non poſſe condi Canones, ſed cuncta ejus Decreta, Reſcripta, ac judicata ex antiquis generalium Synodorum Canonibus debere hauriri: Ex ſimili non hauſta fonte eſſe irrita & attentata. Eiſdem, quibus & in epiſtola adversùs Nepotem Hincmarum Laudunenſem Epiſcopum Hincmarus Metropolita Remenſis, Patrum auctoritatibus iſtud in alio Capite confirmat. Ex hoc igitur principio præſentem noſtrum Canonem aliqui etiam dixerunt nullo antiquo niti fundamento, ideoque eſſe frivolum commentum. Cap. 20.

Huic calumniæ reponit Gregorius: *Præcepta hæc de noſtro ſenſu non exſculpimus.* Ea dicit ex antiquis Canonibus eſſe omninò hauſta. Ut enim à ſui Epiſcopi aut Presbyteri palàm criminoſi ſacra præſertim communione populus ſe ſeparet ac ſuſpendat, antiqua Eccleſiæ diſciplina non permiſit ſolummodò, ſed etiam præcepit. Nec ſolùm ob Hæreſim, ſed ob quodvis manifeſtum crimen. Hinc enim à Pelagii primi Pontificis, non de Hæreſi, ſed de Anteceſſoris Vigilii adjuta morte ſuſpecti, communione ſe ſuſpendit Romanus populus: Et approbat liber Pontificalis. Innumera ſunt hujuſmodi exempla. Verùm quod multis incommodis atque periculis ſubjaceret iſta ſubditorum in Antiſtites licentia, moderamen appoſuit octava Synodus, mandans ut nullus Epiſcopus, Clericus, Monachus, aut Laicus talem à ſuo Patriarcha aut Metropolita ſeparationem audeat antè definitivam ejus condemnationem attentare. Innovavit priorem Eccleſiæ Canonem, quem in Symmachi Pontificis Cap. 10.

Apo-

Apologia laudat Ennodius Ticinenſis Diaconus: *Quicumque Clericorum ab Epiſcopo ſuo antè ſententiæ tempus pro dubia ſuſpicione deceſſerit, manifeſta eum manet Cenſura.* Seceſſionem iſtam ex ſola antè ſententiam ſuſpicione attentari vetat, ideoque ob manifeſtum crimen fieri omninò permittit. Et hinc Roberto Imperatori Cardinales, qui à Gregorii duodecimi Pontificis obedientia ſe ſubtraxerant, interroganti, *Utrum obedientia fuerit ſubtrahenda antè latam ſententiam, & antè cauſæ, propter quam fieri debebat, cognitionem,* Petrus de Ancorano Doctor Bononienſis reſpondit: *Quòd ſubtrahere obedientiam non eſt malum, imò ſanctum, bonum & juſtum in caſu noſtro, attentis circumſtantiis, & aliis attendendis.* Quia nempè Gregorii cum Antipapa Benedicto, omnem Eccleſiam ſcandalizans & ſchiſma fovens, colluſio non dubia eſſet & ſuſpecta, ſed notoria ac manifeſta. Et hinc Reſponſum iſtud Piſana Synodus confirmavit. Exſtant Acta apud Lucam Dacherium. Quidquid ſit, quod ad legitimum Superioris mandatum plebs poſſit ac debeat ſe à criminoſi Præpoſiti Sacris abſtinere, vocari non poſſit in dubium. Et tale de concubinariis ſeu conjugatis Presbyteris Præceptum ponit hic Nicolaus ſecundus. Hinc addit: *Quem ſcit concubinam indubitanter habere.* Juxta laudatos Canones vetat ex ſuſpicione procedi.

Sanctiſſimus interim Canon occaſionem præbuit plurimis malis, de quibus Sigibertus Gemblacenſis: *Continentiam paucis tenentibus, aliquibus eam quæſtus & jactantiæ cauſa ſimulantibus, multis incontinentiam perjurio aut multipliciori adulterio cumulantibus, adhæc hac opportunitate Laicis inſurgentibus contra ſacros Ordines, & ſe ab omni Eccleſiaſtica ſubjectione excutientibus, Laici ſacra Myſteria temerant, & de his diſputant, infantes baptizant, ſordido aurium humore pro ſacro oleo & chriſmate utentes, in extremo vitæ viaticum Dominicum, & uſitatum Eccleſiæ obſequium ſepulturæ à Presbyteris conjugatis accipere parvi penduntſ, Decimas Presbyteris deputatas igne cremant, & ut in uno cætera perpendas, Laici Corpus Domini à Presbyteris conjugatis conſecratum ſæpè pedibus conculcarunt, & Sanguinem Domini voluntariè effuderunt, & multa alia contra jus & fas geſta ſunt in Eccleſia, & hac occaſione multi Pſeudomagiſtri exſurgentes profanis novitatibus plebem ab Eccleſiaſtica diſciplina avertunt.* Quæ omnia iiſdem verbis ſcribunt Matthæus Pariſienſis, & Radulphus de Diceto. Occaſionis radicem diſces ex hac quæſtione Sancti Anſelmi Archiepiſcopi Cantuarienſis: *Si à Presbyteris fœminas habentibus liceat Pœnitentiam & Corpus Domini in periculo mortis accipere, cum nullus Continens adeſt? Et ſi licet, & illi dare nolunt, quia eorum Miſſæ contemnuntur, quid faciendum.* Et ex Reſponſo Paſchalis ſecundi Pontificis: *In periculo mortis poſtum meliùs æſtimamus de manu cujuslibet Clerici Dominicum Corpus accipere, quàm de corpore ſine viatico, dum Religioſus Sacerdos exſpectatur, exire. Si qui verò Presbyterorum pro vitæ ſuæ contemptu præterito in illo extremitatis articulo poſitis viaticum denegaverint, tamquam animarum homicidæ diſtrictiùs puniantur.* Quidam neceſſitatis etiam Sacramenta errabant à conjugatis Sacerdotibus nec in mortis articulo poſſe ſuſcipi, quidam item conjugati Sacerdotes ea tunc petentibus in ſpretæ ſuæ Miſſæ vindictam negabant. Hinc factum eſt, ut Laici ſuos ipſi pueros baptizarent, iſtorumque omnia Sacra non fugerent dumtaxat, ſed etiam conculcarent. Porrò quod non tantum Reconciliationis, ſed Euchariſtiæ item viaticum liceret ab ipſis accipi in extremis, ſcripſit in litteris ad Lucium Sancti Juventii Præpoſitum etiam Urbanus ſecundus. Et jure merito. Neceſſitatis quippè Sacramenta in extremo articulo etiam ab Hæreticis ſumi Eccleſia ſemper permiſit. Euchariſtiam tamen, quòd non ſit ſalutis medium, non debere ab illis ſumi, docet Martyrium ſancti Principis Hermenegildi.

A. 1074.

L. 3. Epiſt. 45.

Epiſt. 16.

Clericorum ſacrorum uxores aut concubinas videtur Canon cum ſubintroductis per Nicænam Synodum proſcriptis mulieribus confundere, inter quas tamen conſtat eſſe grande & varium diſcrimen. Nempè ſubintroductæ erant paſſim de concubinatu ſuſpectæ, & in iſtam ſcabiem non rarò proficiebant. Hinc hujus ſæculi Canones frequenter ambas quaſi confundunt. Et licet de ſola Presbyteri Miſſa ſtatuere videatur præſens Canon, ipſum tamen de quovis ſacri Clerici Miniſterio ſtatuere affirmat Bertholdus Conſtantienſis. Hinc enim uti Presbyterum à cantanda Miſſa, ita Diaconum ac Subdiaconum à legendo ad ipſam Evangelio & Epiſtola, cuncto à Presbyterii ad divina Officia conſeſſu, & cunctis Eccleſiaſtici Miniſterii fructibus proſcribit, hoc eſt, ab officio ac beneficio plenè ſuſpendit. Et ſuſpenſorum officia à populo nec ſumi poſſunt, nec audiri. Eos ſuſpendit uſque ad ulteriorem ſententiam: Quòd nempè Sanctus Petrus Damiani & Cardinalis Hildebrandus ipſos ad degradationem poſtulaſſent. Suſpendit eos ſolos, qui poſt Leonis noni de Clericorum caſtitate Conſtitutum aut duxiſſent palàm concubinam, aut ductam non dimiſiſſent. Imitatus eſt Innocentium primum, qui ſimilem ſuum pro Clericali caſtitate pœnalem Canonem in illis dumtaxat, qui ſimili Anteceſſoris ſui Siricii Decreto non paruiſſent, voluit obtinere. Solos Italiæ Clericos laudatus Leo correxerat, ideoque & de iſtis ſolis ſtatuiſſe hic Nicolaum Pontificem, rectè obſervat laudatus Bertholdus. A. 1057. 1058.

Presbyterium ac in ipſo Presbyterorum cum Epiſcopo conſeſſum laudat frequenter Martyr Ignatius. In Epiſtola ad Magneſianos dicit *Epiſcopum aſſidere in loco Dei, Presbyteros in loco Conſiſtorii Apoſtolorum.* Et in Epiſtola ad Philippenſes: *Saluto ſanctum Epiſcopum, & Sancto-Sanctum Presbyterium.* Et in litteris ad ſuam Antiochenam Eccleſiam: *Saluto ſanctum Presbyterium veſtrum.* Presbyteris eſſe principalem conſeſſionem, & ex ipſa quoſdam inflari, teſtatur item Apoſtolorum proximus Sanctus Irenæus. Et in libro ad caſtitatem exhortatorio Tertullianus: *Differentiam inter Ordinem & Plebem conſtituit Eccleſiæ auctoritas, & honor per Ordinis conſeſſum ſanctificatus.* Et iterum: *Ubi Eccleſiaſtici Ordinis non eſt conſeſſus.* Et in libro Præſcriptionum: *Hæretici* Lib. 4. cap. 44. Cap. 7. Cap. 31.

tici Neophytos conlocant, id est, in Episcopos aut Presbyteros promovent, ac ita in Ecclesiastico confessu ostentant, *ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt*. Et in libro de velandis Virginibus nescio quem Episcopum, qui necdum viginti annorum Virginem *in viduatu collocarat*, ridet ac improbat, quòd nempè non virgo juvencula, sed sola sexaginta annorum vidua ad talem Sedem evehi ab Apostolo permitteretur. Et primus Ancyranæ Synodi Canon quosdam in Licinii Augusti persecutione lapsos Presbyteros omni quidem verbi & Sacramenti Ministerio privat, indulget tamen *honorem Sedis retinere*. Quod ipsum in alio casu habes apud Canones Trullanos. Item in Canonicis Sancti Basilii litteris ad Sanctum Amphilochium Metropolitam Iconiensem. Sacrum Presbyterorum consessum laudat idem Doctor in litteris ad Neocæsariensem Ecclesiam. Et Asterium Sophistam, hominem Eusebianum ac variè maculosum, quòd Clericorum gradus, loca sibi illicita, intrasset, ac indè quoddam suum opusculum recitasset, de audacia graviter damnat in libro de Ariminensi ac Seleucienſi Synodo Sanctus Athanasius. Publicæ enim Ecclesiæ in duas, Cancellis aut alio id genus repagulo divisas, partes fuerunt semper distinctæ, quarum interior vocari consuevit Sacrarium, Chorus, Presbyterium, Sanctuarium, Sanctum Sanctorum, sacrum Tribunal. Et hæc postrema vox Græcis jampridem placuit. Ipsa assiduè utuntur ipsorum Eucholo-gia, & apud Theodorum Balsamonem habet Canon Laodicensis: *Non oportet Presbyteros antè Episcopi introitum ingredi sacrum Tribunal, & sedere in Tribunali, sed cum Episcopo ingredi*. Eandem vocem laudat idem Theodorus frequentissimè, & in suis ad Constantinopolitanam sub Photio Patriarcha Synodum Commentariis distinguit sancti Tribunalis Clericos ab iis qui sunt extra ipsum: Quòd nempè, uti ad Canones Trullanos scribit, non quivis Clerici, sed soli Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi, ac Diaconissæ possint in ipso esse ac deservire. Et quidem in ipso sedere poterant soli cum Episcopo Presbyteri, Diaconi in Diaconico, Subdiaconi ac Lectores sedebant in Solea, hinc dicta apud Græcos *Tribunal Lectorum*. Quam disciplinam viguisse in Latina etiam Ecclesia, ostendit quarta Synodus Carthaginensis: *Episcopus in Ecclesia & in consessu Presbyterorum sublimior sedeat, intra domum verò Collegam se Presbyterorum esse cognoscat*. Diaconum coram Presbytero, utique in publico Ecclesiæ Conventu, sedere non posse, plures etiam nostri Canones inculcant. Et lapsam observantiam reparans Leo quartus statuit in sua Romana Synodo. *Nulli Laicorum liceat in eo loco, ubi Sacerdotes reliquivè Clerici consistunt, quod Presbyterium nuncupatur, quando Missa celebratur, consistere, ut liberè ac honorificè possint sacra Officia exercere*. Dicit, *Reliqui Clerici consistunt*. Quòd nempe soli Presbyteri possent istic sedere. Et hinc de sacris, uxorem vel concubinam post Leonis noni Decreta retinentibus, Italiæ Clericis statuit hic Nicolaus secundus: In Presbyterio *ad divina Officia non maneant*. Hoc est, neque sedeant, neque stent, sed cum Laico populo expellantur. Ex quo lucet solos tunc adhuc Presbyteros in Choro sedisse. Hodiè non solum infimi Clerici, sed & quivis Laici, imò & fœminæ cum illis istic sedent, ideoque justissima est in nos Theodori Balsamonis & aliorum Græcorum querimonia: *De Latinis audio, quòd non solùm viri Laici, sed & mulieres in sanctum sæpè Tribunal ingrediuntur, & sedent præsentibus sæpè iis qui sacrificant*. Habentur hæc in Commentario sexagesimi noni Trullani Canonis. Et in Commentario quadragesimi quarti Canonis Laodicensis: *In Latinorum Regionibus mulieres sine pudore ad Altaria, quando volunt, ingrediuntur*. Quod ipsum justè in nos exaggerat Græcorum Tractatus repertus in Constantinopolitano Conventu Patrum Prædicatorum. Dicit, *Quando volunt*: Extra divina enim Officia illuc ingredi fuit fœminis semper & ubique permissum.

Cap. 9.
Cap. 2.
Ep. 56.
Cap. 56.
Cap. 33.

CANON IV.

ET præcipientes statuimus, ut ii prædictorum Ordinum, qui eidem Prædecessori nostro obedientes castitatem servaverunt, juxta Ecclesias, quibus ordinati sunt, sicut oportet Religiosos Clericos, simul manducent & dormiant, & quidquid eis ab Ecclesiis venit, communiter habeant. Et rogantes monemus, ut ad Apostolicam, communem scilicet, vitam summopere pervenire studeant.

SCHO-

SCHOLION.

REgulares cum communi Dormitorio, mensa, & Claustro Clericos quidam existimant in Europa esse adeò antiquos, ut ipsos à Sancto Patritio Episcopo credant ex Gallicana Ecclesia fuisse in Hiberniam traductos. Verum id non à Sancto Patritio Episcopo atque istius gentis Apostolo, sed à Sancto Patritio secundo Benedictini Ordinis Abbate, qui ad noni sæculi medium floruit, & admirabile atque horrendum Purgatorium ibidem instituit aut monstravit, fuisse factum, constanter affirmat Joannes Bromptonus Abbas Jornalensis. Uti in Gallia duos Dionysios, ita in Hibernia duos Patritios communis error conflavit in unum. Sanctissimum istud vitæ genus ad Clericalem vagandi licentiam, natamque indè incontinentiam frænandam primus excogitavit Sanctus Rigobertus, ex Sancti item Benedicti Ordine Remensis Archiepiscopus; Sanctus autem Ledradus Lugdunensis, Crodogangus Metensis, & alii id genus Antistites, necnon & Carolus Magnus Imperator, ejusque filius & Successor Ludovicus Pius insigniter promoverunt. Omnem suæ Monarchiæ Clerum ad istam sanctimoniam coegit Carolus, ipsis Regulam ab Aquisgranensi Synodo conscribi curavit Ludovicus. Et hocce Institutum Patritius Abbas traduxit ad Hibernos. Caroli Mandatum, quia universale erat & durum, ideoque mitigatum fuisse à quibusdam existimatur per Gregorium quartum, de quo scribit antiquum, ex Sancti Petri vivi Senonensi Bibliotheca prolatum per Hugonem Mathoud in Notis ad Robertum Cardinalem Pullum, Aquisgranensis sub laudato Ludovico Synodi fragmentum: *Circa hæc tempora, tempore Ludovici Pii, de Roma ad Palatium Aquisgranense venit Gregorius quartus, demandans Concilium de ferè omnibus Prælatis Orientalibus & omnibus Occidentalibus. Ubi Statuta quàm plurima utilia Gallicanis Ecclesiis statuerunt, confirmante Pontifice Romanorum. Statuerunt pro Canonicis, qui tunc sub Præpositis vivebant, quia Præpositi temporalia malè tractabant, & nobiliores fortioresque Canonici possessiones usurpabant, ut quilibet Canonicus, personis ad certum numerum redactis, suum temporale proprium possideret, & ut de communi Camera cuilibet distribueretur, prout in Choro Divinis officiis resideret.*

A. 1135. 1171. 1185.
Part. 7. c. 9.

Quod fragmentum laudatus Hugo meritò habet suspectum, interim ex Nicolai Cunuzatii, Trecensis Canonici, alio exemplari atque auctoritate censet legitimum atque authenticum. Quod ipsum in opere de Baptismi ritibus affirmat, & alibi latiùs demonstrare spondet Josephus Vicecomes, dicens communem Ecclesiæ substantiam cœpisse in Præbendas dividi per Gregorium quartum. L. 4. c. 2.

Nihilominus constanter assevero fragmentum istud esse straminеum ac suppositicium. In qua enim Aquisgranensi tunc Synodo omnes Occidentales, & omnes ferè Orientales Episcopi adfuerunt? Sub Ludovico Pio prima & major Synodus non solùm Clericis tunc in communi viventibus præscripsit Regulam, sed insuper omnes absentes Episcopos ad eandem recipiendam, & exstruenda intra annum Claustra rigidissimè adegit. Quòd synodalia patris sui Caroli de hoc articulo Decreta plenè confirmarit atque innovarit Ludovicus, lucidè testatur Chronicon Monasterii Moisiacensis. Apud Jacobum Sirmondum exstat laudati Ludovici epistola, qua Sichario Burdigalensi Archiepiscopo, ejus Comprovincialibus, & aliis cunctis qui Synodo non adfuerant Episcopis, dura minatur, nisi intra annum pareant hisce jussionibus. Similis ibidem exstat epistola ad Magnum Metropolitam Senonensem. Et non sub Gregorio, sed sub Stephano quarto habita fuit ista Synodus. Et sub Gregorio habitæ sexta Parisiensis, & secunda Aquisgranensis laudata jam Decreta omninò confirmant. Etiam harum nulli ullus Pontifex assedit. Eadem Decreta confirmavit sub Carolo Calvo Synodus Pontigonensis. Et hinc Sæculares seu singulares Canonicos suo tempore fuisse adhuc novellos affirmat non solùm Sanctus Ivo Carnutensis, sed etiam Stephanus Episcopus Tornacensis. Nempè post Caroli Calvi, & præsertim ejus filii Ludovici mortem laxata disciplina, ac indè natum sanctioris in claustro vitæ tædium ipsos pedetentim introduxit. Avitam Sanctimoniam in Italia reparare cœpit Sanctus Romualdus, prosecutus fuit Leonus ac Victor secundus, laudati à Gregorio septimo in litteris ad Lucenses Ecclesiæ Clericos, & complere hic conatur Nicolaus secundus, sciens etiam illos, qui ex virtutis amore nolunt, in Claustro cogi, ut ex humano Confratrum pudore sint continentes & casti.

A. 802. 815.

CANON V.

DEindè ut Decimæ & Primitiæ, seu Oblationes vivorum & mortuorum, Ecclesiis Dei fideliter reddantur à Laicis, & ut in dispositione Episcoporum sint. Quas qui retinuerint, à sanctæ Ecclesiæ communione separentur.

SCHOLION.

FActas à Fidelibus in Ecclesia oblationes esse morem longè antiquissimum, lucet ex antiquitate Gazophylacii, de quo scribit in libro Apologetico Tertullianus: *Modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cùm velit, & si modò velit, & si modò possit, apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt. Nam indè non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis humandisque, & pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, jamque domesticis senibus, item Naufragis, & si qui in metallis, & si qui in Insulis, vel in Custodiis, dumtaxat ex causa Dei Sectæ, alumni Confessionis suæ sunt.* Quod ipsum in Homiliis super primam Apostoli ad Corinthios Epistolam Sanctus Joannes Chrysostomus, in Epistola de tradendis Basilicis Sanctus Ambrosius, in litteris ad Alethium Sanctus Paulinus, & alii passim Patres prædicant, & populo commendant. Esse Apostolicum è Synagoga ad Ecclesias traductum Canonem advertunt in Homiliis super Matthæum laudatus Chrysostomus, & in libro adversùs Vigilantium Sanctus Hieronymus. Judaicum Gazophylacium ab Evangelio, & fidelium Collectæ non semel laudantur ab Apostolo Paulo. Nempè qui juri suo renuntians, gratis apud multos prædicabat Evangelium, pauperum & afflictorum jura constans exsequebatur. Et quidem ad Numidiæ Episcopos, suis filiis è Barbara captivitate redimendis subsidia postulantes, rescripsit Africæ Primas Sanctus Cyprianus: *Missmus sestertia centum millia nummum, quæ istic in Ecclesia Cleri & Populi collatione collecta sunt, quæ vos illic pro vestra diligentia dispensabitis.* Addit se ad eandem charitatem etiam deinceps fore paratum. Romanum suo tempore Episcopum ex solis fidelium oblationibus, & quidem Regalem ad morem, vixisse testatur homo Gentilis Ammianus Marcellinus. Quod videns & Prætextatus, vir Consularis, Romano Clero solebat dicere: *Facite me Romanum Episcopum, & protinus fiam Christianus.* Et de Sancto Trudone miraculis apud nos coruscante scribit magnum Belgii Chronicon: *Peregrinos advenientes Sancti Trudonis Oppidum ferre non poterat. Animalia diversa, & thesaurus infinitus offerebantur. Interdum in hebdomada centum marcæ.* Quod ipsum in Trudonensis Monasterii Chronico scribit Abbas Rudolphus. Belgii Chronicon addit de Gregorio sexto Pontifice: *Gregorius cùm ad Papatum venisset, parùm aut nihil ad Papatum pertinens, propter injuriam & negligentiam suorum Antecessorum, invenisse dicitur. Nam penè omnia à Prædonibus tollebantur. Peregrini Romam venientes, quasi omnes spoliabantur, & pervenientium oblationes violenter auferebantur. Quos omnes Papa admonuit primò, post excommunicavit; tertiò, quia contempserunt, manum armatam apposuit, & raptores oblationum Sancti Petri aut penitùs exstinxit, aut fugavit.* Quæ omnia latè confirmat Guilielmus Malmesberiensis, & adjungit: *Super ipsa corpora Sanctorum Apostolorum & Martyrum, supra sacra Altaria gladii nudabantur, & oblationes accedentium vixdum appositæ de manibus abripiebantur, abreptæ in commessatores & scortorum abusiones consumebantur.* Pessimi huius abusus superstites adhuc reliquias eradicare conatur Nicolaus secundus.

C. 82. Hom. 43. Fol. 125. Fol. 111. Fol. 23.

Attamen non plenè eradicavit. Lucet ex illis quæ de Calixto secundo scribit idem Monachus Malmesberiensis: *Processit ulteriùs in augendo bono laudabilis Papæ magnificentia, ut illam effrænem & ingenitam Romanorum cupiditatem cohiberet. Oblationes apud Sanctum Petrum, quas pro petulantia & libidine potentes diripiebant, anteriores Apostolicos, qui vel mutire auderent, indignis afficientes contumeliis, Calixtus revocavit ad medium, scilicet ad Apostolicæ Sedis Rectoris publicum usum.* Ejus Canon exstat in Lateranensi Synodo: *Sanctorum Patrum Canonibus consona sentientes, oblationes de sacratissimo & reverendissimo Altari beati Petri, & Salvatoris, & Sanctæ Mariæ Rotundæ, ac de aliis omnium Ecclesiarum Altaribus, sive crucibus, à Laicis auferri penitùs interdicimus.* Neque tantùm in urbe ac Italia, sed etiam in Gallia grassatum fuisse abusum, docet Canon, quem Theoduinus & Albertus, Alexandri tertii per Galliam Cardinales Legati, ediderunt in Rothomagensi Synodo. *Laici partem oblationum in Ecclesia non percipiant.* Eum laudant Rogerus Hovedensis, & Joannes Bromptonus. Est antiquus abusus, adversùs quem in libris de Laicali institutione declamat etiam Jonas Episcopus Aurelianensis: *Non ad Laicorum, sed ad Pontificum Ministerium pertinet, qualiter oblationes & Decimæ fidelium Deo oblatæ dispensentur, ordinare. Pontificum sanè Ministerium est, quantum ex eisdem fidelium oblationibus infabricis applicetur Ecclesiæ, quantum in luminaribus concinnandis, quantum in hospitibus colligendis & pauperibus recreandis, quantumque in Presbyterorum, eorumque qui secum militiam Christi gerunt, necessitatibus sublevandis expensetur, disponere. Non Laicorum, ut in suos suorumque ex his quidquam retorqueatur usus, exigere. Hoc namque avaritiæ genus in tantum quosdam obligaverat Laicos, ut hocce justè & rationabiliter, imò inculpabiliter sectari posse putarent, donec gloriosus orthodoxus Dominus Ludovicus Imperator inter cætera pietatis suæ beneficia, quæ Sanctæ contulit Ecclesiæ, ab hoc quoque eam immunem effecerit.* Igitur & hæc violentia fuit à Carolo Martello. A Ludovico Pio exstincta revixit post deletum Caroli Magni genus, ideoque per præsentis sæculi Pontifices debuit rursus expugnari.

C. 14. Fol. 531. A. 1171.

Etiam pro defunctis oblationes esse longè antiquissimas affirmat in libro de Corona Militis Tertullianus. Et in libro ad castitatem exhortatorio dicit ad viduum maritum: *Pro uxore oblationes annuas reddis.* Et in libro de Monogamia: *Offers annuis diebus dormitionis ejus.* Quæ de solo pane & vino ad celebrandum pro defuncto sacrificium oblatis certum est non esse accipienda. Quinimò quidam volunt de ipsis non posse accipi. Etenim in defunctorum Missis numquam à populo fuit communicatum, ideoque

C. 3. C. 11. C. 10.

que ista elementorum oblatione volunt non fuisse opus. Hinc Dionysii, vel cujusvis alterius antiqui & eruditi Scriptoris Ecclesiastica Hierarchia ab ordinario sacrificio non solos Catechumenos, sed insuper Energumenos ac Pœnitentes, à defunctorum autem Missis arcet solos Catechumenos: Quòd nempè hic à populo non communicaretur, ideoque isti ob adductas ab antiquo Interprete rationes possent omninò adesse. Etiamnum hodiè in defunctorum Missis non datur pacis osculum: Quod nempè ipsum sit avita præparatio ad percipiendum hocce fraternæ unitatis & perfectæ pacis Sacramentum. Verùm ad præsentem locum non spectat ista quæstio, ideoque dico à Tertulliano laudari etiam istas oblationes, de quibus ad Aurelium Carthaginensem Archiepiscopum scripsit Sanctus Augustinus: *Quoniam istæ in Cæmiteriis ebrietates & luxuriosa convivia, non solùm honores Martyrum à carnali & imperita Plebe credi solent, sed etiam solatia mortuorum, mihi videtur faciliùs illis diffuaderi posse istam fœditatem ac turpitudinem, si & de Scripturis prohibeatur, & oblationes pro spiritibus dormientium, quas verè aliquid adjuvare credendum est, super ipsas memorias non sint sumptuosæ, atque omnibus petentibus sine typho & cum alacritate præbeantur, neque vendantur.* Consonat Auctor Sermonis de Festo Apostolicæ Cathedræ: *Miror cur apud quosdam infideles hodie tam pernicios error increverit, ut super tumulos defunctorum cibos & vina conferant, quasi egressæ de corporibus animæ carnales cibos requirant.* Et Alethium Romanum Senatorem, qui in defunctæ uxoris exequiis Romanos pauperes nova veste & insigni epulo donarat in Vaticana Basilica, multum laudat Sanctus Paulinus, & adjungit de epulantibus: *Vobis ad justitiam deputabatur conclamatio illa & comprecatio pauperum, qua per vestra munera benedicebatur Deo. Facili enim via ad aurem Dei voces inopum diriguntur, quia oratio pauperis nubes penetrat.* Et ad filium suum dixit piissimus Tobias: *Panem tuum & vinum tuum super sepulturam justi constitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus.* Hæc ergo consanguineorum cum pauperibus ad defunctorum tumulos convivia sunt antiquissima & Ecclesiæ & Synagogæ pietas, olim appellata Agape seu oblatio defuncti. Ipsam aliqui quotannis in anniversaria mortis die offerebant. Et hoc in Ecclesia ac festo alicujus Martyris: Quòd pauperum epulantium preces Sanctorum Martyrum intercessionibus adjuvari Ecclesia semper crediderit. Erat consuetudo Sancta, verùm quod posteà scandalis & abusibus occasionem dederit ac fomenta, scabiosa facta est, proscripta ex Ecclesiis, & conversa in morem hodiernum, quem in libris de Laicali institutione prædicat Jonas Episcopus Aurelianensis: *Nullatenùs audiendi sunt illi, qui dicunt quòd nullæ aliæ eleemosynæ opitulari possint defunctis, nisi solummodò quæ Sacerdotibus dantur, & sacrificia quæ per eos Deo offeruntur. Hoc qui credunt & dicunt, aut ignorantia aut certè aliorum persuasione falluntur. Credibile sanè est quòd hæc persuasio, qua simplices id credere & dicere videntur, ex fonte avaritiæ processerit. Sancta quippè Mater Ecclesia pro defunctis suis non solùm sacrificia Altaris, sed etiam quascumque alias eleemosynas offerre consuevit. Unde & quotidie pro eorum spiritibus, qui res suas Deo obtulerunt, offeruntur Deo sacrificia, & multifariæ supplicationes atque orationes, hospitum receptiones & pauperum recreationes, captivorum redemptiones, & alia innumera adjumenta.* Hæc, inquam, pietas transiit in hodiernum morem, quo fideles morientes aut ipsorum post mortem amici donant Ecclesiæ aliquam suæ substantiæ partem, ex qua aut in solo depositionis die, aut in ejus etiam usque ad sæculi finem anniversario fiat pauperibus aliqua eleemosyna, & divina suffragiorum Officia cantantibus Clericis aliquid detur in sustentationem. Quorumdam Clericorum, pauperes hinc secludere tentantium, avaritiam de errore & Hæresi Jonas meritò damnat. Eadem postmodum Albigensibus, Waldensibus, Wicleffistis, Lutheranis, & Calviniistis fucum ministravit ad Purgatorium & fraterna pro illo suffragia, tamquam Clericalis cupiditatis commenta, calumnianda. Ad pessimum errorem eliminandum fecit jampridem Romana Ecclesia, quod in libris de Missæ & Eucharistiæ Mysteriis scribit Innocentius tertius: *Romanus Pontifex præter oblationem panis nullam aliam oblationem manibus tangit, nisi quæ pro defunctis offertur. Quam ideò manibus accipit, ut eorum fugillet errorem, qui dogmatizant eleemosynas non valere defunctis.* Vivorum oblationes ad pedes accipit, quod & Apostolos feciisse legimus in ipsorum Actis. Omnes istas oblationes Episcopali dispositioni semper subjecerunt Canones, ipsarumque invasores, fraudatores, aut vexatores Laicos damnarunt uti pauperum necatores. Hosce Canones innovat & confirmat Nicolaus secundus.

Epist. 64. Append. serm. 74. Ep. 33. Cap. 4. Lib. 3. cap. 15. L. 3. c. 7. L. 3. c. 27. L. 2. c. 9. C. 4. 5.

Etiam Primitiarum oblationem esse apud nos antiquissimam ostendit septimus Canon Synodi Gangrensis: *Si quis Ecclesiasticas fructuum oblationes extra Ecclesiam accipere aut dare voluerit præter consensum Episcopi, vel ejus cui hujusmodi officia commissa sunt, nec cum ejus voluerit agere consilio, anathema sit.* Dionysius Exiguus ad vocem, *Fructuum*, explicationis gratia addidit, *Aut Primitiarum.* Nihil novi induxit Synodus, sed avitum Cleri jus adversùm Eustatii Sebasteni in prima Armenia Archiepiscopi nugas dumtaxat stabilivit ac defendit. Easdem oblationes laudant vulgares Apostolorum Canones, mandantes solas novas spicas, uvas & oleum ad Altare, reliquas omnes Primitias Episcopo aut Presbyteris ad domum dirigi. Quem Canonem sæculo adhuc quarto fuisse Ecclesiæ Antiochenæ ignotum, ideoque non esse Apostolicum, suadent hæc Sancti Joannis Chrysostomi in quadragesima tertia super primam ad Corinthios Epistolam Homilia verba: *Si hoc dicerem, Da mihi & depone in meis ædibus, pudendum fortè esset quod dicerem. Imò verò ne tunc quidem. Nam qui Altari assident, Altaris sunt participes. Cæterùm fortasse quispiam me reprehenderet, ut qui pro me verba facerem. Nunc autem supplico pro egentibus.* Nulla igitur tunc ad Episcopi vel

Pres-

Presbyteri Domum directa fuisse videtur oblatio. Et plures vetusti Canones affirmant omnem fieri vel ad Gazophylacium vel ad Altare. Quidquid sit, laudatus Doctor Primitiarium oblationem commendat in Apostolicorum Actuum Commentariis, opulentos terræ possessores adhortans ad suam cuique villæ seu pago ædificandam Ecclesiam, & de Cleri istic tunc constituendi sustentatione adjungens: μικρὸν ἐξ ὅλων τῶν καρπῶν τῶν σῶν τοῦ θεοῦ προτερον ἀπόμοιραν καὶ ἐπαρχὰς λαμβάνειν. *Parumne est Deum ex omnibus*
Hom. 18. *fructibus tuis primam partem & Primitias accipere?* Hoc enim modo præsens contextus omninò debet verti. Et in laudatis Apostolicæ ad Corinthios Epistolæ Commentariis: *Opifex, utpotè calceorum consarcinator, sutor, faber ærarius, vel quivis alius artifex, cùm aliquid vendiderit ex eis quæ sua arte fiunt, det Deo Primitias pretii, ibi parvam partem dejiciat, ut ex minori parte cum Deo partiatur.* Ab omni fideli parvam arcam, in qua quotidiè istas Primitias deponat, suadet fieri ad lectum, ab illa promittens securitatem adversùs perturbationes nocturnorum visorum atque insomniorum. Et pergit: *Hoc autem fac non solùm vendens, sed etiam emens. Hanc legem etiam servent qui prædia possident in proventibus: Etiam omnes qui justa colligunt vectigalia. Ad eos enim qui usuras exigunt, à me verba non fiunt, neque ad milites qui concutiunt, & aliis procurant calamitates.* Generatim ex rebus iniquè acquisitis nullam vult fieri oblatio-
C. 2. C. 25. nem. Primitias etiam frequenter & instanter
27. 34. commendant Apostolicæ sub Romani Clementis nomine constitutiones, asserentes esse Divinum Præceptum: Utique Præceptum veteris legis, ab Apostolis translatum in Ecclesiam. Nam & hic nostra justitia abundare debet supra justitiam Scribarum & Pharisæorum. Et hinc cœcam Gentilitatem Christianis moribus, Christiana præsertim in pauperes munificentia, fucare gestiens Imperator Apostata Julianus ad Arsacium Galatiæ Pontificem scripsit: *Doceto Gentiles in ejusmodi Ministeria pecuniam conferre, & pagos Gentilium ex fructibus offerre Diis Primi-*
Epist. 49 *tias, & ejusmodi beneficentiæ officiis assuefacito.* Quòd nempè tunc ista ex avito more observarent Christiani.

Divinam ejusdem veteris testamenti, quòd Levitis Decimas adscripsit, legem laudat in litteris ad Furnensis Ecclesiæ Clerum Sanctus Cyprianus, & adjungit de Christianorum Clericorum sustentatione: *In honore sportulantium Fra-*
Epist. 66. *trum tamquam Decimas ex fructibus accipiant.* Ad quem locum scribit Nicolaus Rigaltius: *Decimæ quidem jure Mosaico debebantur, minimè autem jure Christiano. Itaque ab Apostolis usque ad Cypriani tempora nulla fuit inter Christiana subsidia mentio Decimarum. Usitatæ aliquamdiu sportulæ. Posteà verò, exolescente sportularum honore, intravere in Ecclesiam Decimæ, Religionis obtentu, ac primò quidem spontanea liberalitate, quasi sportulis haud sufficientibus, oblatæ, mox autem & crudeliter exactæ.* Eundem in sensum exponit hæc ejusdem Cypriani verba in libro de unitate Ecclesiæ: *At nunc de Patrimonio nec Decimas damus.* Antiquissimas tamen esse Christianorum Decimas ostendit adductus Sancti Joannis Chrysostomi locus. Etenim adjungit: *Neque magnum quid peto, sed tantùm quantum Judæorum Infantes, & mille malis pleni, tantùm nos qui cælum exspectamus, faciamus. Hæc autem dico, non legem ferens, neque prohibens ne plus eroges, sed æquum censens, ut non minùs deponas, quàm partem Decimam.* Primitias vult esse Decimam fructuum & cujusvis lucri partem. Decimas confundit cum Primitiis, adeoque ubicumque laudat Primitias, censendus est & Decimas laudare. Et hinc forsan suprà adductum ex Apostolicorum Actuum Commentariis locum, manifestè laudantem solas Primitias, antiquus translator ità Latinè reddidit: *Parumne est Deum ex omnibus frugibus priùs partem ac Decimas accipere?* Norat Primitias ac Decimas à Chrysostomo confundi. Quidquid sit, Decimas patenter laudat etiam in Apostolicæ ad Ephesios Epistolæ commentariis, asseverans Christianos longè arctiùs quàm Judæos obligari ad eleemosynas, & adjungens: *Nam quid Judæi non faciebant? Decimas, & rursùm* Homil. 8.
Decimas præbebant Orphanis, Viduis, Proselytis. Sed mihi quidam de quopiam dicebat: Hic aut ille dat Decimas. Quantò est hoc plenum probro & dedecore, si quod apud Judæos non habebatur in admiratione, hoc apud Christianos factum est admirabile? Si tunc erat periculum Decimas non relinquere, cogita quantùm nunc sit. Ex quo vides Decimas tunc fuisse dumtaxat voluntarias. Eas quippè non unusquisque, sed hic dumtaxat aut ille dabat, eratque opus admiratione dignum. Esse tamen à cunctis debitas Chrysostomus conatus est persuadere. Easdem manifestè laudat Synodus Gangrensis, consuetas tunc fidelium oblationes vocans καρποφορίας, id est, fructuum
L. 2. C. 34. 35. oblationes. Etiam Antiochena Synodus Eccle- C. 7. 8.
siasticarum possessionum reditus distinguit ab
C. 25. *agrorum fructibus*, quos quis non videat esse Decimas? Et ad Herminum Comitem scribit Isidorus Pelusiota: *Præclarè, Dominum ornas, cùm*
L. 1. Epist. 317. *nobis fructuum tuorum Primitias tribuis, Decimamque partem ex ubertate terræ tuæ pendis ei, à quo ipsam accepisti.* Et in decima quarta Joannis Cassiani collatione ad Abbatem Joannem dixit quis
C. 7. pius rusticus *se numquam de fructibus suis aliquid usurpasse, nisi priùs Deo Primitias eorum ac Decimas obtulisset.* Has etiam in novo Testamento esse obligationis, multis ostendit in vigesima prima collatione Abbas Theonas. Inter
C. 5. 6. 7. Augustinianos item de tempore sermones est unus de reddendis Decimis, quem uti legitimum Augustini fœtum laudavit non solùm Gratianus Monachus, sed etiam in Decreto suo San- Serm.
ctus Ivo Carnutensis, & in libris de Laicali insti- 219.
tutione Jonas Episcopus Aurelianensis. Et hinc Lovanienses nostri ipsum in legitimorum sermonum corpore reliquerunt. Quidquid sit, adver- L. 2. C.
sùs nescio quem ineptum disputatorem scribit in 19.
litteris ad Casulanum Presbyterum laudatus Augustinus: *Potest iste dicere etiam illos, qui omnium fructuum suorum Decimas dant pauperibus, cum* Epist. 86.
Pharisæo damnari, quia hoc quoque inter sua opera

ra prædicabat, quod cupimus à multis fieri Christianis. Clericos nostros, non minùs quàm antiquæ legis Sacerdotes ac Levitas, ex oblationibus & Decimis vivere, scribit & Sanctus Hieronymus in litteris ad Nepotianum; & antiqua, per
Epist. 2. Constantinum Caietanum ex Vaticanæ Basilicæ Archivis descripta, ac per Martium Milesium nuper publicata, Sancti Damasi Pontificis vita sic habet: *Damasus præcepit Sacerdotibus, ut negarent sanctam communionem, & Ecclesiarum ingressum omnibus, qui Decimas non persolverent, commemorans quod Dominus in lege præcepit,* DECIMAS ET PRIMITIAS NE TARDAVERIS REDDERE. *Si enim tardare peccatum est, multò magis, non persolvere.* Scio hinc indè titubare scriptum istud, est tamen antiquum ac eruditum. Quin & Sanctus Irenæus, secundo Christi sæculo in medio Gentilium persecutionum æstu Lugdunensis Archiepiscopus, affirmat fidelium suo tempore oblationes fuisse Decima majores. Ex quibus omnibus lucet tribus prioribus sæculis Clerum & pauperes vixisse ex solis fermè oblationibus, quæ tamen hinc indè aliquam Decimarum referrent imaginem. Data per Constantinum Imperatorem pax uti acquirendorum fundorum, ità & postulandarum Decimarum jure impartivit Ecclesiam. Exindè & in Synodis & in suis ad populum sermonibus cœperunt Episcopi ipsas non solùm ut gratuitas eleemosynas, sed ut debita stipendia sibi ac pauperibus vendicare. Apostolicarum constitutionum, qui ad quarti sæculi exordium aut medium videtur scripsisse, auctor affirmat ipsas deberi ex Divino mandato, antiquam Dei de illis legem non fuisse cæremonialem, aut judicialem, sed moralem, ideoque Domini morte non exsufflatam esse, sed firmatam ab ipso,
L. 2. C. 34. 35. jubente justitiam nostram esse Judaica majorem. Mosaica de alendo Clero mandata asserit per Apostolos esse innovata.

Hæc tamen doctrina & lex non statim ubique obtinuerunt. Etenim in libertatibus, quas Anglicanæ Ecclesiæ dedit apud Rogerum Hovedensem Guilielmus Rex Conquæstor, Decimarum debitum admittit esse stricti juris, & adjungit: *Hæc enim Sanctus Augustinus prædicavit & docuit, & hæc concessa sunt à Rege, & à Baronibus, & à Populo. Sed posteà instinctu Diaboli ea multi detinuerunt, & Sacerdotes negligentes locupletes non curabant inire laborem ad perquirendas*
Fol. 601. *Decimas, eo quòd sufficienter habebant suæ necessaria vitæ.* Anglia ab Eleutheri Pontificis tempore fuit Christiana, & tamen Decimas non admisit, nisi ad prædicationem sui Apostoli & Reparatoris Sancti Augustini. Quin imò de Edelnulpho Rege scribit Ailredus Abbas Rievallensis: *Eleemosynis sanè sic operam dabat, ut totam terram suam pro Christo decimaret, & partem decimam per Ecclesias ac Monasteria divideret.* Nempè collapsam, quam Sanctus Augustinus induxerat, pietatem reparavit. Decimas à Machabæo Rege fuisse inductas in Scotiam, & Adam Carthanensem Episcopum, qui ipsas sub excommunicatione cœpit exigere, fuisse trucidatum à Rusticis, scribit in Scotorum Historia Hector Boetius. In Hiberniam induxit per Henricum secundum Angliæ Regem convocata Sy- L. 12. C. 9.
nodus Casselensis. Exstat apud laudatum Roge- L. 15. C.
rum Hovedensem. Non lites tantùm, sed & 22. 33.
crudelia bella, quæ pro Thuringiæ Decimis gessérunt cum Erfurtensibus Moguntini Episcopi, Fo. 528.
latè habes apud Lambertum Schafnaburgensem. A. 1069.
Et Geroldo Lubecensi Episcopo, Decimas tam- 1073.
quam à Deo & Apostolis donatas exigenti in terra Wagirensi, respondérunt apud Hemboldum Presbyterum in Sclavorum Chronico Holsati, *numquam se daturos Decimas, quas Patres*
L. 1. C. 31. *sui non dedissent, malle se potiùs succensis ædibus propriis egredi terram, quàm tantæ servitutis jugum subire.* Consultabant trucidare Episcopum, terram incendere, & fugere ad Regem Danorum. Etiam Sclavos, dum suscepere fidem, adversùs Decimam expostulasse, & stipulatos fuisse cum Aldenburgensi Episcopo, refert idem
C. 12. Hemboldus. Litigarunt item recentes converti Saxones, ideoque in dato ad ipsos Capitulari statuit Carolus Magnus: *Secundùm Dei mandatum præcipimus, ut omnes decimam partem substan-*
C. 16. *tiæ & laboris sui Ecclesiis & Sacerdotibus donent, tam nobiles quàm ingenui, similiter & liti.* Quòd
Cap. 15. & ipse omnium Regiorum proventuum daret Decimam, ibidem testatur. Omnium spoliorum Decimam fuisse datam à Cruce signatis in terra Sancta militibus affirmat in Sacri Belli Historia Raimondus de Agiles Canonicus Podiensis. Quin & totius suæ monetæ Decimam Hungari Reges dabant Archiepiscopo Strigoniensi. Fateor esse grave onus: Et interim ipsum omnis ferè sub cœlo Ecclesia post magnas luctas admisit, ita tamen ut infidam administrationem numquam ferè cessaverit culpare populus, & adversùs ipsam murmurare & recalcitrare. Rationem exponit in litteris ad Alexandrum secundum Pontificem Sanctus Petrus Damiani, Ecclesiasticorum suo tempore militum insolentiam, & duram Episcoporum sub ipsis servitutem deplorans, & adjungens: *Pensemus etiam, quale hoc sit, quia hæc nonnul-*
L. 1. E- *li & inviti perferunt, & tamen eos, quos tole-*
pist. 19. *rant, prædiis & facultatibus Ecclesiæ, velint nolint, cariùs emunt. Quotidiè Regales epulæ, quotidiè apparatus, quotidiè nuptiale convivium: Et undè refrigerari debuerant indigentes, rubentium tabularum recreant gestatores. Et cùm Episcopus dispensator & patronus debeat esse pauperum, ad eorum mensam affluentibus deliciis alieni ructant, cùm & illi, quorum est tota substantia, procul excluſi famis inopia contabescant. Inter omnia porrò hæc mala illud excedit, & Diabolicam propemodum æquare videtur nequitiam, quia prædiis in militiam profligatis, omnique possessione terrarum, insuper etiam & Decimæ & plebes adduntur sæcularibus in beneficium. Quæ profectò liberalitas inhonesta & indigentibus adimit undè vivant, & Diœcesanos etiam deterret ut Decimas non persolvant.* Eandem in Ecclesiæ milites profusionem acriter damnat in litteris ad nescio quem Episcopum, & pergit: *Quid est Decimas in usum sæcularium vertere, nisi mortiferum eis virus, quo*
L. 5. Epist. *pereant exhibere? Huc accedit, quod & Plebes sanis*
justa

Justa datur occasio, ut matricibus suis Ecclesiis obedientiam subtrahant, & non eis legitima Decimarum tributa persolvant. Grassabatur tunc non dumtaxat Laica Antistitum investitura, sed & Regia nominatio: Ecclesiarum milites insuper aderant Episcoporum electionibus. Horum igitur, apud Principem præsertim, suffragia venabantur atque emebant ambitiosi Clerici, & per talem Simoniam creati Episcopi sacrilega ista debita per datas in beneficium Decimas exsolvebant. Etiam de Sclavis Aldenburgensi Episcopo Decimas recusantibus scribit laudatus
L. 8. c. 91. Presbyter Hemboldus: *Propterea hoc adjecerunt, non multùm aberrantes à veritate, quòd omnes penè Decimæ in luxus sæcularium cesserant.* Fidelis populus è fundorum & vultuum suorum fudoribus non ampliùs pauperes, sed solos cum eminentiori Clero, Simoniacis Ecclesiæ militibus gaudere, imò luxuriari videns Episcopos, Decimas retrahere frequenter tentavit. Caroli Martelli, qui ipsas cunctas etiam Reipublicæ militibus divisit in stipendia, violentia hocce item tempore grassabatur. Adversùm hoscè abusus statuit ex antiquis Patrum Regulis Nicolaus secundus, ut Decimæ, Primitiæ, ac omnes tam vivorum quàm defunctorum oblationes sint in potestate Episcopi, ac Ecclesiis Dei fideliter à Laicis solvantur. A Laicis invasas, aut quovis modo obtentas Decimas vult reddi, atque ità auferri ansam, ex quo fidelis populus ipsarum solutionem meritò detrectabat.

Porrò vivorum oblationes sunt factæ in Baptismi, Matrimonii, aut cujuscumque Sacramenti vel benedictionis perceptione ad ministrantis Clerici sustentationem collationes; Defunctorum autem oblationes sunt illa, quæ hodiè vocitantur jura funeralia. Hæc omnia oblationum nomine contineri definit apud Gregorium nonum Honorius tertius. Sunt antiquissima & spontanea, ideoque ab omni Simoniæ aut fœdi quæstus vitio munda populi in Clerum pietas, de qua in litteris ad Aurelium Carthaginensem Archiepiscopum scripsit Sanctus Augustinus: *Oblationes pro spiritibus dormientium, quas verè aliquid adjuvare credendum est, super ipsas Sanctorum Martyrum memorias non sint sumptuosæ, atque omnibus petentibus sine typho & cum alacritate præbeantur, neque vendantur. Sed si quis pro Religione aliquid pecuniæ offerre voluerit, in præsenti pauperibus erogetur.* In defunctorum suffragiis permittit aliquid à Clero accipi, imò &, nisi statim detur pauperibus, retineri, ea tamen vetat vendi, seu aliquid pro illis postulari. Etenim uti spontaneam oblationem passim indulserunt, ita omnem exactionem Patres & Canones semper damnaverunt. Hæc sciens fidelis hujus præsentis Synodi tempore populus erat in Clerum ex jam dictis causis tenax & lentus. Hinc illum officii admonet Canon, statuitque quod posteà etiam statuit Cardinalis Gualo Paschalis secundi per Galliam Legatus: *Prohibemus sub excommunicatione, ne Sacerdotes vel Clerici, occasione alicujus consuetudinis, pro Baptismo, Sepultura, Benedictione, aliisque Sacramentis Ecclesiasticis aliquid exigere vel extorquere præsumant, sed ea liberaliter & sine difficultate studeant Canonicè ministrare. Moneantur tamen Laici diligenter, ne quod pro reverentia Sacramentorum devotio fidelium introduxit, ex avaritia velint aliquatenus revocare.*

L. 5. tit. 40. C. 29. 31.

Epist. 68

CANON VI.

UT per Laicos nullo modo quilibet Clericus aut Presbyter obtineat Ecclesiam, nec gratis, nec pretio.

SCHOLION.

JUs Patronatus, Ecclesiarum sub Laicis servitutem, antiqui Patres & Canones omninò ignoraverunt. Ejus prima rudimenta videtur in prima sua Apologia agnoscere Sanctus Athanasius, Constantio Imperatori factam à se in necdum consecrata Basilica synaxim improperanti, respondens: *Non encæniorum festum celebravimus, Religiosissime Auguste, id enim celebrare ante tuum Decretum fuisset prorsùs nefarium.* Eam Constantii impensis perfecerat Athanasius, ideoque sine ejus consensu admisit non potuisse dedicari. Prima, ad Sancti Leonis Magni annum secundum habita, Arausicana Synodus distinguit Laicum & Ecclesiasticum Basilicæ ædificatorem seu Patronum: A Laico mandat ad ejus dedicationem non advocari alienum Episcopum.

C. 19.

Quod nempè anteà quidam id attentassent. Aliena in Parochia ab Episcopo, licet non pro proprio fundi negotio, sed pro publica populi utilitate ædificatam Basilicam sancit pleno jure regendam à loci Antistite, ejus tamen Clericos ab ædificatore permittit eligi, seu præsentari. A loci Antistite mandat hos consecrari atque instituit. Hanc electionem non Laico, aut cuivis Clerico, sed soli Patrono Episcopo permittit, quòd is ex officio noverit Regulas istiusmodi electionis. Hanc tamen potestatem Laicis posteà indulsit quarta Synodus Aurelianensis. Etenim septimus Canon jubet, ut prædiorum Domini Oratoriis seu Rusticanis ibidem Ecclesiis contra Episcopi voluntatem non intrudant peregrinos Clericos, nisi forsan quos Episcopus probarit. Ipsis permittit solam præsentationem. Hic est Canon trigesimus tertius: *Si quis in agro suo aut habet, aut postulat habere Diœcesim*, id est, Parochialem

Ecclesiam, *primùm & terras ei deputet sufficienter, & Clericos qui ibidem sua officia impleant, ut sacratis locis reverentia condigna tribuatur.* Per Clericorum tamen deputationem aliqui non præsentandi jus, sed solam dotationem volunt intelligi. Quidquid sit, ad Venantium Lunensem Episcopum scribit Sanctus Gregorius
L. 7. Indict. 2. Epist. 33. Magnus: *Quia gloriosus Aldio, Magister Militum, in civitate ipsius Presbyteros vel Diaconos omninò desiderat ordinari, eos qui ad consecrandum eliguntur, Fraternitas vestra diligenter inquirat. Et si nihil est quod Canonicè eorum ordinationem impediat, Deo propitio illos studeat ordinare.* Nempè suæ Civitatis Ecclesiam Aldio ædificaverat. Nec obest quod ejusdem Pontificis ad Felicem Messinensem Antistitem Epistola dicat *Basilicæ Conditori nihil competere juris, nisi processionis gratiam, quæ omnibus Christianis in communi debetur.* Agit enim de Basilica, non per
L. 22. Epist. 10. Laicum, aut Episcopum, sed per inferiorem Clericum, utpotè Januarium Messinensis Ecclesiæ Subdiaconum, exstructa, cui gradui præsentandi jus ista ætas nondum attribuebat. Addit nona Toletana Synodus: *Pia compassione decernimus, ut quamdiu fundatores Ecclesiarum in hac vita superstites exstiterint, pro eisdem locis curam permittantur habere sollicitam, & sollicitudinem ferre præcipuam, atque Rectores idoneos in eisdem Basilicis eidem ipsi offerant Episcopo ordinandos. Quòd si superstitibus eisdem fundatoribus Rectores ibidem*
C. 2. *præsumpserit Episcopus ordinare, & ordinationem suam irritam esse noverit, & ad verecundiam suam alios in eorum loco, quos eidem ipsi fundatores condignos elegerunt, ordinari.* Quæ Patronatæ Ecclesiæ libertas videtur fuisse apud solos Hispanos: Apud alias Gentes præsentandi jus videtur fuisse perpetuum, & ad hæredes transivisse. Quidquid sit, jam pridem ità transiit etiam apud Hispanos. Notandus est Canon septimus jam laudatus quartæ Synodi Aurelianensis; Violentiam illam, qua Laici Patroni Presbyteros ac alios Clericos quandoque gratis, quandoque pretio, in Ecclesias intrudebant invitis Episcopis, ostendit esse valdè antiquam. Adversùs illam semper resurgentem habemus plurimos posteriores Canones, quos hic adversùs eandem denuò redivivam innovat Nicolaus secundus. Damnat & aliam sui temporis iniquitatem, de qua nobis suprà dixit Sanctus Petrus Damiani: *Ab Episcopis insuper etiam Decimæ & plebes*, seu Parochiales Ecclesiæ, *adduntur in beneficium sæcularibus.* Quomodo olim Carolus Martellus Episcopia ac Monasteria, ità tunc Episcopi Altaria dabant Laicis in militiæ stipendia: Et quomodo tunc Laici illa, ità nunc & hæc tractabant ut propria allodia, ideoque in illa Clericos invitis Episcopis quandoque gratis, frequenter pretio intrudebant. Quod hic Canon etiam damnat.

CANON VII.

UT nullus habitum Monachi suscipiat, spem aut promissionem habens, ut Abbas fiat.

SCHOLION.

ABbatias à Clericis appeti ac ambitiosè invadi est antiqua miseria, à Sancto Gregorio Magno damnata in litteris ad Sanctum Maximianum Syracusæ Episcopum: *Presbyteros, Diaconos, cæterosque cujuslibet ordinis Clericos, qui in Ecclesiis quoquo modo militant, Abbates per Monasteria esse non permittat, sed aut admissa Clericatus militia Monasticis non provehantur ordinibus, aut si in Abbatis loco permanere decreverint, Clericatus nullatenus permittantur habere mi-*
L. 3. Epist. 11. *litiam. Satis enim incongruum est, si cùm unum ex*
L. 4. Epist. 1. *his pro sui magnitudine diligenter quis non possit*
L. 5. Epist. 28. *explere, ad utrumque judicetur idoneus, sicque in-*
L. 6. Epist. 40. *vicem & Ecclesiasticus ordo vitæ Monasticæ, & Ecclesiasticis utilitatibus Regula Monachatus impediatur.* Eundem ambitum damnat in litteris ad Joannem Ravennæ Archiepiscopum, ac in litteris ad ejus successorem Marinianum. Carolus Martellus induxit abusum longè fœdiorem, quo non solùm Clericis, sed etiam Laicis Abbatiæ dabantur in Commendam. Monstrum istud dudum impugnarunt, & necdum ubique expugnarunt sanctissimi Majores nostri, & ex ejus cineribus prodiit alia ambitionis lepra, qua ad Abbatis senium, morbum aut mortem Laici, ac præsertim Clerici ab Electoribus, præcipuè à nominante Principe, cœperunt dignitatis promissionem & certam spem accipere, atque ex ipsa per Hipocrysim monachari. Ex simili non alicujus Abbatiæ, sed ipsius Constantinopolitani Patriarchatus promissione ac spe attonderi se in Monachum fecit verspellis Photius, ideoque statuit Synodus octava: *Prioribus Canonibus concordantes definimus neminem de Senatoria dignitate, vel mundana conversatione nuper tonsum super intentione vel exspectatione Pontificatus vel Patriarchatus honoris, Clericum aut Monachum factum, ad hujusmodi scandere gradum, licet per singulos Ordines Divini Sacerdotii plurimum temporis fecisse probetur*, Taliter promotum man- Can. 5.
dat ejici ac degradari. Et sub Victore secundo celebrata Synodus Tholosana statuit: *Si quis Clericorum, adipiscendæ Abbatiæ causa, Monachus effectus fuerit, in Abbatia quidem Monachus permaneat, sed ad ipsum honorem, ad*

quem

quem ſpirabat, nullatenus accedat. Quod ſi præſumpſerit, excommunicetur. Ejuſmodi Monachationem eſſe Simoniacam, eſt ibi oſtenſum. Hoſce igitur Canones hic innovat Nicolaus ſecundus, ac ejus ſucceſſor Alexander ſecundus denuò confirmavit. Et hinc adversùs Abbatem Lexovienſem, qui priùs fuerat electus quàm factus Monachus, apud Gregorium nonum rectè reſcripſit Innocentius tertius: *Nos attendentes, quòd contra Regulares traditiones illud fuerit attentatum, cùm nullus ſpem aut promiſſionem habens, ut Abbas fiat, debeat monachari, electionem de ipſo factam curavimus irritare.* Electio enim eſt Abbatiæ addictio, ideoque non cadit in Laicum aut Clericum: Et ejus cauſa attonſus permanet ad dignitatem irregularis. Hinc item de non Monacho factam poſtulationem non poſſe per Epiſcopum, ſed per ſolum Pontificem admitti & confirmari, rectè reſcripſit Cæleſtinus tertius: Hæc enim admiſſio eſt univerſalis Canonis diſpenſatio, palàm ſpectans privativè ad Papam. Etiam novitium non poſſe eligi intulit ex eodem fonte Gregorius nonus. Et jure meritò: Nam Monachiſmus ex dicta ſpe cùm non poſſit incipi per aſſumptionem habitus, quomodo per profeſſionem poſſit compleri? Eligendum debere eſſe expreſsè profeſſum Bonifacius octavus, debere eſſe in eodem ordine profeſſum addidit Clemens quintus. Mendicantium Ordinum Fratres in Abbates non ſolùm eligi, ſed & poſtulari vetuit in Extravagante communi Joannes vigeſimus ſecundus.

L. 1. Tit. 6. c. 7.

C. 13.

C. 49.

L. 1. Tit. 6. c. 28.

L. 1. Tit. 3. c. 1.

Hujus conſtitutionis rationem edicit Synodus octava: *Neque enim propter Religionem vel amorem Dei, aut propter exſpectationem tranſeundi viam virtutum, ſed ob amorem gloriæ ac Principatus tonſus hujuſmodi reperitur.* Exponit in litteris ad Eccleſiæ ſuæ Clericos & Monachos Sanctus Agobardus Archiepiſcopus Lugdunenſis: *Non ſoli Hæretici adulterant Verbum Dei, miſcendo fallacias ſuas, ſed & omnes qui per ſacrum miniſterium ad honores & divitias temporales pervenire feſtinant. Etiam & illi, qui ad honores & divitias ſublimari non poſſunt, & victum aut tegumentum quotidianum ex ſacro miniſterio adipiſci cupiunt. Quia non ideò ſumptus accipiunt ut prædicent, ſed prædicant ut accipiant: Nec loquuntur ex ſinceritate ſicut ex Deo coram Deo, ſed ambulant in aſtutia; nec abdicant occulta dedecoris, ſed amplectuntur. Omnis ergò qui præponitur cæteris, ſive Clericus ſive Monachus, ſi ità videtur benevolus, & manſuetus, atque affabilis, ut ſubditorum corda in ſui amorem & propriam laudem convertat, adulter eſt, & regimen animarum ſuſcipere numquam debet.* Quem eſſe conſtantem omnium Patrum, immò & lucidum ipſius Apoſtoli ac Evangelii ſenſum, poſſit facilè demonſtrari. Et potiori jure id verum eſt in Monachiſmo. Monachiſmus eſt perpetuum in Cella, quaſi in ſepulchro, ab omni mundano ſtrepitu ſilentium, perpetuus apud Deum planctus & pœnitentia, profundæ humilitatis ac acquirendæ omnis virtutis & perfectionis profeſſio, tantaque ejeratio cunctæ etiam Eccleſiaſticæ dignitatis, ut vel ſolius Clericatus deſiderium ab antiquis paſſim dicatur eſſe venenum & peſtis Monachorum. Eadem de cauſa olim Monachi appellabantur *Renuntiantes*. Quocirca quiſquis ex Abbatialis dignitatis promiſſione vel ſpe renuntiat, ſola voce renuntiat, non corde, eſt mendax ac doloſus hiſtrio, & ſuæ profeſſionis manifeſtus adulter. Eſt ſimilis Conſulari Prætextato, apud Sanctum Damaſum Pontificem jocari conſueto: *Facite me Romanum Epiſcopum, & protinus fiam Chriſtianus.*

Epiſt. 11.

CANON VIII.

NEc aliquis Presbyter duas Eccleſias ſimul obtineat.

SCHOLION.

HUjus Canonis rationem edicit in ſua Canonicorum Regula Sanctus Crodogangus Epiſcopus Metenſis: *Presbyter non amplius quàm unam Eccleſiam habeat, ſicut & vir unam uxorem.* Et Synodus Namnetenſis: *Sicut Epiſcopus non plus poteſt habere, quàm unam Civitatem, & vir unam uxorem, ità Presbyter unam tantùm Eccleſiam. Itaque nullus Presbyter plures præſumat habere.* Et in litteris ad Robertum Pontiniacenſis Monaſterii Priorem Stephanus Tornacenſis Epiſcopus: *Parochiales Presbyteri ſacramentaliter alligati ſunt Eccleſiis quas regunt, tamquam uxoribus propriis.* Eſt omninò inſtitutum Apoſtolicum, ſed omni ferè ſæculo à Clericorum cupiditate violatum, ideoque per Synodos frequentiſſimè reparatum.

C. 69.

C. 8.

Epiſt. 1.

CANON

CANON IX.

ET per Simoniacam hæreſim nemo ordinetur, vel promoveatur ad quodlibet Eccleſiaſticum officium.

SCHOLION.

SImoniam adeò horrendè ac inverecundè, ut à multis crederetur non eſſe peccatum, fuiſſe iſto ſæculo graſſatam, eſt ſuprà oſtenſum. Epiſcopi ſuam dignitatem emebant paſſim à Principe, ideoque & Clericis vendebant non dumtaxat Eccleſiaſticorum Ordinum, ſed & Officiorum gradus, Defenſoris, Manſionarii, Œconomi, Caſtaldi, & quævis officia alia, in quorum mercatu Simoniam omninò committi definivit etiam Synodus Chalcedonenſis. Ejus Canonem innovat Nicolaus ſecundus.

CANON X.

UT cujuslibet Ordinis Clericos Laici non judicent, nec de Eccleſiis ejiciant.

SCHOLION.

CAnonis occaſionem edicit in Cameracenſis Eccleſiæ Chronico Baldricus Tornacenſis Epiſcopus: *Conradus Salicus Imperator Italiam abiit, ut ad votum de Regno ageret, & arma ferentes impugnaret. Cumque inibi degeret, quoſdam Longobardorum Epiſcopos, partibus Odonis faventes, irreverens factus, in vincula conjecit.* Et in exſtantibus apud Jacobum Gretzerum litteris ad Sanctum Othonem Bambergenſem Epiſcopum Fredericus Archiepiſcopus Colonienſis: *Quem non moveat, quòd omnis Eccleſiaſtici vigoris auctoritas Aulicis & Palatinis in quæſtum verſa eſt? Synodalis Conventus Epiſcoporum, annua concilia, omnes denique Eccleſiaſtici Ordinis adminiſtrationes in Regalem Curiam translata ſunt, ut illorum marſupiis inſerviant, quæ ſpiritualiter examinari debuerant.* Agit de Imperatore Henrico quarto, adversùs cujus Patrem Henricum tertium, Wigero Ravennatum Archiepiſcopo, quòd necdum conſecratus Pontificalem Miſſam celebraſſet, pœnas infligere auſum, ſcripſit apud Anſelmum Leodienſem Canonicum Wazo ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopus: *In ſæcularibus negotiis Imperiali Excellentiæ debemus fidelitatem, in Eccleſiaſticis verò exceſſibus Apoſtolicam tantùm præſtolari debemus ordinationem, ideoque quòd iſte contra Eccleſiaſticum Ordinem deliquit, Apoſtolica tantùm cenſura diſcutiendum. Sin autem in ſæcularibus à vobis illi creditis*, id eſt, circa feuda Imperialia, *reprehenſibiliter geſſerit, veſtro debere ſtare judicio.* Qui abuſus etiam in aliis Regnis tunc fuere graſſati. Laici item Decimarum & Altarium, ſeu Parochialium Eccleſiarum poſſeſſores aut patroni Curatos Presbyteros & ſubditum illis Clerum, uti ſuo arbitrio atque auctoritate intrudebant, ita & ejiciebant. Ambos frequentiſſimè damnatos abuſus iterùm damnat Nicolaus ſecundus.

L. 3. c. 55.

C. 190.

Epiſt. 45.

CANON XI.

UT de Conſanguinitate ſua nullus uxorem ducat uſque ad generationem ſeptimam, vel quo uſque parentela cognoſci poterit.

SCHOLION.

SEptimi gradus, vel quo uſque parentela cognoſci poteſt, conſanguinitas nequaquam ex Apoſtolico Canone eſt matrimonii impedimentum. Antiqui Chriſtiani populi morem, adeoque & Apoſtolicum de ipſo Canonem prodit in libris de Dei Civitate Sanctus Auguſtinus, germanorum ac etiam in primo-ſecundo gradu conjugia damnans tamquam adverſa legi naturæ, & adjungens de conſobrinis: *Experti ſumus in connubiis Conſobrinorum etiam noſtris temporibus propter gradum propinquitatis, fraterno gradui proximum, quàm rarò per mores fiebat, quod fieri per leges licebat, quia id nec Divina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana. Verumtamen factum etiam licitum propter vicinitatem horrebatur*

vebatur illiciti, & quod fiebat cum Consobrina, penè cum sorore fieri videbatur, quia & ipsi inter se propter tam propinquam consanguinitatem fratres
L. 15. c. 16. *vocantur, & penè germani sunt.* Laudat Romanam legem, de qua ad Senatum, Claudii Augusti cum Germanici fratris sui filia Agrippina inauditas eo usque nuptias suadens, apud Cornelium Tacitum in Annalium libris dixit Vitellius: *Et Consobrinarum diu ignorata conjugia tempore addito percrebuerunt.* Ea Romanis fuisse du-
L. 12. c. 5. 6. dum invisa testatur etiam in causis Plutarchus.
L. 9. c. 60. Cœpisse addit ex levi causa, & emanasse tunc hocce populi Decretum: *Licere omnibus ducere usque ad Consobrinas, suprà autem vetari.* Ejus tempus ignoro, esse tamen antiquissimum demonstrant hæc S. P. Liguſtini ad Titum Livium verba: *Cùm primùm in ætatem veni, pater mihi uxorem, fratris sui filiam, dedit.* Exindè se quasi laudat. Et hinc etiam à semetipso & Con-
C. 42. stantio Augusto, Consobrinis & Christianis, mutuas sorores fuisse ductas affirmat in litteris ad Senatum ac Populum Athenienſem Julianus Augustus. Hunc enim morem à lege Divina non damnari jam audivimus, ideoque ipsum nec notarunt Apostoli, & juxta ipsum fideles dudum vixerunt. Quocirca perperam in litteris, quarum fragmentum habes apud Jacobum Sirmondum in secunda Duziacenſi Synodo, ad Sanctum Gregorium Magnum scripsit Felix Episcopus Messinenſis: *Semper ad septimum originis suæ gradum hæc à sanctis Antecessoribus vestris, & cæteris sanctis Patribus, tam in Nicæna Synodo quàm in aliis Conciliis congregatis, servari debere reperi, & à rectè viventibus ac Deum timentibus hominibus studiosè provideri cognovi.* Nihil enim tale est in Nicæna Synodo statutum aut tractatum. Quinimò tertius Canon solam matrem, amitam, ac sororem permittit assumi in Clericorum Agapetas, ideoque excludit Consobrinas: Quòd nempè cum ipsis tunc liceret Matrimonium, ideoque ipsarum cohabitatio non effugeret suspicionem. Eadem conjugia semper valuerunt etiam apud Judæos, ideoque in litteris ad nobilem virum Paternum Sanctus Ambrosius, Consobrinorum conjugia
Epist. 48. affirmans vetari à lege Mosaica, est memoria lapsus.

Ita fuit usque ad Theodosii Magni legem, de qua idem Ambrosius: *Theodosius Imperator etiam Patrueles, fratres, & consobrinos vetuit inter se conjugii convenire nomine, & severissimam pœnam statuit, si quis temerare ausus esset fratrum pia pignora.* Eandem legem uti adhuc recentem laudat in supra memorato loco Sanctus Augustinus: *Nondum probibuerat lex humana.* Et in edita ad Theodosium Principem oratione Libanius Sophista Antiochenus: *Edixisti etiam ne consobrinorum nuptiæ essent, cum id passim liceret, neque iis quæ tibi justa videbantur, temporis observantia validior fuit.* Et Victorinus, necnon in miscella historia Paulus Diaconus: *Theodosius tantum pudori tribuit & continentiæ, ut Consob.narum nuptias vetaret, sicut sororum.* Periit aut latet lex, ejus tamen motivam rationem adducit in laudato loco Sanctus Augustinus: *Quis dubitet honestius hoc tempore etiam Consobrinorum prohibita esse conjugia, non solùm propter multiplicandas affinitates, ne habeat duas necessitudines una persona, cùm duæ possint eas habere, & numerus propinquitatis augeri; sed etiam quia nescio quomodo inest humanæ verecundiæ quiddam naturale atque laudabile, ut cui debet causa propinquitatis verecundum honorem, ab ea contineat, quamvis generatricem, tamen libidinem, de qua erubescere videmus & ipsam pudicitiam conjugalem.* Adjectam fuisse severissimam pœnam rectè dixit laudatus Ambrosius: Adjecta enim fuisse ignis supplicium & bonorum proscriptionem disertè testantur in scripta ad Eutychianum Prætorio Præfectum Lege Imperatores Arcadius & Honorius. Exstat lex in Codice Theo- L. 3. tit. 12. C. 3.
dosiano.

Quæstio est, An adjecta etiam fuerit hæc mitigans clausula: *Nisi tales nuptias quis per Principis Rescriptum impetrarit?* Eo enim tempore Laicus Princeps impedimenta matrimonii, uti constituebat, ità & dispensabat. Partem affirmativam suadet Urbici tunc Præfecti Symmachi epistola: *Per epistolam summis precibus observavit, ut impetrata Sacri auctoritate Rescripti, filia ejus fratris sui filio copuletur, quod multis esse concessum, manifesta testantur exempla.* Et in laudatis ad Pa- L. 10. Ep.
ternum litteris Sanctus Ambrosius: *Sed dicis ali-* 11.
cui relaxatum. Verùm hoc legi non præjudicat. Quod enim in commune non statuitur, ei tantùm proficit, cui relaxatum videtur. Vulgata lectio habet, *Quod enim in commune statuitur:* At sine sensu. Est lucidè corrigenda. Præterea in lege ad Theodorum Prætorio Præfectum, exstante item in Theodosiano Codice, Honorius & Theodosius secundus Augusti palam affirmant nuptiarum supplicationem Consobrinis non fuisse à suo triumphalis memoriæ parente interdictam. Respondeo tamen aliud esse aliquid à lege permitti, aliud non vetari. Quomodo æqui & justi tenacissimus Theodosius adversùm severam adeò & capitalem legem in eadem ipsa dedisset supplicandi facultatem? Et hinc non talem facultatem, sed tantùm datæ dispensationis exempla & Symmachus & Paternus adduxerunt. Nempè ista lex non fuit ex severissimis, quæ vetabant etiam supplicari.

Verùm paternas leges non satis revereri consuetus Imperator Arcadius etiam hanc post patris mortem statim abrogavit. Etenim in memorata ad Eutychianum lege legem paternam confirmavit quidem, verùm ignis & proscriptionis pœnam mutavit in alias leviſſimas. Hæc interim est lex, qua suum adversùs incœstuosas nuptias Canonem stabilivit secunda Synodus Turonenſis. In Codice Justinianæo exstat & alia ejusdem Arcadii ad eundem Eutychianum lex: *Celebrandis inter Consobrinos matrimoniis licentia legis hujus salubritate indulta est, ut revocata prisci juris auctoritate, restinctisque calumniarum fomentis, matrimonium inter Consobrinos habeatur legitimum, sive ex duobus fatribus, sive ex duabus sororibus, sive ex fratre nati & sorore sint. Et ex eo* L. 5. tit. 4. c. 19.
matrimonio editi, legitimi & suis patribus successores habeantur. Paternam legem plenè circumduxit, & priscum jus restituit in suam auctoritatem. Quæ omnia firmavit & Justinianus. Verùm pro solo Orientali Imperio. Hinc enim qui post hanc legem in Occidentis Imperio vixit & de Dei Civitate libros scripsit, Sanctus Augustinus constanter affirmat Consobrinorum nuptias nec licere nec valere. Ejus tempore apud Occidentem vigebat laudata Honorii ad Theodorum lex, Consobrinorum conjugia damnans, permittens tamen à Principe postulari. Paternam de istis legem hæc laudat & firmat: Et quòd illa dictam supplicationem non interdixerit, ipsius indultum existimat ei non adversari. Paternam itaque legem & Arcadius & Honorius communiter mitigarunt quo ad pœnam, plenè postmodum cassavit solus Arcadius, ista adjuncta gratia solus Honorius temperavit. Et hoc jure Occidens dudum vixit. Etenim apud Aurelium Cassiodorum exstat solemnis formula, qua Occidentis Princeps etiam tunc solebat Consobrinis ineundi conjugii facultatem seu dispensationem rescribere ac impertiri. Dominus Cardinalis Cæsar Baronius
L. 7. E pist. 46. existimat Consobrinorum, imò & ulteriorum graduum conjugia fuisse Christianis longè priùs interdicta, ideoque laudatas leges definire de solis conjugiis Gentilium. Verum huc usque adducta lucidè evincunt aliud. Et horum impedimentorum constitutio ac relaxatio dudum spectarunt ad Principem Augustum. Ex his interim vides Sacrosanctam Tridentinam Synodum, dum certis in casibus permisit dispensari quoad secundum affinitatis aut sanguinis gradum, à vetustis Ecclesiæ moribus non decessisse.

Quis porrò impedimenta hæc usque ad septimum gradum, imò usque ad omnem conjuncti sanguinis notitiam extendere cœperit, est involutum & obscurum. Esse antiquissimam Regulam, à Nicæna Synodo firmatam potiùs quàm introductam, adeoque Apostolorum aut Apostolicorum Patrum traditionem, affirmat in supra-adductis ad Magnum Gregorium litteris Felix Episcopus Messinenſis: *Quæ consuetudo dudum illis aut istis in partibus, quando unà vobiscum ab infantia nutritus atque edoctus fui, non erat, nec in ullis Prædecessorum vestrorum Decretis, aut reliquorum generaliter aut specialiter Patrum institutis legi, aut hactenus ab ullis sapientibus esse concessum didici, sed semper usque ad septimum originis suæ gradum, hæc à Sanctis Antecessoribus vestris, & cæteris Sanctis Patribus, tam in Nicæna Synodo, quam in aliis Sanctis Conciliis congregatis, servari debere reperi, & à rectè viventibus ac Deum timentibus studiosè provideri cognovi.* Gentilium Anglorum plurimos in prohibitis gradibus conjugatos repererat Sanctus Augustinus Apostolus, & multa ex ipsorum divortio scandala ac Evangelii impedimenta metuens Magnus Gregorius, dispensatoriè indulserat omnia quarti aut ulterioris gradus matrimonia permanere. Hujus gratiæ excessum arguit Felix, affirmans esse Ecclesiarum consuetudini, avitis Patrum legibus, ac Nicænæ Synodo adversum, ideoque & prævaricatorium. Et omnia ejus allegata Gregorius comprobavit, sese expurgans quòd non suo judicio, sed ex totius urbis testimonio dispensasset pro solis ante fidem contractis Neophytorum matrimoniis, ideoque omnia contrahenda ad septimum gradum omninò obligari. Et hasce Felicis ac Gregorii litteras esse authenticas supponit celebrata sub Joannis octavi Papatu Synodus Duziacenſis. Felicianæ Epistolæ partem adducit, ac in ipsa fundat sua adversum incœstas nuptias Decreta. Quod ipsum in libris de Laicali institutione facit Jonas Aurelianenſis Episcopus, ex isto forsan fonte affirmans septimi gradus obser- L. 2. c. 8.
vantiam esse Apostolicam, receptam ab omni Ecclesia, traditionem. Etiam in Sancti Gregorii vita Joannes Romanæ Ecclesiæ Diaconus, & in Decreto suo easdem Epistolas laudat San- Lib. 9. c.
ctus Ivo Episcopus Carnutenſis. 20. 55.

Respondeo tamen ambas Epistolas esse spuria 56.
figmenta. Lucet ex ipso ad hanc Augustini quæstionem, *Usque ad quotam generationem fideles debeant cum propinquis sibi conjugio copulari*, Gregorii Rescripto: *Quædam terrena lex in Romana Republica permittit, ut sive fratris, sive sororis, seu duorum fratrum germanorum, vel duarum sororum filius & filia misceantur. Sed experimento didicimus ex tali conjugio sobolem non succrescere. Et sacra lex prohibet cognationis turpitudinem revelare. Unde necesse est, ut jam tertia vel quarta generatio fidelium sibi licenter jungi debeat. Nam secunda, quam diximus, se omninò debet abstinere.* In laudato Sancti Jvonis Decreto exstat Joannis Patriarchæ Constantinopolitani ad Felicem Messinenſem Antistitem Epistola, hæc Sancti Gregorii verba referens in hunc modum: *Unde necesse est, ut jam quarta vel quinta generatio fidelium licenter sibi jungantur.* Nempè ejusdem cum Felicis ad Gregorium, & Gregorii ad Felicem litteris farinæ & auctoris est ista Epistola. Ut Gregorium non in tertio, sed in quarto dumtaxat gradu dispensasse persuadeat, ausus est in germanas illius litteras ita grassari. Quod vitium irrepsit ibidem in litteras Alexandri secundi ad Clerum
Cap. 6. Neapolitanum. Tantum abest à Gregorio probare Felicianæ Epistolæ figmenta, ut palàm edicat non solùm quarti gradus, sed etiam sobrinorum matrimonia omninò licere. Adeò pro quarto aut quinto gradu Angli non habebant opus ulla dispensatione. Nempè secundùm Honorii Augusti legem, quæ Consobrinorum & vetabat & Rescripto postulari permittebat conjugia, Romana tunc Ecclesia adhuc vivebat. Ejus solam posteriorem partem improbat Gregorius, ideoque apud exemptos à Romanorum legibus Anglos sola sobrinorum conjugia vult permitti. Verba hæc, *Experimento didicimus*, ostendunt Consobrinorum per Rescriptum conjugia tunc adhuc apud Romanos omninò viguisse. Et quomodo Felix Messinenſis Episcopus credidisset quid istiusmodi statutum ab omnibus Patribus ac Synodis, etiam Nicæna? Quomodo credidisset nullo umquam Patrum aut Pontificum Statuto quarti gradus conjugium fuisse indultum? Quapropter posteriorum fæculorum fœtus sunt istæ Epistolæ, à nescio quo pio homine ad sui temporis disciplinam adversùs impugna-

tores aut prævaricatores tutandam atque firmandam confictæ & vulgatæ. Ex pluribus id demonstrari possit capitibus. Et ejusmodi figmenta olim fuerunt familiaria.

Primum ergò pro ulterioribus gradibus Ecclesiasticum Decretum venit à secunda, quam sub Bonifacii secundi Papatu ad trigesimum primum sexti Christiani sæculi annum celebravit Montanus Archiepiscopus, Synodo Toletana: *Ne*
Cap. 5. *quis fidelium propinquam sanguinis, usquequo affinitatis lineamenta generis successione cognoscit, in matrimonio sibi desideret copulari.* Utitur voce, *Sancimus*, de nulla priori prævaricatione queritur, sed hanc Regulam solummodò vetat temerari deinceps, adeoque Decretum istud fuit tunc in Hispania omninò novum & primum. Et ad ipsum alludit in Ætymologiis Sanctus
L. 9. c. 6. Isidorus Archiepiscopus Hispalensis: *Usque ad sextum generis gradum consanguinitas constituta est.* Et dat causam: *Ut sicut sex ætatibus mundi generatio & hominis status finitur, ita & propinquitas generis tot gradibus terminaretur.* Quidam tamen existimant esse spurium additamentum. At ipsos errare evincunt antiquæ Visigothorum leges, in quarum tertio libro statuit isto-
Tit. 5. c. 1. rum in Hispania Rex Recesuintus: *Nullus præsumat de genere patris, aut matris, aut uxoris, in matrimonio copulare, ita ut usque ad sextum generis gradum nulli liceat sanguinis propinquitatem libidinosè fœdare, vel in conjugio appetere, exceptis illis personis, quas per ordinationem atque consensum Principum antè hanc legem constat adeptos fuisse conjugium.* Et in duodecimo ejusdem Codicis
Tit. 2. c. 8. libro sancitur: *Nemo de Judæis propinquitatem sanguinis sui conjugio copulet. Nullus usque ad sextum generis gradum coitu quamcumque personam*
Cap. 16. *contingat.* Deest legis Auctor: Fuisse Chintillanum Regem demonstrat professio, quam de ipsa post multam recalcitrationem servanda fecerunt Judæi apud Regem Recesuintum. Ex quo lucet non hunc, sed omninò Richaredum latæ in Christiana matrimonia legis fuisse Auctorem. Et ista professio videtur non fuisse constans. Eandem enim in Judæos legem iteravit, & gravissimis pœnis munivit Rex Ervigius. Catholicissimi Principes laudatum Episcopi Montani, quoniam in naturali jure fundabatur, Canonem voluerunt etiam à perfidis Judæis observatum. Porrò notandæ sunt ad quarti libri primum titulum priores quatuor leges: Edicunt fratres in secundo, consobrinos in quarto, sobrinos esse in sexto gradu. Non juxta hodiernos Latinæ Ecclesiæ Canones numerant, sed secundùm civiles Romanorum leges. Agunt de successionibus in temporales hæreditates. Quam formam an etiam in matrimonii impedimentis servandam velint, ignoro. Et hinc adductus Montani Canon hodiernis matrimonii impedimentis non manifestè favet.

Romana lex dudum viguit etiam in Gallia. Etenim ad sexti sæculi annum sextum habita
Cap. 61. Synodus Agathensis disertè vetat sola conjugia Consobrinorum. Sobrinorum, quos esse consobrinorum filios; ideoque tertio gradu junctos rectè affirmat in adducto loco laudatus Isidorus; prima inhibuit ad ejusdem sæculi annum decimum septimum Synodus Epaonensis: *Si quis*
Cap. 30. *consobrinæ, sobrinæve se societ, incestos esse censemus. Quod ut à præsenti tempore prohibemus, ita ea quæ sunt anteriùs instituta non solvimus.* Quæ clausula solas sobrinorum nuptias respicit, lucideque affirmat ipsas usque tunc in Gallia licuisse. Eadem denuò vetant ad ejusdem sæculi trigesimum quintum prima Arvernensis, & ad annum septuagesimum octavum Synodus Antisiodorensis. Nempè Epaonense pro solis ferè Burgundis Decretum reliqua etiam Gallia pedetentim susce pit. Quinimò ad annum sexagesimum septimum secunda Turonensis Synodus Consobrinorum conjugia denuò vetat, adducitque laudatam Arcadii legem, addens Theodosianum Codicem esse notum doctis atque indoctis: Quòd videlicet eo usque quidam Franci aut Romani talia conjugia attentarent. Dudum igitur Ecclesia circa hanc materiam vixit jure Imperiali, nullamque universalem sibi propriam habuit legem.

Proindè primus Ecclesiæ Canon generalis, qui usque ad septimum inclusivè gradum, aut usque ad quamvis juncti sanguinis notitiam fieri conjugia vetuit, prodiit à Romana Synodo Gregorii secundi. Et hinc à Britonum Episcopis consultus hac de re Leo quartus, non ad Nicænum Canonem, nec ad Magni Gregorii aut Felicis Messinensis Episcopi litteras recurrit, sed respondit: *Ut definitum est à Patribus, nullus*
de propria cognatione sibi audeat copulare, alioquin
Cap. 39. *anathema sit. Undè Beati junioris Gregorii Decreta eximiè sunt tenenda.* Ad eandem Bulgarorum quæstionem respondit & Nicolaus primus ascendentium cum descendentibus impedimentum esse naturale, ideoque protendi in infinitum, & adjungit de collateralibus: *Inter eas quoque personas, quæ ex transverso gradu cognationis junguntur, est quædam similis observatio, sed non tanta. Sacri verò Canones, & præcipuè Zachariæ summi Præsulis Decreta, quid hic promulgent, Episcopo vestro vobis explorandum relinquimus.* Gregorii enim secundi Decreta Zacharias singulariter confirmavit. Et Jonas Aurelianensis Episcopus in libris de Laicali institutione, septimi gradus observantiam volens esse Apostolicum Institutum, nullum Gregorio secundo priorem Canonem potuit adducere. Adduxit hunc Canonem: *Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem, anathema sit.* Est lucidè Gregorii secundi. Eum exponit ipse Pontifex
Epist. 9. cap. 1. Sancto Bonifacio Francorum Apostolo roganti, *In quota progenie propinquorum matrimonium copulatur*, respondens: *Dicimus quòd oporteret quidem, quamdiu se agnoscunt affinitate propinquos, ad hujus copulæ non accedere societatem, sed quia temperantia magis, præsertim in tam barbara gente, plus placet quam districtio censuræ, concedendum est ut post quartam generationem jungantur.* Et ejus proximus successor ad eundem Apostolum Gregorius tertius: *Progeniem suam unumquemque usque ad septimam generationem observare*
Ep. 1. c. 5. *decrevimus.* Et hujus proximus successor Zacharias in litteris ad Pippinum domus Regiæ Majorem, ac reliquum Francorum populum & Clerum: *Nos juxta Prædecessorum & Antecessorum Pontificum*, utique duorum Gregoriorum,
Ep. 9. c. 22. *Decreta, multò amplius confirmantes dicimus, ut dum usque sese generatio cognoverit, juxta ritum & normam Christianitatis & Religionis Romanorum non copuletur conjugiis.* Leonis Isauri Imperii sexto, octavi sæculi vigesimo secundo habita est laudata Romana Synodus, Gregorii autem secundi Epistola scripta est anno vigesimo sexto, ideoque Synodum omninò exposuit. Eam Zacharias vocat ritum & normam Romanorum, quod nempè non pro tota Ecclesia, sed pro sola Italia statuisset. Et hinc ipsam non plenè, sed usque ad quartum dumtaxat gradum à Barbaris Francis servatam voluit laudatus Pontifex: Successores Gregorius tertius & Zacharias usque ad septimum inclusivè gradum jusserunt servari. Fictus Felix Messinensis Episcopus possit erasse in personis: A Gregorio secundo factam Francis gratiam possit transcripsisse in Gregorium Magnum & Anglos, atque ità memoratas Epistolas finxisse.

Quòd Hispania ante Galliam, & Gallia ante Romanam Ecclesiam cœperit hæc impedimenta extendere, fecit excussa reverentia Romani Imperii. Lex qua Imperator Mauritius milites vetuit fieri Monachos, fuit longè iniquissima, nec multùm dissimilis illi, qua Valens Imperator Arianus jusserat Monachos militare. Eam tamen palàm damnare aut exsufflare non præsumpsit Magnus Gregorius, sed supplicibus apud Principem precibus suspendi impetravit potiùs quàm circumduci. Eandem reverentiam Majores nostri detulerunt legibus statuentibus conjugiorum impedimenta: Præsertim quibus Theodosius & Honorius vetuerant conjugia consobrinorum. Erat enim justa & æqua lex, & conformis naturæ. Romani Imperii per Gothos, Francos, Burgundos, aliosque Barbaros laceratio Episcopis fecit fiduciam aliter sanciendi, atque ità in divulsa à Romanis per Gothos Hispania Montanus Toletanæ Ecclesiæ Archiepiscopus, ac in divulsa per Burgundos & Francos Gallia Sanctus Avitus Metropolita Viennensis cœperunt cognationis & affinitatis impedimenta extendere ultra fines legum Romanarum. Romano Imperio usque ad hæreticas Leonis Isauri violentias Romana Ecclesia permansit fidelissima. Propter hasce illius jugum excutere cœpit Gregorius secundus, atque ità & novas edere leges connubialium impedimentorum. Omnes se fundarunt in Mosaicæ le-
Lev. 18. gis verbo: *Omnis ad proximam sanguinis sui non accedet.* Extendi id voluerunt usque ad extremam juncti sanguinis notitiam, qui passim est septimus gradus. Et quidem Gregorii lex paulatim penetravit omnem Latinam Ecclesiam, plurimisque Provincialium in diversis gentibus Synodorum Canonibus fuit confirmata.

Objici possit Sanctus Isidorus Hispalensis Archiepiscopus, qui supra nobis dixit hæc impedimenta extendi ad solum sextum gradum. Et in Helenensi, per Stephanum Baluzium nuper publicata, Synodo statuit Olibas Episcopus Ausonensis: *Ne aliquis se sciente in incestu usque ad*

sextum gradum maneat. Quod ipsum in opusculo de consanguineorum gradibus affirmat Sanctus Anselmus. Respondeo eumdem Anselmum in prioribus ad Waleranni Naumburgensis Episcopi quæstiones responsoriis litteris disertè scribere:
Cap. 7. *Detestabilia sunt indubitanter conjugia, si intra septem generationes sunt.* Cognationis impedimentum dicit *usque ad septimam generationem extendi.* Eam & ad sextam & ad septimam extendi generationem, in aliis & aliis Synodis assiduè leges. Eas conciliat ad vigesimum tertium undecimi sæculi annum celebrata Synodus Salagunstadiensis: *Quidam generationem consanguinitatis ità volunt numerare, ut frater & soror sint primi. Hæc autem statuit Sancta Synodus, sicut etiam ab antiquis Patribus decretum est, ut ità non esset, sed ut nepos & neptis, id est, filius fratris ac filia sororis primi habeantur.* Quidam consobrinos in primo, quidam in secundo dixerunt sanguinis gradu: Hi ad septimum, isti dumtaxat ad sextum gradum extendunt impedimenta, atque ita sola voce, non re sunt discordes. Sanctus Anselmus utrumque loquendi modum usitavit. Nicolaus secundus hic probat posteriorem, qui & solus est hodiè in usu.

Dixi Gregorii secundi constitutiones ab omni Latina Ecclesia fuisse pedetentim admissas. Opus enim fuit tempore. Et hinc ipse eas Francis ac Germanis, utpotè adhuc Barbaris, ausus non fuit imponere, sed in quarto gradu permisit illos conjugari. Gregorius quidem tertius septimum gradum etiam ab ipsis servatum voluit, itemque in suprà laudatis ad Pippinum Ducem litteris, ac in sua Romana Synodo successor Zacharias, dicens Gregorii secundi Rescriptum fuisse merum indultum ac dispensatoriam gratiam ad rudes homines rectæ fidei conciliandos: Ab illo tamen Franci dudum noluerunt recedere. Etenim sub Pippino jam Rege celebrata Vermerien sis Synodus in tertio gradu attentata matrimonia mandat separari, in quarto gradu attentari solummodò prohibet, attentata castigat, sed non vetat dirimi, adeoque vult esse impe-
Cap. 1. diens dumtaxat, non dirimens impedimentum. Quod ipsum sexto post anno confirmavit Synodus Compendiensis, addens ex tertio & quarto mixtis gradibus conjugia deinceps etiam separanda. Idem sancit de impedimento affinitatis.
Cap. 1. 2. Et Hatto sub Carolo Magno Basileensis Episcopus statuit in suo Capitulari: *Nullus sibi accipiat*
Cap. 21. *de propinquitate usque in quinto genu. Et non separentur in quarto genu, sed in pœnitentia cunctis diebus conjunctionis suæ perseverent.* Genu seu geniculum pro generatione seu gradu usurpant etiam leges Ripuariorum ac Longobardorum. Vermerien sis Synodi Canonem confirmat Hatto, addens attentatis in quarto gradu conjugiis esse perpetuò pœnitendum. Ea primum diremit sub laudato Carolo celebrata Synodus Moguntina:
Cap. 54. *In quarta generatione nullius amplius conjugio copuletur. Ubi autem post interdictum factum inventum fuerit, separetur.* Quod confirmasse videtur se-
C. 28. 29. cunda Synodus Cabilonensis. Herardi Turonensis Archiepiscopi Capitulare sic habet: *Ne*
Cap. 36. *in quinta vel sexta generatione copuletur conjugium,*

Tit. 4. c. 13. *& usque ad septimam generationem progenies observetur.* Quod ipsum in suis Capitularibus Isaac Ep. 55. *Lingonensis* Episcopus, & in Epistolis suis jussit c. 2. Ep. 59. Hincmarus Metropolita Remensis. At verò sub c. 1. 2. Adriani secundi Pontificatu habita Wormatiensis Synodus fixit hanc Regulam: *In copulatione fidelium generationis numerum non definimus, sed statuimus, ut nulli Christiano liceat de propria consanguinitate, sive de cognatione uxorem accipere, usque dum generatio recordatur, cognoscitur, aut memoria retinetur.* Eugenii secundi, Leonis quarti, Nicolai primi, ac etiam Joannis octavi Pontificis zelus ac diligentia Gregorii secundi Canones in plenam totius Latinæ Ecclesiæ observantiam tandem deduxerunt. Et hinc ad validum conjugium requiri septimi gradus excessum, istamque esse concordem Decretorum & Canonum sanctionem, scripsit ad Mellentinos Clericos Sanctus Ivo Episcopus Carnutensis. Ita in Ep 45. Troiana & Claromontana Synodo nuper declarat Urbanus secundus.

Quæstio est, An etiam Græci hac lege vixerint, ac etiamnum vivant? Ignorasse id videtur Sanctus Anselmus, in priori ad Walerannum Naumburgensem Episcopum opusculo de ipsis Cap. 1. scribens: *Aut non extendunt cognationes usque ad septimam generationem, sicut nos, &c.* Partem negativam suadet antiquus adversùm illos tractatus, repertus Constantinopoli apud Patres Prædicatores: *Græci mixturam sanguinis, prohibitam à Sanctis Patribus, faciunt jugiter. Nam Consobrini Consobrinas uxores ducunt.* Videntur eo usque perstitisse in superiùs memorata lege Imperatoris Arcadii. Affirmativam verò partem suadet in suis ad Photii Nomocanonem Commentariis Theodorus Balsamon, natum ex recta cognationis linea impedimentum dicens protendi usque in infinitum, & adjungens de cognatione transversa: *Ex transverso cognatorum* Tit. 13. cap. 2. *conjunctionem liberam faciunt leges & Canones, & similiter affinium nuptias usque ad sextum gradum connumerandum impediunt.* Ita fuisse affirmat usque ad Alexium Patriarcham, Michaelis Cerularii proximum Antecessorem, qui ob nescio quas Basilii cum Theoctista nuptias septimi gradus congressum interdixit, attentatum tamen noluit separari: Gradum istum statuit esse dumtaxat impediens, non dirimens impedimentum. Verùm Patriarcha Lucas Chrysoberges anno duodecimi sæculi sexagesimo sexto, ad Metropolitæ Athenienses & aliorum consilia, ampliavit Alexii sanctionem, deinceps ineundas septimi gradus nuptias non solùm solvi sanxit, sed etiam Rescripto postulari vetuit, & ipsarum consecratorem Presbyterum jussit degradari. Quam ejus constitutionem Manuel Comnenus Imperator Augusta lege confirmavit. Posteà tamen moderatus est: Septimi gradus nuptias permisit peti, & Rescripto concedi. Hanc in rem varia adducit memoratus Theodorus.

Respondeo hæc concilianda esse ex Honorii & Theodosii Augustorum, exstante in Codice Lib. 3. Theodosiano, lege ad Theodorum Prætorio tit. 10. c. Præfectum, ubi Consobrinorum conjunctio vo- 1. catur *quarti gradus*. Exponit in litteris ad Clerum Neapolitanum, exstantibus in Sancti Ivo- Lib. 9. c. nis Decreto, Alexander secundus: *Quidam ge-* 6. *nerationes à duobus fratribus altrinsecus prodeuntes ità numerant, ut eorum invicem filias quartam, nepotes sextam, pronepotes esse octavam generationem perhibeant. Hoc itaque modo unumquemque generationis gradum, qui unus procul dubio dicendus est, dividunt, atque imperitè numerandam progeniem dissecare contendunt.* Aliter jus civile Romanum, aliter noviores Latinæ Ecclesiæ Canones numerant gradus sanguinis. Hi in transversa cognatione tot gradus ponunt, quot comparatarum inter se personarum remotior distat à communi stipite; istud verò in hac etiam cognatione tot admittit gradus, quot reperit dempto stipite personas, atque ita in uno computu octavus gradus est, in alio dumtaxat quartus. Juris Romani modum sequuntur etiamnum Græci, atque ita qui æqualiter à stipite distant in quarto nostro gradu, apud illos legitimè conjunguntur. Dum unus in quarto, alter in tertio gradu distat à stipite, sunt apud ipsos in septimo, atque ita arcentur à mutuo conjugio. Vetitas nobis nuptias Innocentius tertius retraxit ad quartum gradum. Exindè cum Græcis eadem fermè vivimus lege. Consobrinorum, quas laudatus Tractatus reprehendit, nuptias oportet fuisse per Rescriptum aut dispensationem. Istum numerandi modum etiam in Latinam Ecclesiam inducere, atque ita nostram de septimo gradu legem exsufflare quidam tentarunt tempore Alexandri secundi. Eos compescuit per adductas litteras laudatus Pontifex, ac etiam in litteris ad nescio quem Presbyterum, ac in octavo opusculo Sanctus Petrus Damiani. Hæc suo loco sunt largiùs exponenda. Grassantia suo tempore incœstuosa Lib. 5. conjugia compescit hic Nicolaus secundus. Ep. 17.

CANON XII.

UT Laicus uxorem simul & Concubinam habens, non communicet Ecclesiæ.

SCHO-

SCHOLION.

SAnctum Eligium Tornacensem Episcopum ita in concubinarios concionantem inducit in ejus vita Sanctus Audoenus Archiepiscopus Rothomagensis: *Qui ante legitimas nuptias habere* Fol. 227. *concubinam præsumit, pejùs peccat quàm qui adulterium committit. Et ob hoc dignus est à Christianorum consortio separari. Qui si non pœnituerit, æterna illum flamma sine remedio cruciabit.* Loquitur ex populari apud Sanctum Augustinum sermone: *Coram Deo & Angelis contestor atque denuntio ista mala Deum semper prohibuisse, &* Ser. 243. *quam ei placita fuisse, quia præcipuè temporibus Christianis concubinas habere numquam licuit, numquam licebit. Pro qua re iterum atque iterum voce libera clamo, quia qui ante legitimas nuptias concubinam sibi adhibere præsumit, pejus peccatum facit, quàm qui adulterium committit. Quia qui adulterat, adhuc tam grave malum secretò vult agere, in publico autem aut metuit aut erubescit committere. Ille verò qui publicè concubinam habere voluerit, fronte impudentissima rem execrabilem, toto populo vidente, se putat licenter admittere.* Liberis hominibus concubinatum Romanæ leges tunc permittebant, ideoque ipsum eadem ista fiducia etiam alii Patres assiduè insectabantur. Quid ergo adversùs conjugatorum publicas concubinas fuissent dicturi? In Regibus præsertim & Magnatibus abominabile est istud flagitium, & exordium evertendi Regni. Rectè enim ad Ethelbaldum Anglorum Regem, in litteris apud Guilielmum Malmesbericnsem exstantibus, scripsit olim Sanctus Bonifacius, Francorum Apostolus, & Archiepiscopus Moguntinus: Fol. 28. *Quòd si gens Anglorum, spretis legitimis matrimoniis, per adulteria defluit, nascitura est ex tali commixtione gens ignava & Dei contemptrix, quæ perditis moribus Patriam pessumdet, sicut Burgundionibus, & Provincialibus, & Hispanis contigit, quos Saraceni multis annis infestarunt propter peccata præterita.* Et de Eduardo tertio, quoad cætera laudatissimo Anglorum Rege, scribit Thomas Monachus Walsinghamensis: *In hoc loco summè notandum est, quòd sicut in ejus primordiis cuncta grata & prospera successivè ipsum illustrem reddiderunt & inclitum, ita eo ad senilem ætatem vergente &* A. 1376. *ad occasum declinante, peccatis exigentibus, paulatim illa felicia decrescebant, & infortunia multa infausta & incommoda succrescebant, quæ minuerunt, proh dolor, ejus famam.* Nempè Alicia de Peres concubina ipsum adeò circumscripsit, ut sine Christi Domini Sacramentis sit defunctus. Hugonis Italiæ Regis ex concubinatu insanias & calamitates refert Luitprandus Diaconus Ticinensis. Et in jure Græco-Romano exstat L. 4. c. 6. insignis lex, qua Imperator Basilius Macedo durè damnat hanc fœditatem, & dat causam: *Id parum vel nihil à scortatione differre puta-* Fol. 87. *mus.* Plurima sunt ejusmodi exempla. Et qui nescit proprium corpus regere, quomodo regat Dei populum? Flagitium Nicolaus Pontifex meritò damnavit.

CANON XIII.

UT nullus Laicus ad quemlibet gradum Ecclesiasticum repentè promoveatur, nisi post mutatum habitum sæcularem diuturna conversatione inter Clericos fuerit comprobatus.

SCHOLION.

NEophytorum duæ sunt antiquæ species: Alii in Christianam fidem, alii in Clericalem militiam sunt noviter inserti ac inscripti. Priores ex Apostolico Canone Nicæna, posteriores ex antiquo Ecclesiæ more damnavit Synodus Sardicensis. Utraque agit in Arianos, qui ad stabiliendam suam factionem ambitiosos utriusque speciei Neophytos, Constantii Augusti præsertim Palatinos, Episcopalibus thronis intrudebant: Honoribus sibi obligabant quos veritate non poterant. Est virus frequenter damnatum in Ecclesia, frequenterque renatum. Est enim Neophytorum Hæresis, quam Magnus Gregorius laudatur expulisse è Gallia. Et huic loquendi modo innititur dubium, quod Urbano secundo Lib. 1. Ep. 4. Pontifici proposuit Goffredus Abbas Vindocinensis: *Pater benigne, nuper Canones relegens quandam sententiam inveni, quæ Paschali Papæ inscribitur, ubi Neophytum factum Episcopum vocat Hæreticum, & sicut Simoniacum, ita & Neophytum à Sancta Ecclesia debere separari docet & præcipit. Hæc autem sententia utrùm inter Canonicas recipi debeat, satis non video.* Regulæ sensum Goffredus reverà non percepit. Sancit enim illa omnem ex Neophyto Episcopum esse aut reverà Simoniacum, aut certè de Simonia graviſſimè suspectum, ideoque uti talem ab Ecclesia separandum. Quod præsertim obtinet in Neophytis Regia investitura aut nominatione promotis. Ejusmodi promotio plurimùm grassabatur sub Nicolao secundo, ideoque illam præsens Synodus proscribit. Sternit viam ad damnandam & investituram istam & nominationem. Non de solo Episcopatu, sed de quovis Ecclesiæ gradu statuit: Quòd è Laicis promoti Episcopi soleant sibi similes ad alias etiam Ecclesiæ dignitates exaltare.

DE-

DECRETUM DE SIMONIACIS.

DOminus Papa Nicolaus, Synodo in Basilica Constantiniana præsidens dixit: Erga Simoniacos nullam misericordiam in dignitate servanda habendam esse decernimus, sed juxta Canonum sanctiones, & Decreta sanctorum Patrum, eos omninò damnamus, ac deponendos esse, Apostolica auctoritate sancimus. De iis autem qui non per pecuniam, sed gratis sunt à Simoniacis ordinati, quia quæstio à longo tempore est diutius ventilata, omnem nodum dubietatis absolvimus, ita ut super hoc Capitulo neminem deinceps ambigere permittamus. Quia igitur usque adeò hæc venenata pernicies hactenùs inolevit, ut vix quælibet Ecclesia valeat reperiri, quæ hoc morbo non sit aliqua ex parte corrupta, eos qui usque modò gratis sunt à Simoniacis consecrati, non tam Censura justitiæ, quam misericordiæ intuitu in acceptis ordinibus manere permittimus; Nisi fortè alia culpa ex vita eorum contra Canones eis existat. Tanta quippè talium multitudo est, ut dum rigorem Canonici vigoris super eos servare non possumus, necesse sit, ut dispensatoriè ad piæ recondescensionis studium nostros animos ad præsens inclinemus. Ita tamen auctoritate sanctorum Apostolorum Petri & Pauli omnimodis interdicimus, ne aliquando aliquis Successorum nostrorum ex hac nostra permissione Regulam sibi vel alicui assumat vel præfigat. Quia hoc non auctoritas antiquorum Patrum jubendo aut concedendo promulgavit, sed temporis nimia necessitas permittendum à nobis extorsit. De cætero autem si quis hinc imposterum ab eo quem Simoniacum esse non dubitat, se consecrari permiserit, & consecrator & consecratus non dubitat, se consecrari permiserit, & consecrator & consecratus non disparem damnationis sententiam subeat, sed uterque depositus pœnitentiam agat, & privatus à propria dignitate persistat.

Nihilominùs auctoritate Apostolica decernimus, quod in aliis Conventibus nostris decrevimus, ut si quis pecunia, vel gratia humana, vel populari seu militari tumultu, sine concordi & Canonica electione ac benedictione Cardinalium Episcoporum, ac deindè sequentium ordinum Religiosorum Clericorum, fuerit Apostolicæ Sedi inthronizatus, non Papa, vel Apostolicus, sed Apostaticus habeatur, liceatque Cardinalibus Episcopis, cum Religiosis & Deum timentibus Clericis & Laicis, invasorem etiam cum anathemate, & humano auxilio & studio, à Sede Apostolica repellere, & quem dignum judicaverint, præponere. Quod si hoc intra urbem perficere nequiverint, nostra auctoritate Apostolica extra urbem congregati, in loco qui eis placuerit, eligant quem digniorem & utiliorem Apostolicæ Sedi perspexerint, concessa ei auctoritate regendi & disponendi res & utilitatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, secundùm quod ei melius videbitur juxta qualitatem temporis, quasi jam omninò inthronizatus sit.

SCHO-

SCHOLION.

POntifex distinguit triplicem vitiatæ per Simoniam ordinationis speciem, de qua & apud Gratianum scripsit ad omnes Episcopos: *Statuimus Decretum de Simoniacis tripartita Hæresi, id est, de Simoniacis simoniacè ordinatoribus vel ordinatis, & de Simoniacis simoniacè à non Simoniacis, & de Simoniacis non simoniacè à Simoniacis. Simoniaci simoniacè ordinati vel ordinatores secundùm Ecclesiasticos Canones à proprio gradu decidant. Simoniaci quoque simoniacè à non simoniacis ordinati similiter ab officio malè accepto removeantur. Simoniacos autem non simoniacè à Simoniacis ordinatos misericorditer per manus impositionem pro temporis necessitate in officio concedimus permanere.* Primæ ac secundæ speciei Simoniacos esse nec degradandos, nec dispensatoriè ad accepti ordinis executionem admittendos, constantissimè tunc tenuerunt plurimi Doctores & Episcopi: Ejusmodi Ordines docebant penitùs irritos, ideoque non dispensatione, sed sola iteratione reparandos. Idem multi censebant de tertia specie, & multos reordinarunt. Res visa tunc est adeò implexa, ut pro impetrando circa ipsam divino lumine generales toti Christianitati preces Romana Sancti Leonis noni Synodus indixerit. Duplex erat quæstio: An Simoniacè ordinati essent dispensationis gratia donandi, & quis esse deberet donationis modus? Solam tertiam speciem esse venia & gratia dignam censebant omnes, verùm nova ordinatione esse opus negabant alii, alii constanter affirmabant; Simoniacum Episcopum asseverabant Hæreticum, ideoque solum baptismum ab ipso validè dari. Et horum sententiam sequi videtur in laudatis litteris Nicolaus Pontifex, tertiam speciem indulgens reparari, verùm *per manus impositionem*. Dies diei eructat verbum. Hinc meliorà edoctus in præsenti Synodali Decreto nullam iterandæ ordinationis mentionem fecit, imò ipsam interdixit. Testatur hoc in Appendice ad opusculum Gratissimum Sanctus Petrus Damiani: *Tempore Nicolai venerabilis Papæ, rursus hæc quæstio mota est, ac diutius ventilata. Verùm post multos certaminum fluctus, post nutantium denique quæstionum perplexa ac sinuosa volumina, ad hunc tandem judicialis sententiæ limitem res expedita pervenit, ut hactenùs à Simoniacis gratuitò consecrati in adeptæ dignitatis honore persisterent, necdum verò promoti, ab illis ad ordinem provehi de cætero licentiam non haberent. Hac scilicet consideratione servata, ut nec pro severitate sententiæ totus simul Ecclesiasticus ordo corrueret, nec pro remissione clementiæ Simoniaca pestis in conferendis honorum gradibus vim roboris obtineret, dispensatorio quodam jure utrumque sit in præteritis ratum, de futuris sit omninò prohibitum.* Et in litteris ad Cives Florentinos: *Et hæc*, de validis Hæreticorum Sacramentis dogmata, *non noviter ex nostra temeritate decrevimus, sed ex sanctorum Catholicorum Patrum auctoritate jam Decreta firmamus. Quod in libello quoque, cui, Gratissimus, nomen indidimus, multis novi & veteris Testamenti testimoniis approbatur, sed condemnatis omninò Simoniacis, & indubitanter inter Hæreticos deputatis, sicut in præfato libro digessimus, licet eorum Sacramenta ex authentica Canonum possent sanctione defendi, ut eos tamen magis ac magis Synodalis Censura confunderet, constitutum est in Romano, sanctæ memoriæ Nicolao Præsidente, Concilio, ut quicumque per eos eatenus fuissent in cujuslibet Ecclesiastici gradus dignitate promoti, in percepti honoris Ministerio permanerent, ex tunc verò & deinceps quicumque se pateretur à Simoniaco provehi, nihil penitùs ex ea deberet promotione lucrari, & sic ministrandi jura deponeret, tamquam si hæc nullatenus percepisset. Hac itaque ratione jam non modò Simoniacos reprobamus, sed & per eos exhibita Sacramenta contemnimus.* Licet enim ipsa admittamus valida, ita tamen omni executionis spe exuimus, ac si nihil haberent valoris. Hanc suam sententiam asserit in hac Synodo fuisse firmatam.

1. q. 1. c. 107.

Lib. 8. Ep. 11.

Quatuor igitur Decreta sanxit præsens Synodus. Primò, primæ ac secundæ speciei Simoniacos, censuit omni gratia indignos, ideoque sine omni reparationis spe jussit manere perpetuò degradatos, aut potiùs nulliter ordinatos. Secundò, tertiæ speciei ob nimium ejus numerum, & summam legitimorum Clericorum inopiam fecit gratiam dispensationis: Ne videlicet totus Ecclesiasticus ordo corrueret, & omnes passim Ecclesiæ sine Ministerio desererentur. Se non legem condere, sed facere gratiam, operosè protestatur: Quòd scilicet huic clementiæ plures Episcopi se objecissent. Adeò difficilis erat tunc dispensatio. Tertiò, horum dispensatorum reordinationem vetat Synodus: Quòd nempè Simoniacis Episcopis abundaret tunc Ecclesia, & ab ipsis gratuitò ordinari nullus huc usque Canon apertè interdixisset. Quartò, ejusmodi deinceps ordinationes damnavit: Et uti palàm concubinarii Presbyteri Missam audiri, ità palàm Simoniaci Episcopi manibus & consecrationibus vetuit communicari: Ejusmodi ex tunc ordinandos omnis dispensationis & gratiæ indignos reddidit & incapaces. Et notanda sunt hæc laudati Petri verba: *Dispensatorio quodam jure utrumque sit in præteritis ratum, de futuris sit omninò prohibitum.* Exponit Urbani secundi Placentina Synodus: *Si qui à Simoniacis non simoniacè ordinati sunt, siquidem probare potuerint se, cùm ordinarentur, eos nescisse Simoniacos, & tum pro Catholicis habebantur in Ecclesia, talium ordinationes misericorditer sustinemus, si tamen laudabilis eos vita commendat. Qui verò scienter se à Simoniacis consecrari, imò execrari passi sunt, eorum consecrationem omninò irritam esse decernimus.* Hæc, inquam, nostra præsens Synodus, ac ex ipsa Sanctus Petrus Damiani, solos huc usque à palàm Simoniacis Episcopis non simoniacè ordinatos admittit ut validos, deinceps dandos ordines censet irritos & nullos. Inter toleratum ab Ecclesia, & præcisum seu damnatum Ministrum distinguit cum Sancto Augustino: licet uterque pravus sit, soli tamen posteriori divina lex vetat in Sacramentis communicari. Palàm Simoniacos, quos huc usque tolerarat Ecclesia, Episcopos jam abscindit & dam-

Cap. 34.

& damnat hæc Synodus, ideoque dandos ab ipsis deinceps ordines, nec non & præter Baptismum alia Sacramenta, licet disertè non exprimat, censet irrita & nulla. Ea enim Regula tunc passim vigebat. Et hinc ad talis ordinationis valorem, ut Simoniacus Episcopus pro Catholico haberetur in Ecclesia, requirit Synodus Placentina.

De Joannis Mincii Velitrensis Episcopi in Papatum intrusione scribit Leo Episcopus Hostiensis: *Intereà Gregorius Lateranensis, & Tusculanensis Comes, comperto Romani Pontificis obitu, sociato sibi Gerardo Gallesiensi, & Romanis Potentibus aliquot, noctu cum armatorum turbis Ecclesiam unà pervadunt, & Joannem Velitrensem Episcopum, Mincium posteà cognominatum, Papam constituunt, Benedicti illi imposito nomine. Quod cùm Petrus Damianus, vir valdè Religiosus, quem eo tempore Stephanus Papa ab Eremo extractum in Hostiensi Ecclesia Episcopum fecerat, comperisset, unà cum Cardinalibus restitere, ac reclamare cœpit atque anathematizare. Sed tamen hi omnes timore compulsi, per varia loca fugere. Ita à Satellitibus Sathanæ Hostiensis Ecclesiæ Archipresbyter, ut prædictum Mincium ad Apostolatus culmen proveheret, raptus ac violenter attractus est. Humbertus intereà Episcopus Florentia rèdiens unà cum Petro Tusculano Episcopo, nequaquam Romæ remorandum ratus, clam iter accipiens, Beneventum, ut ibi Pascha celebraret, properat.* Omnem turbidæ rei seriem latè exponit in litteris ad Henricum Ravennæ Archiepiscopum Sanctus Petrus Damiani. Ostendit varia fuisse istius intrusionis substantialia vitia. Primò, quòd paucorum factiosorum vota Joannes promissa pecunia emisset. Secundò, quod Simoniaca promissa sacrilegè solvisset ex Sancti Petri oblationibus. Tertiò, quòd populari ac militari violentia fuisset patrata electio. Quartò, quòd omnes Cardinales Episcopi constanter reclamassent & hæc omnia anathematizassent. Quintò, quòd non per se Hostiensem Episcopum juxta antiquam consuetudinem, sed per nescio quem suum vilem ac latinæ linguæ imperitum, atque à militibus ad id raptum & compulsum Presbyterum facta fuisset Electi inthronizatio. Sextò, quòd Stephanus decimus, ne ante Hildebrandi è Germania reditum, aut sine ejus consilio nova electio attentaretur, rigidissimo Synodali Decreto sanxisset, & aliter attentandam cassasset. Hinc reverso Hildebrando, Cardinales Episcopi, quòd Lateranensis & Gallesiensis Comites agerent armatas turbas, abjerunt ad Civitatem Senensem, illic elegerunt Gerardum Florentinum Episcopum, & vocaverunt Nicolaum secundum. Etenim tunc ex novis cum Beatrice Ducissa nuptiis Thuscia spectabat ad Godefridum Lotharingiæ Ducem, fratrem defuncti Stephani, ideoque & ejus Decretorum strenuum defensorem. Et quia Regius consensus Joanni Velitrensi adhuc deerat, ipsum Nicolao supplicarunt missa legatione, de qua Lambertus Schafnaburgensis: *Romani Principes satisfactionem ad Regem mittunt, se scilicet fidem, quam Patri dixissent, filio, quoad possent, servaturos, eoque animo vacanti Romanæ Ecclesiæ Pontificem usque ad id tempus non subrogasse, ejus magis super hoc exspectare sententiam, orantque sedulò, ut quem ipse velit transmittat, nihil ejus ordinationi obstare, si quis non per legitimæ ordinationis ostium, sed aliundè, ascendisset in ovile ovium. Rex habita cum Primoribus deliberatione Gerardum Florentinum Episcopum, in quem & Romanorum & Teutonicorum studia consenserant, Pontificem designat, Romamque per Godefridum Marchionem transmittit. Ita Benedicto, qui sine jussu Regis & Principum Sacerdotium usurpaverat, reprobato, Gerardus, qui & Nicolaus, Pontificatum obtinuit.* Nimia fuit ista Laicæ potestati submissio, verùm turbati temporis necessitas ita cogebat. Interim hic iterum vides defuncti fratris Decreto Godefridum Ducem insigniter favisse. Præsenti itaque Synodali Decreto Nicolaus suam electionem demonstrat Canonicam, & Joannis intrusionem exsufflat. Affirmat Electum istum fuisse non Apostolicum, sed Apostaticum, potuisse à quolibet refutari & anathematizari, eo in casu Cardinales Episcopos fuisse audiendos, electionem potuisse fieri extra urbem, & Electum ante factam in Lateranensi Basilica inthronizationem administrare. Et hæc omnia suæ electioni facta vult deinceps esse Regulam & legem.

Lib. 2. c. 102.

A. 1058.

CATHO-

CATHOLICA HÆRESIARCHÆ BERENGARII PROFESSIO.

EGo Berengarius, indignus Diaconus Ecclesiæ Sancti Mauritii Andegavensis, cognoscens veram & Apostolicam fidem, anathematizo omnem Hæresim, præcipuè eam de qua hactenùs infamatus sum. Quæ adstruere conatur panem & vinum, quæ in Altari ponuntur, post consecrationem solummodò Sacramentum, & non verum Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, nec posse sensualiter, nisi in solo Sacramento, manibus Sacerdotum tractari, vel frangi, vel fidelium dentibus atteri. Consentio autem sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Apostolicæ Sedi, & corde & ore profiteor de Sacramento Dominicæ mensæ eam fidem me tenere, quam Dominus & Venerabilis Papa Nicolaus, & hæc sancta Synodus auctoritate Evangelica & Apostolica tenendam mihi firmavit: Scilicet panem & vinum, quæ in Altari ponuntur, post Consecrationem, non solum Sacramentum, sed etiam verum Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, & sensualiter non solùm Sacramento, sed in veritate manibus Sacerdotum tractari, & frangi & fidelium dentibus atteri, jurans per sanctam & homousion Trinitatem, & per hæc Sacro-sancta Christi Evangelia. Eos verò, qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus, & sectatoribus suis, æterno anathemate dignos esse pronuntio. Quod si ego ipse aliquando aliquid contra hæc sentire, ac prædicare præsumpsero, subjaceam Canonum severitati. Lecto & perlecto spontè subscripsi.

SCHOLION.

PAlmarem hanc nostræ Synodi partem elucidat Henricus Knychtonus: *Gallicana Ecclesia turbatur plurimum per Berengarium Turonensem Archidiaconum, qui asserebat Eucharistiam in Altari non esse verum Christi Corpus, sed ejus signum. Contra quem Nicolaus Papa coegit Concilium centum & tredecim Episcoporum apud Vercellas in Italia. In quo Berengarius retractavit errorem suum.* Verùm non Turonensis, sed Andegavensis fuit ille Archidiaconus, & Romana fuit hæc Synodus: Vercellis habita fuit Sancti Leonis noni. Pergit in alio loco idem Historicus: *Berengarius fœdè Nicolaum Papam corrupit, verumtamen consilio quorumdam celebravit Concilium universale, ut omnes Prælati, omnes etiam Abbates cum viris litteratis convenirent, ut in aliquo possent Berengario resistere, & ejus error universaliter reprobaretur.* Addit cum Abbate suo Herluino adfuisse etiam Sanctum Lanfrancum, qui Beccense apud Normannos Cœnobium nuper ignotus intrarat, & ibi tamquam vacuus & nullius momenti homo latebat, tantaque eruditione pro periclitanti fide disputasse, ut ille convictus reposuerit; *Aut tu es Lanfrancus, aut tu es Diabolus.* Latentem quippè in Monasterio Lanfrancum existimarat esse defunctum. *Et in illum Hæreticum agere nemo Episcopus aut Abbas fuerat ausus, licet Papa fortè instistisset.* Verùm figmenta sunt hæc omnia. Nemo enim Nicolaum Pontificem de adeo prava titubatione umquam infamavit. Et quòd Sanctus Lanfrancus non tamquam vilis quispiam Monachus, sed tamquam vir doctus adfuerit Romanæ Sancti Leonis Synodo, & uti talis in Monasterio fuerit notus etiam ipsi Berengario, lucet ex ejus libro de Eucharistia, & ex ejus vita scripta per Milonem Crispinum. Quòd huic Synodo tamquam publicus Guilielmi Normandiæ Ducis Legatus adfuerit, infrà patebit. Rectiùs ergò apud Franciscum du Chesne scribit quoddam Francicæ historiæ antiquum fragmentum: *Berengarius à Nicolao Papa evocatus Romam petiit, ubi in præsentia ejusdem Papæ & multorum Episcoporum examinatus, suum confitens anathematizavit errorem, Joannem Scotum igni comburens, cujus lectione ad hanc nefariam fuerat devolutus Sectam.* Quòd non solius Joannis

Lib. 1. c. 12.

L. 2. c. 5.

annis Scoti, sed proprios etiam libros propriis illic manibus incenderit, affirmat Bertholdus Presbyter Constantiensis. Et Sanctus Lanfrancus. *Et cætera quidem tua, Berengari, Scripta à beatæ memoriæ Nicolao totius Christiani nominis Summo Pontifice, & à centum tredecim Episcopis Romæ audita, examinata, atque damnata sunt. Tu quoque inclinato corpore, sed non humiliato corde, ignem accendisti, librosque perversi dogmatis in medio Sancti Concilii in eum conjecisti, jurans per id quod rebus omnibus incomparabiliter majus est, fidem à Patribus, qui præsentes aderant, traditam inviolabiliter te servaturum, veteremque doctrinam tuam de Corpore & Sanguine Domini ab illa die altis non prædicaturum.* Et Sanctus Guitmundus Episcopus Aversanus: *Reversus aliquantò post ad vomitum suum Berengarius, agente sanctæ recordationis Nicolao Papa in generali Concilio Romæ iterum confutatur, atque eundem coram ipso venerabili Orbis terrarum Conventu in verba certa jurare, prædictasque insanias proprio ore abjurare, ac libellos suos, quos ad tuendas easdem blasphemias fecerat, propriis manibus concremare cogit.* Utique Pontifex Nicolaus.

A. 1056. 1069.

L. 3.

Pergit Sanctus Lanfrancus: *Sacrorum Canonum auctoritate instruimur, ut nemo ab Hæresi revertens, Ecclesiasticæ communionis particeps esse permittatur, quo ad usque perversum dogma vinculo anathematis damnare compellatur.* Ut scripto, & ad perpetuam memoriam in Ecclesiæ Archivis condendo, professionis libello fiat Hæreticorum abjuratio, est Canon Apostolicus, & perpetua consuetudo omnium Ecclesiarum. Et hinc de præsenti Berengarii professione addidit Sanctus Guitmundus: *In multis habetur Ecclesiis.* Et de scribendo dolosissimis mentalium restrictionum architectis Pelagianis libello instruit Nicetam Aquilejæ Metropolitam Sanctus Leo Magnus: *Nihil in verbis eorum absonum, nihil inveniatur ambiguum. Quoniam novimus hanc istorum esse versutiam, ut in quacumque particula dogmatis exsecrandi, quâ se à damnatorum societate discreverint, nihil sibi sensuum suorum existiment esse non salvum.* Eadem in arte excelluit Berengarius, ideoque & ipsius professionem esse lucidissimis, quæ posteà cavillari non posset, verbis circumscriptam jussit Pontifex Nicolaus. Et ad Innocentium scribit Magnus Basilius: *Hermogenes*, Cæsariensium in Cappadocia Archiepiscopus, *in magna illa Nicæna Synodo fidei istam formulam, maximi cùm momenti, tum roboris, conscripsit.* Suum enim de fide Decretum, adeoque & faciendam à redeuntibus Hæreticis professionem, doctissimo alicui Episcopo delegare conscribendam, conscriptamque omnium suffragio stabilire, nostræ semper Synodi consueverunt. Hinc etiam Berengarii professionem ex Nicolai Pontificis jussu composuit Humbertus Sylvæ candidæ Cardinalis Episcopus, de quo Sanctus Lanfrancus: *Humbertum virum fuisse religiosum, fide Christiana & sanctissimis operibus perseverantissimè decoratum, scientia Divinarum ac sæcularium litterarum apprimè eruditum, testantur omnes, qui vel propria experientia eum noverunt, vel ab aliis, qui ipsum experti sunt, ejus cognitionem acceperunt.*

Epist. 86. C. 2.

Epist. 319.

Hunc non de Burgundia, sed de Lotharingia Sanctus Leo nonus Pontifex *Romam traduxit, & ad prædicandum Siculis*, Græcorum Imperio & Schismati tunc adhærentibus, *Verbum Dei Archiepiscopum ordinavit. Posteà verò Sancta Romana Ecclesia Præsulem sibi Cardinalem constituit. Quo in loco positus taliter vixit, taliter docuit, ut de fide vel doctrina ejus nec saltem sinistræ suspicionis fama aliquando exorta sit. Hujus rei testis est tuæ ferè Latinitas, quæ pro excellentia Apostolicæ Sedis, cujus Conciliis & consiliis semper aderat & præerat, eum ignorare non potuit.* Loquitur adversùs Berengarium, qui in sordes suas relapsus, ipsum per contumeliam passim appellabat Burgundum. Fuisse Mediani propè Tullum Monasterii Abbatem Benedictinum, indè extractum à Sancto Leone nono, factum Cardinalem Episcopum & fixum Romæ *ad vices suas supplendas*, testatur etiam Richerius Monachus in Chronico Cœnobii Senonienſis. Ejus item Apostolicam legationem ad Constantinum Monomachum Imperatorem, & generosa Constantinopoli Acta adversùs Michaelem Cerularium Patriarcham nequissimum, nullus rei Christianæ peritus ignorat.

L. 2. 18.

Pergit ad Berengarium Lanfrancus: *Cùm venisses Romam, fretus iis, qui plus impensis à te beneficiis, quàm ratione à te audita opem tibi promiserant, non ausus defensare quod anteà senseras, postulasti Nicolaum Pontificem, ejusque Concilium, quatenus fidem, quam teneri oporteret, verbis tibi traderet, scriptura firmaret. Injuncta est hujus rei cura Humberto Episcopo. Itaque verba fidei scripsit, recitavit, assensu omnium ad legendum & confitendum tibi tradidit. Tu verò acquiescens accepisti, legisti, confessus es, te ità credere jure jurando confirmasti, tandem propria manu subscripsisti. Nicolaus Papa gaudens de conversione tua, jusjurandum tuum scriptum misit per urbes Italiæ, Galliæ, Germaniæ, & ad quæcumque loca fama tuæ pravitatis anteà potuit pervenire: Ut sicut Ecclesiæ scandalizatæ priùs dolebant de te aversо atque adversо, ità posteà gauderent, gratiasque Deo agerent de reversо atque conversо.* Et infrà: *Venerabilis Humbertus, quem exprobrando Burgundum vominas, quasi non posset Deus in Burgundia habere servos suos, nihil aliud fecit, nisi quòd scripturam ipsam, præcipiente Synodo, manu in manum tibi porrexit.* Et iterùm: *Nicolaus Papa comperiens te docere panem & vinum Altaris post consecrationem sine materiali mutatione in pristinis essentiis remanere, concessa tibi respondendi licentia, cùm non auderes pro tuæ partis defensione aliquid respondere, pietate motus præcepit ad preces tuas tradi scripturam tibi, quam superiùs posui. Rectissimè quidem & id ipse præcepit, & Synodus assensit, & tu executus es, si non labio doloso in corde & ore locutus fuisses.* Adeò igitur pro suis erroribus non disputavit, nec omnes, præter Lanfrancum Monachum, Doctores & Episcopos in periculum adduxit Berengarius, ut ausus non fuerit vel mutire. Adeò ineptas fabulas vendit Henricus Kneycthonus.

Hisce de causis statim post Synodum, & suum in Gallias reditum relapsus, aut potiùs à mendaci sua abjuratione ad apertam Hæresis profes-

fessionem reversus Berengarius, Cardinalem Humbertum verbo & scripto hostilissimè infectari cœpit, & suæ professioni impartire hoc elogium: *Scriptum Humberti Burgundi, quem fecerant Romæ Episcopum Cardinalem, quod scripsit contra Catholicam veritatem, ut cogeretur ex illo Berengarius quasi profiteri errorem ineptissimi Burgundi.* Burgundum fuisse dixit *in errore & vecordia vulgi*: Hæreticæ suæ maledicentiæ plena evomuit plaustra. Hinc pergit denuò in ipsum Lanfrancus: *O infelix anima! do Hæresi ad perjurium priùs transisti, nunc iterum de perjurio ad Hæresim remeasti. Propterea traditus in reprobum sensum, Sanctam Romanam Ecclesiam vocas Ecclesiam malignantium, Concilium vanitatis, sedem Sathanæ. Et hoc impio ore garrivisti quod garrivisse nemo legitur: Non Hæreticus, non Schismaticus, non falsus aliquis Christianus. Quotquot enim à primordio Christianæ Ecclesiæ Christiani nominis dignitate gloriati sunt, etsi aliquo relicto veritatis tramite per devia erroris incedere maluerint, Sedem tamen Sancti Petri Apostoli magnificè honorarunt, nullamque adversùs eam hujusmodi blasphemiam vel dicere vel scribere præsumpserunt. Quod indubitatum habet, qui eorum Scripta legit, quæ diversis temporibus, ac diversis de causis Sedes Apostolica ab eis transmissa, vel correcta recepit.* Ab hoc igitur Magistro Martinus Lutherus & Joannes Calvinus uti Sacramentarios errores, ita etiam Apostolicæ Sedis blasphemandæ audaciam didicerunt.

Professionis suæ verba, quæ Domini Corpus *sensualiter* in Eucharistia affirmant, *non solùm Sacramento, sed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri*, præsertim est infectatus. *Quis*, inquit in suo adversùs illam libro, *aut ratione concipiat, aut per miraculum fieri posse concedat, panem frangi in Christi Corpore, quod post resurrectionem tota viget incorruptibilitate, & usque ad tempora restitutionis omnium, cœlo manet indevocabile?* Christi Corpus sub panis speciebus vult non posse frangi, ideoque hunc in istud non posse converti. Professionem arguit etiam contradictionis, de quo Lanfrancus: *Arguentibus te amicis ac necessariis tuis, quod aut non servanda jurare non debueris, aut jurata servare, infamare soles Nicolaum Pontificem, reliquosque Patres Concilii Romani, videlicet quòd docentes ac scribentes contraria, tui fuerint causa perjurii.* Contradictionis causas audiamus ab ipso Berengario: *Qui dicit, Panis & vinum Altaris solummodò sunt Sacramenta, vel panis & vinum Altaris sunt solummdò verum Corpus Christi & Sanguis, modis omnibus panem & vinum superesse constituit.* Professionem suam arguit de duobus. Primò, quòd veram Christi carnem dicat non solum Sacramentaliter, sed sensualiter tangi, frangi & dentibus atteri, adeoque cadat in Hæresim Stercoraniſtarum. Secundò, quòd panem & vinum asserat non esse Sacramentum, sed solùm Domini verum Corpus, adeoque elementa hæc, quæ assiduè dicit destrui, jam affirmet remanere, atque ita palàm sibi contradicat.

Respondit verò Sanctus Lanfrancus: *Nihil horum Romana Synodus credendum esse decrevit, nec Humbertus Episcopus ad confitendum vel jurandum horum aliquid tibi tradidit. Prior quidem sententia, per quam dicitur, Panis & vinum Altaris solummodò Sacramenta sunt, tua est, tuorumque sequacium; posterior verò quæ enuntiat, Panis & vinum Altaris solummodò sunt verum Christi Corpus & Sanguis, nullius hominum est.* Hic est enim Stercoraniſtarum error, quem adinstar prædestinatianæ hæreseos probabile est numquam in rei veritate fuisse, sed in sola quorumdam suos malè intellectos fratres accusantium phantasia. Quidquid sit, Eucharistiam esse quidem subſtantiale ac verum, attamen non solum ac nudum, sed remanentium sine subjecto accidentium veste tectum & velatum Domini corpus, omnes semper Ecclesiæ crediderunt. Avitam Christianorum fidem insigniter exponit in occidentalis Ecclesiæ Historia Jacobus Cardinalis de Vitriaco: *Respondemus Hæreticis*, utique Albigensibus, *quòd postquam facta est transubstantiatio, formæ panis & vini remanent contra consuetum naturæ cursum sine subjecto. Non enim sunt in Christi Corpore, neque in aere, tamquam in subjecto, sed Christi Corpori assistunt, & circumfunduntur aere. Cùm enim Christi Corpus glorificatum oculis mortalibus non sit visibile, vel manibus tractabile, non nisi sub formis sensibilibus posset percipi. Videtur igitur ibi vera albedo, & sapor in veritate sentitur, quia nihil ibi phantasticè agitur; Non tamen album videtur vel tangitur, dividitur & frangitur.* Dicens accidentia non esse in aere aut Domini Corpore, Petrum Abaelardum; affirmans nihil agi phantasticè, sed vera sentiri accidentia, damnat errorem Cartheſianum.

C. ult.

Verba hæc, *Domini Corpus frangitur & dentibus atteritur*, fateor sonare aliquid duriusculum. Ità exegit Berengarii pertinacia, de qua laudatus Cardinalis: *Si aliquando reperitur, quòd Christi Corpus frangitur, vel in tres partes dividitur, vel dentibus atteritur, prædicta verba, & alia quæ notant corruptionem, non ad corporis subſtantiam incorruptibilem & impassibilem referenda sunt, sed ad formam remanentis accidentis. Ea verò quæ notant sumptionem, Corpori Christi propriè conveniunt: Ut, Corpus Christi sumitur, recipitur, comeditur. Quòd autem reperitur Berengarius dixisse coram Papa Nicolao Corpus Christi manibus Sacerdotum tractari, frangi, & dentibus atteri, referendum est ad formam. Quia verò de hæresi suspectus habebatur, hæc verba protulit ad majorem expressionem. Cùm dicitur, Manducate ex hoc omnes, verbum refertur ad carnem, præpositio verò quæ divisionem significat, refertur ad formam, ac si dicatur: Comedite Corpus integrum sub forma divisa.* Et in opere de Eucharistiæ Mysteriis Innocentius tertius: *Dicamus ergò, quòd forma panis frangitur & atteritur, sed Corpus Christi sumitur & comeditur. Ea quæ notant corruptionem referentes ad formam panis; ea verò quæ notant acceptionem, ad Corpus Christi. Berengarius quippè, quia habebatur suspectus de hæresi, & ne remaneret anguis sub herba, ad majorem expressionem coram Nicolao Papa & multis Præsulibus est confessus panem & vinum, quæ in Alta-*

ri ponuntur, post consecrationem non solùm Sacramentum, sed etiam verum Corpus & Sanguinem Christi esse, & sensualiter non solùm Sacramentum, sed etiam veritate manibus Sacerdotum tractari & frangi, & fidelium dentibus atteri. Et hunc loquendi modum confirmat auctoritate Sancti Augustini. Quin & ipsum Domini Corpus à nobis in Eucharistia tangi nostris manibus, atterique seu pressiùs tangi affirmat unus ex hujus Synodi Patribus Sanctus Guitmundus. Loquitur cum Mystagogia Sancti Germani Patriarchæ Constantinopolitani: *Dominus conspicitur, & tangi se patitur per tremenda & Sacra Mysteria.* Quæ verba Liturgicæ suæ expositioni inseruit etiam Nicolaus Cabasilas. Nullam videmus aut tangimus corpoream substantiam, sed sola ipsi infixa accidentia, & horum causa dicimus ipsam sentire. Ità & Dominum in Eucharistia sentire dicimur causa accidentalium velamentorum: Quo modo Græci præsertim frequenter loquuntur.

L. 4. c. 10.

C. 27. 28.

Acta circa Matrimonium Guilielmi Normandiæ Ducis cum Mathilde Flandrensi.

HAc item in Synodo admissum tandem, dispensatum ac ratificatum fuit attentatum à Guilielmo Normandiæ Duce & Mathildi Flandrensi matrimonium, de quo Chronicon Beccensis Monasterii: *Lanfrancus*, tunc adhuc laudati Cœnobii sub Beato Herluino Abbate Monachus, *locutus est cum Papa Nicolao, & ostendit quòd ejus sententia, videlicet interdictum, eos tantùm gravabat, qui eos nec conjunxerant, nec separare poterant. Nam Dux puellam, quam acceperat, nullo pacto dimittere volebat. Hoc autem audiens, & verum esse advertens Summus Pontifex, dispensatione habita conjugium concessit. Eo tamen modo, quatenus Dux & uxor ejus duo Monasteria construerent, in quibus singulas congregationes virorum ac mulierum coadunarent, quæ ibi sub norma Sanctæ Religionis die noctuque Deo deservirent, & pro salute eorum supplicarent. Et paruit Dux Apostolicæ dispensationi. Et ædificaverunt duo Monasteria in prædio, quod antiquitus Cadomum nuncupabatur. Dux unum Monachorum in honorem Sancti Stephani, & uxor ejus alterum Sanctimonialium in honorem Sanctæ Trinitatis.* Quod ipsum iisdem verbis scribit in Sancti Lanfranci vita Milo Crispinus. Et ex ipsis lucet à Leone nono injectum Normandiæ interdictum Ecclesiasticum usque huc perseverasse.

Et hæc quidem est prima matrimonialis impedimenti dispensatio, quam scio datam in Latina Ecclesia. Longè difficilior ad quarti inter Othonem quartum Imperatorem & Philippi defuncti Imperatoris filiam sanguinis gradum dispensandum fuit Innocentius tertius. Esse dixit contra Ecclesiæ consuetudinem, ex nulla causa infringendam. Verùm longe intestini belli calamitate lassum & fractum Imperium videbatur alia via non pacandum. Hinc cum Cluniacensibus & Cistertiensibus omnis Monasticus ordo hocce Canonis vulnus accepit in suam animam, spondens magnis orationum & pœnitentiæ lamentis exorare apud Divinam Majestatem, & compensare. Sic tandem inflexus fuit Pontifex, addens ut Otho omnibus Ecclesiis plenam libertatem redderet & custodiret, proficisceretur ad sacrum Bellum, & adstrictum ad perpetuas pro læsæ disciplinæ indulgentia preces Monasterium ædificaret. Rei seriem latè exponit Otho de Sancto Blasio, & in Sclavorum Chronico Arnoldus Abbas Lubecensis. Nec mireris adeò difficilem ac morosum Pontificem. Etenim de dispensato ad similem gratiam Joanne Anglorum Rege scribit Radulphus de Diceto: *Celebratum est divortium inter Joannem Angliæ Regem, & filiam Comitis Cloceſtriæ, in Normandia ab Episcopis Lisorienſi, Bajocensi, & Abrincensi, & aliis Episcopis qui interfuerant, quam ipse tempore patris, permissione Romanæ Ecclesiæ, duxerat in uxorem cum Comitatibus de Cloceſtria, de Sumersatum, & aliis quàm plurimis per Angliam honoribus; sed ille sublimioris thori spe raptatus consilio pravorum, eam abegit. Undè magnam Summi Pontificis, scilicet Innocentii tertii, & totius Romanæ Curiæ indignationem incurrit, præsumens temerè contra leges & Canones dissolvere, quod eorum fuerat auctoritate colligatum.* Etiam Antonii Brabantiæ Ducis filium & Jacobam Guilielmi Bavari filiam, secundo sanguinis gradu junctos, dispensavit posteà Martinus quintus. Verùm quanta & qualia scandala & bella hinc processerint, videri possit apud Magnum Belgii Chronicon. Et quis nesciat miserabile naufragium, quod ex Apostolica inter Henricum octavum Angliæ Regem & Catharinam Aragoniam dispensatione quidam iniquitatis filii sunt operati, & quod usque hodiè deploramus, & reparare non possumus? Ob debitam sacris Canonibus observantiam, nec non ob memorata è versatili Procerum præsertim ac Magnatum ingenio pericula Mater Ecclesia olim fuit morosissima ad impedimenta hæc dispensanda. Omnem huic gratiæ portam claudere moderna tempora vix patiantur. Optimè interim sanxit Sacro-sancta Tridentina Synodus in secundo gradu deinceps non dispensandum, nisi inter magnos Principes, & ex publica causa. Videndus est Franciscus à Victoria in erudito opusculo de potestate Papæ & Concilii.

Et quidem Tridentina reformatio loquitur de simpliciter secundo gradu, ideoque ex primo & secundo mixtum videtur non comprehendere. Et jure merito. Fateor hujusmodi matrimonia naturali juri non esse penitus adversa. Etenim fidei nostræ Pater Abraham duxit ex fratre neptem Saram, & ex ipsa suscepit benedictionem omnium gentium. Verùm ratio temporis ità tunc exegit. Gentiles Romani adeò fuerunt aversati istiusmodi nuptias, ut de ipsis scribat Svetonius Tranquillus: *Claudius Cæsar illecebris Agrippinæ, Germanici fratris sui filiæ, per jus osculi & blanditiarum occasiones pellectus in amorem subornavit proximo Senatu, qui censeret cogendum se ad ducendam eam uxorem, quasi Reipublicæ maximè interesset, dandamque cæteris veniam talium conjugiorum, quæ ad id tempus incesta habebantur. At vix uno interposito die confecit nuptias, non repertis qui sequerentur exemplum, excepto libertino quodam, & altero Primipilari, cujus officium nuptiarum & ipse cum Agrippina celebravit.* Et in Annalium libris Cornelius Tacitus: *Patrum inter Claudium & Agrippinam matrimonium, jam fama, jam amore illicito firmabatur, necdum celebrare solemnia nuptiarum audebant, nullo exemplo deductæ in domum patrui, fratris filiæ.* Quomodo adulator Vitellius Senatum ad edendam legem circumscripserit, latè exponit idem auctor, ac pergit: *Neque tamen repertus est nisi unus talis matrimonii cupitor, Alledius Severus Eques Romanus, quem plerique Agrippinæ gratia impulsum ferebant.* Et in libro de Germanorum moribus scribit: *Sororum filiis idem apud avunculum, qui apud patrem honor. Quidam sanctiorem, arctioremque hunc nexum sanguinis arbitrantur, & in accipiendis obsidibus magis exigunt, tamquam iis & animum firmiùs & domum latiùs teneant.* Matrimonia ista ad Barbaros proscribit, & de Barbarie damnat in libris adversùs Jovinianum Sanctus Hieronymus: *Persæ, Medi, Indi, Æthiopes, cum matribus & aviis, cum filiabus & neptibus copulantur.* Quod ipsum in Tyriis notat Justinus. Et hinc tertius Nicænus Canon, Agapetas à Clericis vetans subintroduci, non solùm matrem excepit ac sororem, sed etiam amitam, & alias ab omni suspicione liberas personas: Ubi neptes intelligi rectè affirmat in Sancti Augustini vita Sanctus Possidonius. Unde primus inter Christianos ausus neptem ducere fuit Imperator Heraclius, de quo scribit in Breviario Sanctus Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus: *Heraclius in tanta publicarum rerum difficultate & varietate, nihilo meliùs privatis consuluit. Quippè facinus ingens contra jus omne ac Romanorum leges aggressus, Mariæ sororis filiam Martinam sibi matrimonio conjunxit, Martino patre natam, cui Maria ante Eutropium nupserat. Ex hac liberis duobus susceptis, alteri Flavio, alteri Theodosio nomen imposuit. Sed tam nefandum scelus Divina Justitia persequitur. Horum enim liberorum seniori collum ita dissolutum est, ut aliò torqueri non posset. Junior erepto audiendi sensu penitùs obsurduit. At turpes illas & inhonestas nuptias Prasina potissimùm factio per Circenses ludos agitabat, approbantibus contra & faventibus aliis. Sergius porrò Constantinopolitanus Patriarcha litteris suis vehementiùs instabat, ut illam cum muliere societatem abjiceret. Ad hæc Imperator ità respondit: Rectè tu quidem omninò dicis. Quod enim & Patriarcham & amicum decet, quoddam veluti debitum reddidisti. Sed nostri erit arbitrii factis ipsis præstare quod jubes. Per idem tempus Ecclesiarum thesauri distracti sunt, & tributi nomine in Barbaros divisi.* Divina in hocce matrimonium vindicta Heraclium ex felicissimo ac glorioſissimo reddidit infelicissimum, circumscripsit in hæresim Monotheliticam, ac forsan in damnationem æternam. Quæ omnia confirmant, & insuper alias ipsius temporales pœnas producunt Martyr Theophanes, in Ecclesiastica historia Anastasius Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, ac alii Orientalium rerum Scriptores. Dixi istiusmodi matrimonium à nullo Christiano ante Heraclium fuisse attentatum: Etenim Orientale Alexandrinorum Patriarcharum Chronicon, etiam Demetrium Patriarcham nepti conjugatum affirmans, est infirmæ fidei. Est enim recentius scriptum, & de re antiquissima dicit sententiam sine teste. Et pro Claudio Imperatore & Agrippina Senatus-consultum Gentiles Romani numquam admiserunt, longè minùs Christiani. Et quidquid sit de isto Chronico, Demetrius non consuetum, sed servandæ castitatis pacto vestitum conjugium dicitur cum nepte iniisse. Quod forsan possit esse permissum.

L. 5. c. 26.

L. 12. c. 5. 6.

L. 8. c. 19.

C. 7.

C. 20.

L. 2. c. 6.

C. 26.

A. 616.

A. 1199.

Nec tantùm in hoc, sed in quovis impedimento dispensando Græci semper fuerunt difficillimi: Imò olim nunquam dispensarunt. Nec ob Augustum Principem judicarunt Canones lædendos. Insigniter hoc lucet ex Nicephori Phocæ Imperatoris cum Theophanone Antecessoris: sui vidua conjugio, de quo Georgius Cedrenus: *Peractis nuptiis in novo ad Palatium templo, cùm in sanctuarium esset intrandum, Nicephorum manu tenens Polyeuctus Patriarcha, ut ad sacros Cancellos ventum est, ipse in Adytum introiit, & Imperatorem repellit, aitque non intromissum iri, priusquam pœnas pro secundis nuptiis luisset. Molestum hoc fuit Nicephoro, & ad finem usque vitæ Polyeucto succensuit. Edebatur etiam passim rumor, qui non exiguas in Ecclesia turbas dedit, unum liberorum Theophanonis fuisse à Nicephoro è Sacro Baptismate susceptum. Eum, ut speciosam ansam, arripiens Polyeuctus, Imperatorem aut repudiare uxorem juxta Sacræ constitutionis præscriptum debere contendebat, aut Ecclesia abstinere. Atque hoc posterius fecit Nicephorus, uxori deditus. Et convocatis qui in urbe tum peregrini erant Episcopis ac delectis Senatoribus, rem eis deliberandam proposuit. Hi omnes constitutionem eam Copronymi esse, eaque Imperatorem non teneri pronunciaverunt, libellumque abjurationis subscriptum à se ipsi dederant. Nihilominus tamen tergiversante Patriarcha, & res sacras cum Imperatore communes habere recusante, Cæsar fidem fecit Nicephorum non fuisse susceptorem. Sed & Stylianus magni Patritii Protopapa, à quo emanasse iste rumor ferebatur, coram Concilio & Senatu juravit, se neque vidisse, neque cuiquam dixisse, quòd Nicephorus esset factus susceptor. Polyeuctus ergo, tametsi pejerare Stylianum certò sciret, crimen compaternitatis omisit.* Adeò dispensationem istam desperavit Nicephorus, ut adversùs damnatricem ejus, tamquam à damnato Principe latam, ideoque irritam legem proclamaverit: Et quidem frustrà. Evadere non potuit, nisi per perjuria eversо impedimento. Adeò illic in ipsum etiam Imperatorem Sacræ Regulæ vigebant. Nicolaus secundus favore atque opera Godefridi Lotharingiæ Ducis, ac in ipsius terra fuerat in Papam electus & promotus. Et agebatur hic de Mathildi

Fol. 649.

filia Balduini Insulani Flandrensis Comitis, qui Godefridi partes adversùs Henricum tertium Imperatorem acerrimè egerat. Hæc omnia ad facilitandam gratiam crediderim cooperata.

Matrimonium interim infeliciter successit. Licet enim Guilielmus Dux in Anglorum Regem posteà profecerit, infelicissimos tamen protulit filios ac nepotes. Quis enim nesciat primogenitum Robertum rebellasse in Patrem, ideoque exhæredatum à Regno, & solo Normandiæ Ducatu jussum esse contentum, quin & ab omni Regno fuisse habitum pro spurio? Quod nempè ante dispensationem esset in parentum adversùs Apostolicam Sedem contumacia procreatus. Quis nesciat Guilielmi secundo-geniti impiam tyrannidem in Ecclesias, & mala vita dignam mortem? Quis nesciat Henrici tertiogeniti in fratrem Robertum crudelitates? Ipsum excæcari jussit, & clausit in perpetuo carcere. Quis ignoret infelix Stephani Regnum, & Henrici secundi in Sanctum Thomam Cantuariensem & Ecclesiasticam libertatem violentias? A. 1155. Successoris & filii Joannis facinora silentio sepelire est satius, quàm mundo notificare. Qualis omnis ista generatio fuerit, compendio videre possis apud Joannem Bromptonum. Omittere nolim quod de Roberto, cum Godefrido Lotharingiæ Duce & aliis Galliæ Proceribus in terram sanctam & sacrum Bellum profecto, scribit Henricus Cnyghtonus: *Robertus in terra sancta multa egregia gessit. Ita ubique mirabilis, ut numquam per Christianum aut Paganum de equo ejici potuerit. Denique cùm in Sabbatho Paschali apud Hierosolymam inter cæteros adstaret Christianos, exspectans ignem more solito de supernis in cereum alicujus descendere, cereus ejus Divinitùs accensus est, Undè & ab omnibus in Regem Hierosolymorum est electus. Sed auditâ morte* L. 2. c. 8. *fratris sui Regis Angliæ, Regnum Hierosolymitanum recusavit, non reverentiæ intuitu, sed aut laboris metu, aut Regni Anglicani cupidine. Qua de causa numquam postmodùm in bello fortunatus fuit.* Quod ipsum confirmat Matthæus Parisiensis, Henrici primi promotionem ac Roberti exclusionem referens, atque adjungens: *In hoc factо reddidit Deus vicem Roberto, quem cùm in actibus Hierosolymitanis gloriosum reddidisset, oblatum sibi respuit Regnum, magis eligens quieti* A. 1106. *& desidiæ in Normandia deservire, quàm Domino Regum omnium in sancta Civitate famulari.*

Caini refutatum, Abelis sacrificium fuisse à Divina Majestate acceptatum, habemus in Sacro Textu. Quòd ista acceptatio per missum è Cælo ignem & incensam ab isto hostiam fuerit facta, passim tradunt Hebraicarum traditionum compilatores. Et plura sunt istiusmodi acceptationis apud Sacras Litteras exempla. Nam & Sacerdotes Baal ad ipsam provocavit, & ex successu de victoria stipulatus fuit Elias Prophetа, & hac de re scribit in Homiliis ad Antiochenum populum Sanctus Joannes Chrysostomus: Hom. 69. *Attende, quæso, quod dicturus sum. Vidi enim ipse quod dicam. In Idolorum Altaribus foramina quædam sunt ex inferiori Altaris parte, & fovea quædam abscondita. Descendunt autem erroris Artifices in foveam illam, & ex foraminibus deorsum ignem sufflant desuper ad sacrificium conficiendum, ita ut multi decepti cœlestem esse ignem illum existiment. Ne igitur Elias in suspicionem veniret, quòd & ipse aliquid tale machinatus esset, aquam effudit, ut aqua illa ostenderet nulla esse infra Altare foramina. Ubi enim aqua foramen invenerit, illic non consistit, sed per foramen defluat necesse est.* Quapropter è cælo facta sacrificii incensio est Divinæ acceptationis firmum testimonium: Hinc ad ipsam etiam Idololatræ & Apostatæ semper adspirarunt. Et quia veritate non poterat, mendacio conatus est Diabolus peccatricem Adami stirpem in suam impietatem circumscribere & obdurare.

Novi testamenti sacrificium, licet incruentum sit & corporea incensione non indigeat, inter ritualia tamen sua vestimenta semper habuit lumen & ignem, cujus annuo miraculo Hierosolymitanam sacri sepulchri Ecclesiam solebat Divina olim Clementia honorare & consolari. Novum Paschalis festivitatis ignem solebat illuc de cælo mittere. Plurima id firmant authentica testimonia. Scribit enim magnum Belgii Chronicon ad primum duodecim sæculi annum: *Illo anno sanctus ignis in vigilia Paschæ tardavit usque ad mane Resurrectionis Dominicæ. Accensa autem Divinitus una lampade sepulchri Christi, mox per omnem Ecclesiam cæteræ lampades Divinitus accensæ sunt.* Rem latiùs exponit Guilielmus Malmesberiensis: *Illo anno, qui fuit Dominicæ Incarnationis millesimus centesimus primus, ignis sacratus, qui solebat vigiliam Paschæ illustrare, tardavit plus solito. Sabbatho enim lectis alternatim* L. 1. c. 4. *lectionibus Græcè & Latinè, repetitoque ter Kyrie eleison, & clara eorum melodia perstrepente, cùm necdum appareret ignis, etiam occiduus Sol vesperam urgeret, noctemque inveheret, ab omnibus cum mœrore in domos discessum. Placuerat enim perpenso consilio, ut illa nocte omni homine vacaret Sancti Sepulchri Ecclesia, ne aliquis cui ulcerosa squallebat conscientia, Deum magis irritaret ingerendi impudentia. Jamque diluculo sensim in lucem serpente, processio Latinorum ad templum Salomonis edicitur, ut ibi oraturi misericordiam Dei invitarent. Idem circa sepulchrum Domini faciebant Syri, vi doloris barbas & capillos vellicantes. Nec diu potuerunt pati Divina viscera, confestim igne in unam lampadem sepulchri immisso. Quem cùm advertisset Syrus per fenestram scintillantem, plausu manuum lætitiam præcedens cursum Patriarchæ acceleravit. Ille clavibus, quas gestabat, aditum ædiculæ sepulchralis aperiens, cœleste munus cereo accenso extulit, omnibus adhuc concurrentibus communicans. Mox per omnem Ecclesiam cæteræ Divinitus accensæ sunt lampades, mirum in modum illa, quæ proximè illuminanda esset, fumo præmisso vicinam accensionem docente. Sic nimirum Christi vetus artificium novit quos amat terrere ut mulceat,* & Fol. 147. *in materiam transeat laudis comminatio potestatis. Quia enim dona Dei usitata assiduitate ipsa vilescunt hominibus, plerumque assensum indulgentiæ suæ raritate commendat, ut ametur gratiùs quod desideratum fuerat ardentiùs.* Alio in loco exponit præcipuas Sanctæ Civitatis Basilicas, &

& pergit de Basilica Sancti Sepulchri: *Ibi decenti opere compacta Ecclesia Sancti Sepulchri, capax à Constantino Magno ædificata, nullam umquam ab inimicis fidei tulit injuriam, metu, sicut conjicio, pro igne cœlesti perculsis, qui quotannis in vigilia Paschæ lampadibus serenus infulget. Quod miraculum quando cœperit, vel si ante tempora Saracenorum fuerit, nullius historiæ cognitione discernitur. Legi ego in scripto Bernardi Monachi, quòd abhinc annis ducentis quinquaginta, id est, anno Incarnationis octingentesimo septuagesimo, idem Hierosolymam profectus ignem illum viderit, hospitatusque fuerit in Xenodochio, quod gloriosissimus Carolus Magnus construi jusserat.* Quòd Sancti Sepulchri Ecclesiam dicat à Saracenis nulla umquam affectam injuria, intelligendum est cum moderamine addito per Guilielmum Tyri Archiepiscopum scribentem de Hequen nequissimo & crudelissimo Ægyptiorum Saracenorum Calypha: *Hequen inter cætera, quæ pernicіosa plurima præceperat, Ecclesiam Dominicæ Resurrectionis, quæ per venerabilem virum Maximum, ejusdem loci Episcopum, præcipiente Domino Constantino Augusto ædificata fuerat, posteà per Reverendissimum Modestum tempore Domini Heraclii reparata, funditùs dejici mandavit. Cujus Præcepti Rescriptum quidam ejus Procurator, Præses videlicet Ramulensis, ad se directum suscipiens, prædicta Ecclesia usque ad solum diruta, jussionem Regiam effectui mancipavit. Præerat verò ea tempestate eidem Ecclesiæ vir Venerabilis Oreſtus nomine, ejusdem nequissimi Regis avunculus, matris ejusdem frater. Hoc autem ideò fecisse dicitur, ut suæ perfidiæ populis infidelibus daret argumentum. Objiciebatur enim ei Christianitatis titulus, eo quòd ex matre Christiana natus esset. Quam quasi crimen à se volens depellere, prædictum facinus ausus est perpetrare, nihil arbitratus superesse calumniæ, quod in ejus personam impingi posset, quodque ejus æmulis pateret ad morsum, ex quo Religionis fontem Christianæ, fidei Catholicæ cunabula dejecisset.* Ita fuisse dicit usque ad ejus juniorem filium & successorem Daher, qui à patre violata cum Romanis fœdera renovavit cum Imperatore Romano Argyro, atque ità fecit facultatem reædificandæ Basilicæ. Hodierna forma reædificatam narrat à Nicephoro Patriarcha, expensas verò subministratas à Romani Argyri successore Constantino Monomacho ad annum Domini millesimum quadragesimum octavum, quinquagesimum primum ante liberatam per Latinos urbem, trigesimum septimum post Basilicæ destructionem. Verum longè aliter Georgius Cedrenus. Quomodo Imperator Nicephorus Phocas magnam Antiochiam, & cum omni ferè Syria Ciliciam Christo Domino reddiderit, refert ac prosequitur: C. 6. *Saraceni amissis in Syria & Cilicia urbibus, Joannem Archiepiscopum Hierosolymæ vivum combusserunt, quòd suspicarentur ejus* Fol. 661. *instinctu Nicephorum ipsis bellum illaturum. Incenderunt etiam pulcherrimum templum Dominici Sepulchri. Eodem modo Antiocheni quoque Christo plerum suum Pontificem interfecerunt.* Pergit ad indictionem octavam sub Imperio Basilii & Constantini, seu ad annum Domini millesimum vigesimum quintum: *Ægypti Princeps Azizius ob levem causam, & offensas ne relatu quidem dignas, fœdere, quod ei cum Romanis erat rupto,* Fol. 706. *& templum Hierosolymis ad sepulchrum Christi sumptuosissimè conditum evertit, & religiosa perdidit Monasteria, & qui in iis piæ vitæ exercitationibus erant dediti, eos per omnes terras extorres egit.* Et infrà: *Vita turpiter defuncto Azizio Ægyptio, qui in Christianos sævierat, templumque Christo Hierosolymis dedicatum everterat, filius ejus natus ex quadam Romana, captiva ejus, instaurationem liberam fecit. Ad eam rem suos misit Imperator,* Fol. 731. *sed eo morte prævento, successor Michael ejus absolvit.* Imperator hic fuit Romanus Argyrus, & ejus successor Michael Paphlago, proximus Constantini Monomachi Antecessor. Itaque bis per Saracenos destructa, & bis à nobis reædificata fuit hæc Basilica. Mahometana superstitio est non tantùm ex cunctis Christianæ Religionis hæresibus, sed ex totius mundi erroribus emendicata farrago. Christi Domini nostri de Spiritu Sancto conceptum, & è Virgine nativitatem nobiscum credit & veneratur, verùm ejus nobis necessariam mortem, & scandalum crucis abnegat cum Manichæis & blasphemat. Hinc prima Saracenorum rabies semper fuit in Sacrosanctam Basilicam Dominici Sepulchri. Hinc ipsam mirifico cælestis ignis miraculo etiam honoravit Divina Clementia, & usque hodiè nobis custoditur.

Idem miraculum exponit in sacri Belli historia Fulcherius Carnutensis: *Consuetudo est, propter ignem Cælestem, qui ad Sepulchrum Dominicum in unoquoque anno descensibilis cælitus, nutu Divino, in lampadibus, in vigilia Paschæ solet accendi, ut quicumque intra Monasterium illud sanctissimum inesse possint, die illo toto ipsius vigiliæ, supplicationi & orationi vacantes, lumen illud à Deo mittendum devoti cuncti exspectent. Et cùm die illo Basilica illa Sanctissima de tanta gente plena existeret, horam circiter tertiam jussum est à Patriarchа officium Divinum à Canonicis incipi. Tunc lectiones lectæ sunt alternatim. Priùs Latinus Latinè, posteriùs verò Græcus Græcè identidem quod Latinus legerat in pulpito relegit. Officium quippè sic eis explentibus, ante horam pauliſper nonam cœpit unus de Græcis à parte una Monasterii, pro more prisco, voce altisona Kyrie eleison exclamare: Cui statim cuncti qui aderant, modo simili eundem cantum responderunt. Ego autem Fulcherius, qui numquam hujusmodi symphoniam audiveram, multique alii, tumultus huic laudifluo moderni, oculis sursum erectis, cordibus compuncti de terra surreximus, & lumen almum alicui in Ecclesia jam accendi speravimus. Sed cum sursum ac deorsum, hac & illac, humillimo corde intueremur, quia nondum venerat, non id vidimus. Cum autem vice trina Græco prædicto Kyrie eleison inchoante, cæteri omnes idem exclamando respondissent, siluerunt. Et continuò Canonici officium suum jam incæptum decantaverunt. Interim devoti exspectabamus ignem sanctum, quem horam circiter nonam advenire ritu solebat. Nec multò post, sicut primitus Kyrie eleison decantatum fuerat, sic vice secunda repetitum fuit, nescio quo tanto concitati, illam precem laudifluam græ-*

coni eam inchoanti voce celsa omnes respondimus. Et cùm ignem optatum plerique tunc venisse speraremus, cùm non venisset, silentio requievimus, Clerici autem lectiones & tractus diurnos cecinerunt. Cum verò hora nona jam transisset, vice trina voce sublimi Kyrie eleison repetitum est. Tunc Patriarcha nostèr sumptis claviculis reseravit ostiolum Dominici sepulchri, & introgressus, cùm lumen quod desiderabamus non inveniret, mox ante ipsum Sacro-sanctum Sepulchrum supplex ad orandum, flendo se prostravit, poscens omnipotentis Domini misericordiam, ut ignem olim consuetum, à populo suo supplicante tam desideratum, immittere dignaretur. Nos quoque cuncti Kyrie eleison altè concrepantes, Domino supplicabamus, exspectantes quod Patriarcha, dicto sepulchro regrediens, lumen, ut sperabamus, inventum, à Domino missum, nobis omnibus manifestaret. Sed cum illic diu preces suas plorando fudisset, & quod poscebat non impetrasset, tristissimus ad nos inde exiens, ignem non invenisse monstravit. Quo comperto, perterriti & contristati valdè sumus. Jam ego ipse cum quodam Patriarchæ Capellano in locum, qui dicitur Calvariæ, ascenderam, scrutans utrum illuc, ut interdum solebat, ignis ipse venisset. Sed nec huc nec illuc tunc venit. Iterum autem Kyrie eleison iterum repetitum, alternantibus modis, devotissimè ad Deum jubilare altiùs solito cæpimus. O quantus erat clamor ad Dominum, quanta suspiria, quantus luctus! Plorando quippè Kyrie eleison cuncti cantabamus, quòd cantando misericordiam Domini exorabamus: Exorantes autem quod quærebamus impetrare tunc nequivimus. Jam advesperascebat, jam dies inclinabat. Et cùm speraremus quòd propter peccata nostra hoc contingeret, quod in annis præteritis numquam evenerat, meditatus est unusquisque in corde suo emendare quod contra Deum deliquerat. Quapropter quidam discordes, qui Monasterio inerant, Patriarcha reconciliante concordes facti sunt. Oportebat enim ut pax, sine qua Deo nihil placet, nobiscum esset: Ut invicem placati, & pro ejus amore emendatis, libentiùs supplicationi nostræ intenderet. Et cùm adhuc post hæc preces nostras non exaudisset, cogitavimus intra nos, & plerique prudentiores dicere cæperunt, quòd forsitan disponente Dei providentia numquam ampliùs ignis, ut solitus erat quondam, veniret: Quoniam necesse erat in annis præteritis, cùm ibi Christiani, Græci videlicet & Syri, pauciſsimi incolæ essent, ut ignis ille, sicut consueverat, unoquoque anno veniret. Quia si in uno anno deficeret, protinus à Paganis hoc explorantibus & inquirentibus omnes decollarentur. Nunc autem quia hic, opitulante Deo, omninò securi sumus, si non veniat, mori non timemus. Nos etiam, ac si successores ipsius ignis, si dicere fas est, hic sumus qui Christianos illos, quos hic invenimus, & nosmetipsos cum illis, Deo juvante, à gente Pagana protegimus. Quòd nisi Deus eos visibiliter sic consolaretur, nullum ex eis vivum invenissemus. Quæ ergò necessitas nos cogeret, ut ignis veniat? Hæc verba, & iis æquipollentia, sapientiores Clerici minùs sapientibus demonstrabant, ignorantes quæ Deus facturus esset. Erat tamen aliquod solatium, quod eos jam valdè desolatos consolaretur. Accepto igitur consilio, jam imminente nocte, præcepit omnibus Patriarcha, ut de Monasterio exeuntes ad domos vel hospitia sua abirent. Ut locus Sacro-sanctus tota nocte à cunctis vacuus remaneret, neque quid noxiæ spurcitiæ fortè in aliquo homine, vel in fœmina lateat, quod voluntati Dei vel ejus habitationi displiceat. Sic præceptum est, & sic factum. Ecclesia nocte illa remansit vacua, in qua nec lampas nec candela lumine accenso splenduerunt. Manè autem, cum dies Sancti Paschæ clarescere cæpisset, ad sancti Sepulchri Ecclesiam undique convenerunt, misericordiam Domini adhuc exspectantes. Et cùm tunc ad Sepulchrum Domini Patriarcha ingressus fuisset, quærens an ignis adhuc inesset, cùm non invenisset, regrediens doluit. Sed tunc ipse cum cæteris assistentibus motus statim sermone illo Evangelico, quo Dominus dixit, Petite & accipietis, pulsate & aperietur vobis, adhuc cessare noluerunt, quin iterum Dominum hoc insinuantem, & non mentientem, prece multifaria pulsarent: Ut forsitan quasi propter improbitatem clamoris eorum excitatus, aures suæ pietatis ad eos inclinaret. Fecerunt quidem tunc processionem Clerus & major pars populi, Rex & Proceres sui, pedibus nudis ad templum Dominicum. Et ubi, scilicet in templo, Regi Salomoni Dominus Deus promisit se exauditurum, orationes suas fuderunt ad Dominum, ut misericors misericorditer ignem illum immittere dignaretur, pro quo tot homines tanto dolore affligebantur. Dum autem in templo illo Dominico gens nostra sic oraret, in Monasterio sanctissimi Sepulchri similiter Græci ac Syri, qui ibi remanserant, non minùs idem Sepulchrum cum processione sua circumgyrantes orationi vacabant, qui præ nimio dolore genas suas & capillos ululando decerpebant. Cùm ergo populus noster, oratione sua in templo expleta, ad Ecclesiam sanctissimi Sepulchri redisset, antequam junuas introisset, nuntiatum est Patriarchæ & cæteris ignem desideratissimum jam in lampade una ante ipsum Sepulchrum Cœlitus gratia Dei accensum fuisse: Quem propiùs adstantes per fenestras quasdam rutilare jam viderant. Quod cùm Patriarcha audisset, quantò citiùs potuit, illuc lætus properavit: Et cùm de claviculis, quas in manu sua gestabat, ostium Sepulchri reseraſſet, confestim vidit ignem in lampade, quem tam præoptaverat, splendere. Qua de re lætatus, primitus ante sanctum Sepulchrum gratias Deo reddens, se humiliter prostravit: Postèa verò accenso illic cereo uno foras revertens, Divinum lumen omnibus manifestavit. Quod cum videremus, qui aderamus omnes, Kyrie eleison cum lachrymis exclamantes, gaudio magno gavisi sumus: Et quanto doluerамus, tanto magis tunc de miraculo exultavimus. Per totam extemplo civitatem laus jucunda & clamor laudisonus proindè sonuit: Sonant signa, populus manibus plaudit, Clerus lætus concinit, carmina dulcisona modulis alternantibus symphoniæ miscentur. Tenebamus unusquisque in manu sua cereum unum, jam ad hoc præparatum, ad id Sanctum Lumen suscipiendum. Videretis per spatium unius plura millia cereorum in Ecclesia sancta ab ipso igne accendi, quod alius alii libens ministrabat. Ecce verè dies illa, quam fecit Dominus: Exultavimus & lætati sumus in ea. Et ampliùs quam adhuc dixerim. Solemnitas solemnitatum die illa inter nos claruit. Quoniam cum Missa Dominica decenter celebrata fuisset, & post Missam

Missam solemnizatam Balduinus Rex, qui eidem solemnitati assistens pro more Regio coronatus fuerat, in templo Salomonis prandium suum festivè & decentissimè expleviſſet, nunciatum est ei, & cæteris aliis qui cum ipso eramus, ignem sanctissimum iterato adventu in duabus lampadibus, quæ in Ecclesia Dominici Sepulchri pendebant, Divinitùs esse accensum. Quo audito laudes indè cunctipotenti Domino retulimus. Et quibus libuit statim complures ad novum miraculum videndum lætantes cucurrimus. Denique Rex & alii cum eo nos subsecuti sunt. Et cum in Ecclesia introiissemus, vidimus illum ignem Divinitùs in lampadibus accendi: Et catervatim unicuique lampadi accensæ plebem adstare cum cereis suis, vel accendendis vel jam accensis, jubilantem Deo in voce exultationis. Tunc alius alii corde jucundo hæc demonstrabat, dicens: Ecce jam lampas incipit illuminari. Alius respondebat: Ecce video alteram, in qua jam flamma rutilat. Illic quidem cereum meum illuminabo, tu autem tuum hic inflamma. Alius quippè dicebat: Adstemus huic lampadi, & exspectemus paulisper, cum in ea ignis insurget. Nonne videtis, quia cæteræ lampades jam inflammatæ sunt? Et vides, quomodò in illa fumus enubilat. Nunc autem flamma exoritur. Taliter lætificavit Dominus populum suum, qui dies pro miraculo tam glorioso, & de more in morem permutato, celeberrimus & memorialis à generatione in generationem permanebit.

Idem miraculum magis adhuc illustrat in ejusdem Sacri Belli Historia venerabilis Guibertus Abbas sanctæ Mariæ apud Novigentum: *In illa* Lib. 7. c. 37. 38. *sancta Hierosolymorum Civitate vetus quoddam miraculum inoleverat. Quod vetus idcircò dixerim, quia ex quo idem fieri cœperit, orbis ferè Latinus ignorat. At nos conjiciendo perpendimus, quia postquam calcari ante hæc nostra tempora cœpit à gentibus, id pro suorum qui ibi degebant, per idvè temporis conveniebant, annuerit Dominus: Quod videlicet in ipso Paschali Sabbatho lampas Dominici Sepulchri videatur quotannis accensa Divinitùs. Erat autem moris in eadem urbe, ut circumitis universorum ædibus Pagani singularum focos usque ad favillas exstinguerent. Et tanta id fiebat ab Ethnicis indagine, quantum id ipsum putabatur fieri fidelium fraude, non fide. Cùm ergo hoc modo Vulcanus liminaretur ab oppido, ea hora qua nostræ Religionis obsequium plebem Catholicam solemni Resurrectionis atque baptismatum interesse mandat officio, vidisses per universam Gentiles exsertis mucronibus oberrare Basilicam, mortemque nostrorum quibusque minari; Cerneres fidei nostræ è regione Cultores indigenas gravi penes Deum mœrore torqueri. Eos verò nihil minus, quos de abditis mundi finibus orationis vota illo contraxerant, vel causa miraculi, luminis omnes munus unimoda intentione precari. Nec tunc erat importuna dilatio, quin desideriis æstuata petitio alacri leniretur effectu. Audivi à personis, quæ illuc jere, senilibus, quod papyrus, vel lichnus, nam utro utantur non novi, Gentilis semel cujusdam sit techna sublatus, ferrumque remansit inane, sed Cœlitus labente miraculo ex ferro lumen emersit. Dumque fraude virtutes cupit enervare supernas, didicit contra suam ipsarum navum Deo suo militare naturas. Anno ergò, ex quo Rex Balduinus susceperat Sceptra sequenti, ejus fuisse traditur difficultas tanta miraculi, ut vix imminente nocte orantium flentiumque potuissent vota compleri. Sermo Daimberti Patriarchæ populum de confessione sollicitat peccatorum: Rex & Præsul resarciendis pacibus instant; si qua fidei honestatique non congruunt, corrigi promittuntur. Intereà urgente negotio, tam enormium criminum ibi eo die est facta confessio, ut nisi pœnitudo succederet, dignè fieri videretur luminis sancti sublatio, cujus tamen etiam nunc post correctionem non remoratur accensio. At altero post hac anno ubi ad eam ventum est horam, qua Sepulchrum gloriosum flamma Cœlestis efficeret, universorum penitus vota suspiciunt. Græcis igitur ac Syris, Armeniis pariter ac Latinis, quibusque pro suarum linguarum idiomatibus Deum ac ejus invocantibus Sanctos, Regem, Proceribus, & populo, pœnitentia cordiumque rugitibus prosequentibus Cleros, misero omnes exulcerabantur affectu, quod ea urbe jam à Christianis obtenta, inibi contingebant quæ numquam evenisse sub Paganis audierant. Interim Fulcherius Carnutensis, assumpto sibi Patriarchæ Daimberti Capellano, in montem proficiscitur Oliveti: Ibi enim suboriri Dei lucerna solebat, si quando Hierosolymis non aderat. Sed reversis, & nihil gratum ad præstolantis Ecclesiæ aures referentibus, orationes à diversis geminantur ad populum, non tamen quæ ægros foveant, sed incentivæ lugentium. Ea dies, re infecta, universos in sua tecta remisit: Nox gemina inruit, acrisque mœstitia generaliter omnium pectora torsit. In crastino deliberant, ut ad templum usque Domini debito cum mœrore procedant. Jerant gaudii prorsus Paschalis immemores, dum nullus habitu differt à die Parasceves: Cum ecce ab Ædituis Ecclesiæ post euntium terga concinitur, quia sacri Monumenti lampas accenditur. Quid immorer, tanta ea die gratia, auctu suæ ubertatis ex dilatione successu, immicuit, ut illa Dei claritas non quidem simul, sed vicissim intra Sepulchri Ecclesiam lampades fermè quinquaginta tetigerit. Hæc non modo inter sacra contingere Mysteria, verùm cum peractis officiis Rex pranderet in aula: Cogitur frequentibus nunciis ad nova videnda lumina rejecta consurgere mensa. Dici non potest quibus convaluerit mœror ille solatiis, cum eo die, quod nunquam præsumpserat, intra eandem urbem in templo Domini coronari Rex ipse consenserit, ob hujus favorem muneris.*

Cœlestem hunc ignem aliis miraculis confirmat Glaber Rudolphus: *Eodem tempore Odolricus* L. 4. c. 6. *Aurelianorum Præsul Hierosolymam pergens, quid viderit, nobisque narraverit, non prætermittendum videtur miraculum. Die igitur magni illius Sabbathi, quo ignis mirabili Dei potentia veniens ab universo populo præstolatur, ibi cum cæteris idem Præsul adstabat. Jamque dies ipsa in vesperum transiens repentè penes horam, qua sperabatur ignis adfuturus, unus Saracenorum, scurra impudentissimus, ex plurima illorum multitudine, quæ annuatim semper una cum Christianis adesse solet, exclamavit, ut Christianis mos est, cum primum videtur, Agios Kyrie eleison, cavillanter cachinnos emisit, extensaque manu arripuit cereum de manu cujusdam Christiani, aufugere tentans. Qui illicò arreptus à Dæmonio, turpiter nimium vexari cœpit.*

pit. Quem prosequens Christianus, cereum abstulit. Ille verò tortus acerrimè, protinus inter Saracenorum manus exspiravit. Quod factum omnibus in commune terrorem immisit. Christicolis tamen gaudium & exultationem præbuit. Statim verò, ut assolet, Dei virtute erumpens ignis ex una lampadarum, quæ septem ibidem pendere cernuntur, cursim irruendo cæteras inflammavit. Quam etiam cum suo oleo præfatus Episcopus emens auri librà à Jordano, qui tunc præerat Patriarcha, secum detulit, atque in sede propria reponens, plurima infirmis contulit beneficia. Contigit hoc sub Roberto Francorum Rege ad undecimi sæculi medium, atque ita antè Sacrum Bellum.

Aliud, quod post amissam à nobis Hierosolymam contigit, miraculum refert Joannes Bromptonus Abbas Jornalensis: *In solemnitate Paschali Saladinus*, Saracenorum *Rex*, *ad Dominicum Sepulchrum veniens, cum vidisset lampadem ibi pendentem Divino igne accendi, & per eum bis exstinctam tertio accendi, asseruit se vel infrà breve moriturum, vel sanctæ Civitatis dominium amissurum. Unde juxta prognosticationem suam mortuus est in Quadragesima proxima sequente.* Confirmat in suo Chronico Nicolaus Trivettus, repetitis iisdem verbis. Consuetam sacri Luminis impetrandi ac dispensandi formam exponit in libello de perenni Terræ sanctæ cultu Magnus illius Apostolus ex Sancti Francisci Ordine frater Bonifacius: *Congregabantur ad Ecclesiam Resurrectionis Patriarcha, Rex, Clerus & populus à summo mane ad horam usque sextam, in qua dignabatur Dominus flammam ad locum sanctum mittere, & post longam orationem mittebatur unus ex Prælatis Montis Sion, vel Montis Oliveti, aut Bethleem, aut Hebron, aut Sancti Habacuc, aut Sancti Salvatoris, & Joannis ad ripam Jordanis, aut Nazareth, aut Montis Thabor, aut Montis Carmeli, aut Sancti Joannis Baptistæ in Sebaste, aut aliorum locorum. Qui enim sanctior inter eos reputabatur, ut esset primus ad lumen accipiendum, mittebatur. Et si nondum accensas lampades invenisset, revertebatur ad Patriarcham, Regem, Clerum & populum, alta voce clamans: Nondum in lumine visitavit nos Dominus Deus è cœlo. Tum augebantur preces, ploratus & ululatus multus, ut Dominus eos, uti consueverat, visitaret. Aucta verò oratione cum lachrymis, mittebatur alius: Et sic continuabant usquequo Dominus è cœlo eis mitteret ignem, sive donum flammæ. Qua, per quemcumque inventa esset, accendebatur lumen in lætitia Spiritus. Et primo Patriarchæ, Diacono & Subdiacono: Ipsi verò primo Regi, deindè omnibus qui in Choro adstabant, istud sanctum lumen tradebant. Minoris Ordinis Ministri populo idem porrigebant cum gaudio.* Et ad duodecimi sæculi vigesimum annum scribit Malleacensis ad Sanctum Maxentium Cœnobii Chronicon: *In Hierusalem venit ignis, sicut in Pascha, in die Adsumptionis sanctæ Mariæ.*

A. 1190.

Omnia hæc, licet prolixiora, testimonia producta volui, ut de illustri miraculo nullus sit hæsitandi locus. Et quidem nec Eusebius Cæsariensis, nec Sanctus Epiphanius, nec Sanctus Hieronymus, nec Sanctus Cyrillus Hierosolymæ Episcopus, nec quis alius Terræ Sanctæ antiquus Incola illius meminit, ideoque certum est istis prioribus sæculis non evenisse. Porrò dum Imperator Heraclius contra Ecclesiam pugnaret pro Monothelitis, Homarus post Mahometem tertius Saracenorum Princeps cepit Hierosolymam, & omnem Syriam. Audiamus rem à Sancto Martyre Theophane: *Hoc anno Homarus in Palæstinam suscepit expeditionem, & obsidione per annos duos ad sanctam Civitatem continuata, tandem fide data eam in potestatem accepit. Sophronius autem Hierosolymorum Antistes fidem ab eo pro totius Palæstinæ incolumitate acceperat.* An. 627. An statim sub Sancto Sophronio cœperit laudatum Paschalis ignis miraculum, ignoro & hæsito: Sanctus enim Sophronius in suo spirituali Prato nullam facit ejus memoriam. Quidquid sit, Sacro-sanctis Filii sui pedibus calcatam, ejusque miraculis, prædicatione, & benedicta morte consecratam terram probare aut castigare per Saracenos voluit Divina Justitia, non projicere à sua facie aut exhæredare. Nam adversum Monothelitas, Iconoclastas, Photii & Michaelis Cerularii Schisma, aliosque Græcorum fœdos lapsus manfit illa constantissima, & Apostolicè Christiana. Hinc insigni isto miraculo barbaras ejus calamitates Divina bonitas consolata est, ipsis etiam juratis Christiani nominis ac fidei hostibus fecit reverendam, & sancta ejus loca à contaminationibus ac eversionibus custodivit.

Et ex hoc fonte credo promanasse morem, quo omnis etiam Latina Ecclesia novum Paschalis festivitatis ignem jam dudum consuevit solemniter excitare in Ecclesia, ac benedicere. Ex ipso accendit Paschalem cereum, & cuncta per omnem Ecclesiam luminaria, additque antiquus Ordo Romanus: *Notandum est, quia in Romana Ecclesia exstinguitur totus ignis in hac feria hora sexta, & reaccenditur hora nona.* Fol. 172. Non in solis Basilicis, sed per omnem Romanam Civitatem exstingui omnem ignem asserit in libro de Antiphonarii Ordine Amalarius Fortunatus, exponit diversarum Ecclesiarum diversos mores, & prosequitur: *Propter necessitatem communem reaccenditur in sancta Romana Civitate ignis eadem die, ut ex illo cibi coquantur, & reservetur in usum noctis necessarium.* Cap. 44. Qui mos servatur etiamnum in quibusdam Monasteriis. Quæ omnia quis non videat Hierosolymitani miraculi, & Saracenicæ in ipsum rabiei ac fremitus esse repræsentationem ac imitamentum? Paschalem cereum, ejusque solemnem benedictionem fuisse à Zozymo Pontifice inductam laudat liber Pontificalis, eosdemque per reliquam Hispaniam tunc observatos ritus Galliciæ Ecclesiis imposuit quarta Toletana Synodus. Verùm istius cerei ex novo igne accendendi, aut hujus ignis excitandi & consecrandi morem nulla commendat antiqua Regula, nulla memoria. Quare non dubitem, quin ad agendas Deo pro Hierosolymitano miraculo gratias, & ipsum omnibus sub Cœlo populis prædicandum, mos iste noster sit institutus.

Quidquid sit, duravit gratia usque ad ejectos è Terra Sancta Latinos, & illuc à Græcis invectum Photii & Michaelis Cerularii Schisma, scribitque hac de re in sua Hierosolymitana peregrinatione, sancti Sepulchri Ecclesiam accuratè depingens, Joannes Cotovicus: *Juxta pavimentum Orientem versus, atque è Regione Chori Ecclesiæ Golgotbanæ, Altare exstat marmoreum, quod Græcorum Patriarcha, aut aliquis Episcoporum Orientalium quotannis in ipsa Vigilia Resurrectionis Domini ascendere, populo benedicere, atque ignem, falso cœlestem creditum, Schismaticis Orientalibus in ipso templo dispensare consueverunt. Non enim, ut olim cùm Catholici in Palæstina Ecclesiam moderarentur, Cœlestis flamma, Nur Arabibus dicta, Cœlitùs amplius descendit: Licet Orientales Episcopi ac Græcorum Patriarcha id populo persuadeant. Sed è cilice ignem excutiunt, ac pro vero Nur populo porrectum, Cœlestem esse mentiuntur. Ut autem dolum hunc occultent, ac facilius nimium credulis imponant, die Veneris sancto ab infidelibus claudi sepulchri ostium, & Saniacci sigillo obsignari curant. Mox cum Saniacco, Cadio, Emino, cæteriſque Turcarum Primoribus pretio componunt, quis eorum prior ingredi, & ignem cilice excussum credulo populo pro Cœlesti distribuere debeat.* Suprà laudatum fratrem Bonifacium & ipse laudat, ac pergit: *Refert frater Bonifacius se quandoque hac de re cum Græcorum Patriarcha, nec non Armenio rum Episcopo sermonem miscuisse, illisque exprobrasse hanc perfidiam, atque impietatem, dixisse etiam offendere id plurimum Catholicos omnes, Judæos quoque ac Mahumetæos: Eosque cum id negare minimè auderent, excusasse se, ac necessitate coactos id facere asseruisse, ut consuetas eleemosynas obtineant. Quibus si carendum foret Ecclesiasticis viris in urbe continuò commorantibus, defuturum iis quo miseram vitam sustentare possint. Hac enim de causa Orientis Christicolas sanctam urbem potissimum petere; quæ si deficiat, domi omnes mansuros: Atque ita suos solitis eleemosynis defraudandos. Latinis à Regibus, cæteriſque Occidentis Magnatibus quæque ad victum necessaria satis abundè suppeditari: Græcos, cæteroſque Orientis Religiosos, Barbarorum jugo oppressos, solis populi eleemosynis victitare, nullaque propria bona possidere. Atque ita miseri tam enorme piaculum ac turpitudinem solius lucri causa, sua ipsorum confessione, in publicum Christianæ fidei dedecus, committere non verentur. Quæ idcircò, uti fraudibus obnoxia, ab infidelibus, proh dolor, irrisioni & ludibrio habentur.* L. 2. c. 4. Imitantur antiquos Paganos, quorum ad sua Altaria fraudes suprà audivimus à Sancto Joanne Chrysostomo.

Porrò secreta sua judicia per miraculosè accensos cereos aut lampades significare frequenter consuevit Divina in nos pietas. Etenim Gothici Regni tempore, Ariani Romæ habuerant Basilicam, quam post ipsos ejectos clausam aperuit, ac Deo reconciliavit Magnus Gregorius. Quod omnes tunc in ipsa lampades tertiò consequenter fuerint Divinitùs accensæ, testatur in Dialogorum libris sanctus ipse Pontifex, & adjungit: *Videlicet ex ipso lumine clarescebat, quod locus ille à tenebris ad lucem veniisset.* Lib. 3. c. 30. Et de paupercula quadam, per Sancti Remigii reliquias sanata, ideoque solemnem ipsarum translationem comitante, fœmina scribit in Remensis Ecclesiæ Historia Flodoardus: *Manu cereum ferebat, qui accensus numquam fuerat. Mirabile dictu, subitò Cœlitus nutu Divino in manu gerentis est illuminatus.* Lib. 1. c. 22. Et infrà scribit de Remensi Sanctimonialium ad Basilicam portam Monasterio: *Vidimus in Ecclesia hujus Cœnobii cereum igne Cœlesti ter accensum, quem collata cera fecerant quidam cives Remenses, qui ad visitanda nuper Apostolorum limina profecti fuerant.* Lib. 4. c. 46. Et de Sancti Dunstani Cantuariensis Archiepiscopi gravida matre scribit Guilielmus Malmesberiensis: *Futuræ in Dunstano sanctitatis præsagus, qui & auctor, Deus quodam prodigio nativitatem ejus præcurrit. Siquidem cum Mater ejus in Purificatione Sanctæ Mariæ, frequenti civium Collegio, templo assisteret, omnium repentè luminaria seu casus seu Dei nutus exstinxit. Omnibus stupefactis, Matronæ cereus lumen accepit Cœlitus, communicatoque cæteris igne timorem depulit, securitatem induxit.* Fol. 202. Ita igitur & electo ad Paschale miraculum Roberti Principis cereo suum de illo in Regem eligendo judicium manifestavit Divina benignitas. Verùm quia ille ab hominibus maluit in Anglia, quam in Terra Sancta eligi à Deo, utraque electione frustratus inchoavit sibi longum funem multarum calamitatum.

NICO-

NICOLAI II.
PONTIFICIS
CONCILIUM
AMALPHITANUM.

DE hoc Concilio ſcribit antiqua, per Cardinalem Nicolaum Aragonium vulgata, Romanorum Pontificum Hiſtoria: *Nortmanni ad præſentiam Nicolai Pontificis Nuncios tranſmiſerunt, rogantes ut in Apuliam deſcenderet, & ſatisfactione ſuſcepta eos Eccleſiæ reconciliare paterna charitate deberet. Quibus verbis auditis, poſt deliberationem Concilii Pontifex ab urbe Roma exivit, & in parte Apuliæ venit. Accedentes igitur Nortmannos ad præſentiam, & reſtitutis omnibus terris beati Petri, quas abſtulerant, in libera poteſtate Summi Pontificis, à vinculis excommunicationis abſolvit, & in Apoſtolicæ Sedis gratiam paternè recepit. Quia verò potentia & vires eorum tunc temporis in urbe Romana Magnates cæteros ſuperabant, & in cauſis Eccleſiæ contra illos, qui Apoſtolicæ Sedis jura violenter occupaverant, Romano Pontifici magnum ſolatium & opportunum auxilium manu valida poterant exhibere, omninò fidelitate ab eis ſuſcepta, præter Beneventum, totam Apuliam & Calabriam eis conceſſit.* Et in Caſſinenſis Monaſterii Chronico Leo Oſtienſis Epiſcopus: *Pontifex poſt* Paſchale *Feſtum urbe egrediens, Melphiam Apuliæ adiit urbem, ubi tunc Concilium celebrare decreverat. In qua etiam Synodo, dum Richardus Capuanus Princeps cum aliis pluribus interfuiſſet, à Pontifice admonitus, Monaſterium ſanctæ Mariæ in Calena cum patrimoniis ſuis beato Benedicto per Scriptum ſolemniter obtulit.* Et iterum: *Per hos dies Nicolaus Papa & Richardo Capuanum Principatum, & Roberto Guiſcardo Apuliæ, Calabriæ, atque Siciliæ Ducatum confirmavit, accepta prius ab eis cum Sacramentis Romanæ Eccleſiæ fidelitate, cenſuque quotannis per juga boum ſingula denarii duodecim.*

Lib. 3. c. 15.

Robertus & Richardus in ſibi inflicta per Sanctum Leonem nonum excommunicatione ſordebant, & à Græcorum Imperatoribus metuebant extrema. Interim & in Græcos & in Saracenos fecerunt illic maximos progreſſus. Hos enim expulerunt ex Melitenſi Inſula, & ipſam poſt longam ſub Barbaris ſervitutem reddiderunt Chriſto Domino. Et profani Græci pergebant fœtere in ſchiſmate. Tunc enim fiebat, quod ſcribit repertus Conſtantinopoli apud Patres Prædicatores Tractatus: *Ex tunc*, poſt damnatum à Sancti Leonis noni Legatis Michaelem Cerularium, *majoris invidiæ ſtimulis agitati, quam plures libros ſeu tractatus in confuſionem Romanæ Eccleſiæ ediderunt, & ſuis poſteris legendos, tanquam authenticos & fidei Catholicæ firmitatem habentes, diſtrictè mandaverunt; eos verò, qui his contrariè dogmatizare præſumerent, annuatim in Eccleſiis, voce præconis, quod uſque hodie in eorum Conventualibus Eccleſiis obſervatur, Hæreticos denuntiarunt.* Quod perfidi Judæi per ſingula ſua feſta in Synagogis Chriſtum Dominum & omnes Chriſtianos ſolemniter olim anathematizarint, ſcribit Euſebius Cæſarienſis: Hoc impium facinus tunc Græci in Latinos æmulabantur. Et peſſima radix occupabat etiam Apuliam, Calabriam, & Siciliam: Et non niſi per Nortmannos videbatur exſtirpanda. Et nonus Leo in ipſos adhuc debiles infeliciſſimè pugnarat, ideoque adverſum illos nulla erat ſpes ab armis. Plures item alios ſuorum patrimoniorum in Italia prædones patiebatur Romana Eccleſia: Nec quis ipſos domare facilius poterat, quam Nortmanni. Hi iſtas, Nicolaus Pontifex conſiderabat has rationes: Quare illi petierunt pacem, hic dedit. Sub duabus præſertim conditionibus. Primò, ut Sancto Petro omnia ſua patrimonia redderentur: Utique olim invaſa per Imperatorem Leonem Iſaurum, & per ejus Succeſſores uſque tunc detenta. Secundò, ut utramque Siciliam Nortmanni agnoſcerent Romanæ Eccleſiæ beneficium, Pontifici profiterentur, & tanquam feudales

dales penderent annuam penſionem. Roberti profeſſio ſic incipit: *Ego Robertus, Dei & Sancti Petri gratia, Dux Apuliæ & Calabriæ, & utroque ſubveniente, futurus Siciliæ.* Iſto enim tempore Siciliam partim Græci tenebant, partim Saraceni: Ambos ejicere promiſit Robertus adjutus à Romana Eccleſia, ejecit, atque ita etiam Siciliam accepit in feudum. Bina ejus integra profeſſio exſtat in Vaticano Codice, qui dicitur liber cenſuum.

Eandem Synodum laudat in litteris ad Cardinales Epiſcopos Sanctus Petrus Damiani: *Nunquam certè vidiſſe me memini Pontificales baculos tam continuò radiantis metalli nitore contectos, ſicut erant qui ab Eſculano & Tranenſi geſtabantur Epiſcopis. Uterque tamen, alter in Apulis finibus, Nicolao præſidente, alter in Lateranenſi Eccleſia coram Alexandro Papa, ſunt dejecti.* Verum ac primarium hujus Synodi ſcopum ignoro: Quin tamen ad purgandam à Græcorum Schiſmate Apuliam atque Calabriam fuerit indicta, exiſtimo non dubitandum. Joannes Tranenſis Epiſcopus fuerat Michaelis Cerularii Syncellus, & Miniſter totius Schiſmaticæ violentiæ. Erat & variè maculoſus. Hinc ipſum degradavit Nicolaus Pontifex, & cæteris iſtarum Regionum Epiſcopis dedit in exemplum. Haud dubiè tractata hic ſunt & alia negotia: Verùm Acta latent, aut perierunt. Plures iſtic Eccleſiæ ſequebantur Græcorum ritus, ſchiſma, exceſſus: Præſertim poſt memoratam Michaelis in Latinos ritus tyrannidem. Quin iſta omnia compoſuerit Synodus, non eſt ambigendum. Per Græcos, aut forſan per Nortmannos ejectus Petrus Amalphitanus Archiepiſcopus videtur huc uſque non fuiſſe repoſitus: Fuiſſe hic repoſitum ſuadet ſtatim exponenda, cui Petrus adſedit, Beneventana Synodus. Et ejus repoſitio fuit forſan una ex cauſis, ob quas hæc Synodus fuit facta apud Amalphim.

Et Papalis de Nortmanni ſpes non fuit vana. Pergit enim laudata Romanorum Pontificum vetus Hiſtoria: *Poſt hæc ordinatis & diſpoſitis omnibus, quæ ad Beneventanum patrimonium pertinebant, Nicolaus Papa reverſus eſt Romam. Nortmanni ad ipſius commonitionem collecto exercitu ſubſecuti ſunt ejus veſtigia. Et tranſeuntes Campaniam, Præneſtinorum, Tuſculanorum, & Nomentanorum terras hoſtiliter invadentes, eis tamquam contumacibus, & à Domino ſuo, nempe Pontifice, rebellantibus, damna graviſſima intulerunt. Deindè fluvium Tyberis cum immenſa militia & fortitudine armatorum peditum, & ſagittariorum copioſa multitudine tranſeunt, Galeſiam & univerſa Comitis Gerardi Caſtella uſque ad Sutrium devaſtarunt. Poſt multa denique damna & exſpoliationes, Capitaneorum cervicoſitate valdè deſtructa, ad mandatum & ſubjectionem Domini Pontificis redire coacti ſunt, liberata urbe ab eorum tyrannide, & in ſtatum ſuum Eccleſia reſtituta.* Poſt exſtinctum Magni Caroli genus Italicarum civitatum, præſertim propè urbem, Comites Romanam Eccleſiam tractarunt crudeliſſimè, in Apoſtolicam Cathedram intruſerunt Papali Officio ineptos ac indignos ſuos filios aut cognatos, & pleraque ejus patrimonia invaſerunt, lacerarunt, vaſtarunt. Gregorius ſextus reparare ſtuduerat: Aſt modico effectu. Rem tandem à Nortmannis conſecutus eſt Nicolaus. Etiam Alexander ſecundus, Gregorius ſeptimus, & plures Succeſſores. Iſtorum terra adversùm Henrici quarti & Henrici quinti violentias fuit his portus atque aſylum.



NICOLAI II. PONTIFICIS CONCILIUM BENEVENTANUM.

NIcolaus Pontifex Amalphi non rectà Romam tetendit, sed Beneventum, ac etiam ibi celebravit Synodum. Hinc dicit laudata Historia: *Post hæc ordinatis & dispositis omnibus, quæ ad Beneventanum patrimonium pertinebant*. Beneventanam quippe civitatem Nortmannis non infeudarat, sed suæ Sedi integram servarat Pontifex, ideoque & spectantia ad ipsam territoria receperat à Nortmannis. Hinc ipsam dispositurus accessit, & unà celebravit Synodum. Actorum pars exstat apud Bartholomæum Chioccarellum in Catalogo Episcoporum Neapolitanorum. Adfirmat celebratam anno istius sæculi quinquagesimo nono, primo Nicolai Pontificis, in medio mensis Augusti, indictione duodecima, & pergit: *Cùm Dominus Nicolaus Papa apud Beneventum, extra ipsam civitatem, intra Ecclesiam beati Petri juxta fluvium, Sabbatho Synodum celebraret, & cum eo nonnulli Archiepiscoporum, Abbatum, Monachorum, & totius Ecclesiastici Ordinis atque Laicalis non parva multitudo resideret*. Præsentes Episcopos, Abbates, ac Proceres enumerat, finitam istic adfirmat causam inter Abbatem Sancti Vincentii suprà fontes Vulturni fluminis, ac inter Albertum Monachum, atque Roffredum Roffredi Comitis filium, & prosequitur: *Adsurgens Joannes Abbas conquestus est super Albertum Monachum, dicens; Obsecro, Domini, misericordiam vestram, & omnium qui huic sanctæ Synodo interfunt, ut faciatis mihi justitiam de Alberto Monacho, qui Cellam Sancti Vincentii, scilicet sanctæ Mariæ in Castineto, Monasterio nostro subripuit, ibique sibi nomen & specimen Abbatis usurpavit, & in præsentia sanctissimi Leonis Papæ refutatum, ac sub interpositione perpetui anathematis contradictum, testantibus venerabilibus viris Humberto Cardinale, Petro Amalphitano, Udalrico Beneventano Archiepiscopis, nunc iterum temerario ausu usurpavit, & ipsam Cellam jam dicto Monasterio violenter contendit. Ipso verò Alberto adsurgente, & per Comitem, cujus vi hæc egerat, defendere nitente, dum nulla pars justitiæ sibi faveret, litteris distinctionis & constitutionis beatæ memoriæ Domini Papæ Leonis recitatis, & sacro sigillo munitis, atque testimonio prædictorum venerabilium Archiepiscoporum confirmatis, judicio totius Synodi est definitum, præfatum Albertum debere nomine & officio ante arrepto privari, & Monasterium beati Vincentii perpetualiter revestiri de jam dicta Cella, omnibusque suis pertinentiis. Quod & factum est. Ipse namque Albertus Monachus, dictus Abbas, nomen & officium Abbatis, atque Cellam per virgam in manu Papæ refutavit. Et quia erat anathematicus, ab omni Altaris ministerio depositus, in potestate Abbatis est ad Regulam corrigendus datus. Prænominatus Roffredus Comes, dum vellet sibi jus suprascriptæ Cellæ vendicare, relectis litteris Domni Papæ Leonis, annot. ..... Nuntiorum Imperatoris Ottonis, testimonioque prædictorum Archiepiscoporum convictus, nec non & anathematis mille aureorum Marcusiorum reus adjudicatus, præsentem Cellam in manu Papæ refutavit, seque suosque hæredes, quòd per ea nunquam contra Monasterium Sancti Vincentii aliquo modo agerent, perpetualiter sub prædicta pœna obligavit. His ita gestis, reverendissimus Papa Joannem Abbatem Sancti Vincentii ex eadem Cella sanctæ Mariæ in perpetuum instituit. Omnes hujus investitionis atque constitutionis violatores cum prænominato perpetuo anathemate obligavit.*

Fol. 118.

Desumpta hæc sunt ex istius Vincentiani Cœnobii Chronico, de quo laudatus Bartholomæus Chioccarellus: *Joannes Monachus claruit, & sui Monasterii Chronicon scripsit ad Benedictum Abbatem tempore Paschalis secundi Papæ, quod scriptum charactere Longobardo adservabatur apud*

apud Cardinalem Baronium, idque accepit, ut testatur is, à Camillo Cajetano, Patriarcha Alexandrino, ejusdem Monasterii Commendatario, nunc autem servatur ejus exemplum apud R. P. Dominum Constantinum Cajetanum, Monachum Cassinensem, & Abbatem Sancti Arontii. Codex est vetustus & rosus, ideoque pro verbis, *Litteris distinctionis & constitutionis*, videtur legendum: *Litteris districtionis*. Eodem in codice habetur Leonis noni de hac causa Decretum: *Anno Domni Leonis noni, Summi Pontificis, & universalis Papæ, quinto, indictione sexta, mense Junio, die decima, cum idem Leo contra Apuliæ fines pergeret, occurrit ei Luitfridus Abbas Monasterii Sancti Vincentii ad fontes Vulturni, conquestus contra Albertum Presbyterum & Monachum, usurpantem sibi nomen Abbatis in Monasterio Sanctæ Mariæ de Castineto. Tunc adsistentibus pluribus Præsulibus, ab eodem Leone causa est adjudicata Abbati Sancti Vincentii*. Huic judicio adfuit iterùm Petrus Amalphitanus Archiepiscopus. Adfuit & expeditioni adversùm Nortmannos, ideoque etiam cum istis videtur non bene convenisse.

Domus Sanctæ Mariæ de Castineto titulatur hic & Cella, & Monasterium. Vox, *Cella*, apud antiquos fuit variæ significationis. Primò, significat rusticorum casas, seu mapalia. Hinc enim de Donatistarum circumcellionibus scribit in Psalmorum Commentariis Sanctus Augustinus: *Circumcelliones vocantur, non Circelliones*. Ps. 132. *Nam Circumcelliones dicti sunt, quia circum Cellas vagantur. Solent enim ire hac atque illac, nusquam habentes sedes*. Et in primo libro adversùs Gaudentium: Cap. 28. *Hoc genus hominum, ab utilibus operibus otiosum, vilissimum in suis, territat in agris, ab agris vacat, & victus sui causa Cellas circumit rusticanas. Unde & Circumcellionum nomen accepit*. Etiam in undecima ad nostrum Apostolum Bonifacium Epistola Zacharias Pontifex notat nescio quos Presbyteros, qui *per loca agrestia & rusticorum Cellas* agebant sacrilegos Conventus. Eadem significatio utitur Martialis: *Unde tibi togula est, & suscæ pensio Cellæ?* Per Cellam intelligit pauperculam casam. Secunda significatio importat carcerem. Hinc de Can. 19. criminosis Presbyteris sancit secunda Synodus Turonensis: *Retrudantur in Cellam, ibique panem cum aqua manducent*. Est phrasis Romana. Nam & amphiteatri ergastula, in quibus damnati ad bestias rei custodiebantur, & è quibus producebantur pugnaturi, Romani dixerunt cellas. Tertiam significationem, longè aliam & meliorem, tradit Emeritensis Synodus, statuens de excommunicato Episcopo: Cap. 7. *Cella & res ad eum pertinentes, quousque ille sub pœnitentia fuerit, instantia & sollicitudine regantur Metropolitani*. Per Cellam intelligit Episcopale Palatium. Eodem sensu loquitur, quæ Episcoporum spolia à Provinciarum Præfectis invadi vetat, novella Lex Imperatoris Manuelis Comneni: *Ne tale quid in Antistitum Cellas innovetur*. Exstat in Theodori Balsamonis Commentario ad trigesimum quintum Trullanum Canonem. Et in Leonis quarti ad Parochiales Presbyteros Synodali Sermone hic est primus Articulus: *Cella & habitatio vestra sit juxta Ecclesiam*.

Quarta istius vocis significatio est strictior, haberturque in secunda Arelatensi Synodo: *Nullus Diaconus, vel Presbyter, vel Episcopus ad Cellarii secretum admittat puellam*. Can. 4. Et nonus decimus secundæ Turonensis Synodi Canon statuit de vicanis cum sua Presbytera habitantibus Archipresbyteris: *Unus Clericus in Cella, ubi ille jacet lectum habeat pro testimonio*. Can. 12. Quod eadem Synodus statuit de Episcopo habente Episcopam. Quo sensu eandem vocem accipiunt Synodus Agathensis, secunda & quarta Aurelianensis, Arvernensis, & quarta Parisiensis. Accipiunt pro secretiori Episcopi aut Clerici cubiculo. Eodem modo Græci secretum etiam ipsius Patriarchæ aut Imperatoris cubiculum vocant Cellam, & ipsorum intimos Domesticos quasi magno & pomposo vocabulo appellant Syncellos. Est antiqua significatio, de qua & Seneca: *Ex Cella suæ Dominæ migrabat in cubiculum*. Et apud Ausum Gellium Scipio jussit in Capitolio *aperiri Jovis Cellam*, & solus illic mansit. Cella est adytum seu secretius Jovis cubiculum. Est recta significatio. Cella enim, inquit in quinto decimo Originum libro Sanctus Isidorus, *Dictur quòd nos occultet & celet*. Hinc alia est vinaria, alia lignaria, alia pomaria Cella: quòd has vel illas res occultet & servet. Et in Sancti Benedicti Regula Cellarius est totius culinariæ Cellæ præfectus. Hinc & Monachorum, quorum est in suo claustro latere tanquam in sepulchro, cubilia & à Latinis & à Græcis dicuntur Cellæ. Ita loquitur Hermias Zozomenus: *Locus in Ægypto, cui nomen Cella. In eo sunt Cellæ Monachorum permultæ sparsim positæ, qua de causa hoc nomen habuit*. Lib. 6. c. 31. Et Palladii Helenopolitani Episcopi Lausiaca Historia: *Habent Cellas magno inter se intervallo disjunctas, ut nullus possit dignosci ab altero*. Et iterum: *Absolvit Cellam, & in ea habitavit*. Et in secundo Monasticarum Institutionum libro Joannes Cassianus distinguit *Monasteria & Cellas*. Per has videtur singulares Anachoretarum mansiunculas intelligere. Et hæc est quinta istius vocis significatio. Eadem utitur Venetica Synodus: *Cellulas solitarias, separatas Cellulas*. Cap. 69. Cap. 18. Cap. 7. Utitur etiam in Novella, qua novorum Monasteriorum exstructionem prohibuit, lege Nicephorus Phocas Imperator, addens ejusmodi Cellulas à Græcis passim dici lauras. Significationis radicem habes apud Horatium: *Huc priùs angustis ejecta cadavera Cellis conservus vili portanda locabat in arca*. Ad quæ verba Torrentius: *Cellæ sunt servorum mansiunculæ*. Consonat Svetonius in Caligula: *Cella Palatini Atriensis*. Et in Vitellio: *Confugit in Cellulam janitoris*. Et Petronius: *Non longè ab Ostiarii Cella*. At verò Monachi pro Deo profitentur servilem inopiam atque humilitatem: Hinc sua cubilia dixerunt Cellas.

Sexta significatio importat plenum Monasterium. Ita in dato ad Jonam Aurelianensem Episcopum, & apud Lucam Dacherium exstante diplomate Imperator Ludovicus Pius ac ejus filius Lotharius Sancti Maximini Abbatiam assiduè intitulant Cellam. Etiam amplissimam San- Tom. 8.

cti Galli Abbatiam antiqui Scriptores vocant Cellam Sancti Galli: Quòd nempè ex Eremitoria Cella ducat originem. Eadem de causa fundatum Moguntiæ à Sancta Bithilda Cœnobium dicitur Monasterium Cellæ veteris. Et de Sancti Benedicti Discipulo ac in Abbatialem Præfecturam Successore Honorato scribit in præfatione ad illius vitam Magnus Gregorius: *Honoratus nunc adhuc Cellæ, in qua Benedictus conversatus fuerat, præest.* Eodem in libro pergit de Cassinensi Cœnobio: *Dum fratres habitacula istius Cellæ construerent.* Et iterum: *Mos Cellæ fuit, ut quoties ad Responsum aliquod egrederentur fratres, cibum potumque extra Cellam minimè sumerent.* In pluribus ejusdem libri locis ita loquitur Gregorius, & manifestè per Cellam semper intelligit Cœnobium. Et hinc in Græca istorum locorum translatione Zacharias Pontifex pro Cella passim ponit Monasterium. Et Augustodunensis Synodus vagantem Monachum mandat pœnitentiæ causa *revocari ad propriam Cellam.* Hoc est, ad proprium Monasterium. Et certè quævis Cœnobia esse silentia, latibula, & quasi sepulchra, ideoque & Cellas clamat omnis antiquitas.

Cap. 9.

Septimam significationem adducit in Belgicis Annalibus Aubertus Miræus: *Belgicis plerisque Benedictinorum Abbatiis illustrioribus annexa sunt Monasteriola, quæ Præposituras aut Prioratus vulgò nuncupant, in quibus duo aut tres Monachi commorari solent. Sic Bulloniensis Prioratus annexus est Abbatiæ Sancti Huberti, Hesdiniensis Abbatiæ Aquiscinctinæ.* Hæc ergo significatio importat parva, alicui principali subordinata & appendentia, ac ipsum uti Metropolim respicientia Monasteria, quæ passim vocamus Prioratus, Præposituras, aut Obedientias. Hinc secunda, qua Rex ab Episcopo data alicui Cœnobio privilegia confirmat, apud Marculphum formula distinguit *Monasterium & ejus Cellulas.* Et in litteris ad Hilduinum Sancti Dionysii Abbatem scribit Sanctus Lupus Abbas Ferrarienſis: *Cella vestra, quæ dicitur Cor.* Et in litteris ad Erardum Archiepiscopum Turonensem: *Monachi in Cella Roclenia.* Et in litteris ad Hugonem Abbatem: *Rex Cellam Monasterii nostri Odulpho Comiti dedit.* Et in litteris ad Imperatorem Lotharium: *Sancti Judoci Cellam Pater vester nobis concessit.* Asserit donatam Ferrariensi Monasterio. Et in diplomate, quo Sancti Dionysii Cœnobium reformari jussit, Imperator Ludovicus Pius: *Cella majoris Monasterii.* Et in litteris ad Goffredum Vindocinensem Abbatem Sanctus Ivo Carnutensis Episcopus: *Danielem Monachum in aliqua Cella Monasterii tui respirare permittas.* Et in litteris ad Sanctæ Mariæ in Dordonensi Diœcesi Monachos Gregorius Papa septimus: *Monachi per Cellas à Patre vestro constructas sint vobiscum unanimes.* Vox ista apud mediorum sæculorum Scriptores est in hoc sensu frequentissima.

Fol. 673.

Ep. 97. Ep. 118. Ep. 88. Ep. 11.

Ep. 82.

Et istæ Cellæ habuerunt varia nomina. In adducto Sancti Vincentii Chronico Joannes Monachus Sanctæ Mariæ Cellam vocat Monasterium. Verùm hic titulus est rarissimus. Plerique enim Scriptores Cellam distinguunt contra Monasterium, uti appendicem à principali. Et hinc de Guarino, vigesimo ad Sanctum Albanum Abbate, & vario illius excessu scribit ejusdem Cœnobii Monachus Matthæus Parisiensis: *Guarinus oblocutores, & suorum excessuum correptores transmisit ad Cellas remotas, ut nec suas saltem auderent scribendo querimonias præcordiales revelare. Unde multi quasi exules, in summa mentis amaritudine & crebris imprecationibus, vitam miserabilem terminarunt.* Et de proximo Successore Joanne: *Joannes Monachos invitos, & sine culpa aliqua, immisericorditer hinc ad Cellas, & de Cella ad Cellam, huc & illuc, veluti ultimæ conditionis servulos, transmisit. Ita ut cum summa amaritudine multi in Cellis, præcipuè remotis, tota vita sua morarentur & morerentur. Nonnulli etiam ab ordine recedentes, tam corpore quàm anima perierunt.* Cellæ erant Monasteriorum quasi carceres atque exilia, ideoque eas antiqui passim non dixerunt Monasteria.

Primum porrò Cellarum nomen habes in Capitulis, quæ suis Ecclesiarum ac Monasteriorum Visitatoribus dedit in Suessionensi S. Medardi Monasterio Francorum Rex Carolus Calvus: *Requirant de Capellis, & Abbatiolis, & casis Dei.* Erant non Abbatiæ, sed Abbatiolæ. Eodem sensu ad Hilduinum S. Dionysii Abbatem scripsit S. Lupus Abbas Ferrarienſis: *Propinquum meum, Abbatem Cellæ vestræ, quæ dicitur Cor, honorificè suscipiatis.* Cellæ non Abbatem habebant, sed Priorem aut Præpositum: Sanctus Lupus suum propinquum honoris causa titulat Abbatem, quòd nempè Cella esset Abbatiola. Similem phrasim usurpat Agathensis Synodus: *Cellulas novas, aut congregattunculas Monachorum absque notitia Episcopi prohibemus institui.* Quod ipsum eisdem verbis repetit Synodus Epaonensis. Appellant non congregationes, sed congregatiunculas. Alterum nomen est *Prioratus.* Ita habes in Anonymo Turonensium Episcoporum & majoris Monasterii Chronico: *In Hervæi*, quarti decimi Abbatis, *tempore acquisitum est Lebonense Cœnobium. Pro Prioratu illo multùm gravatus in expensis viginti millium solidorum. Quia quidquid ad Prioratum illum pertinebat, durissimo pignori erat obligatum.* Et Prioratum vocat, & Cœnobium: Videtur anteà fuisse Abbatia, quæ propter inopiam mutata sit in Cellam. Frequentissimum est istud nomen. Cellæ enim, quòd passim per Priorem regantur, frequentissimè dicuntur Prioratus. Tertium nomen est *Præpositura.* Ita loquitur Valciodorensis Monasterii Chronicon: *Hasterienſis locus Valciodorensi Ecclesiæ tanquam Cella vel Præpositura, vel quocumque nomine dicatur, debet velut membrum capiti adhærere, & in omnibus obedire.* Videntur aliqui voluisse distinctum inter Cellam & Præposituram: Hoc evertit ille Scriptor, affirmans esse diversa nomina, rem eandem. Rationem assignat in Benedictinis constitutionibus Sanctus Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis: *Prior, qui & Præpositus in Regula nominatur, honorabilior est reliquis Ministris Domus Dei.* Et ad sexagesimum quintum Regulæ caput commentantur fratres Cassinenses: *Præpositus Monasterii secundùm morem nostrum Prior clau-*

Ep. 97.

Can. 58.

Can. 10.

Fol. 569.

Cap. 3.

straliſ vocatur. Et in Dunelmensis Ecclesiæ Historia Simeon ibidem Cathedralis Monachus: *Beatus Cutbertus succeſſit in Præpoſiti, id est, Prioris Officium. Nam qui nunc Prior, à beato Benedicto Præpoſitus Monaſterii appellatur.* Uti sui Cœnobialis claustri, ita & suarum Cellarum Præfectos quidam Abbates Præpositum quidam titulant Priorem: Hinc & aliquæ Cellæ habent Prioratus titulum, quædam dicuntur Præposituræ.

L. 4. c. 8.

Quartum nomen est *Obedientia.* Ita loquitur Sanctus Fulbertus Carnutensis Episcopus: *Vivianus & Durandus, ambo Præpoſiti, simulantes ad Obedientias ſuas ſe velle exire.* Et Urbanus secundus Pontifex scribit ad omnes Episcopos: *In quorum Parochiis exiſtiunt Prioratus & Obedientiæ Eccleſiæ Cluniacenſis.* Et in litteris ad Guilielmum Salmurienſis Cœnobii Abbatem Goffredus Abbas Vindocinensis memorat *Obedientiam de Pinu*, & queritur de ipsius Priore. Et ita suas etiam Cellas semper titulat in aliis Epistolis. Et in litteris ad Sugerium de Roberti Burgulienſis Abbatis electione Ulgerius Andegavensis Episcopus laudat fratres, *qui de remotiſſimis Obedientiis convenerant.* Et in Innocentii secundi litteris habemus *Priores & Obedientiarios fratrum Cluniacenſium.* Fratres Obedientiarii sunt fratres in Cellis habitantes, Priores sunt ipsorum Præfecti. Hinc & Benedictinorum in Anglia Abbatum generale apud Oxoniam quadragesimo nono tertii decimi sæculi anno celebratum Capitulum statuit: *Nullus Monachus, Obedientiarius, vel Clauſtralis.* Claustrales in principali Cœnobio, Obedientiarii habitant in Cellis. Idem capitulum statim posteà per Obedientiarios intelligit quosvis Monasteriorum Officiales. Quòd nempè omnes sint manuales. Undè & noster Ordo quævis Officia vocat Obedientias. Capituli istius Decreta exstant in additamentis Matthæi Parisiensis. Rationem, ex qua Cellæ vocentur Obedientiæ, suprà audivimus à Chronico Valciodorensi: *Debet velut membrum capiti adhærere, & in omnibus obedire.* Et antiquum apud Lucam Dacherium Gemblacensis Monasterii Chronicon affirmat *Præpoſituras eſſe nomine & merito Obedientias.* Etenim etiam Cellæ Prior aut Præpositus est manualis ad nutum Abbatis. Quintum denique nomen habemus in diplomate, quo Gregorii noni pro Sancti Benedicti Ordine Decreta innovavit Innocentius quartus: *Ne in Prioratu ſive Gangria unus Monachus ſolus commoretur.* Et iterùm: *Nullus Abbas vel Prior Prioratum vel Gangriam perſonis ſæcularibus donare præſumat.* Exstant hæc in eisdem Matthæi additamentis.

Lib. 4. Ep. 7.

Fol. 172.

Tom. 6.

Act. 4.

Et hinc nascitur quæstio, Quæ sit prima harum Cellarum origo? Respondeo è Sancti Benedicti Regula nullam fieri Cellarum memoriam. Hinc quidam existimant has esse ista posteriores. At certum est labi. Etenim & Agathensem & Epaonensem, quæ Cellas lucidè laudant, Synodos constat esse Sancto Benedicto anteriores. Et adversùm Eutychetis fautores, qui se jactabant Archimandritas, in Chalcedonensi Synodo intercesserunt veri Archimandritæ: *Hypſius in monumentis habitat, habens duo vel tria nomina in Xylocirco. Callinicus habet decem nomina in Memoria in Xylocirco. Gaudentius in monumentis habitat, habet quinque nomina in Philippianis.* *Rogamus aliquos mitti à veſtra Magnificentia, & à veſtra Sancta Synodo, ut ambulent & videant Monaſteria eorum, & diſcant ſi habeant Monaſteria, an deludant, & noceant honoribus Archimandritarum. Et amodo debent accipere diſciplinam, ut non ſe dicant Archimandritas, qui in monumentis habitant.* Nos Latini diceremus: Non sunt Cœnobiorum Abbates, sed Cellarum Præpositi aut Priores. An tamen ista Monasteriola ab aliquo majori Monasterio, tanquam membra à capite, dependerint apud Græcos, non possim constans affirmare. De Gallicanis interim Cellis statuunt & Venetica & Agathensis Synodus: *Abbatibus ſingulis diverſas Cellulas, aut plura Monaſteria habere non liceat, niſi tantùm propter incurſum hoſtilitatis intra muros receptacula collocare.* Anteà igitur unus Abbas habebat plures Cellulas: Et ipsas, non minùs quàm duo Monasteria, Gallicani Episcopi judicarunt per unum Abbatem non posse plena sollicitudine gubernari. Et quoniam in modicis congregatiunculis rarò viget regularis disciplina, cum laudata Agathensi etiam Epaonensis Synodus sanxit ipsas deinceps non erigi sine consensu Episcopi. Nempè anteà ipsas, quòd non plena Monasteria, sed dumtaxat Monasteriorum appendices essent, Abbates sua auctoritate erigebant. Verùm prior sanctio non permansit. Paucorum enim Monachorum Cellula, nisi ipsam in Sarabaiticum conventiculum degenerare velis, subesse debet alicui pleno Monasterio. Et hinc sub Ludovici Pii Imperio Benedictini Abbates in Aquisgranensi Conventu statuerunt: *Abbatibus liceat habere Cellas, in quibus aut Monachi ſint, aut Canonici.* Agathense ac Epaonense, quòd nunquam fuisse in mores plenè admissum demonstrat superiùs laudata Marculphi formula, Decretum circumduxerunt.

Cap. 9. Cap. 38.

De Cellarum origine scribit in opere de Fulbertus Monasterii antiquitatibus Christophorus Brouverus: *Cum Regum liberalitate, & Chriſtianorum fidelium prompto in naſcentis hic pietatis cultores benè faciendi ſtudio prædia, fundi, villæque complures jam tum Monaſterii opibus acceſſiſſent, quo fructuoſior horum & fidelior eſſet adminiſtratio, Majorum auctoritate & conſilio proviſum eſt, ut cultioribus fertilibuſque locis Presbyteros Monachos præficerent, & ad continuandum in Officio ſervos, & colonos ritè gubernandos, inibi Eccleſias conſtruerent. Hos verrò Presbyteros vocabant Præpoſitos, quorum id munus erat, Parochorum inſtar veterum, congregationi Fuldenſi miniſtrare ſumptum, & præbere ad victum cultumque neceſſaria, reficere domeſticos ultrò citroque commeantes, hoſpitio excipere peregrinos.* Quæ verba laudat & probat in Tractatu de Monachorum Cellis etiam Benedictus Haefstenius. Ambo assertionem suam probant ex Sancti Lupi Abbatis Ferrariensis ad Ludovicum Abbatem Epistola, quæ Sancti Judoci Cellam à Ludovico Pio datam suo Monasterio queritur jam ablatam, postulat reddi, atque adjungit: *Inde cera Eccleſiæ, fratribus*

L. 1. c. 7.

Cap. 1.

Ep. 43.

& famulis vestimenta, pisces, caseus, & legumina ministrabantur. Quæ omnia largiùs exponit
Ep. 45. idem Sanctus Abbas in litteris ad Regem Carolum Calvum. Et de Rabano Mauro Abbate, ac per diversas Provincias sparsis Fuldensis Cœnobii patrimoniis scribit Monachus Radulphus: *Alia per Laicos, alia verò, præsertim quæ Ecclesiis instructa, Presbyteris procuranda atque disponenda committebat*. Ex similibus testimoniis Brouverus & Haefstenius Monachales olim Cellas fuisse prædiorum Præfecturas, omnia ipsarum bona ex integro spectasse ad principale Monasterium, & unicum Presbyterum Monachum affirmant in ipsis habitasse.

Verùm hæc omnia lucidè deviant, & Sancti Benedicti Regulæ capitaliter adversantur. Ipsi etiam Sancto Lupo & laudato Radulpho. Lucet ex istius Epistola ad Imperatorem Lotha-
Ep. 11. rium: *Cellam Sancti Judoci, quam Magnus Carolus quondam Alcuino ad eleemosynam exhibendam peregrinis commiserat, Pater vester nobis ea ratione concessit, ut quòd eleemosynæ superesset, in nostrum usum cederet*. Lucidè affirmat isti Cellæ fuisse ad fratrum isthic commorantium sustentationem & transeuntium pauperum solatium propria bona, & sola istis superflua potuisse transmitti ad Abbatiam Ferrariensem. Et ita fuit in omni semper Cella. Hinc dum Monastica disciplina deficeret in Sancti Dionysii Cœnobio, meliores fratres migrarunt *in Cellam majoris Monasterii*. Quòd nempè illìc essent propria ad victitandum bona. Ita habes in Edicto, quo Ludovicus Pius reformavit istud Monasterium. Ubi per majus Monasterium nequaquam intelligitur isto titulo famosum Sancti Martini Turonense, sed ipsum Sancti Dionysii: Quòd nempè quodvis Monasterium sit majus respectu suarum Cellarum. Et de Cella in Aldenmunster scribit Udalricus vigesimus quintus Abbas Laurishamensium: *Nos Cellam Aldenmunster, primitivam Ecclesiæ nostræ Matrem, diu desolatam renovamus, & ad Divinæ Religionis augmentum fratres nostræ professionis ibidem adunamus. Quorum usibus & sustentationi nos per omnia prospicere satagentes, præter cætera præfato nostro Monasterio collata, Curiam nostram in Sachsenheim, ad nos solummodo spectantem, cum omnibus pertinentiis suis eidem Cellæ tradimus*. Vocat primitivam Ecclesiæ suæ Matrem, quod isthic fuissent prima Monasterii exordia. Laurishamum fuerat dumtaxat Cella. Sic Monasterium in Cellam defecit, Cella profecit in Monasterium. Et ei Udalricus, quòd fratrum Claustralium portionem nollet diminuere, adscripsit proventus de sua mensa. Et Calixti secundi Tholosana Synodus laudat *Cellam de Gordanicis cum suis rebus*. Ipsam Anianense Monasterium ab Imperatore Ludovico Pio, Arelatensis Ecclesia à Bosone Burgundiæ Rege donatam, Casa Dei sibi ab eadem Ecclesia asserebat infeudatam, atque ita coram laudati Pontificis atque etiam Paschalis secundi variis Synodis de ipsa litigarunt. Et de Commendatariis à Lotharii regno usque ad Arnulphi Imperium Lobbiensis Monasterii Abbatibus scribit Gemblacensis Monasterii Chronicon: *Omnes isti, dum magnis Abbatiæ reditibus carere nolebant, & Præposituras, quas nomine & meritò obedientiæ Religiosis & timoratis viris committere debebant, quasi rusticanas villicationes annuatim pretio dabant & adimebant*. Abbatiæ & Præpositurarum bona lucidè distinguit. Hinc & ad Henrici quarti Anglorum Regis Proceres concionatur apud Thomam Walsinhamensem Thomas de Arondel Archiepiscopus Cantuariensis: *Vos consilium dedistis Domino nostro Regi, ut confiscaret bona Cellarum, quæ Gallici vel Normandici possident in Anglia, dicentes ei per hæc divitias accumulandas in magna copia*. Affirmat Regem exindè devenisse in pauperiem. Ecclesiastica enim bona, dum invaduntur à Regibus, ipsorum sæcum faciunt esse pertusum. Et de Hervæo, quarto decimo Abbate, scribit majoris Monasterii Chronicon: *In hujus tempore acquisitum est Lehonense Cœnobium cum domo & balleolo, & omnibus aliis pertinentiis suis. Pro Prioratu illo multùm gravatus est in expensis viginti millium solidorum, & eo ampliùs, quia quidquid ad illum Priotatum pertinebat, dirissimo pignori obligatum erat*. Et de quarto decimo ad Sanctum Albanum Abbate Paulo scribit ejusdem Cœnobii Monachus Matthæus Parisiensis: *Cella de Binham cum terris, Decimis, & omnibus tunc temporis ad eam pertinentiis, Ecclesiæ Sancti Albani, industria hujus Abbatis, est collata*. Et de proximo Successore Richardo: *Procurante Richardi industria, data est huic Ecclesiæ Ecclesia Sanctæ Mariæ de Wymundam in Cellam, cum omnibus ad eam pertinentibus*. Et de proximo Successore Gaufredo: *Gaufredus construxit Cellam* Sanctimonialium, *& contulit ei quasdam possessiones & reditus, quibus vitam valerent honestam, etsi exilem, sustentare*. Et terras ac pascua, ad Sancti Cosmæ Cellam longo præscriptionis titulo pertinentia, laudat & impugnari queritur in litteris ad Gaufredum majoris Monasterii Abbatem Petrus Blesensis. In-
Ep. 117. numera sunt hujusmodi testimonia.

Et hinc Abbas nequibat spoliare Cellas, aut ipsarum proventus in suam mensam aut Abbatialem Conventum transcribere. Etenim de decimo nono Abbate Roberto scribit majoris Monasterii Chronicon: *Robertus fecit fieri Capellam de Mentenay. Et de assensu Capituli generalis, durante vita ipsius, in compensationem cœpit Manerium Sancti Remigii, dicto Prioratui de Mentenayo pertinens. Et hac de causa sui Successores semper de pòst contra rationem illud detinuerunt*. Nempè nec istius Manerii fructus, etiam ex tanta causa, potuisset sine generalis Capituli auctoritate sibi adsumere. Undè & Successores ipsum non possedisse dicuntur, sed detinuisse. Quidam olim Hispaniarum Episcopi suarum Pagensium Ecclesiarum invasas possessiones adscripserant suæ mensæ, aut Cathedrali Ecclesiæ: Eos compescuit & ad restitutionem compulit nona Toletana Synodus. Et adversùm morosos ex tricennaria possessione præscriptionis allegatores edixit Rex Wamba: *Cupiditatem tricennio fovent, & rapacitatis studia temporum præscriptionibus cumulant, & qui admissum facinus ad momentum delere debuerant, annosa id oppositione solidare contendunt*.

dunt. Quantæ igitur impietatis ille credendus est, qui ad hoc laborat, ad hoc etiam propositioni suæ vires exaggerat, ut per tricennium se recognoscat Deo injuriam intulisse, quam tamen exacto tricennio restituat emendare. Exstat Edictum in quarto Gothicarum legum libro. Eodem jure nequit Abbas cellarum jura præscribere, ideoque laudatum Chronicon dixit istud Manerium fuisse non possessum à Roberti successoribus, sed detentum. Et addit de vigesimo tertio Abbate Petro: *Petrus de facto accepit aurum & argentum, quæ Simon prædecessor ipsius dederat Prioratui de Sparnone*. Dicit, *De facto*: Quòd nempè Petrus de jure id non potuisset. Vixit hic sub Pontificatu Clementis quinti, ideoque adversùm similes tunc grassantes Abbatum excessus statuit Vien-
Lib. 1. tit. 5. c. 1. nense Concilium: *Diœcesani nullo modo permittant, quòd Prælati Prioratus, Ecclesias, Administrationes, aut beneficia hujusmodi applicent mensis suis, pensionesve novas eis imponant, aut veteres augeant, sive ipsis de novo impositæ seu auctæ solvantur*. Nec novum hoc jus est: Esse dumtaxat veteris juris innovationem, possit facilè demonstrari. Porrò pensio est antiquum & generale subjectionis debitum. Hinc & omnes Parochiales Ecclesiæ Episcopo suo debent Cathedraticum, seu honorem Cathedræ. Et omnia exempta Monasteria atque Ecclesiæ etiam Romano Pontifici aut alteri Patriarchæ aliquid annuum semper præstiterunt. Quædam Cellæ debebant ex alio etiam titulo; vario. Nam quòd Sancti Judoci Cella Ferrariensi Abbatiæ deberet omnia sua superflua, suprà audivimus à Sancto Lupo.

Rationem, quæ Cellarum proventus non patiatur derivari alio, edicit in litteris ad Guilielmum Remensem Archiepiscopum Stephanus Epi-
Ep. 199. scopus Tornacensis: *Accessi ad Ecclesiam de Bredenai, & occurrit prima facie grande miraculum nobis, triste spectaculum nostris, ridiculum alienis. Didicimus à vicinis, quòd in Ecclesia solebat Monasticus Ordo sub duodenario fratrum numero Conventualiter observari, Divinum regulariter celebrari officium: Pauperes alimoniam, Peregrini hospitium, solatium infirmi reportabant. Et ecce in contrarium versa sunt omnia. Diruta sunt ædificia, silent officia Divina, dum non sit ibi vel unus Monachus, qui celebret ea. Redactus est locus in solitudinem, factus sicut umbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario. Possessiones amplæ & uberes Decimæ, quibus alebantur Monachi, distractæ sunt sub hypotheca, dominio premuntur alieno. Verumtamen Presbytero commissa est illa misera & ancillata Ecclesia, cum ibi deberet Prior esse, & aliis Monachis præesse. Plangunt & dolent Parochiani, de quorum donis, & prædecessorum oblationibus, Ecclesia illa dotata fuit & ditata. Plangunt & clamant in auribus Domini Sabbaoth, & ultionem à Deo & correctionem expetunt & exspectant. Hæc attendentes, & tacti dolore cordis intrinsecùs, consilio prudentium virorum, qui nobiscum aderant, ad correptionem & correctionem Zelo Domus Dei comedente nos accingemur, sub interdicto concludentes illam desolatam & lachrymabilem Ecclesiam, & prohibentes ne Divina ibi celebrentur officia, & ne Parochiani Decimas vel oblationes, aut alios*

aliquos Parochiales proventus reddant, quousque consuetus Monachorum numerus deducatur ad locum, & Prior ibi instituatur, qui aliis præesse debeat & prodesse. An istius Cellæ proventus fuerint applicati mensæ Abbatiali, an Monachorum luxu aut incuria profusi, ignoro: Interim erant dissipati. Hinc Abbas processerat juxta antiquam, ab Alexandro tertio innovatam in Lateranensi Synodo, & posteà lucidiùs ab Honorio tertio expositam in litteris ad Burdigalensem Archiepis-
Lib. 3. tit. 37. tap. 4. copum, de depauperatis Cellis regulam: *Nonnulli Monachi in quibusdam Prioritatibus habitant solitarii. Mandamus, quatenùs ipsorum Abbates seu Priores ipsos ad claustrum revocent, facientes in ipsis Ecclesiis deserviri per Clericos sæculares*. Verùm quia Abbatis vel incuria vel avaritia depilarat Cellam, Stephanus Episcopus non acquievit: Abbatem per censuras Ecclesiasticas & sui Metropolitæ assistentiam compulit ad reparandam Cellam, reddenda omnia bona, & duodenos in ipsa Monachos reponendos. Fieri ab ipso jussit, quod ab Henrico Laurisha-
Abb. 40. mensi Abbate factum refert ejusdem Cœnobii Chronicon: *Henricus Cellam Nieuvvenburgh, post obitum sui Fundatoris Anselmi, Provisorum incuria penè desolatam, Divino instinctu, denuò resuscitavit, & aliquantis Deo servientibus ibidem collectis, ædificiis & possessionibus, & quibus poterat modis, non minimùm ampliavit*. Quod ipsum fecit & in aliis Cellis. Cellarum bona sunt adfixa loco, & ad populi isthìc jus pertinent. Fidelis populus aut ex Fundatoris singulari, aut certè ex Matris Ecclesiæ generali voluntate jus habet, ut in suæ habitationis loco fiant solemniter Divina Officia, eleemosynæ in pauperes, aliaque pia opera Monasteriorum. Et hinc quòd Abbas Cellam exstinguere, transferre, aut alteri unire non possit sine populi venia, est concors & constans sententia Doctorum. Apostolica, aut saltem Episcopalis auctoritas, & gravissima causa omninò debent adesse. Nam ab Abbatibus Lobbiensibus, qui Cellas suæ mensæ univerunt, & Divina & humana fuisse confusa scribit Chronicon Monasteri Gemblacensis.

Objici his possit apud Lucam Dacherium exstans diploma, quo Benedictus tertius confir-
Tom. 7. mavit bona & jura Corbeiensis Monasterii: *Ab omnibus, quæ Corbeiensi Monasterio oblata vel possessa fuerint in pecuniis, agris, prædiis, domibus, Cellis, vel Ecclesiis, nihil sibi præsumat Episcopus, aut quicumque Ministrorum ejus*. Non solùm pecunias & agros, sed etiam Cellas, utique cum suis bonis, affirmat pertinere ad principale Monasterium. Et de Gordanicensi, quam Ecclesiæ suæ à Bosone Rege datam asserebat Arelatensis Archiepiscopus, Cella statuit in Tholosana Synodo Calixtus secundus: *Fratrum nostrorum sententia judicatum est, Archiepiscopum debere super Cella revestiri*. Quòd nempè Regia donatio omnia Cellæ bona in Arelatensis Ecclesiæ proprietatem transtulisset. Et de præsenti inter Joannem Abbatem & Albertum Monachum lite edixit nostra Beneventana Synodus: *Judicio totius Synodi est definitum, Monasterium beati Vincentii debere perpetualiter investiri de*

tes Narbonenſis Provinciæ : Clemens quintus reduxit ad duos. Sex olim eſſe juſſerat Aquiſgranenſis Abbatum Conventus. In Bredenacenſi duodecim, in Gornajenſi ad Pariſienſem Sancti Martini de campis Abbatiam ſpectante Cella Fundator eſſe juſſit Monachos viginti. Fixa per Fundatorem lex eſt Sacro-ſancta : Et ab ipſa fixum variis Cellis varium numerum videre poſſis apud Martinum Marlier in Hiſtoria jam laudati Pariſienſis ad Sanctum Martinum Cœnobii. Lib. 4.

Porrò de ſanctæ Mariæ Cella Roiffredus Gomes fecerat, quod de Sancti Judoci Cella factum fuiſſe à Comite Rhodigno queritur apud Carolum Calvum Regem Sanctus Lupus Abbas Ferrarienſis : *Cellam Sancti Judoci, quam Pater veſter nobis conceſſit, per ſubreptionem Rhodingus à vobis obtinuit.* Quod enim olim Reges non dum taxat Cellas, ſed & Abbatias poſſiderent tamquam alodiales proprietates, ſuiſque etiam militibus darent, aut etiam venderent, omni Eccleſiaſticæ antiquitatis perito eſt manifeſtum. Et hinc Roiffredus Comes de ſanctæ Mariæ Cella etiam fecit, quod de Pariſienſi Sancti Victoris Maſſilienſis Cella fuiſſe factum à Ludovico ſeptimo Francorum Rege ſcribit magnum Belgii Chronicon : *In Domum vel Monaſterium Sancti Victoris Pariſienſis, quæ erat Prioratus nigrorum Monachorum Sancti Victoris de Maſſilia, ejectis prædictis Monachis adductus eſt Conventus Regularium de Sancto Rufo de Valentia, per Magiſtrum Hugonem qui dictus eſt de Sancto Victore, & Regis Franciæ auctoritate.* Roiffredus, licèt alterius Regulæ Monachos non intruſerit, Cellam tamen à Sancti Vincentii Abbatia abſcidit ac emancipavit, erexitque in Abbatiam. Commiſit duplicem exceſſum. Primò, alienam Cellam invaſit. Deindè, ipſam emancipavit. Nam & in alodiali Cella hoc non poterat. Privativè ſpectabat ad Abbatem, aut certè ad Sedem Apoſtolicam. Hinc in ipſum, Albertum Monachum, ac ipſam Cellam à Sancto Leone nono datum judicium Nicolaus ſecundus hac in Synodo confirmavit. Epiſt. 31.

CONCI-

CONCILIUM ANDEGAVENSE

CELEBRATUM A STEPHANO Romanæ Eccleſiæ Presbytero Cardinali,

NICOLAI SECUNDI

PER GALLIAS LEGATO.

AB Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, anno milleſimo ſexageſimo, indictione decima tertia, Kalendis Martii, Luna decima tertia, quarta feria, præſidente Stephano Catholicæ urbis Romæ Cardinali Presbytero, & Apoſtolicæ Sedis Vicario, in Baſilica Sancti Mauritii, Sociorumque ejus, ſancta Synodus, quæ ex Præcepto Domini noſtri beatiſſimi Summi Pontificis, & univerſalis Papæ Nicolai, Turonis, quæ eſt Metropolis Galliæ, convenit, propoſitis Sacroſanctis Evangeliis, & præmiſſis ad Deum intentiſſimè precibus, diligenti conſideratione retractatis iis, in quibus Eccleſiarum ſtatus in toto penè orbe, & maximè in Galliis vacillare & peſſumdari videbatur, quæ breviter infrà placuit annecti condigna ſollicitudine definivit.

SCHOLION.

HAnc Synodum pro ſuorum Decretorum apud Gallos executione celebrari juſſit Nicolaus Pontifex. Ipſam cum Sancti Lanfranci vita & operibus publicavit Lucas Dacherius, Berengarii errores refert, atque adjungit : *Neò mirum ſanè, ſi hac ipſa tempeſtate adeò fatale monſtrum emerſerit, quandoquidem exularat probitas, peſſum jerant boni mores, & pecudum more cœno voluptatum omnes, Eccleſiaſtici potiſſimùm viri, convolutabantur. Atque ideò oportet hæreſes eſſe, inquit Apoſtolus, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant. Pœnam etenim peccati eſſe hæreſim, unanimi conſenſione aſſerunt ſancti Patres. Tantis malis ut occurreret ſummus Eccleſiæ Paſtor Nicolaus, Concilium, vices illius gerente in Gallis Stephano Cardinali, voluit celebrari.* Videtur indictum in Turonenſem Metropolim, verùm ob necdum ſe curam Berengarii cauſam fuiſſe translatum in civitatem Andegavenſem. Et quia erroris non meminit, creditur ille à ſua apud Nicolaum Pontificem profeſſione uſque tunc non reſiliiſſe.

CANON

CANONI.

SAncti Spiritus auctoritate, ut credimus, in Chalcedonensi Synodo sententia de Simoniacis probata sic ab omnibus observetur, quatenùs quicumque deinceps pecunia, aut aliqua inconveniente conventione sæculari, aut quolibet modo contra Canonicam Censuram, Episcopatum, aut Abbatiam, aut Archidiaconatum, seu Archipresbyteratum, aut aliquam dignitatem Ecclesiasticam, sive aliquem gradum, vel Ministerium, vel beneficium, quod non nisi Clericos habere Sanctorum Patrum sancivit auctoritas, dare vel accipere quolibet modo Canonibus contrario tentaverit, & dans à proprio decidat gradu & dignitate, & accipiens Ministerium seu beneficium malè usurpatum numquam recuperaturus amittat.

SCHOLION.

LIcèt è Chalcedonensibus Canonibus nullum confirmârit, & quosdam disertè circumduxerit atque damnarit Magnus Leo Pontifex, hunc tamen adversùs Simoniacos tandem admisit Magnus Gregorius, ejusque judicium Romana Ecclesia constanter est huc usque secuta. Quod ipsum sequitur & præsens Canon. Hinc addit illum à se credi Sancti Spiritus auctoritate probatum. Hæc verba: *Quod non nisi Clericos habere Sanctorum Patrum sancivit auctoritas*, existimo addita propter Officium Ecclesiastici Defensoris seu Advocati. Prior solis Clericis, posterior disciplina ipsum permisit etiam Laicis. Hinc ejus nundinationem, licet de crimine, non tamen de Simonia credo hic damnari. Quod locum non habet in Romana, aut quavis alia, Defensoribus custodiente antiquam dignitatem, Ecclesia. Gallicana semper dilexit antiquos Canones, & ex ipsis per Apostolicam Sedem aut Provinciarum Synodos deprompta Decreta: Hinc Simoniacis à Nicolao Pontifice inflictas pœnas apud Gallos promulgaturus ac executurus Cardinalis Stephanus, demonstrandum duxit ipsas hausitas ex antiquo fonte, ideoque laudavit Canonem Chalcedonensem. Nam & ipso adversùm Galliæ Simoniacos olim usus fuerat Magnus Gregorius.

Porrò Archidiaconum Archipresbytero anteponi est antiquissima omnium Ecclesiarum consuetudo. Ipsam aliqui probant ex Sancti Eulogii libris, in Photii Bibliotheca exstantibus, adversùm Novatianenses: *Eulogius refert Novatianenses, Cornelio Pontifice, Romanæ Ecclesiæ esse creatum Archidiaconum, ad quem ipsum Pontificium, pro qualitate temporis more, decedente è vita Pontifice, electio debatur. Archidiaconum enim succedere Summo Sacerdotio statutum erat. Verùm hunc superbia lacerantem Cornelius, & in suam mortem imminentem cùm cognovisset, Presbyterum ordinat, omnes sic illi spes ad supremam Cathedram perveniendi præcidens.* Lucidè affirmat Archidiaconatum apud Romanos fuisse primum ab Episcopo gradum, omni Presbyterorum dignitate superiorem. Verùm ex quo fonte hæc Eulogius acceperit, ignoro. Certum est falli. Certum est Novatianum non Archidiaconum, sed Romanæ Ecclesiæ fuisse Presbyterum, non sub Cornelio, sed sub Antecessore Fabiano. Certum est de Archidiaconi in Pontificatum successione nullum istic exstitisse Institutum aut legem.

Fol. 182. 180.

Quocircà firmior sumitur probatio ex Arabicis Canonibus, quos uti certum est non esse Nicænos, ita certum est esse antiquos. Canon quinquagesimus septimus in solemni Ecclesiæ confessu primum Episcopo, secundum Archidiacono, tertium Chorepiscopo, quartum locum dat Archipresbytero, & adjungit causam: *Archidiaconus est loco Episcopi, & præest omnibus quæ ad orationem & Ecclesiam pertinent.* Archipresbyterum non nisi absente Episcopo donat primo loco. Canon quinquagesimus octavus Archidiaconum & Chorepiscopum affirmat esse duas Episcopi alas, illum non solummodò in Ecclesia, sed in omni loco mandat esse dextrum, hunc sinistrum. Nec refert quod Archidiaconum Chorepiscopo ac Archipresbytero quandoque postponant iidem Canones. Tunc enim ipsorum ordinem ex consecrationis charactere attendunt, non ex gradu dignitatis. Consonat in Sancti Ezechielis Commentario Sanctus Hieronymus, scribens de cunctis generaliter Diaconis: *Ignorant humilitatem status sui, ultra Sacerdotes, hoc est, Presbyteros intumescunt, & dignitatem non merito, sed divitiis æstimant.* Et pergit de Archidiacono: *Certè qui primus fuerit Ministrorum, quia per singula concionatur in populos, & à Pontificis latere non recedit, injuriam putat si Presbyter ordinetur. Et non meminit mensarum & viduarum Minister in obsequium se & Ministerium non solùm Sacerdotum, sed & viduarum & pauperum delegatum.* Quòd cuncti, Romani præsertim, Diaconi, non ordine & charactere, sed dignitate se Presbyteris anteferrent, pluribus ostendit & carpit Sanctus

Cap. 41.

Qu. 101. Hieronymus in Epistola ad Evagrium. Confirmat prima Arelatensis Synodus, & rationes producit apud Sancti Augustini Appendicem Auctor quæstionum veteris & novi Testamenti. Hic est Canon Arelatensis: *De Diaconis Urbicis, ut non aliquid per se præsumant, sed honor Presbyteris reservetur.* Et huic haud dubiè Canoni suas in laudata epistola querimonias superædificavit Sanctus Hieronymus. Interim Canon statuit in solos Diaconos, non in Archidiaconum, atque ità ille perseveravit Presbyteris honorem non reservare. Permansit in possessa per Sanctum Laurentium dignitate, quem fuisse *Sacrarii Præsulem*, id est, totius Cleri in Choro Primatem, affirmat in encomiastico ipsius sermone Sanctus Leo Magnus. Quin imò quòd quidam hinc indè Diaconi etiam Sacrificium offerre, & Pœnitentes reconciliare attentarint, ideoque etiam quoad characterem noluerint Presbyteris haberi inferiores, docent laudata Arelatensis Synodus, Eliberina item & Ancyrana, necnon quædam Sancti Cypriani Epistolæ, quarum genuinum sensum in erudito de Pœnitentia opere insigniter exponit Joannes Morinus. Et quòd Archidiaconi in Presbyteros consecrari noluerint, ac per talem consecrationem sub honoris fuco se degradari frequenter questi fuerint, demonstrat Ætius

Ep. 57. Constantinopolitanus, & Honoratus Archidiaconus Salonitanus. Etenim adversùs istiusmodi degradationem ille Anatolium ad Magni Leonis Papæ, hic Natalem suum Episcopum provocavit ad Tribunal Magni Gregorii. Quòd nempè omnibus Presbyteris essent loco & dignitate majores. Eruditè hæc elucidat in litteris ad Richardum Londinensem Episcopum Petrus Blesensis: *Simplices Diaconi, urgente necessitatis vel utilitatis instantia, juxta Carthaginense Concilium ad eminentiores ordines possunt cogi; sed quòd ad hoc de jure arctari possit Archidiaconus, numquam legi. Imò è diverso Beatus Gregorius præcipiendo decrevit Natalem Episcopum Salonitanæ Ecclesiæ & usu & honore pallii destitui, quia Honoratum ejusdem Ecclesiæ Archidiaconum invitum fecerat in Presbyterum ordinari.* Et adjungit causam: *Dignitatis turbato ordine Archidiaconi hodiè Sacerdotibus præeminent, & in eos vim & potestatem suæ jurisdictionis exercent. Eapropter Archidiaconum in Presbyterum promoveri non est honorem ejus augeri, sed minui.* Ex hisce principiis laudatus Scriptor ex Bathonienſi Archidiacono numquam voluit in Presbyterum consecrari.

Lib. 2. Ep. 15.

Ep. 123.

Archidiaconi ante Presbyteros præcedentiam fateor esse turbatum dignitatis Ordinem, at nego esse, aut tunc fuisse hodiernum. Nam & antiquus dignitatum & Officiorum in magna Constantinopolitana Ecclesia Catalogus tres dignitatum & Officiorum quinarios præponit Protopapæ seu Archipresbytero, quos certum est olim fuisse dumtaxat Diaconos. Uti Romæ Cardinales Diaconi Episcopos, ita Constantinopoli quindecim isti Diaconi præcedebant Presbyteros: Præsertim quinque priores, quos à singulari aureæ crucis ornamento vocabant Crucigeros. Et quin olim omnes istos antecesserit Magnus Archidiaconus, non est dubitandum. Hinc enim ad Lucium Pelusii Archidiaconum scribit Isidorus Peluſiota: *Si venerandi Altaris Diaconi sunt oculi Episcopi, profectò cùm tu ipsis præsis, totus oculus esse debes, quemadmodum animalia illa plurimis oculis prædita.* Et in alia ad eundem Epistola: *Oculi Episcopi sunt venerandi Altaris Diaconi. Tu verò cum horum sis Princeps, totus debes esse oculus.* Lucidè affirmat Archidiaconum esse omnibus Diaconis, & quoad personas & quoad functiones Præfectum ac Principem, ideoque debere esse plenum oculis, ac totum oculum. Quòd in omni olim Ecclesia Archidiaconus fuerit omnium Diaconorum Primas, manifestius est quàm ut demonstretur. Est traditio Apostolica. Etenim Sanctum Stephanum fuisse Hierosolymitanæ Ecclesiæ Archidiaconum, ideoque cæterorum Primatem ac Ducem Patres unanimiter affirmant.

Lib. 1. Ep. 29.

Lib. 4. Ep. 188.

Quem morem viguisse etiam in Constantinopolitana Ecclesia, demonstrat Sanctus Leo Magnus, de Andrea, quem Eutychianæ Hæreseos suspectum Anatolius Episcopus promoverat in Archidiaconum, scribens ad Imperatorem Martianum: *Catholicis Diaconis postponi debuit: non præponi.* Et de Theophili Patriarchæ Alexandrini in se violentiis scripsit ad Innocentium primum Pontificem Sanctus Joannes Chrysostomus: *Theophilus, multa auctoritate vocato ad se Archidiacono meo, quasi jam Ecclesia viduata esset, ac Episcopum non haberet, Clerum omnem sibi per illum adjunxit.* Palàm asserit Archidiaconum fuisse primum ab Episcopo, Principem totius Cleri. Quòd forsan ex tunc quinque Crucigeri Diaconi omnibus præeminerent in ista Ecclesia, atque ita Archidiaconus supremum haberet Primatum. Hinc etiam de Sancto Antiochiæ Patriarcha fidem Catholicam prædicante Meletio, ac ejus Hæretico Archidiacono scribit Hermias Zozomenus: *Dicitur Archidiaconus illius Clerî, dum Meletius concionaretur, ad illum accurrisse, & ejus os manu obturasse.* Et Episcopum suum Ibam, non solùm de indignorum ad Episcopatum provectione, sed de alio insuper circa hæc articulo accusavit Edessenus Clerus: *Prohibitus ab eo, qui tunc Archidiaconus erat, indignatus est.* Et de suo Diacono Mara dixit idem Ibas ad Chalcedonense Synodum: *Maras excommunicatus est à proprio Archidiacono.* Et Joannem Falerionensis Ecclesiæ Archidiaconum, quòd Ecclesiasticam substantiam dilapidanti Episcopo restitisset, & ab illo sustinuisset degradationis opprobrium, laudat atque per vicinos Episcopos reparari mandat Gelasius Pontifex. Epistolam cum Romana Bonifacii secundi Synodo nuper vulgavit illustrissimus Lucas Holstenius. Hæc omnia evincunt Archidiaconum in omni Græcorum Ecclesia fuisse totius Cleri Primatem. Hinc enim in dogmate aut in disciplina excedentem Episcopum non Archipresbyter, sed Archidiaconus admonere debebat & frœnare. Hinc item non minùs quàm Episcopus non tantùm Diaconos, sed etiam Presbyteros poterat excommunicare.

Ep. 57.

Cap. 4.

Act. 10.

Ep. 36.

Quæ omnia dudum viguisse etiam in Latina Ecclesia, jam statim audivimus à Petro Blesensi.

senſi. Conſonat in litteris ad Ludifredum Cordubenſem Epiſcopum Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis Archiepiſcopus: *Archipresbyter ſe eſſe ſub Archidiacono, ejuſque Præceptis, ſicut Epiſcopi ſui, ſciat obedire.* An Sancti Iſidori legitima ſit iſta Epiſtola, ignoro: Nec deeſt ratio dubitandi. Eam interim ipſi adſcribunt non tantùm in ſuis diſtinctionibus de Conſecratione Gratianus, ſed etiam in ſuo Decreto Sanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus. Quin & integrum, ex quo deſumpta videntur laudata verba, Conſtitutum producit in ſuo Decreto, & primo Toletano Concilio adſcribit Burchardus Epiſcopus Wormatienſis. Quare certum eſt ipſum eſſe antiquum. Cujuſcumque ſit, modò eſt authenticum. Etenim ipſum probavit in ſuis Decretalibus, ac eidem Concilio adſcripſit Gregorius nonus. Inſeruit & hanc Romani Ordinis Regulam: *Primicerius ſciat ſe eſſe ſub Archidiacono, ſicut & Archipreſbyter, & ad ejus curam ſpecialiter pertinere.* Et diplomati, quòd de conſecrata à ſe Caſſinenſis Monaſterii Baſilica emiſit Alexander ſecundus, primus poſt hunc, etiam ante omnes Cardinales Epiſcopos, ſubſcribitur *Hildebrandus, qualiſcumque Romanæ Eccleſiæ Archidiaconus.* Exſtat diploma apud Bartholomæum Chioccarellum in Catalogo Epiſcoporum Eccleſiæ Neapolitanæ. Et ex his plurimùm firmatur juſtitia moris, quo cunctos Cardinales ſuos Presbyteros ac Diaconos quibuſvis non Cardinalibus Epiſcopis jam dudum antepoſuit Romana Eccleſia.

Verùm ad Panſophium neſcio cujus Eccleſiæ Archidiaconum rectè ſcripſit Iſidorus Peluſiota: *Si Chriſti Altari miniſtras, da operam ut cum ipſius legibus munus tuum adminiſtres, atque corde humilem & ſubmiſſum te præbeas. Neque enim forenſem quandam Præfecturam atque Imperium faſtu & pompæ inſolentia tumidum tractas, ſed pacatum ac tranquillum miniſterium.* Etenim tantis auri & vani honoris exactionibus atque extorſionibus Clerum & populum vexarunt quidam Archidiaconi, ut ampliſſimè explerent perſonam illorum, de quibus ad Corinthios ſcribit Apoſtolus: *Si quis accipit, ſi quis devorat, ſi quis extollitur, ſi quis in ſervitutem redigit, ſi quis in faciem vos cædit.* Verùm quia hæc ſuſtinere omnis Chriſtianus populus non valuit, varia Epiſcoporum adversùm Archidiaconos emerſerunt medicinalia conſilia. Etenim antiqua, per Bernardum Medonium ex Caroli Munchalli Archiepiſcopi Tholoſani chartis publicata, de magnæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ dignitatibus & officiis notitia magnum Archidiaconum rejicit in ſecundum Chorum, & quidem in ejus antepenultimum locum: *Magnus Archidiaconus, ſecundus Diaconorum.* Hæc ſunt duo poſtrema officia. Uti à variis edita ex variis manu-ſcriptis, ita admodum varia eſt iſta notitia: Aliam laudatus Medonius, aliam Leo Allatius, aliam Joannes Goar, aliam Joannes Morinus, aliam Georgius Codinus, aliam alii ediderunt. Rationem ait in eruditis ad Georgium Codinum ſcholiis laudatus Goar: *Officiorum magnæ Eccleſiæ catalogum plura licèt oſtentent exemplaria manu ſcripta, pauca quæ ordinem ac numerum eundem obſervant, reperias. Hæc rerum humanarum conditio, ut mutationem in Eccleſiam, quia mortalium cœtus eſt, etiam inducat. Hæc rerum novandarum in Patriarchis libido, ut prioribus recentia vellent addita, antiquis nova ſuccedere, cuncta nonnunquam detruncarent. Ac ut reor, ex eorum placito fluxit, ut exemplarium in iis recenſendis diverſitas, eo quòd diverſis ætatibus pro diverſo Eccleſiæ officiorumque ſtatu exſcriberentur, emerſerit.* Per Medonium publicatæ conſonat per laudatum Goar in Euchologio publicata notitia, & adjungit: *Præter quindecim Officia & Clericata Sanctæ Eccleſiæ Sanctiſſimi Patriarchæ inſtituerunt minores Præfecturas ad Sanctæ Eccleſiæ ſubſidium. Magnus Archidiaconus, & ſecundus Diaconorum ſunt Officia.* Hoc eſt, ſunt duntaxat Officia, nequidem minores Præfecturæ. Lucidè hoc edicit alia ibidem notitia: *Magnus Archidiaconus & ſecundus Diaconorum cum dignitatibus magnæ Eccleſiæ non recenſentur.*

Et in jure Græco-Romano Conſtantinus Cabaſilas Dyrrachienſis Epiſcopus ac veteris Epiri Metropolita proponit has quæſtiones: *Archidiaconicum Officium cujus eſt ordinis, & cujus gradus? Et an præeſt omnibus Diaconis, quaſi & ipſe Archidiaconus ſit ex officiis Eccleſiaſticis? Et an præfertur omnibus in Divinorum Sacramentorum aſſumptione? Et an licet Antiſtiti ſuprà eos, qui priores ingreſſi ſunt, nihil autem habuerunt officii, aliquos præponere, qui neque ipſi ullum habeant officium, ſed pittacio ſolo & juſſu Prærogativam acceperunt?* Quod in quovis publico Conventu Clerici juxta ſuæ ordinationis gradum ac ætatem ſedeant, eſt perpetua & Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ conſuetudo, ideoque & traditio Apoſtolica. Et hinc prima Conſtantini quæſtio fuit: An ſenioribus ejuſdem gradus Clericis Epiſcopus poſſit juniores præponere, non duntaxat per impartitam dignitatem aut officium, ſed etiam per pittacium aut codicillum? In Theodoſiano ac Juſtinianeo codice, nec non in antiqua Romani Imperii notitia eſt frequens mentio hujuſmodi codicillorum, & de ipſis in decimi ſeptimi Apoſtolici Canonis Commentario ſcribit Theodorus Balſamon: *Quomodo multi Lectores, qui bigami fuerant, in ſuis gradibus conſervati, & per Archiepiſcopalia pittacia ſint ad majores gradus promoti, ignoro.* Et infrà: *Quomodo Lectores, qui ſecundas duxerunt uxores, per Archiepiſcopalia pittacia ad Domeſtica & alia Eccleſiaſtica Officia promoveantur, nobis dicere neceſſe eſt. Dicimus ergò, quòd Eccleſiaſtica Officia abuſivè gradus vocantur. Eſt enim propriè gradus Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, & Lectorum. Officia autem ſunt honores & victus ſubminiſtrationes. Undè qui fuit Lector ab ineunte ætate, & ſecundam uxorem duxerit, citra ullum impedimentum fit Clericus Eccleſiaſticus, & populi Convocator per pittacium, ſed non Subdiaconus vel Diaconus.* Nos Latini dicimus aliud eſſe Eccleſiaſticum Ordinem, aliud Eccleſiaſticum Officium aut Beneficium, & iſtum per Epiſcopalium manuum impoſitionem imprimi, hæc dari per Epiſcopales litteras, ſeu ſolemnes collationis aut diſpenſationis codicillos.

Et hinc ad præfatam quæſtionem reſpondit Joannes Cytri in Theſſalonicenſi Provincia Epiſcopus: *Præponere aliquos* Diaconos *per pittacia, etiamſi Officia habeant, ſuprà eos, qui priori loco ingreſſi ſunt, nullo modo eſt receptum, ut & manifeſtè iniquum. Ordo enim & conditio introitus Diaconorum tempore componitur, firmaturque, & eſt immobilis. Eis autem, quibus honor præ aliis conceſſus eſt, ſufficit ſacrificante Antiſtite, in introitu & in communicatione tunc tantùm præferri aliis, qui priores ſunt ingreſſi, non ob aliud, quàm quòd Officiis decorati ſint. Sine Antiſtite autem nullo uſquam modo hac prælatione fruentur: Cum ſi nec Officii jura habeant, major ſit iniquitas. Cur enim ſimplex Diaconus alii præferetur ſimplici Diacono, qui introitus Prærogativam habuit? Niſi iniquitatem amet Præſul, idque facere inconſideratè non dubitet.* Ità è Græco in Latinum tranſtulit Joannes Leunclavius: Verùm non per omnia rectè. Etenim in Græco habetur: Non ob aliud, quàm quòd *Archonticiis decorati ſint.* Et rursùm: *Cùm nec Archonticia habeant.* Ubi per *Archonticia* non intelliguntur Officia aut Officiorum jura, ſed ſolemnes Eccleſiaſtici Principis codicilli ſeu Archiepiſcopalia pittacia, per quæ juniori Diacono datur ante ſeniorem loci Prærogativa. Hujuſmodi enim pittacia, quòd dentur à ſolo Principe, rectè titulantur *Archonticia.* Attamen Leunclavii lapſus non caret fundamenti colore. Etenim & Conſtantinus Metropolita, & Joannes Epiſcopus agunt de ſimplice Diacono præponendo ante ſimplicem Diaconum ſeniorem, ideoque Leunclavius cenſuit ab hoc diſtingui inter ſimplicem Diaconum & Diaconum Officialem. Credidit Officialem poſſe, ſimplicem non poſſe præponi per pittacium. Et ſic in alium incidit lapſum. Quis enim neſciat ſex Crucigeros Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ac alios majoribus Officiis inſignitos Diaconos ipſo ſuæ dignitatis jure fuiſſe etiam Presbyteris prælatos, adeoque gratioſo contra Canones pittacio non indiguiſſe? Joannes ergo Cytri Epiſcopus reſpondet ſimplicem Diaconum juniorem ſimplici ſeniori Diacono nec per Epiſcopale verbum, nec per Epiſcopale pittacium præferri poſſe: Et iſtum præferendi modum eſſe hoc poſteriori iniquiorem. Et quia hunc ex Eccleſiarum conniventia attentabant quidam Epiſcopi, addit iſta pittacia non operari, niſi in Pontificali Miſſa: In ſola magni introitus proceſſione, ac in perceptione Euchariſtiæ. Quo ad alios actus cenſet pittacia nullatenùs admittenda.

Ad alteram Conſtantini Metropolitæ quæſtionem hæc reſpondit: *Archidiaconicum Officium non eſt Magiſteriale, nec ex liberalitate Pontificali, ut Magiſteriale, ſed eſt circumvolutionis multorum dierum terminus, ideoque ut temporis & proprii laboris donum Archidiaconus habet inter omnes Diaconos Prærogativam, ſive Officiis quibuſvis ornati ſint, ſive non ſint. Et tam in Templo & Sancto Altari, quàm in Divinorum Sacramentorum perceptione.* In quarta quæſtione Conſtantius ſex Crucigeros Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Diaconos vocavit *Officia Archontica.* Hic autem Joannes Epiſcopus Archidiaconatum aſſerit non eſſe *Officium Archonticium*, & hinc interum lapſus Leunclavius vertit *Officia principalia*, & *Officium Magiſteriale.* Archonticon Officium & Officium Archonticion credidit eſſe idem & unum. Et hinc natus eſt item alius lapſus, quo Archontica ſeu Magiſterialia Officia credidit à Pontificali libertate pendere. Archonticon enim Officium eſt idem quod Hierarchica Eccleſiæ dignitas, quæ non ab Epiſcopi Placito, ſed à Canone & jure habet ſuos limites. Tertium lapſum continent hæc de Diaconis verba: *Sive Officiis quibuſcumque ornati ſint, ſive non.* In Græco enim eſt: *Sive Archonticiis ornati ſint, ſive non.* Quocircà Archonticia Prærogativa eſt ſola Epiſcopalis per pittacium ſeu codicillum dari conſueta gratia, ideoque plenè pendens à Pontificali liberalitate. Et tale quid nullo modo eſt Archidiaconatus. Eſt circumvolutionis multorum dierum terminus, ſeu per multa multorum annorum merita acquirendus gradus, qui locum ubique tribuat antè omnes Diaconos, ſive Archonticia præcedentiæ pittacia habeant, ſive non. Qui locum iſtum tribuat, non tantùm in magno introitu aut communione, ſed in omni conſeſſu & conventu, & per Epiſcopalia pittacia non patiatur auferri aut lædi. Hic eſt Joannis Cytrenſis Epiſcopi legitimus ſenſus, circa quem aliqui fœdè hallucinantur. Loquitur de ſolis Diaconis: Quòd nempè tunc Archidiaconus illis ſolis, nequaquam Presbyteris anteferretur. Marco Alexandrino Patriarchæ, an Diaconi ſine Archidiaconi venia poſſent promoveri in Presbyteros, poſtulanti reſpondit ex eadem Regula Theodorus Balſamon: *Hujus rei providentia per Sacroſancti Spiritus gratiam Epiſcopis tributa eſt. Quare & cum eorum conſenſu Diaconi ſacrabuntur, Archidiacono, ut confratre, ſolum præſente.* De ſolis Diaconis & Archidiacono rogavit Marcus, & Theodorus reſpondit: Quòd ſolis iſtis hic tunc præſideret, ideoque Presbyterorum promotio nihil ab ipſo haberet dependentiæ. Græcorum Epiſcopi ſuos Archidiaconos pedetentim ita caſtrarunt, etiam Conſtantinopolitanum.

At verò per Georgium Codinum producta notitia nullum laudat Archidiaconum, ſed habet hæc verba: *Secundus Diaconorum eſt primus inter communes Diaconos.* Quærit hic Joannes Goar: *Quid hoc rei eſt, ut hic Diaconorum ſecundus ſcribatur, ac ſimul aſſeratur primus inter communes Diaconos?* Referendum affirmat in jam expoſitam Archidiaconici officii mutilationem. Verùm longè aliter reſpondet in Palatinorum officiorum catalogo ipſe Codinus: *Olim etiam Eccleſia habebat ſuum Archidiaconum, nunc verò nequaquam. Sed habet illum Clerus Imperatoris, Cauſa quæritur.* Quin imò cauſa eſt clara. Etenim Conſtantinopolitana Eccleſia poſteriòribus temporibus fecit quod etiam à Colonienſi factum laudat in ſcripta adversùs Joannem Archidiaconum, & apud Anſelmum Canonicum exſtante Epiſtola Venerabilis Wazo Epiſcopus Leodienſis: *Archidiaconatus tui moderare glortolam, quia Divina bonitas pluribus te bonis ditavit, quibus rationabiliter honoreris. In Archidiaconatu, Decretis Eccleſiaſticis inſtituto, quid extolleris? Si Diaconus es, dic undè tibi co-*

Lib. 6. cap. 20.

Fol. 121.

Lib. 1. Ep. 157.

Lib. 5.

Qu. 40.

Cap. 17.

Cap. 85.

gnomen Archi? Si non potes, ulteriùs desine gloriari. Chorepiscopos & Archidiaconos ob insolentiam removit Ecclesia: Undè & his caret usque in præsens Metropolis Colonia, & tota Provincia. Canon vetat Diaconum antè Presbyterum injussum sedere; Tu Presbyteros præsumis judicare, aut etiam verberare. Archidiaconum, quòd omni potestate truncatus necdum quiesceret ab insolentia & fastu, nescio quis Patriarcha Constantinopolitanus tandem exstinxit. Quòd ipsum jamdudum fecit Romana Ecclesia. Hinc igitur Diaconorum secundus vocatur primus: Quòd nempè jam nullius esset Vicarius. Ad perpetuùm exstincti Archidiaconatus memoriam exstinctor Patriarcha voluit vocari secundum; esse re primum, secundum nomine; attamen primum inter communes dumtaxat Diaconos: nullo modo inter Crucigeros, aut alios Archontico Magistratu insignes. Et hæc est causa, cur Constantinopolitana Ecclesia dudum contra Neocæsariensem Canonem habuerit non septem, sed dumtaxat quinque principales Diaconos: Quòd nempè cum suo secundo seu Vicario Archidiaconus ex primo Ordine expunctus septenarium contraxisset ad quinarium. Et hinc numerum utcumque suppleturus Patriarcha Georgius Xiphilinus primum Defensorem exaltavit, & fecit Crucigerum. Nec mireris in Palatino aulæ Constantinopolitanæ Clero fuisse Archidiaconum: Quòd enim quidam etiam Ecclesiastica jurisdictione præditi Abbates ipsum apud nos habuerint, suo loco ostendetur. Ex his interim vides, cur præsens Canon Archidiaconum nominet antè Archipresbyterum.

Quæstio est, Quis Patriarcha Constantinopolitanus Archidiaconatum exstinxerit? Respondeo in jure Græco-Romano exstare Lucæ Patriarchæ, qui sub Manuelis Comneni Imperio ad duodecimi Christiani sæculi medium floruit, de septimi gradus matrimonio Edictum, cui subscribit Joannes Hagioflorita, sanctissimæ magnæ Ecclesiæ Chartophylax & Archidiaconus. Quo docemur Archidiaconatum tunc adhuc fuisse, & Crucigeris Diaconis fuisse inferiorem. At verò circa sequentis sæculi medium Constantinus Cabasilas Dyrrachiensium Metropolita proposuit hanc quæstionem: *In Ecclesiasticorum Officiorum dignitatibus quis primus est, quis secundus, quis tertius, quis deinceps eorum ordo?* Quæsivit de dignitatibus Constantinopolitanæ Ecclesiæ. Et Joannes Cytri Episcopus respondit ex antiqua traditione digniores ac priores esse Crucigeros Diaconos, & pergit de subsequentibus: *Duodecimus est secundus Diaconorum.* Enumerat ejus Officia, affirmat esse absentis Archidiaconi Vicarium, & prosequitur: *Ob eam causam dicitur secundus, non quòd in Ordine Diaconorum sit secundus.* Quòd nempè sit Vicarius Archidiaconi, non per morbum aut similem causam, sed per exstinctionem absentis. Nam in omni suo istic catalogo Joannes Episcopus nullam facit mentionem Archidiaconi. Et edicit causam: *Talem Officiorum Ordinem & statum antiquior habuit traditio. Sed cùm horum sigilla pendeant ex voluntate Antistitum, quorum sententiæ & voluntates differunt, propterea vetus confusus est ordo. Indè nec Officiorum conditio in sua firmitate mansit, sed juxta Præsulum placitum labefactata fuit.* Ex eadem causa adjungit: *Creatio secundi Diaconi non fit simpliciter, sed habito delectu. Hujusmodi namque Officium requirit virum aptum & idoneum, qui convenientia ministeria inculpatè adimpleat.* Quòd nempè fungi debeat omni munere exstincti Archidiaconi. Sicut Romana suum Cancellarium in Vice-Cancellarium, ita Constantinopolitana Ecclesia suum Archidiaconum demutavit in secundum Diaconorum. Utriusque nimiam potentiam & fastum hac via contraxit & fregit. Seni Theodoro Balsamoni, qui ad tertii decimi sæculi exordium floruit, juvenis convixit Joannes Cytri Episcopus, atque ità medio inter Lucam Patriarcham & hunc Joannem tempore facta fuit ista mutatio. Fortè post captam à Flandris Constantinopolim, dum Patriarchæ resederunt Nicææ. Angusta tunc illis erat Ecclesiæ substantia: Hac occasione possint Archidiaconatum exstinxisse. Nec refert, quòd duos Constantinopolitanos Archidiaconos cum Patriarcha Joanne Vecco disputasse, scribat Georgius Pachymeres: Etenim ambos fuisse Palatinos testatur in litteris ad Joannem vigesimum primum Pontificem Imperator Michael Palæologus. Lib. 1.

CANON II.

Si quis aut Episcopus, aut Prælatus quilibet contra præfixam Regulam aliquod Ecclesiasticum Ministerium, vel etiam ipsam Præbendam, quæ Canonica dicitur, ordinare aut dare voluerit, liberè liceat Clericis contradicere, & vicinorum Episcoporum judicium, vel si necesse fuerit, ipsam quoque Sedem Apostolicam appellare.

SCHO-

SCHOLION.

VIcinos Episcopos aut Apostolicam Sedem non ad quemvis effectum, sed ad novam ac meliorem malè dati beneficii collationem appellari permittit hic Canon: Simoniacè dati beneficii meliorem collationem ad hanc aut illos devolvit. Nec enim solorum inferiorum beneficiorum, sed ipsorum etiam Episcopatuum ad Ep. 67. Apostolicam Sedem devolutio est longè antiquissima, omninò nata ex Apostolicis Canonibus. Lucet ex Sancti Cypriani de lapso ad Novatianum Martiano Arelatensi Episcopo ad Sanctum Stephanum Pontificem Epistola: *Dirigantur in Provinciam, & ad plebem Arelatæ consistentem, à te litteræ, quibus abstento Martiano alius in ejus locum substituatur, & grex Christi, qui in hodiernum ab illo dissipatus & vulneratus contemnitur, colligatur.* Non novum à Clero & populo eligendum rogat Episcopum, sed à Papa substituendum. Romanarum devolutionum ac reservationum longa est & multa quæstio: Alio loco discutienda.

CANON III.

ITem ut nullus Episcoporum vel Prælatorum, aliquod novum beneficium de rebus ad jus Ecclesiæ pertinentibus ulteriùs præsumat contra Canones alicui vendere aut dare. Quicumque verò aliquid ad jus Ecclesiæ pertinens, sub nomine beneficii, sive quolibet modo, ab Ecclesia alienare hactenùs præsumpsit, si adhuc supereſt, aut restituat Ecclesiæ quod malè subtraxit, aut Canonica mulctetur sententia.

SCHOLION.

QUòd hujus temporis Clerici ac Monachi, ac præsertim Laici Palatini, Regiam Episcopatus nominationem ac investituram Simoniacis promissionibus emere ab ipso Rege aut ejus Proceribus, & sacrilega pacta Ecclesiasticæ substantiæ infeudationibus explere & solvere consueverint, & anteà ostensum est, ac infrà ostendendum. Hunc maximè excessum præsens Canon conatur à Francia eliminare.

CANON IV.

NUllus Ecclesiam magnam vel parvam deinceps sine consensu Episcopi, in cujus Parochia est, à Laicis præsumat accipere quolibet modo: Sed neque à Clerico, vel Monacho, sub pretii alicujus venalitate. Quod si fecerit, & vendens & emens ea careat.

SCHOLION.

CArolus Martellus & Cathedrales & Parochiales cum suis proventibus Ecclesias suis militibus dedit in beneficium: Carolus Magnus, Ludovicus Pius, ac alii Francorum meliores Reges jusserunt restitui, verùm plenus effectus adeò non fuit secutus, ut plures precarium beneficium conati sint vertere in alodium. Abolitam item violentiam multi post exstinctum Caroli Magni genus novis invasionibus resuscitarunt. Divina interim gratia numquam desiit electorum suorum corda tangere. Verùm deformato tunc Clero quidam noluerunt reddere, ideoque transtulerunt in disciplinata Regularium Clericorum Collegia, ac præsertim in Monachorum Cœnobia. Nec sine fundamento. Monasteria enim sunt inter pauperes, ideoque de Decimarum ac reliquæ Ecclesiasticæ substantiæ ad pauperes spectante Quarta omninò possint participare. Attamen sola disciplinæ tenacia gaudent isto jure, & reliquos pauperes non possunt excludere, nec istam Quartam sola absorbere. Basilicarum, sacræ supellectilis, Decimarum, & omnis Ecclesiasticæ substantiæ proprietas an immediatè ad Christum Dominum, an ad Romanum Pontificem, an ad singularum Ecclesiarum Clerum, an ad omnes fideles spectet, est antiqua & involuta quæstio, quam videre possis apud Joannem de Parisiis, antiquum ex Prædicatorum Ordine Doctorem, in Tractatu de potestate Regia & Papali. Et de ipsa in Tractatu de deducendis ad Basileense Concilium Bohemis dixit Doctor Joannes Polimaire: *Opinionem suam magis esse, quod Dominium rerum Ecclesiæ est apud Christum,*

& Prælati & alii Ecclesiastici sunt Canonici Administratores, ad instar tutorum. Quidquid sit, ipsorum nec dominium, nec possessio, nec administratio possit esse apud Laicos. Hinc ergo Parochiales cum suis proventibus Ecclesias nec Monasteriis nec Capitulis donari à Laicis permittit Ecclesia, nisi de proprii Episcopi consensu. Istiusmodi etiam donatio est omninò contra Canones: Omnes enim istas Ecclesias ad Episcopi manum lucidè figit Patrum disciplina. Eas tamen ita alienari maluit, quàm in Laicorum servitute permanere. Hinc Episcopis permisit hanc potestatem. Verùm nec à Laicis, nec à Clericis aut Monachis vendi voluit res sacrosanctas. Licet non Simoniacus, fœdus est iste quæstus, ideoque & vendens & emens meritò mulctantur. Sub titulo de rerum permutatione exstat Clementis tertii famosum de hac re Rescriptum. *Intelleximus ex litteris tuis, quod duæ Conventuales Ecclesiæ sunt in tua Diœcesi constitutæ, quarum utraque Parochialem habet Ecclesiam cum possessionibus, magis alteri quàm sibi vicinam. Illis autem eas desiderantibus permutare, cum illarum altera respectu meliorum proventuum plus abundet, & ideò sibi postulet adjici certam summam pecuniæ numeratæ, ut sic ad æqualitatem permutationes valeant pervenire. Utrùm possit id licitè fieri, exstitit dubitatum. Respondemus quod cùm de dictis Parochialibus Ecclesiis per se queat commutatio celebrari, & in permutatione possessionum non sit inhibitum, si altera ratione possessionum alteri præponderet, pecuniam posse refundi de ipsarum possessionibus ad invicem, prout visum fuerit expedire, refusa certa pecuniæ quantitate, poterit contractus permutationis iniri, sic tamen quod illi contractus nequaquam sibi invicem misceantur.* Videtur mihi Rescriptum hoc à nostri Canonis rigore discedere, & ipsum dispensare, aut certè insigniter mitigare. C. 6.

CANON V.

COnfirmamus etiam, ut non nisi in unius Civitatis Ecclesiis quisquam amodò aliquod Clericale officium accipiat. Quòd qui prævaricatus fuerit, Canonica ultione feriatur.

SCHOLION.

POstquam Canonica Clericorum in Claustro sub Episcopi oculis vita deficere, & communis substantia in Præbendas dividi cœpit, subintravit & illa pestis, quam in Prophetæ Job Commentario damnat Petrus Blesensis; *Plerique sunt qui non dicam animarum, de quibus respondere tenentur in die tremendi judicii, sed vix Ecclesiarum suarum numerum cognoverunt. Adjungunt Ecclesiam Ecclesiæ, Præbendam Præbendæ, domum domui, agrum agro.* Et malum quod semper damnatur in Ecclesia, semperque resurgit. Hinc ipsum damnat & noster Canon. C. 1.

CANON VI.

PRæterea si quis Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum aut Subdiaconorum, post cognitum Interdictum Domini nostri Papæ Nicolai, mulieris cujuslibet carnali detentus copula, à Ministerio & beneficio Altaris non cessavit, sive deinceps cognoscens prælibatum Apostolicæ Sedis Interdictum, aut mulierem aut Ministerium Ecclesiæ cum beneficio non statim deseruerit, nullam restitutionis in pristino gradu veniam sibi reservasse cognoscat.

SCHOLION.

UTi per Tholosanam Victor secundus, ità per hanc Synodum Nicolaus Pontifex suum adversùs sacrilega Episcoporum & Sacrorum Clericorum conjugia seu contubernia Decretum conatus est in Gallias extendere. Nec dubito quin aliquid impetraverit. Verum plena hujus fœditatis exstirpatio fuit per Divinam providentiam Gregorio septimo reservata.

CANON

CANON VII.

QUicumque autem Clericorum deinceps in armis militaverint, & beneficium & consortium Clericorum amittant.

SCHOLION.

HAnc fœditatem suprà exposui ad Remensem Synodum Sancti Leonis noni. Adversùs ipsam dudum pugnavit Ecclesia. Et eam præsentis Synodi tempore Schismaticus Constantinopolitanæ Ecclesiæ Patriarcha Michael Cerularius nobis Latinis meritò improperabat. Hinc & præsens Canon conatur eradicare.

CANON VIII.

QUicumque Laicorum aliquid de iis, quæ ad oblationem, vel eleemosynam Ecclesiæ pertinent, sive sepulturam, sive saltem tertiam Decimarum partem possidere, vendere, aut sub nomine beneficii alicui dare ulterius præsumpserit, Anathematis gladio feriatur.

SCHOLION.

DAmnatum hìc abusum exponit, de Pagorum Domicellis agens, in libris de Laicali institutione Jonas Aurelianensis Episcopus: *Sunt plerique Potentes, qui obliti Ordinis & Ministerii sui, Basilicas possidentes, rebus tenues, fidelium verò largissimis Decimis abundantes, contra fas suis aut Clericis aut Laicis beneficiario munere conferunt, ut de hujusmodi oblationibus & Decimis sibi serviant. Quòd quàm sit extraordinarium, & Religioni Christianæ incongruum, nec non & facientibus periculosum, qui animadvertit, intelligit. Non enim ad Laicorum, sed ad Pontificum Ministerium, per quos Basilicæ Deo dedicantur, pertinet qualiter oblationes & Decimæ fidelium Deo oblatæ dispensentur ordinare. Pontificum sanè Ministerium est, quantùm ex eisdem fidelium oblationibus in fabricis applicetur Ecclesiæ, quantùm in luminaribus concinnandis, quantùm in hospitibus colligendis, & pauperibus recreandis, quantumque in Presbyterorum, eorumque qui secum militiam Christi gerunt, necessitatibus sublevandis expensetur, disponere, non Laicorum, ut in suos suorumque ex his quidquam retorqueatur usus, exigere. Hoc nempè genus avaritiæ in tantùm quosdam obligaverat Laicos, ut hoc se justè & rationabiliter, imò inculpabiliter sectari posse putarent; donec gloriosus Orthodoxus Dominus Ludovicus Imperator, inter cætera pietatis suæ beneficia, quæ sanctæ contulit Ecclesiæ, ab hoc quoque eam immunem effecerit. Caveant ergò se Laici necesse est, ab appetitu Decimarum & oblationum fidelium, ne quidquam sibi ex his per eum, nisi ad periculum suum, vindicare posse sciant, suoque contenti sint Ministerio, ne dum alterius usurpant, suo, quo contenti esse debent, Ministerio quodammodo se indignos faciant, & aliorum quoque pia vota sibi in peccatum convertant, & sacrilegii notam incurrant.* Post exstinctum Caroli Magni genus violentia revixerat. Quidam, licet non totas, tamen tertiam Decimarum atque oblationum partem invadebant, expendebant in suos usus, aut aliis dabant in beneficium. Ipsos compescit noster Canon. L. 2. c. 19.

CANON IX.

QUicumque Consanguineam suam, aut quam Consanguineus suus priùs cognoverat, aut cujus Consanguineam carnaliter in conjugium accepit, vel deinceps acceperit, vel postquam cognovit

vit *non* ſtatim dimiſit, aut cognoſcens non dimiſerit : Aut qui uxorem alterius rapuit, ſeu rapuerit, vel qui ſuam uxorem ſine judicio Epiſcopali dimittens aliam duxit vel duxerit, donec ſe fructuoſæ tradat pœnitentiæ, à Corpore & Sanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & à liminibus Eccleſiæ ſe excluſum, & alienatum, & omnimodis ſicut putridum membrum à ſano corpore præciſum gladio ſpiritus, quod eſt Verbum Dei, agnoſcat.

SCHOLION.

OMnia hæc vitia expoſui ſuprà ad Sancti Leonis noni Remenſem Synodum. Et adhuc graſſabantur in Gallia. Hinc iterùm debuere damnari. Quòd porrò excommunicatus olim ab Eccleſiæ liminibus fuerit excluſus, ideoque ipſam intrare non potuerit, ſuo loco oſtendetur.

CANON X.

QUicumque Monaſticæ Religionis deſertor inventus fuerit, à Regno Dei, & à conſortio Chriſtianorum, ſicut Apoſtata, excludatur & alienus exiſtat, donec reſipiſcens dignè pœniteat. Similiter qui ejuſmodi dignè pœnitentes recipere noluerit, tertiò admonitus, ſi non acquieverit, à communione fratrum ſuſpendatur, ſive ſit Abbas, ſive Abbatiſſa, donec acquieſcat.

SCHOLION.

MOnachi Apoſtaſiam eſſe facinus & temporali apud homines & æterna apud Deum excommunicatione digniſſimum, eſt abundè oſtenſum in ſuperioribus. Quàm circà hujus Synodi tempora graſſatum fuerit, ideoque Canonis frœno habuerit opus, docet Ditmarus Merſeburgenſis Epiſcopus. Docet plures profeſſionem ſuam de ſubſtantiali vitio per falſos teſtes conviciſſe, atque ita apud homines exſufflaſſe. Lib. 4. Solos dignè pœnitentes recipi mandat Canon. Loquitur enim juxta Sancti Benedicti, quæ tunc ferè ſola vigebat apud Latinos, Regula : *Frater, qui proprio vitio egreditur de Monaſterio, ſi reverti voluerit, ſpondeat priùs omnem emendationem vitii, pro quo egreſſus eſt, & ſic in ultimo gradu recipiatur, ut ex hoc ejus humilitas comprobetur.* Cap. 29. *Quòd ſi denuò exierit, uſque tertiò ita recipiatur, jam poſteà ſciens omnem ſibi reverſionis aditum denegari.* Exponit in litteris ad Goffredum Abbatem Vindocinenſem Sanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus: *De fratre illo, qui ter à vobis fugiens ſecundùm Conſtitutionem Monaſticæ Regulæ ter ſuſceptus fuerat, & nunc quarta vice averſus fugerat, & item convèrſus & reverſus ſepulturam cum fratribus per miſericordiam obtinuerat, mihi ſatis placet, quia ſuperexaltat miſericordia judicium, &* *Principi Apoſtolorum Dominus conſuluit converſo peccatori non tantùm dimittendum ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties.* Ep. 57. Affirmat quartam ac etiam ulteriorem Apoſtatæ receptionem non prohiberi à laudata Regula, ſed Abbatibus dumtaxat non imperari. Ex eadem ad Lotharium Imperatorem, qui Monachum Apoſtatam, non tantum recipi in Monaſterium, ſed etiam Secretarii officio reddi poſtularat, reſcripſit Sanctus Lupus Abbas Ferrarienſis: *Quod Sacra veſtra ſignificabant, ut reſumpto habitu in officio condendarum Epiſtolarum perſeveraret, nec vos decebat, & nobis conſentire erat impoſſibile. Quoniam Propoſitum noſtrum vix mediocriter intra clauſtra Monaſterii cuſtoditur, nedum inter tumultus mundanos à quolibet, præſertim non ſatis cauto, valeat adimpleri.* Ep. 108. Recepit Apoſtatam, verùm officio reddi non poſſe addidit, quod Regula mandet iſtiuſmodi receptos detrudi in gradum & locum ultimum, atque ipſorum humilitatem & pœnitentiam ita probari. Et hinc pro cognato ſuo Guilielmo, ſecundùm ordinis diſciplinam recepto Apoſtata, ad ejus Abbatem ſcripſit Stephanus Tornacenſis Epiſcopus: *Rogamus vos, ut pro amore Domini & noſtro illum revocetis, & animam ejus ab amaritudine eripientes, aſſignetis ei ſtallum in Choro, ſedem in Capitulo, locum in Refectorio, & nos, cum ad vos venerimus, offenſam ejus & culpam faciemus regulariter emendari.* Ep. 230. Quòd ſolos pœnitentes,

nitentes, ac emendationem ſpondentes Apoſtatas recipi mandent & præſens Canon & Sancti Benedicti Regula, fundamentum habet à Sancto Ambroſio in litteris ad Eccleſiam Vercellenſem, ſcribente de Sarmatione ac Barbatiano, ſui Monaſterii Apoſtatis, & ſequacibus Hæreſiarchæ Joviniani: *Hic poſiti jejunabant, intra Monaſterium continebantur. Nullus erat luxuriæ locus, interdicta ludibrioſæ diſputationis licentia. Hoc delicati non potuerunt ferre. Abierunt. Deindè volentes redire, non ſunt recepti. Pleraque enim audieram, quæ deberent caveri. Monueram, nihil profeci.* Ep. 25. Verùm Magnus Gregorius fuit alterius ſententiæ. Apoſtatas non ſolùm recipi pœnitentes, ſed impœnitentes etiam quæri, & violenta manu rapi juſſit ad Monaſterii carcerem, atque ità in ipſis pœnitentiam per vexationes excitari. Plura in ejus Epiſtolis exſtant iſtiuſmodi exempla. Et eandem Regulam hodiè cuſtodit omnis Latina Eccleſia. Servari etiam à Græcis demonſtrat tertius Canon illius Synodi, quam in Sanctorum Apoſtolorum Eccleſia celebravit Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus. Videnda ſunt Scholia Theodori Balſamonis. Quod verò circa præſentis Synodi tempora quidam Abbates negligerent ſuos Apoſtatas, ac etiam pœnitentes recipere nollent, lucet ex laudati Ivonis epiſtola ad Ep. 160. Odonem Abbatem Gemeticenſem. Hinc poſterior hujus Canonis pars fuit neceſſaria.

ALE-

ALEXANDRI II.
PONTIFICIS
CONCILIUM
ROMANUM.

NIcolaus secundus Pontifex obiit anno Domini millesimo sexagesimo primo, scribitque Hermannus Contractus: *Romæ Nicolao Papa defuncto, Romani coronam & alia munera Henrico quarto Germaniæ Regi transmiserunt, eumque pro eligendo summo Pontifice interpellaverunt. Qui ad se convocatis omnibus Italiæ Episcopis, generalique conventu Basileæ habito, eadem imposita Corona Patritius Romanus appellatus est. Deindè cum communi consilio omnium Parmensem Episcopum Cadaloum Summæ Romanæ Ecclesiæ elegit Pontificem. Interim hæc aguntur, Anselmus Episcopus de Luca, quibusdam Romanis faventibus, Apostolicam Sedem sibi usurpavit.* Regi suo Henrico favit Hermannus, ideoque labitus in duobus. Primò, quòd Anselmus Lucensis Episcopus, seu ex Anselmo Alexander secundus Pontifex Apostolicam Sedem usurparit. Legitimè enim juxta laudatum supra Nicolai secundi Decretum fuit electus. Secundus error est, quòd sit electus post Cadaloum. Quòd enim viginti septem diebus ante ipsum electus fuerit, rectè advertit in Catholica Concordantia Nicolaus L 3. c. 3. Cardinalis Cusanus. Nec Romæ, sed Florentiæ mortuus est Nicolaus secundus. Veriora scribit in Cassinensis Monasterii Chronico Leo Hostiensis Episcopus: *Defuncto Apostolico Florentiæ, cum ingens inter Romanos seditio de ordinando Pontifice oriri cœpisset, Hildebrandus Archidiaconus, habito consilio cum Cardinalibus nobilibusque Romanis, ne dissensio increscret, Anselmum Lucensem Episcopum post menses fermè tres in Pontificem eligunt, Alexandrumque vocari decernunt, nostro Desiderio cum Principe Romam proficiscente. Quod cùm Imperatrix audisset, unà cum filio tulere graviter hæc sine sua auctoritate gesta fuisse: Cadaloumque Parmensem Episcopum & Placentino dumtaxat & Vercellensi Episcopis, ipsa die Festivitatis Apostolorum Simonis & Judæ, in Papam eligi faciunt.* L 3. c. 10. Laudatus Desiderius fuit Cassinensium Abbas, ad Sanctam Cæciliam Cardinalis Presbyter, Princeps autem ille fuit Robertus Guiscardus utriusque Siciliæ Dux, qui Papalem à Cardinalibus Episcopis probatam electionem tutari Nicolao Pontifici defuncto juraverat.

Romanæ seditioni accessit & alia Longobardica, de qua in antiquis Romanorum Pontificum Gestis Nicolaus Aragonensis: *Cùm in urbe Romana hæc agerentur, Longobardorum Episcopi tam Simoniaci & incontinentes, quàm alii facinorosi, auctore Guiberto Parmensi,* Regis Cancellario, *convenerunt in unum, & consimilium Clericorum multitudinem congregata communiter statuerunt, ut aliundè non deberent Papam recipere, quàm ex Paradiso Italiæ, ità Longobardiam nominabant, & talem personam, quæ infirmitatibus eorum compateretur, & condescenderet.* Hoc est, qui illis uxores permitteret & Simoniam. Et quia hæc crimina acerrimè damnarat Nicolaus Pontifex, omnia ejus Decreta fuisse à factiosis illis circumducta, cassata atque damnata, disertè affirmat in sua contra Regium Advocatum disputatione Sanctus Petrus Damiani. Addit fuisse cooperatos etiam quosdam Germaniæ Episcopos. Pergit laudatus Nicolaus Aragonensis: *Quo facto, aliquos ex ipsis ad Imperatricem ultra montes miserunt, qui ejus animum quibusdam verò similibus figmentis alliceret, & sibi propitiam faceret. Venientes autem ad eam suggesserunt, quòd ejus filius ita in honorem Patritiatus deberet succedere, sicut in Regia dignitate. Præterea impudenter asserebant, quod Nicolaus Papa statuerat Decretis suis, quòd*

quòd nullus deinceps haberetur Romanus Episcopus, nisi priùs à Cardinalibus eligeretur, cui postea accederet consensus Regis. Revera impudenter. Quid enim impudentius, quam ea ipsa, quæ circumduxisti & damnasti, Decreta in tuæ audaciæ patrocinium advocare?

Hæc igitur conjunctæ factiones Alexandri electionem accusarunt de multis. Primò, quòd facta esset per cooperationem Nortmannorum, hostium Romani Imperii. Ita lucet ex Cardinalis Bennonis in Gregorium septimum calumniis. Secundò, quod facta esset per Simoniam. Ita videbis ex mox adducendis testimoniis Matthæi Parisiensis & Sigeberti Gemblacensis. Tertiò, quòd Regius assensus non fuisset postulatus, & sine ipso Alexander esset consecratus in Pontificem. Repugnare id dixerunt non solùm nuperis Nicolai secundi Decretis, sed etiam perpetuæ Romani Imperii ac Apostolicæ Sedis consuetudini, nullum huc usque admittentis Pontificem, nisi à Romano Patritio approbatum. Porrò Henricum Regem, licèt necdum Augustum, jam tamen omninò esse Romanum Patritium. Et in hujus dignitatis professionem miserunt illi Patritialem Coronam. Quin & ille edixit Regii juris violationem esse ludicissimam, & ab ipso etiam Alexandro agnosci sic probavit memoratus Cardinalis Benno: *Ubi Alexander intellexit se dolis & arte ab Hildebrando & inimicis Imperatoris electum & inthronizatum, die quodam cum inter Missarum solemnia sermonem haberet ad populum, prædicavit, se nolle sedere in Sede Apostolica absque licentia & gratia Imperatoris. Et publicè dixit, se litteras hujus rei gratia missurum ipsi Imperatori.* Ob quæ verba garrit ipsum post peractam Missam fuisse alapis ab Hildebrando percussum. Ex his ergò causis præfati factiosi ab adolescente Principe & ejus matre postularunt ejici Alexandrum, & novum eligi Pontificem, & de facto elegerunt Cadaloum Parmensem Episcopum, suggestum & commendatum à Guiberto Regis Cancellario, homine Parmensi. Ipsum elegerunt soli Placentinus & Vercellensis Episcopi, fœdissimè & notoriè criminosi, deduxerunt Romam cum armato milite, Romani populi fœcem corruperunt pecuniis, atque ita Idolum suum in Sancti Petri thronum intruserunt.

Verùm de Nortmannis quæsita calumnia est adeò frivola, ut ipse contra Sanctum Petrum Damiani disputans Regius Advocatus nullam omninò fecerit ejus mentionem. Non ad eligendum, sed ad factam electionem contra violentias tutandam Dux Nortmannorum fuit advocatus. Dicto autem Advocato, alleganti jus Regium & datam ipsi à Nicolao secundo confirmationem, laudatus Damiani reddidit tria peremptoria Responsa. Primum est: *Privilegium invictissimo Regi nostro ipsi quoque defendimus, & ut semper plenum illibatumque possideat, vehementer optamus. Porrò autem Romana Ecclesia multò nobiliùs atque sublimiùs, quàm mater carnis, mater est Regis. Illa siquidem peperit ut per traducem revertatur in pulverem, ista genuit ut Christi, sine fine regnantis efficiat cohæredem. Et cuncti liquidò novimus, quia Rex, licet egregiæ indolis, tamen adhuc puer est. Quid ergò mali Romana fecit Ecclesia, si filio suo, cum adhuc impubes esset, cùm adhuc tutoris egeret, ipsa tutoris officium subiit, & jus quod illi competebat implevit? Quis enim nesciat, quia Sacerdotem eligere puer ignorat?* Puer impubes erat tunc Henricus quartus sub tutela matris Agnetis, ideoque Papalis electionis confirmationem ad neutrum ista vice spectasse sustinuit laudatus Petrus Damiani. Fatetur & Civilia & Ecclesiastica negotia tractari in Palatio, verùm hæc uti non per puerum, ita nec per fœminam tractari posse, quoad ista Romanam Ecclesiam esse Romani Regis tutricem, ideoque ab illa sola Papalem electionem debuisse confirmari. Addit & aliam causam: *Tunc quando Pontificem Romana sibi præfecit Ecclesia, tantæ simultatis fomes in seditionem Cives accenderat, tantus livor & odium tumultuantis populi corda turbaverat, ut de tam longinquis terrarum spatiis nequaquam possemus Regiæ Clementiæ præstolari oraculum. Nisi enim quantocius ordinaretur Antistes, perniciosus in populo gladius mutuis vulneribus desæviret, & non parva Romanorum Civium strages fieret.* Et infrà: *Glorioso Regi, nobis eligendo Pontificem, absit ut nos intulissemus injuriam, cum ad hoc nos necessitas impulerit, non rapina. Ad hoc, inquam, nos invitos attraxit imminens periculum civilis belli, non lædendi vel minuendi livor Imperii.* Ex tanta causa asseverat, licèt istud in Decreto suo Nicolaus secundus disertè non expresserit, electum Pontificem sine sacra Principis jussione potuisse consecrari. Et sanè Pelagium primum, quòd Roma obsideretur à Longobardis, ita fuisse consecratum testatur liber Pontificalis. Tertium Petri Damiani Responsum dixit omnia Nicolai secundi Decreta à factiosis fuisse circumducta & damnata, ideoque ad datum per ipsa Regii assensus jus non posse ab iisdem proclamari. Quòd ipsum Sancto Annoni Colonienſi Archiepiscopo, Henrici Regis ad Alexandrum Pontificem Legato, insigniter ostendit in antiquis Romanorum Pontificum apud Nicolaum Aragonensem Gestis Cardinalis Hildebrandus. Addidit Petrus Alexandrum non ex Romano Clero, sed ex Palatio fuisse electum, ideoque de Regio assensu neminem dubitasse.

Cur Romanus populus in Pontificis electione olim fuerit usque ad mutuas in Ecclesia cædes quandoque tumultuatus, habes apud Ammianum Marcellinum. Regiæ Majestati etiam quoad externam potentiam & splendorem Episcopatus iste fuit semper æqualis. Jam dictos tumultus fecerunt Hugo Blancus Cardinalis Sancti Clementis, Placentinus & Vercellensis Episcopi, Abbas Monasterii ad Clivum Scauri, Guibertus Cancellarius, & Gerardus Comes Galesiensis. Hi Romanum populum induxerunt ad Regi Henrico mittenda Patritiatus insignia, hi persuaserunt in Alexandri consecratione læsum esse jus Regium, Regem puerum & optimam ejus matrem circumscripserunt, atque ita horrendo schismate arietarunt totam Ecclesiam. Et hæc existimatur fuisse una ex causis, ob quas Domina Agnes abdicarit filii tutelam, transtuleritque in Sanctum Annonem Archiepiscopum

Colo-

Colonienſem. Quidquid ſit, Conventum Osborienſem indixit laudatus Anno, cùm Regio Advocato ibidem de Regio jure diſputavit Sanctus Petrus Damiani, Palatio placuit ipſius victoria, atque ita indicta fuit Mantuana Synodus, de
Abb. 25. qua Chronicon Monaſterii Laurishamenſis: *Orto in Romana Eccleſia Schiſmate, ſecutoque ex ſtudiis partium uſque ad ſanguinem certamine pro electione duorum Pontificum, ad reformandam Eccleſiæ pacem & unitatem Anno Archiepiſcopus & Godefridus Lotharingiæ Dux à latere Regis, rogatus Eccleſiæ diriguntur, atque indicto Mantuæ Conventu, auditis utriuſque partis allegationibus, utriſque etiam Electis præſentibus, Canonica ſententia Alexander in Sede Apoſtolica confirmatur.* Et Matthæus Pariſienſis: *Duobus Romæ, Alexandro & Cadelo, de*
A. 1067. *Papatu contendentibus, Mantuæ Synodus colligitur, & mediante Annone Colonienſi Archiepiſcopo, Alexander, cum ſe de Simonia purgaſſet, in Sede Apoſtolica ſtatuitur, & Cadelus expellitur, Simoniacus comprobatus.* Eadem verba habet ad eundem annum Sigebertus Gemblacenſis. At Synodum hanc fuiſſe anno iſtius ſæculi ſexageſimo quarto factam, rectius affirmat Hermannus Contractus. Facta fuit ad tumidum Cadaloum, qui licet Roma expulſus, & à toto mundo deriſus, Papatum deponere nolebat, conterendum tandem & compeſcendum. Verùm ſine fructu. Etenim in Bibliotheca Vaticana habet antiquus Cenſuum liber: *Cadalous, etſi per contumeliam repulſus, tamen quoad vixit, à jure ſuo non cedebat, Alexandro ſemper derogans, adulterumque Eccleſiæ Dei & Pſeudoapoſtolum appellans. Miſſas quoque ſeorſim celebrans, ordinationes facere, & ſua per Eccleſias Decreta & Epiſtolas more Sedis Apoſtolicæ deſtinare non deſiſtebat.* Etiam per ſeditioſorum arma recuperare Papatum tunc conatus eſt, ſcribitque de illo in laudatis Actis Nicolaus Arragonenſis: *Cadalous poſt paucos dies ex Divino judicio peſſimam mortem incurrit.* Verùm hæc omnia non contigerunt uno anno.

Lib. 3. Ep. 4. Qui autem fuerint Cadaloi mores & fines, exponit variis in locis Sanctus Petrus Damiani. Ipſum fuiſſe hominem ſtolidum, deſidem, nullius ingenii, ſcribit in litteris ad Henricum

Lib. 1. Ep. 10. Archiepiſcopum Ravennatem. In litteris ad Alexandrum Pontificem affirmat fuiſſe *deſpicabilis perſonæ minchionem*. Ambitioſæ & turbulentæ ſuperbiæ ſpiritus ſolet in ejuſmodi cordibus dominari. Ex ipſo Cadalous, licet Provincialis

Lib. 1. Ep. 22. dumtaxat oppiduli Epiſcopus, deportandæ ante ſe argenteæ crucis privilegium ambivit, & à Sede Apoſtolica impetravit. Fuit & inſignis Simoniacus, vendens omnes Præbendas & Parochias Civitatis & Diœceſis Parmenſis. Addit in ſcriptis ad ipſum litteris Petrus: *In multis tibi* Ep. 20. *Romana pepercit Eccleſia, frequenter à te legitimi rigoris cohibuit diſciplinam, adeò ut aſſerant qui ſe interfuiſſe fatentur, quod in tribus jam Conciliis Synodalibus, Papienſi ſcilicet, Mantuano, & Florentino, perſpicua damnationis in te ſententia claruit, ubique tamen Sedes Apoſtolica maternæ pietatis affectu tibi clementer indulſit.* Et in litteris ad Agnetem Imperatricem: *Cadalous millies anathematiza-* Lib. 7. *tus, dum pro venaliter acquirenda Romana Eccleſia* Ep. 5. *infinitas per populos ſpargit pecunias, corda hominum per avaritiam in æris ſpeciem velut in ſanguinem vertit. Sicque peſtilentes homines, dum metalli hujus non deſinunt habere rubedinem, ſplendor Eccleſiæ quodammodo vertitur in cruorem.* Quod enim non ſolius Parmenſis, ſed etiam Romanæ Eccleſiæ ærarium atque theſaurum penitùs effuderit peſſimus Simon, habes in litteris ad ipſum, & in litteris ad memoratum Henricum Ravennatem. Et in litteris ad Cunibertum Taurinenſem Epiſcopum: *Clerici uxorati Nicolaitæ vocan-* Ep. 20. *tur, quoniam à quodam Nicolao, qui hanc dogmatizavit hæreſim, hujuſmodi vocabulum ſortiuntur. Sed nunc accedit, ut hoc inſigne vocabulum novum, ſi prævaleat, accipiat incrementum, ut* Lib. 4. *qui hactenùs dicti ſunt Nicolaitæ, amodo vocen-* Ep. 3. *tur & Cadaloitæ. Sperant enim, quia ſi Cadalous, qui ad hoc gehennaliter æſtuat, univerſali Eccleſiæ Antichriſti vice præſederit, ad eorum votum luxuriæ fræna laxabit.* Hujuſmodi enim novos Canones impurus homo ſuis ſequacibus promittebat. Quòd & Simoniam in Gallia foverit, habes in litteris Alexandrini Pontificis ad Guilielmum Archiepiſcopum Remenſem. Et Epiſt. 6. carnis & Simoniæ vitium tunc graſſabatur præſertim in Longobardia. Hinc ejus Epiſcopi caſſarant omnia Nicolai Pontificis Decreta, edixerant deinceps non eligendum Pontificem niſi ex ſuo Italiæ paradiſo, atque ità Placentinus & Vercellenſis elegerunt hunc Parmenſem, aptum qui ipſorum infirmitatibus compateretur. Hoc igitur ſchiſma omnem, à Leone nono & ejus ſucceſſoribus colligi cœptam, Eccleſiæ diſciplinam denuò diſſipavit, compulitque Alexandrum ad Synodum, in qua aliud non ageret, quàm Nicolai ſecundi Canones innovare. Quare non iſtos ſingulos, ſed ſolos novum aliquid addentes hic exponemus. Acta fuit Synodus anno Domini milleſimo ſexageſimo tertio, dum Cadaloi inſania adhuc ebulliret.

CANON

CANON I.

ALexander Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, omnibus Epiſcopis Catholicis, cunctoque Clero & Populo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Vigilantia univerſalis Eccleſiæ regiminis aſſiduam ſollicitudinem debentes omnibus, quæ in Conſtantiniana Synodo nuper celebrata coram centum amplius Epiſcopis, licet nobis immeritis præſentibus, ſunt Canonicè inſtituta, vobis notificare curamus, quia ad ſalutem veſtram executores eorum vos eſſe optamus, & Apoſtolica auctoritate jubendo mandamus.

Primò namque, inſpectore Deo, ſicut à Sancto Papa Leone, & à ſanctæ memoriæ Papa Nicolao primum ſtatutum eſt, erga Simoniacos nullam miſericordiam in dignitate ſervanda habendam eſſe decernimus, ſed juxta Canonum Sanctiones & Decreta ſanctorum Patrum, eos omninò damnamus, ac in Eccleſia non præeſſe Apoſtolica auctoritate ſancimus.

De his autem, qui non per pecuniam, ſed gratis ſunt à Simoniacis ordinati, quia quæſita jam à longo tempore diutiùs ventilata eſt quæſtio, omnem nodum dubietatis abſolvimus, ita ut ſuper hoc Capitulo neminem deinceps ambigere permittamus. Quia igitur uſque adeò hæc venenata pernicies hactenus inolevit, ut vix quælibet Eccleſia valeat reperiri, quæ hoc morbo non ſit aliqua ex parte corrupta, eos qui uſque modo gratis ſunt à Simoniacis ordinati, non tam obtentu juſtitiæ, quàm intuitu miſericordiæ, in acceptis Ordinibus manere permittimus. Niſi fortè alia culpa ex vita eorum ſecundùm Canones eis obſiſtat. Tanta quippè talium multitudo eſt, ut dum rigorem Canonici vigoris ſuper eos ſervare non poſſumus, neceſſe ſit ut diſpenſatione ad piæ condeſcenſionis ſtudium noſtros animos ad præſens inclinemus. Ita tamen ut auctoritate Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli omnimodis interdicamus, ne aliquis ſucceſſorum noſtrorum ex hac noſtra permiſſione Regulam ſibi vel alicui ſumat, vel præfigat. Quia non hanc aliquis antiquorum Patrum jubendo aut concedendo promulgavit, ſed temporis nimia neceſſitas permittendo à nobis extorſit. De cætero autem ſtatuimus, ut ſi quis impoſterum ab eo, quem Simoniacum eſſe non dubitat, ſe conſecrari permiſerit, & Conſecrator & conſecratus non diſparem damnationis ſententiam ſubeant, ut uterque depoſitus agat pœnitentiam, & privatus ab ea propria dignitate perſiſtat.

SCHOLION.

PRimam & ſecundam ſimoniacæ ordinationis ſpeciem denuò damnat Canon, & perpetuò excludit ab omni ſpe reparationis. Dudum item ventilatam de tertia ſpecie quæſtionem denuò examinat, datamque pro ipſa à Nicolao ſecundo ſententiam confirmat, & deinceps vetat hinc dubitari. Ipſam tamen patenter non redigit in immobilem fidei Canonem. Lucet ex hiſce verbis: *Depoſitus agat pœnitentiam, & privatus*

vatus propria dignitate perſiſtat. Acceptum ordinem affirmant eſſe validum, adeò tamen id immobiliter non definiunt, ut de Daimberto per Wecelonem Simoniacum non ſimoniacè conſecrato Diacono ſcribat ad Petrum Piſtorienſem Epiſcopum, & Ruſticum Vallis-Umbroſæ Abbatem Urbanus ſecundus Pontifex : *Reiterari oportet quod malè actum eſt. Eum Diaconum conſtituimus*, ſeu de novo conſecravimus. *Quod non reiterationem exiſtimari cenſemus, ſed tantùm integram Diaconii dationem*. Exſtat Epiſtola apud Gratianum. In ſuis ad hunc notis Auguſtinus Caravita exiſtimat Wecelonem iſtum fuiſſe Archiepiſcopum Magdeburgenſem: Verùm fuit Moguntinus, cujus à ſe damnati omnes ordinationes & conſecrationes fecit penitùs irritas etiam Synodus Quintelburgenſis. Daimbertus ille fuit poſteà Piſanus Archiepiſcopus, ac tandem Patriarcha Hieroſolymitanus.

1. Qu. 7. cap. 24.

Notanda ſunt hæc Canonis verba : *Quem Simoniacum eſſe non dubitat*. Ut conſecratoria proprii Epiſcopi manus poſſit declinari ac recuſari, mandant ejus Simoniam eſſe vel facto vel jure manifeſtam. Talis enim fuerat Simonia Wecelonis. Et hinc de ſuo palàm Simoniaco Epiſcopo Herimanno ſcribunt apud Jacobum Gretzerum Clerici Bambergenſes : *Omnes ferè Epiſcopi & Archiepiſcopi omnia Chriſti Sacramenta profanari deplorabant, & Chriſma Corpuſque Domini, quod ipſe confecerat, velut immunditias menſtruatæ exhorrebant, gradus etiam Eccleſiaſticos, quos ille inſtituiſſet, deteſtabili illuſione deumbratos*, ſeu ſubſtantialiter nullos *aſſerebant*. Dicunt, *Omnes ferè* : Quod eſſet ſententiarum licita diverſitas, adeoque à præſenti Canone nihil immobiliter definitum. Ejuſdem ſententiæ fuerunt Cives Florentini, qui omnia à ſuo, quem aſſeverabant Simoniacè promotum, Epiſcopo data Sacramenta exſufflarunt & pedibus calcarunt. Et ad ipſos ſcripſit Sanctus Petrus Damiani : *Ego & vos de Simoniacis, eorumque reprobandis impoſterum conſecrationibus una ſententia utrique convenimus*. Verum illos graviter arguit, quod ſine Romani Pontificis, aut ſuæ Provincialis Synodi judicio id attentaſſent. Nempè quæſtio pendebat de qualitate Epiſcopi : Ipſum alii gratis, alii aſſerebant pretio intraſſe. Forſan illi inhærebant Canonis hujus litteræ, *Quem Simoniacum eſſe non dubitat*. Verum verba hæc volunt non huic aut iſti, ſed toti paſſim populo Simoniam eſſe manifeſtam. Occultè enim iniquus Miniſter ex privata ſcientia non poteſt recuſari.

Ep. 28.

Lib. 8. Epiſt. 11.

CANON II.

PRæter hæc præcipiendo mandamus, ut nullus Miſſam audiat Preſbyteri, quem ſcit Concubinam indubitanter habere vel ſubintroductam mulierem. Undè ſancta Synodus hæc à capite ſub excommunicatione ſtatuit, dicens : Quicumque Sacerdos vel Diaconus poſt Conſtitutum Beatæ memoriæ prædeceſſoris noſtri ſanctiſſimi Papæ Leonis, aut Nicolai de caſtitate Clericorum, Concubinam duxerit palàm, vel ductam non reliquerit, ex parte Omnipotentis Dei, & auctoritate Apoſtolorum Petri & Pauli præcipimus, & omninò interdicimus, ut non cantet Miſſam, neque Evangelium, neque Epiſtolam ad Miſſam legat, neque in Presbyterio ad Divina officia cum his, qui præfatæ conſtitutioni obedientes fuerint, maneat, neque partem ab Eccleſia ſuſcipiat.

SCHOLION.

UT Divina conjugati vel concubinarii Clerici officia vitentur ac recuſentur, eandem publicam notitiam exegit hic Canon. Hinc non ſolùm dicit, *Quem ſcit indubitanter habere*, ſed inſuper addit, *Qui palàm duxerit*. Multi interim Laici ad ſola priora attenderunt verba, ſuſpiciones ſuas exiſtimarunt certam ſcientiam, atque ità in præfectum ſibi Clerum & confecta per illum Sacramenta frequenter patrarunt inſolentias ſuprà memoratas à Sigeberto Gemblacenſi. Quare tandem Lucius tertius emiſit hoc apud Gregorium nonum exſtans Decretum : *Alicubi dicitur, Nullus audiat Miſſam Sacerdotis, quem ſcit indubitanter concubinam habere. Alibi verò legitur, Non poteſt aliquis, quantumcumque pollutus fuerit, Divina polluere Sacramenta, quæ purgatoria cunctarum contagionum exiſtunt. Cæterùm aliud eſt crimen notorium, aliud occultum. Notorium definitur, de quo Presbyter Canonicè condemnatur. Occultum, quod ab Eccleſia toleratur. Cæterùm aliud eſt quando crimen notorium non diffitetur Presbyter, vel de ipſo eſt Canonicè condemnatus. Aliud eſt penè occultum, quod ab Eccleſia toleratur. Item aliud eſt à talium officiis abſtinere, ut peccandi licentia cæteris auferatur, & hujuſmodi ad pœnitentiam trahantur, atque aliud eſt talium tamquam in fornicatione jacentium Myſteria reſpuan-*

Lib. 3. tit. 2. c. 6.

reſpuantur. Sine dubitatione itaque teneatis, quòd à Clericis & Presbyteris, quamquam fornicariis, quamdiu tolerantur, nec habent operis evidentiam, licitè Divina Myſteria audiantur, & alia recipiantur Sacramenta Eccleſiaſtica. Lucii ſenſum non plenè percepit Anonymus Chronologicæ compilationis Auctor : *Lucius conſtituit, ut Miſſa Presbyteri, quamdiu toleratur ab Eccleſia, id eſt, quamdiu non condemnatur, poſſit audiri, & poſſint ab eo recipi Eccleſiaſtica Sacramenta*. Lucius enim addidit : *Nec habent evidentiam operis*. Quod Decretum probavit atque innovavit Synodus Baſileenſis : *Publici Concubinarii intelligendi ſunt non ſolùm hi, quorum concubinatus per ſententiam, aut confeſſionem in jure factam, ſeu per rei evidentiam, quæ nulla poſſit tergiverſatione colorari, notorius eſt, ſed & qui mulierem de incontinentia ſuſpectam & infamatam tenet, & per ſuum Superiorem admonitus, ipſam cum effectu non dimittit*. Quæ Regula ſuo modo debet etiam circà Simoniacos cuſtodiri.

A. 1181.

Seſſ. 20.

CANON III.

ET præcipientes ſtatuimus, ut hi prædictorum Ordinum, qui iiſdem Prædeceſſoribus noſtris obedientes caſtitatem ſervaverint, juxta Eccleſias quibus ordinati ſunt, ſicut oportet Religioſos Clericos, ſimul manducent & dormiant, & quidquid eis ab Eccleſia competit, communiter habeant. Et rogantes monemus, ut ad Apoſtolicam communem vitam ſummoperè pervenire ſtudeant, quatenùs perfectionem cum his conſecuti qui centeſimo fructu ditantur, in Cœleſti Patria mereantur adſcribi.

SCHOLION.

CLericalis incontinentiæ cauſam edicit in vita Sancti Petri Damiani, de Cathedralium, Collegiatarum, & omnium matricum Eccleſiarum Clericis agens Joannes Monachus : *Relictis olim cunctis Canonicis Inſtitutis, & à communis vitæ ordine prorſus receſſerant, & in ſingulis laribus unà tum mulierculis ſæculariter degebant*. Hinc Leonis noni & Nicolai ſecundi in hanc rem Decreta innovat Alexander ſecundus. Auctor illi fuit laudatus Petrus Damiani, communis vitæ tantus dilector atque promotor, ut in populari ſermone declamaverit omnes Collegiatarum Eccleſiarum Clericos ad ipſam obligari. Quod ipſum ex Moſaica, Levitarum tentoria juxta Tabernaculum figi mandante, confirmat inſigniter in Epiſtola ad Clericos Eccleſiæ Fanenſis. Longè potiori jure debere Clericos ad Eccleſiam in Clauſtro habitare affirmat, & adversùm propriæ domus & propriarum rerum dilectores adjungit : *Non miramur, quia rarum non eſt; ſed dolemus potiùs, quia inhoneſtum eſt. Satis enim videtur abſurdum ut Clerici quis prætendat in ordine ſpeciem, & ſæcularium teneat vivendo converſationem : Et quam à Laicorum turbis profeſſionis conditio ſeparat, turpe eſt ſi vel domeſtica converſatio, vel peculii abominanda proprietas Laicum eſſe convincat. Quid enim illius poterit concupiſcentiam ſatiare, cui non poteſt ipſe Deus in poſſeſſione ſufficere?* Singularis iſtius vitæ incommoda atque pericula acriter inſectatur. Eadem de re ſcribit ad nefcio quem Epiſcopum : *Eſt aliud, quod mihi de Sacerdotibus ſæcularis Ordinis diſplicet, quia ſicut ſæcularibus mixta regionariæ civilitatis habitatione colliminant, ita nihilominùs plerique ab eorum converſatione & inconditis moribus non diſcordant. Curis ſæcularibus indifferenter inſerviunt, ab otioſi ſermonis ineptiis ſe non compeſcunt, imò per lites & jurgia frequenter à proximorum ſuorum charitate reſiliunt, & cùm livoris vel cujuslibet terrenæ concupiſcentiæ flammas in ſuis pectoribus fervere non neſciunt, venerandis tamen Altaribus ſe impudenter ingerunt, & ab offerendi Sacroſancti Libaminis Miniſterio non recedunt*. Utraque Epiſtola eſt integrè & accuratè legenda. Hiſce rationibus permotus Alexander Pontifex non ſolùm edidit præſentem Canonem, ſed inſuper Lateranenſem Baſilicam, omnium ſub Cœlo Eccleſiarum caput & matrem, Sancti Benedicti Monachis, qui uſque tunc Divina iſtic cantaverant officia, ereptam tradidit Clericis Regularibus. Et hæc eſt origo maximæ illius, ſanctiſſimæ atque doctiſſimæ congregationis Lateranenſis. Quomodo in Velitrenſi & Fanenſi Eccleſia executus ſit hunc Canonem, & ex libertino Clero religioſiſſimum effecerit laudatus Petrus Damiani, habes in ejus Epiſtolis. Quod per omnem Romanam Provinciam ſit illud ipſum operatus, teſtatur laudatus Joannes Monachus. Ita omnem ſcoriam depoſuit Eccleſia, & in purum aurum eſt ſubitò tranſmutata. Hinc eundem Canonem firmarunt atque innovarunt Urbanus ſecundus, Gregorius ſeptimus, Paſchalis ſecundus, Calixtus ſecundus, Honorius ſecundus, & plures ipſorum Succeſſores, præſertim Innocentius ſecundus, de quo ad proximum Succeſſorem Cœleſtinum ſecundum ſcribit in litteris apud Lucam Dacherium exſtantibus Arnulphus Epiſcopus Lexovienſis : *Quantò plus pravitati terroris intulit, tantò Religioni plus exhibuit charitatis. Quod ſanè*

Cap. 15.

Ser. 70.

Lib. 5. Ep. 9.

Lib. 3. Epiſt. 11. Lib. 4. Epiſt. 14. Cap. 15.

Tom. 2. fol. 505.

tam regularis disciplinæ, quàm Monasticæ Religionis provectus ostendit. Cùm civitates & castella passim pro sæcularibus Regulares Clericos habent, & deserta plus hodie Monachorum, quàm ferarum olim habuerint bestiarum. Et certè Regularis Clericorum vita & Monasticus rigor semper fuerunt duo potentia Ecclesiæ adjutoria & fulcra.

Nec intra Europam se cohibuit sanctissimum Institutum: Transivit etiam in Orientem. Etenim de Godefrido Lotharingiæ Duce in Hierosolymæ Regem promoto scribit magnum Belgii
Fol. 140. Chronicon: *Primus secundùm Gallicanæ Ecclesiæ morem in Ecclesia Sepulchri Dominici, & in Templo Domini Canonicos instituit Regulares.* Et Simeon
A. 1100. Dunelmensis: *Constituuntur in Hierusalem Canonici in Monasterio, in quo Sepulchrum Domini continetur, à Godefrido Rege & Patriarcha Guiberto.* Verùm longè aliter in sacri Belli Historia scribit Auctor irrefragabilis, Guilielmus Metropolita
L. 9. c. 9. Tyriorum: *Godefridus in Ecclesia Dominici Sepulchri, & Templi Domini, Canonicos instituit, eisque ampla beneficia, quæ Præbendas vocant, simulque & honesta domicilia circà prædictas Ecclesias assignavit, ordinem & institutionem servans, quas magnæ & amplissimæ à piis Principibus fundatæ ultra montes servant Ecclesiæ.* Videtur alludere ad Lotharingiæ caput Ecclesiam Colonienſem, quam laudatum Chronicon affirmat numquam voluisse ad Regularem vitam redire. Godefridus suæ in Ducatu Metropoleos mores censuit etiam in Regni sui Metropoli esse retinendos. Pergit Guilielmus de Patriarcha Arnulpho: *Arnulphus fuit*
Lib. 11. cap. 15. *conversationis immundæ, ita ut vulgò pateret ejus ignominia. Cui rei colorem quærens, ordinem quem primi Principes studiosè & cum multa deliberatione in Ecclesia Hierosolymitana instituerat, Regulares Canonicos introducendo commutavit.* Et hinc in Orientalis Ecclesiæ Historia scribit Jacobus Car-
Cap. 58. dinalis de Vitriaco: *Patriarchalis Ecclesia, quæ est Dominici Sepulchri sub Monte Calvariæ, Canonicos habet Regulares secundùm habitum & Regulam beati Augustini viventes.* Eosdem esse affirmat in Ecclesiis Montis Sion, Montis Oliveti, Templi Domini, & aliis multis. Eosdem habuit Archiepiscopalis Ecclesia Nazarena. Et
Lib. 1. Ep. 159. 160. Patracensem Archiepiscopum, qui suos etiam Canonicos coegit ad Regularem in Claustro vitam, multum laudavit, adversùm refractarios adjuvit, & aliis Episcopis imitandum commendavit Innocentius tertius. Sagiensis apud Gallos
Lib. 3. Ep. 21. Ecclesia habebat sæculares Canonicos dumtaxat tredecim: Quòd frater suus Episcopus ibidem triginta sex Regulares posuerit, ex iisdem bonis aluerit, atque ita ipsam reddiderit sanctam
Ep. 41. 42. & gloriosam, testatur Arnulphus ex ejusdem Archidiacono Episcopus Lexovienſis. Plurimi tunc ubique id ipsum fecerunt Episcopi. Quod
A. 1171. idem Institutum in Hiberniam Sanctus Patritius, non Apostolus & Episcopus, sed Abbas & famosi Purgatorii Auctor introduxerit, habes apud Joannem Bromptonum. Ad rem promovendam Romani Pontifices multis non solùm Collegiatis, sed & Cathedralibus Ecclesiis dederunt exemptionis privilegium: Præsertim illis, quarum Episcopi vivebant extra Claustrum.

Multorum exemptio annexam habuit hanc clausulam: *Quamdiu apud vos viguerit vita Regularis.* Quare ubi hæc defecit, Episcopi omninò possint ad avitam suam potestatem reclamare. Attamen sæcularium Canonicorum vita, adversùs quam Sanctus Petrus Damiani non solus, sed etiam Stephanus Tornacensis Episcopus, & alii id genus gravissimi Doctores dura scripserunt, nequaquam est culpanda. Quòd enim ipsam in Hierosolymitana Ecclesia studiosè & cum magna Principum deliberatione instituerit Godefridus Rex, jam audivimus à Guilielmo Archiepiscopo Tyriorum. Et inter Lollardorum seu Wicleffistarum ab Ecclesia Anglicana damnatos articulos Henricus Knyghtonus meritò posuit & hunc: *Quòd omnia inter Clericos debent esse communia.*

Per Sanctum Rigobertum ac alios Gallicanæ Ecclesiæ Episcopos sub Carolo Martello, Pippino Rege & Carolo Magno instituti Regulares Clerici non habuerunt Regulam Sancti Augustini, neque exactam pauperis vitæ communitatem. Etenim Sancti Crodogangi Metensis Episcopi Regula solis pauperibus victum & amictum adscribit ex communi, divites vult vivere ex proprio patrimonio, ideoque ejus administrationem ipsis permittit. Fundat se in Juliani Pome- Cap. 45.
rii libris de vita contemplativa. Habet & hunc 6. 7.
articulum: *Si aliquis uni Sacerdoti pro Missa sua, vel pro Confessione, aut Clerico pro Psalmis &* Cap. 48.
Hymnis, seu pro se ipso, vel pro quolibet charo suo, aut vivente aut mortuo, aliquid in eleemosyna dare voluerit, hoc Sacerdos vel Clericus à tribuente accipiat, & exindè quod voluerit faciat. Si autem à tribuente ad omnes Sacerdotes aliquid in eleemosyna datum fuerit, hanc eleemosynam communem habeant, & Psalmodiam vel Missas pro illo misericordè faciant. Proprium peculium Clericis permittit. Quod ipsum facit etiam Regula ex Ludovici Pii Imperatoris jussu scripta per Concilium Aquisgranense. Solum dormitorium, refectorium, ac vestiariúm vult esse communia. Erat vita, qualis hodie videtur, & ab omnibus Deum timentibus damnatur, ac reformanda speratur in quibusdam laxatæ disciplinæ Monasteriis. Et hinc adversùs ipsam rectè scripsit ad Alexandrum Pontificem laudatus Petrus Damia-
ni: *Peculii proprietas facit, ut Clerici sui Pontifi-* Lib. 1. Ep.
cis dedignentur imperium, ut disciplinæ vel obedien- 18.
tiæ vera libertatem deserant, & turpis fœdissimæ deditionis opprobrio sæcularibus colla submittant. Utique ex spe aliquid sibi ab ipsis acquirendi. Clericalis istius Peculii licentiam ostendit obnoxiam omnibus malis, quibus ipsam in Monachis subjacere ostendit in collatione de triplici Monachorum genere Joannes Cassianus. Regulam istam convincit Sanctorum Patrum Decretis adversari in multis, esse non Clericorum Religionem, sed Nummicolarum rebellionem, ideoque rogat proscribendam, & ejus in locum induci Regulam Sancti Augustini. Quod Alexander Pontifex omninò fecit. Quare Ordo Canonicus plurimum debet Sancto Petro Damiani.

EXPO-

EXPONUNTUR ALIA ALEXANDRI II. DECRETA.

ALexander secundus sedit annis undecim, adeoque certum est plures ab ipso celebratas Synodos. Verùm perierunt illæ aut latent. Hinc indè exstant quædam ipsarum Decreta notabilia, ideoque hìc exponenda.

DECRETUM PRIMUM.

Lib. 2. c. 81. HOcce ejus Decretum referunt Sanctus Ivo Carnutensis Episcopus, & Monachus Gratianus: *Sufficit Sacerdoti unam Missam in die uno celebrare, quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit. Non modica res est unam Missam facere: Et valdè felix est, qui unam dignè celebrare potest. Quidam tamen unam faciunt pro defunctis, & alteram de die, si necesse fuerit. Qui verò pro pecuniis sive adulationibus Sæcularium una die præsumunt facere plures Missas, non æstimo evadere damnationem.* Eadem die plures ab eodem Sacerdote celebrari Missas, videtur olim & apud Græcos & apud Latinos fuisse quotidianum. Primis enim Ecclesiæ sæculis multa non tantùm Oratoria, sed etiam Basilicæ non habebant nisi unicum cum aliquot Clericis Episcopum aut Presbyterum, & tamen quotidie binas celebrabant Missas, manè unam, alteram vesperè: Ad morem Synagogæ, quæ in dies habuit sacrificium matutinum ac vespertinum. Ita lucet ex Sancti Cypriani ad Cæcilium litteris, in quibus damnat Aquarios, qui ne manè vinum olerent, atque ita Gentilibus Christianos ex matutino vini odore venantibus proderentur, manè conficiebant in aqua, vesperè in vino. Et morem istum in Antiocheno Patriarchatu floruisse suo adhuc tempore, testatur in litteris
Ep. 145. ad Constantinopolitanos Monachos Theodoretus Cyri in Eufratesia Provincia Episcopus: *Liturgias in Ecclesia obimus, tam ineunte die, quàm desinente.* Posteà tamen Græci hunc morem planè deseruerunt, ideoque Michaelis Cerularii schismatica factio in reperto apud Patres Prædicatores Constantinopolitanos Tractatu nobis improperat hanc quasi prævaricationem: *Apud Latinos unus Sacerdos ter vel quater celebrat uno die, cum felix sit qui unam dignè possit cantare.* Adeò Græci Sacerdotes jam pridem non iteraverunt eadem die sacrificium, ut nec iterent per diversos in eodem Altari, ideoque nec in eadem Ecclesia, quæ apud ipsos habere non potest nisi Altare unicum. Qui mos dudum fuit etiam apud Latinos. Etenim fratribus suis, ut unicam dumtaxat in eadem domo, licèt plures sint Sacerdotes, quotidie Missam celebrent, mandavit à quatuor solummodò sæculis Sanctus Franciscus, affirmans illum esse morem Romanum. Quocircà pro sola Latina Ecclesia sancit præsens Decretum. Qui sub Ludovici Pii Imperio floruit, Walafridus Strabo affirmat suo tempore diversas fuisse sententias & consuetudines: Alios dumtaxat semel, alios bis aut ter, alios Sacerdotes etiam pluries ad libitum eodem die celebrasse. Et hi fundabant se in Leonis Pontificis, qui frequenter uno die septies aut novies; isti in Sancti Bonifacii Francorum Apostoli, qui uni- Cap. 21.
cæ dumtaxat Missæ solemnia semper celebrabat, exemplo. Quod ipsum de Leone Pontifice affir-

mat in animæ gemma Honorius Augustodunensis. Addit de utroque laudato Antistite laudatus Strabo: *Qui & non longè ante nostra tempora fuerunt, & ambo tam scientia, quàm gradu præcipui. Itaque unusquisque in suo sensu abundet, dum fides concordet, ut nec sæpius offerentes æstiment Deum aliter petitiones non posse discernere, nec semel per diem hostias immolantes putent suæ fidei subtilitatem potiùs, quàm Superiorum devotionem Divinitùs acceptari.* Et de solo Leone Papa: *Fidelium relatione virorum in nostram usque pervenit notitiam, Leonem Papam, sicut ipse fatebatur,* &c. Leo tertius Walafrido fuit coætaneus; adeoque laudatus iste Pontifex fuit Sanctus Leo secundus. Ejus tempore celebratæ duodecima & tertia decima Toletanæ Synodi eundem frequenter celebrandi morem affirmant viguisse in Hispania, nihilque in ipso reprehendunt, nisi quòd quidam Sacerdotes in ultimo dumtaxat sacrificio communicarent. Rectè dicunt esse *fœdissimam consuetudinem.* Quale enim est sacrificium, cujus oblata nequidem offerens participat? Et apud Guilielmum Malmesberiensem exstat diploma, quo Anglorum Rex, qui noni sæculi anno trigesimo octavo cœpit regnare, Ethelnulphus Regni sui Ecclesiis varia impartit sub hac lege, ut omni feria quarta *unusquisque Presbyter duas Missas, unam pro Rege, & altam pro Ducibus ejus dicat.*

Cap. 5.

Cap. 9.

Fol. 41.

Sunt verò dies, in quibus quilibet Sacerdos non solùm potest, sed & quasi debet pluries celebrare. Primus est festum Dominicæ Nativitatis. Tres tunc celebrandas Missas uti rem vetustam laudat Magnus Gregorius: Passim creditur esse Institutum Sanctis Martyris & Pontificis Telesphori. Earum introitus incipiunt: *Dominus dixit ad me. Lux fulgebit. Puer qui natus est.* Prima æternam Christi ex patre nativitatem, secunda ejus pro nobis ex Virgine nascituri promissionem, tertia hujus nativitatis impartitionem repræsentat. Et quia Agnus ille à mundi exordio fuit apud salvandorum fidem immolatus, prima ad mediam noctem, secunda sub auroram, tertia dici debet hora diei tertia. Prima enim mundi antè legem ætas fuit quasi in nocturnis tenebris, secunda post legem sub Prophetis habuit auroram, tertia sub Evangelio obtinuit plenam necessarii ad salutem dogmatis notitiam & lucem. Quare Sylvester Sguropulus, Josephi Patriarchæ Constantinopolitani in Florentina Synodo Diaconus Cruciger, in ejusdem Concilii Historia pessimè de nobis scribit: *Nefarium est in diebus Nativitatis Christi aut Resurrectionis, ut unus idemque Sacerdos à noctis conticinio ad horam quartam diei insequentis quoties vult sacrificet.* Affirmat esse unum ex erroribus, quos nos Latini non possimus purgare. Verùm non toties quoties volumus, sed ter dumtaxat sacrificamus in Natali Dominico, idque ob rationes dictas, quas homo ille schismaticus non possit maculare.

Lib. 11. cap. 7.

Alter ergò dies est festum Dominicæ Resurrectionis, in quo duas olim Missas dicebat quisque Sacerdos. Hinc enim etiam posterioribus Ecclesiæ sæculis in sua sub Honorii tertii Pontificatu habita Synodo Oxoniensi statuit Stephanus Archiepiscopus Cantuariensis: *Ne Sacerdos quispiam Missarum solemnia celebret bis in die, excepto die Nativitatis & Resurrectionis Dominicæ.* Nempè Missa illa, quam hodiè in Sabbatho sancto dicimus, olim dicebatur in nocte Dominicæ Resurrectionis. Et hinc non solùm in Paraseve, sed etiam in Sabbatho sancto *Sacramenta pœnitùs non celebrari* ex traditione Apostolica, ad Decentium Eugubinum Episcopum scripsit olim Innocentius primus. Quod ipsum in Binianis Conciliorum Tomis innovatum dicitur à prima Synodo Arausicana. Priorem Missam de nocte celebrari testatur etiam in libello de Paschalis festivitatis ratione Sanctus Ambrosius. Item alii passim Patres. Ipsam enim pro novellis Neophytis fuisse factam, rectè affirmat in literis ad suæ congregationis Eremitas Sanctus Petrus Damiani, & adjungit: *Missa, quæ infrà ipsum Sabbathi sancti diem probibetur, nocte celebrari præcipitur, ut nimirùm in quodam meditullio, hinc mortis Christi, indè Resurrectionis, generalis Baptismi constituatur salutare Mysterium. In Baptismi siquidem Sacramento ad imitationem Christi & morimur & resurgimus.* Et in Synodicis ad Clerum suum litteris statuit Ratherius Veronensis Episcopus: *Septima majoris septimanæ feria antè horam diei decimam;* id est, antè noctis exordium, *nullus præsumat Missam cantare, nec Baptismum generalem agere.* Quod ipsum repetit in sermone primo de Quadragesima, Græcos hora tertia tunc celebrantes arguens de excessu in Canones. Et in Claromontana Synodo statuit Urbanus secundus: *Ne Sabbathi sancti Officium antè horam nonam celebretur.* Nescio quis sciolus addidit vocem, *Matutinam*: Verùm non de matutina, sed de nona totius diei hora loqui Synodum, est nimis manifestum. Quem morem Florentini adhuc Concilii tempore viguisse, audivimus suprà à Sylvestro Sguropulo. Quin imò in quibusdam Ecclesiis ac Monasteriis adhuc vigebat sub Pio quinto. Ipsum exstinxit Pontifex, volens Ecclesiam etiam in isto ritu esse deinceps uniformem. Eandem olim Regulam habuit Pentecostes Vigilia, cum modico tamen discrimine, de quo antiquus Ordo Romanus: *Sabbatho in Vigiliis Pentecostes omnes jejunium faciunt, & omne Divinum Officium vel Ordinem, tam lectiones quàm & Baptismum, sicut in Sabbatho sancto Vigiliarum Paschæ. Tantùm hora octava ingrediuntur ad Vigilias, vel Missarum solemnia, ut hora nona expleta, omnia consummentur.*

Epist. 1. cap. 4.

Lib. 6. Ep. 35.

Fol. 9.

Tertius dies est Festum Sancti Joannis Baptistæ; de quo Amalarius Fortunatus: *Tres Missæ celebrantur in festivitate beati Joannis Baptistæ, quia tribus insignibus triumphis excellenter refulsit. Ad hoc enim venit, ut viam Domino præpararet exemplo suæ conversationis. Qui triumphus celebratur in Vigilia ejus. Per Baptismi Ministerium claruit insignis: Hujus Ministerii triumphus recolitur in prima Missa. Nazaræus verò permansit ex utero matris: Hoc donum recolitur in secunda Missa in die.* Quod ipsum tradunt in libro de Divinis Officiis Alcuinus Flaccus, & in animæ gemma Honorius Augustodunensis. Prima Missa spectabat ad Vi-

Lib. 3. cap. 38.

Vigiliam, & pridiè ad Vesperam dicebatur. Secunda spectabat ad ipsam festivitatem, & dicebatur ad Diurnæ lucis exordium: *Quod illum*, inquit laudatus Amalarius, *ex matris utero dignatus esset Deus honorare.* Quæ omnia in Theologicæ eruditionis opere confirmat Hugo de Sancto Victore, capiti isti apponens hanc Epigraphen: *Quare in festo beati Joannis Baptistæ Missæ duæ in quibusdam Ecclesiis celebrentur?* Tunc ergò mos decrescere cœperat & abrogari. Verùm vespertinarum Missarum origo, ratio, & omnis series est alibi elucidanda.

Sunt item aliqui singulares casus, in quibus antiqui etiam Canones sacrificium eadem die ab eodem Sacerdote permittunt iterari. Primum laudat tertia Synodus Carthaginensis: *Sacramenta Altaris non nisi à jejunis hominibus celebrentur. Nam si aliquorum postmeridiano tempore defunctorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi qui faciunt, jam pransi inveniantur.* Ad ipsum animæ egressum Majores nostri statim offerebant sacrificium, atque ita ipsam ad tremendum Dei Tribunal comitabantur. Agebant istud quavis diei hora, etiam post meridiem, etiam non jejuni. Hocce posterius huic Synodo non placuit, ideoque post meridiem & Presbyteri Parochialis prandium defunctas animas sanxit deinceps solis orationibus Deo Judici commendandas. Dum ergò Presbyter adhuc erat jejunus, ex more antiquo permisit ab illo sacrificium iterari. Ita Canonem in suis Commentariis intelligit etiam Theodorus Balsamon, & adjungit: *Hoc autem hodiè non servatur.* Ut nempè post meridiem prò defunctis celebretur. Attamen in die depositionis bis ab eodem Sacerdote celebrari, disertè hic permittit Alexander secundus. Etiam in laudata Oxoniensi Synodo Stephanus Archiepiscopus Cantuariensis: *Ne Sacerdos quispiam Missarum solemnia celebret bis in die, exceptis exequiis defunctorum, cùm videlicet corpus alicujus in Ecclesia fuerit eodem die tumulandum. Et tunc prior Missa de die, posterior pro defuncto celebretur.* Præsentem Alexandri Canonem in Occidentalis Ecclesiæ Historia laudat etiam, qui sub Gregorio nono floruit, Jacobus Cardinalis de Vitriaco.

Cap. 29.

Alterum casum habemus ab Emeritensi sub Vitaliani Papatu celebrata Synodo, quæ plures pauperes Parochias committi permittit uni Presbytero, & de ipso adjungit: *Pro singulis quibusque Ecclesiis, in quibus jussus fuerit præesse, pro singulis diebus Dominicis sacrificium Deo procuret offerre.* Et hujus mandati neglectorem jubet à suo Episcopo excommunicari. Et hinc intelliges Honorii tertii Rescriptum ad Archiepiscopum Sipontinum: *Cum cuilibet Sacerdoti, quacumque dignitate præfulgeat, unam in die celebrare Missam sufficiat, Fraternitati tuæ mandamus, quatenùs die Cœnæ Domini in Ecclesia Sipontina dumtaxat, in qua teneris Chrisma conficere, Missarum studeas solemnia celebrare.* Glossa exponit: *Archiepiscopus Sipontinus die Cœnæ Domini de antiqua consuetudine conficere tenetur Chrisma in Ecclesia Sipontina. Sed idem Archiepiscopus eadem die manè de consuetudine accedit ad Garganicam Ecclesiam, ut recipiat ibi peregrinos illius loci, & ibi à Clero & Populo celebrare compellitur. Undè super hoc imploravit consilium Papæ. Et Papa respondet quod tantùm in Sipontina Ecclesia, in qua tenetur Chrisma conficere, debeat celebrare.* Quia nempè Dominica Cœna non sit dies festus, ideoque non sit ratio binandi. Jam pridem enim binari non permittitur, nisi in gratiam popularis obligationis.

Cap. 19.

Lib. 3. tit. 41. c. 12.

Ista interim iterandi eadem die sacrificii consuetudo dudum viguit in Latinis Ecclesiis. Etenim de beato etiam Alcuino Flacco scribit ejus vita: *Alcuinus omni die celebrabat Missarum solemnia multa cum honestatis diligentia, habens singulis hebdomadæ diebus Missas deputatas proprias. Dominico porrò die, nullo umquam tempore, postquam lux inchoasset apparere auroræ, se tradebat sopori, sed velociter Leviticè se præparans cum Sigulfo Presbytero Missarum colebat solemnia specialium usque horam tertiam: Et tunc nimia cum reverentia publicam intrabat ad Missam.* Et in secunda suorum de Divinis Officiis librorum præfatione Amalarius Fortunatus: *Dicamus de ordine orationum.* Utique ad Missam. *Principium habuit idem ordo de Missa nocte Nativitatis Domini, ubi duplex oratio est: Una de Nativitate Domini, & altera de Sancta Anastasia. Ubi Reliquiæ sunt Sanctæ Anastasiæ, vel ubi Corpus ejus est, dicantur orationes de Sancta Anastasia juxta Romanum morem. Ubi hoc non reperitur, dicantur de Incarnatione Domini. Quando in Dominica die fuerit aliqua festivitas Sanctorum, sufficere potest illa oratio, in qua precatur adesse cum oratione Sacerdotis intercessio Sancti illius, cujus festivitas celebratur. Juvat multos, quandò tempus vacat lectionis & psalmodiæ, atque cæterarum orationum, seorsum Sacramenta celebrare de Dominicis diebus, & seorsum de festivitatibus Sanctorum. Simili modo cæteris diebus, quando festivitas sit plurimorum Sanctorum, duas aut tres Missas. Huic ordini congruit Sacramentarium & Cantorius, in quibus sæpè inventimus duo Officia Sanctorum uno die.* Et suprà in eadem præfatione: *Veni Romam, interrogavique Ministros Ecclesiæ Sancti Petri, quot orationes soliti essent celebrare ante Epistolam Missæ per dies festos, in quibus duas solemnitates celebramus, sicuti est in Nativitate Domini ad secundam Missam de nocte, in qua continetur duplex Officium in Sacramentario, id est, unum de eadem Nativitate Domini, & alterum de Sancta Anastasia.* Romana ad secundam Dominicæ Nativitatis Missam statio fit apud Sanctam Anastasiam. Hinc quisque ibi Sacerdos dicebat duas Missas, de Sancta Anastasia unam, alteram de Nativitate, ideoque & duas habebat Romanum Missale seu Sacramentarium. Quare istius Basilicæ Presbyteri ista die quater celebrabant. Quod ipsum in quavis per omnem Ecclesiam simili Basilica posse fieri affirmat Amalarius. Eandem consuetudinem Romæ suo adhuc tempore viguisse testatur in animæ gemma Honorius Augustodunensis: *Semel in die debet Missa ab uno Sacerdote celebrari, sicut & Christus semel voluit immolari. Si autem necessitas cogit, id est, si duæ festivitates simul occurrunt, duæ vel tres celebrari poterunt. Quia & Romani hoc in die*

Lib. 1. cap. 114.

Natalis Domini faciunt. Utique ad Missam Auroræ. Et huc forsan respexit Sylvester Sguropulus, arguens nos quod in Dominico Natali quisque Sacerdos tres vel quatuor Missas ad libitum celebraret. Quod si verum sit, Romanus iste mos tunc adhuc perdurabat. Plurium eadem die concurrentium Sanctorum festivitates quidam, quod eadem in Missa plures Collectas seu orationes non admitterent ex rationibus, duabus aut tribus Missis, quidam unica de principali Sancto Missa cum adjunctis aliorum commemorationibus honorandas censebant: Et utrorumque morem probant Amalarius atque Honorius, & quemque permittebant in suo sensu abundare.

Promiscuam hanc sæpiùs eodem die celebrandi licentiam contrahere cœpit Leo quartus Pontifex, de quo antiqua incogniti Auctoris Historica compilatio: *Leo Papa constituit, ut nullus Presbyter plures Missas in die celebret quàm unam*
An. 844. *tantùm, excepto die Nativitatis Domini, & in Dominica, præsente funere*. Decretum periit aut latet. Admirari quis possit, cur Dominicæ etiam Resurrectionis diem non exceperit. Quidquid sit, non quovis, sed solo, in quo contingit sepeliri cadaver, die permittit binari. Ex quo lucet Decretum istud à multis Ecclesiis non fuisse admissum. Et hinc sub Benedicti octavi Papatu
Cap. 5. celebrata Salegustadiensis Synodus statuit: *Unusquisque Presbyter non plus quàm tres Missas in die celebrare præsumat*. Et antiqui Anglicanæ Ecclesiæ sub Edgaro Rege editi Canones: *Nullus Sacerdos Missam sæpius in uno die celebret, quàm ter ad summum*. Et Luidulphum Corbeiensem in Saxonia Abbatem, quod passim quotidiè bis, semel de occurrenti officio, semel pro defunctis celebraret, laudat Ditmarus Episcopus Merseburgensis. Et in litteris ad Joannem Monachum
Lib. 3. scribit in laudem cujusdam Perusini Abbatis Sanctus Petrus Damiani: *Quotidie Missas gemino celebrabat officio*. Et in litteris ad Hubertum Pres-
Lib. 6. Ep. 25. byterum: *De celebrandis Missarum solemniis nos hanc consuetudinis Regulam in disciplinatis Ecclesiis & didicimus & tenemus, ut calicem differamus in*
Lib. 5. Ep. 28. *Missarum fine perfundere, si nosmetipsos eodem die sacrificium denuò speramus offerre*. Nempè Alexander secundus non quovis modo, sed dumtaxat ex recipiendæ oblationis cupiditate duas eodem die celebrari ab eodem Sacerdote Missas videtur interdixisse. Alii tamen volunt laudatas litteras esse præsenti Decreto anteriores, & Missæ iterationem fuisse ab ipso absolutè proscriptam. Hinc
Fol. 162. enim de Alberone Leodiensi Episcopo scribit magnum Belgii Chronicon: *Sub hoc Alberone cœpit rure disciplina Clericalis. Presbyteri bis in die Missam cantabant*. Et in Synodalibus suis Statutis habet Odo Parisiensis Episcopus: *Nullus bis in die Missam audeat celebrare, aut cum duplici introitu, nisi in magna necessitate*. Et in additionibus ad Gualonis Episcopi Capitula successor ejus Gui-
Cap. 5. lielmus: *Presbyteri uno die Missas duas non celebrent, nisi in necessitate*. Et in Londinensi sua Synodo, exstante apud Rogerum Hovedensem, sanxit Hubertus Cantuariensis Archiepiscopus: *Non liceat Presbytero bis in die celebrare, nisi necessitate urgente. Et tunc idem, cùm in die bis celebrat, post primam celebrationem & sanguinis sumptionem nihil infundatur calici. Sanè post primam celebrationem diligentissimè absorbeantur stillulæ de calice, & digiti sugantur, vel lingua lambantur, & laventur, reservata lotura in vase mundo ad id specialiter deputato. Quæ lotura sumatur post secundam celebrationem. Hæc ita sese habeant, nisi in prima celebratione adsit Diaconus, vel alius Minister honestus, qui loturam sumere possit*. Nempè non solùm in Italia, sed etiam in Anglia vigebat abusus sumendæ ablutionis etiam in prima Missa, atque ita secundam celebrandi post solutum jejunium. Adversùs quem abusum Sanctus Petrus Damiani scripsit laudatas litteras ad Hubertum Presbyterum. Et in exstantibus apud Gregorium nonum litteris ad Vigornensem Episco-
Lib. 3. tit. 41. cap. 3. pum Innocentius tertius: *Excepto die Nativitatis Dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam solummodò Missam celebrare*. Verùm quæ, qualis, & quanta debet esse ista necessitas? Exponit Glossator: *Respondeo, si celebravit de die, & postea etiam moriatur aliquis, vel etiam causa honestatis vel utilitatis. Ut si dicta Missa de die, superveniat aliqua magna persona, quæ velit Missam audire*. Et post laudatum præsentem Alexandri Canonem addit Jacobus Cardinalis de Vitriaco: *Valdè felix est, qui unam in die Missam potest celebrare. Si tamen necesse fuerit, una de die, altera pro defunctis potest celebrari*. Et sub Clementis quinti Papatu facta Ravennæ Syno-
Cap. 9. dus: *Ne quis de cætero nisi unam tantum in die Missam celebret, nisi in casibus à jure permissis*. Et sub Joannis vigesimi secundi Papatu habita Synodus Toletana: *Nullus absque causa necessitatis, excepto die Nativitatis Domini, præsumat nisi unam Missam celebrare in die*. Et in suis ad Germanos constitutionibus Joannes Tusculanus Episcopus, ac Martini quinti per Germaniam Cardinalis Legatus, eos *qui in eadem Ecclesia, nulla necessitate urgente, sed ad solum quæstum celebrant Missam bis in die, detestatur*, & adjungit: *Singulis Presbyteris inhibemus, ut nisi unam Missam, aut duas in casibus à jure concessis, in die cantare aut legere præsumant*. Et in quinta sua Synodo Sanctus Carolus Borromæus: *Quidam Sacerdotes non semel tantùm, sed pluries in die efferunt*. Abusum rigidissimè damnat, & neque ob Parochialis vel alterius Ecclesiæ egestatem, neque ob Sacerdotum penuriam, neque ob locorum distantiam, neque ob ullam aliam necessitatem permittit ab Episcopis concedi facultatem binandi, & concludit: *Si quæ ejus generis facultas anteà vel certo loco, vel Sacerdoti data est, eam statim planè rescissam, irritamque ac nullam omninò esse jam nunc decernimus*. Quod Decretum est nimii rigoris. Nam ob Sacerdotum penuriam, locorum distantiam, aut Parochialium Ecclesiarum egestatem Episcopi omninò possunt dare facultatem binandi. Ex nulla possunt alia causa: Ita consuetudo induxit. Ex his interim vides iterandi sacrificii libertatem ægrè potuisse auferri.

Oritur hinc quæstio, An sicut olim unus Sacerdos plures eodem die Missas, ita etiam quotidie saltem unam celebraret? Respondeo fuisse varias variarum Ecclesiarum vario tempore consuetudines. Etenim ad Cæsariam Patritiam, quæ de quotidiana populi communione interrogarat, rescripsit Magnus Basilius: *Quater nos singulis*
Ep. 289. *septimanis communicamus. Dominico die, feria quarta, in Parasceve, & Sabbatho. Sed & per dies etiam alios, si Martyris alicujus memoria celebretur*. Lucidè agit de Sacerdotibus celebrantibus, aut certè publico sacrificio communicantibus. Addit Domesticam populi communionem adhuc vigere apud Alexandriam ac omnem Ægyptum, & adjungit causam: *Quod illic semel*, utique in septimana, *Sacerdos sacrificium peragat ac distribuat*. Et in sermone adversùm eos qui Pascha jejunant, scribit Sanctus Joannes Chrysostomus: *Non idem sunt Pascha & Quadragesima. Siquidem Quadragesima semel in anno fit, Pascha verò ter in hebdomada. Nonnumquam etiam quater, vel quotiescumque volumus. Est enim Pascha non jejunium, sed oblatio & sacrificium, quod in singulis fit Collectis*. Quia nempè in jejuniorum, quadragesimalium præsertim, diebus apud Græcos non fiebat vera oblatio, sed sacrificium ex præsanctificatis. In sexta super primam ad Timotheum Epistolam Homilia demonstrat Crucis & Altaris sacrificium esse unum ac idem, & subnectit. *Unum atque idem est, eadem est Sancti Spiritus gratia, semper Pascha est. Nostis profectò qui initiati estis, id quod dicimus: Sive sexta feria, sive Sabbatho, sive Dominica die, sive in celebritate Martyrum, eadem litatur hostia, idem sacrificium consummatur*. Et in tertia super Apostolicam ad Ephesios Epistolam Homilia: *Frustra est quotidianum sacrificium, frustra adstamus Altari. Nemo est qui participet*. Affirmat quotidie celebrari. Ejus tempore quidam pagi necdum habebant Basilicam, ideoque in decima octava super Apostolorum Actus Homilia declamat ad istorum possessores: *Preces illic perpetuæ propter te, laudes & synaxes propter te, oblatio per singulos dies Dominicos*. Ita hortatur ad Basilicas illic exstruendas. Et in Catholicæ fidei
Cap. 22. expositione Sanctus Epiphanius: *Sacri Conventus & synaxes ab Apostolis instituti sunt his diebus, quarta sextaque feria, & Dominica*. Et infrà: *Quibusdam in locis sacri Conventus & synaxes etiam Sabbathis indicuntur*. Proindè omnes Pagenses solis Dominicis, quædam Civitatenses Ecclesiæ ter aut quater in septimana, quædam quotidiè habebant sacrificium. Diversæ habebant diversas consuetudines. Nam & de magna Sanctæ Sophiæ Constantinopolitana Ecclesia scribit Michael Glycas: *Quod in magna Dei Ecclesia Constantinus Monomachus instituit, laudem meretur. Cùm enim istic res sacra peragi propter inopiam redituum non posset extra quam singulis Sabbathis, diebus Dominicis, aliisque festis insignibus, Imperator hoc animadverso, proventibus certis constitutis effecit,*
Par. 4. *ut Sacrum ibi singulis diebus perficeretur*. Quod ipsum suprà audivimus à Georgio Cedreno.

Græcorum Ecclesiæ non habent nisi unicum Altare, & in uno eodemque Altari, adeoque & in una eademque Ecclesia nequit eodem die iterari sacrificium. Est Canon apud ipsos adeò antiquus atque solemnis, ut ad Dioscorum Alexandriæ Patriarcham rescripserit Sanctus Leo Magnus: *Ut in omnibus observantia nostra concordet, illud quoque volumus custodiri, ut cùm solemnior festivitas conventum populi numerosioris indixerit, & ad eam tanta fidelium multitudo convenerit, quam recipere Basilica simul unà non possit, sacrificii oblatio indubitanter iteretur, ne his tantùm admissis ad hanc devotionem qui primi advenerint,*
Ep. 81. *videantur si qui postmodum confluxerint non recepti, cùm plenum pietatis atque rationis sit, ut quoties Basilicam, in qua agitur, præsentia novæ plebis impleverit, toties sacrificium subsequens offeratur. Necesse est autem, ut quædam pars populi sua devotione privetur, si unius tantùm Missæ more servato sacrificium offerre non possint, nisi qui primæ diei parte convenerint. Studiosè ergò Dilectionem tuam & familiariter admonemus, ut quod nostræ consuetudini ex forma paternæ traditionis insedit, tua quoque cura non negligat, ut per omnia nobis & fide & actibus congruamus*. Alexandriæ fiebat, quod & in sua Ecclesia factum partim laudat, partim reprehendit in populari sermone Sanctus Joannes Chrysostomus: *Quantum mihi cen-*
Ser. 26. *setis dolorem inuri, cùm recordor festis quidem diebus vasta maris æquora Collectarum turbas imitari, jam verò ne quotamvis quidem partem illius multitudinis hic congregari*? Quod latiùs urget in speciali sermone adversùm eos qui Divinis non interfunt officiis. Quod ergò in magnis festis populus tanquam mare irrueret in Basilicam, & ab ipsa non caperetur, Pontificem consuluit Dioscorus, num ex tali causa posset eadem die in eadem Basilica iterari sacrificium, & generalis totius Orientis consuetudo & Canon lædi aut dispensari? Alexandrinæ Ecclesiæ Fundator Sanctus Marcus Evangelista fuerat Sancti Petri Apostoli Discipulus, ideoque & istam & Romanam Ecclesiam eisdem institutionum Regulis directam & dirigendam censuit Magnus Leo: Multis rationibus suasit, quin & Apostolica auctoritate præcepit Latinum in morem istic non tantùm posse ex relata causa iterari sacrificium, sed etiam debere. Verum non persuasit. Etenim etiamnum hodierno die omnes puræ Græcorum Ecclesiæ habent unicum Altare.

Dico, *Puræ*: Excipio enim mixtas, seu nobis & ipsis ex inducta per Saracenicam ac Turcicam captivitatem necessitate communes Ecclesias, in quibus aliud Græci, aliud Altare habent Latini. Et sic etiam est Romæ in Ecclesia Sancti Athanasii, Et de Græcis scribit in Euchologii scholiis Joannes Goar: *In eis*, Mixtis utique Ecclesiis, *Missas, officia laudesque Divinas, ritibus propriis servatis, utrique alternis horis peragunt, ita tamen, ut qua hora Sacerdos Latinus celebravit, Græcus deindè sacrum facere detractet, non quidem in Latini ritus contemptum vel odium, ut quidam temerariò suspicantur, sed ne eodem die intra Templi ejusdem septa sacrificium iterare, quod nefas videtur, Græcus præsumat. Hacque de causa cum devotionis adimplendæ affectu, Græcus hinc, illinc Latinus in Templi ejusdem ambitu sacris operari affectat, Græcus alium prævenire studet. Ne sacrificio ab eo peracto, ipse religione à Sacris retardetur. Nec tamen Latini, quod ipse expertus sum, temerè conscientiam accusat, quem*

quem ritus licentiam sequi probè novit, sed ipse veterum Canonum observantia se duci ostentat. Metropolitanum Edessenæ Ecclesiæ Clerum fuisse ducentorum & amplius nominum dixit ad Chalcedonensem Synodum Ibas istius Sedis Episcopus: Quòd autem magna Constantinopolitana Ecclesia præter centum Ostiarios habuerit quadringentos viginti quinque Clericos, & in eis sexaginta Presbyteros, scripsit in Novella ad Epiphanium Patriarcham lege Imperator Justinianus. Lucet ergò tot Presbyteros in unico ejusdem Ecclesiæ Altari non potuisse celebrare in dies, sed rarò per vices celebrasse. Et hinc de Protopapa seu Archipresbytero statuit antiquus laudatæ magnæ Ecclesiæ Catalogus: *Distribuit ipse Patriarchæ Sanctam Communionem, & pariter Patriarcha Protopapæ.* Et vulgaris Canon Apostolicus statuit: *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut quilibet ex Sacerdotali Catalogo, facta oblatione non communicaverit, aut causam dicat, aut communione privetur.* Et quarumdam, ubi Diaconi Presbyteris porrigebant Eucharistiam, Ecclesiarum consuetudinem circumscribit atque abolet decimus octavus Nicæni Concilii Canon, & adjungit: *Diaconi ergò per ordinem post Presbyteros gratiam sacræ Communionis accipiant, aut Episcopo eis aut Presbytero porrigente.* Nempè consuetum certis diebus sacrificium aut Episcopus aut quis per vices Presbyter offerebat, & omnis reliquus Clerus de ejus sacrificio communicabat. Non solùm Presbyter, sed & Episcopus habebat suas offerendi dies ac vices. Et hinc intellige quod nescio quis antiquus Auctor apud Sanctum Hieronymum scribit ad Rusticum Archiepiscopum Narbonensem: *Nulla in conficiendo Corpore Christi ac Sanguine inter Presbyteros & Episcopos credenda est distantia. Et Eucharistiam jampridem per Presbyteros benedictam, si usus exegerit, Episcopi accipere debent, ac se Christo & plenitudini ejus communicare cognoscere. Nam si quis ad injuriam revocet, aut putet se accipere non debere Eucharistiam quam Presbyter benedixit, is profectò perversus est, credens Dominum duo corpora habuisse, unum majus, & unum minus: Majus quod Episcopus conficit, quod Presbyter minus. Hic Christum dividit, eique facit injuriam.* Agit in Episcopos, qui de suorum per vices suas celebrantium Presbyterorum Eucharistia & manu dedignabantur communicare.

Leg. 3. cap. 2.

Ex eodem principio, dum crevit fidelium, crevit & Basilicarum in civitatibus numerus. Antiochena Civitas habuit trecentas & sexaginta: Constantinopolis longè plures. Nempè quævis unicum dumtaxat in die admittebat sacrificium, ideoque ad plenum magni populi Ministerium debuerunt esse admodum multæ. Hinc & Magnus Constantinus Romæ, Alexandriæ, Antiochiæ, Hierosolymis, ac in aliis majoribus Romani Imperii Civitatibus exstruxit novas & majores Basilicas: Ejus namque in Christum fides mirum in modum subitò multiplicaverat Orthodoxum populum, & priores Basilicas fecerat ipsius incapaces. Hinc item magni Athanasii, quem de celebratis intra ejusmodi necdum consecratam Basilicam Divinis Officijs accusaverat Eusebiana factio, intelliges Apologiam apud Imperatorem Constantium: *Factum est, agnosco, festum erat Paschæ, & tanta vis populorum aderat, quantum Christianorum in Urbe esse Christicolæ Principes optarint. Cum igitur & Ecclesiæ paucæ parvæque essent, magnoque tumultu posceretur, ut in magna Ecclesia Conventus celebrarentur, atque ibidem preces pro tua salute fierent, quod & factum est, egoque reniterer adhortationibus, ut rem aliquo usque differrent, & potiùs quomodocumque liceret, etiam cum compressione & afflictione in aliis Ecclesiis cœtus agerent, mihi neutiquam est obtemperatum. Quin potiùs urbem egredi parati erant, ut in desertis locis, & sub Dio Conventus facerent, melius esse laborem itineris ferre, quàm cum luctu festum celebrare. Crede mihi Imperator, & in eam rem testem veritatem ipsam accipe, in synaxibus Pentecostes ob multitudinem populorum, & in locis angustis plurimos pueros, nec paucas puellas, & aniculas complures, & adolescentes multos jacuisse afflictos, ac domum delatos esse, sed tamen ut nemo eorum benevolentia Numinis perierit. Multa igitur omnium obmurmuratio in hunc usum magnam Ecclesiam deposcentium: Neque immeritò. Si enim priùs tanta compressio acciderat, quid timendum fuit in tali festo? Omnibus certè modis acerbiora multo, luctuosioraque accidissent.* Verùm undè tanta compressio? Quod in eadem Basilica sacrificium eodem die non posset iterari. Nec in festo Paschali. Hinc populo compatiendum duxit Athanasius, ac in necdum consecrata Basilica dispensatoriè celebrandum.

Quam omnem formam viguisse olim in Latina etiam Ecclesia, demonstrat antiquus Canon laudatus à Sancto Jvone Carnutensi Episcopo in litteris ad Guilielmum Fiscanensis Monasterii Abbatem: *Altare si motum fuerit, Ecclesia demùm consecretur. Parietes verò si moti fuerint, & non Altare, salibus tantum exorcizentur.* Ecclesiæ consecratio est nostri Baptismi & omnium in ipso rituum repræsentatio ac imitatio. Altare significat fidem: Et quia justus ex fide vivit, ipsa est primum ac palmare Christianæ justitiæ fundamentum, ideoque ea per abnegationem excussa aut per dubitationem mota, homo debet de novo parturiri in vitam æternam, ac in ipso Christus formari. Etiam lapidea templa sunt imago illius vivi & veri, de quo Apostolus: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Hinc sicut in nobis unica fides, ita in Basilicis unicum Altare. Ita olim fuisse, altè clamant antiquæ Romanorum Basilicæ: Lateralia ipsarum Altaria altè clamant se esse posteriores appendices. Nam & ipsorum quædam præter antiquum Romanæ Ecclesiæ morem respiciunt non Orientem, sed Meridiem aut Septentrionem. Quem ritum etiam apud Afros viguisse ostendit in tertio super Apostolicam Sancti Joannis Epistolam tractatu Sanctus Augustinus: *Si cum Donatistis in unitate sumus, quid in hac civitate faciunt duo Altaria?* Loquitur cum Sancto Optato Milevitano Episcopo: *Donatistæ populum Dei diviserunt, & Basilicas fecerunt non necessarias.* Quod Optatus Basilicam, Augustinus appellat Altare: Quod nempè illa haberet hoc unicum, & hoc illius esset caput & fundamentum. Quod omnes generatim Hæretici atque Schismatici Altare contra Altare, id est, Basilicam contra Basilicam erigant, est antiquissima ac usitatissima phrasis omnium Christianorum. Quam usitarunt & media sæcula. Lucet ex Urbani secundi Nemausensi Concilio: *Ecclesiæ vulgari vocabulo Altaria nuncupantur.*

Ep. 86.

Lib. 3.

Cap. 1. Unici Altaris in quavis Basilica morem fuisse universalem, aut certè vulgatissimum in omni Africa, multis laudatorum Optati & Augustini testimoniis possit demonstrari. Viguit etiam in Anglia. Etenim de Campidoni per Eduinum Berniciorum Regem ac Sanctum Paulinum Eboracensem Archiepiscopum ædificata, ac per Paganos exusta Basilica scribit in Anglorum Historia venerabilis Beda: *Evasit ignem Altare, quia lapideum erat.* L. 3. c. 4. Et de Eorpvvaldo Orientalium Anglorum semi Christiano Rege adjungit: *In eodem fano & Altare habebat ad sacrificium Christi, & arulam ad victimas Dæmoniorum.* Cap. 15. Non dicit Altaria, sed Altare.

Quod Latina item Ecclesia in eodem Altari, ideoque & in eadem Basilica olim sacrificium non iteraverit, quidam suadent ex Concilio Antiocheno: *Non licet super uno Altario in una die duas Missas dicere, nec in Altario, ubi Episcopus Missas dixerit, ut Presbyter in illa die Missas dicat.* Cap. 10. Posterior Canonis pars, ne inutilem repetitionem contineat, facere debet hunc sensum: *Præsertim in Altari, ubi Episcopus Missas dixerit.* Eundem Canonem in eruditis ad Græcorum Euchologion scholiis laudat Joannes Goar, & subnectit: *Addo ego tum Romæ, tum etiam apud nos hic in antiqua Civitate Parisiensi, quæ terminis Insulæ Deiparæ Virginis clauditur, tam frequentes esse veteres Ecclesias, ut una alteri vicinissima sit, unicuique verò suum unicum Sacerdotem olim fuisse additum, ut Ecclesiarum multitudine Missæ audiendæ opportunitas non deficeret, & unius Sacerdotis Præfectura ejusdem Sacri iteratio impediretur.* Fol. 28. Censet ergò non solùm in eodem Altari, sed neque in eadem Ecclesia potuisse tunc sacrificium eodem die iterari. Et consonare videtur liber Pontificalis, scribens de Papa Deusdedit. *Hic constituit secundam Missam in Clero.* Exponit in suis scholiis Petrus Urbevetanus: *Quia tunc ad instar Græcorum non cantabatur in Ecclesia nisi forsan una Missa, quod magis ædificabat secundùm antiquos.* Et ex hoc fonte adversùm privatas Missas aliquid piscari conantur nostri Sectarii ac ipsorum appendices, atque ita in præfixa ad Sancti Joannis Chrysostomi Liturgiam Epistola scribit Beatus Rhenanus: *An Missæ privatæ veteribus in tam frequenti usu fuerint, quidam addubitant. Certè ipsæ Præbendarum institutiones, si quis tabellas conscriptas inspiciat, & ararum in Basilicis nostris superadditita structura novitatem præseferunt.* Et in opere adversùs Musculum consentire videtur Joannes Cochlæus: *Non inficior intra proximos quadringentos annos vehementer multiplicata fuisse Altaria magis quàm anteà. Quod indè accidisse puto, quia rarius quàm anteà communicare cæperunt Laici, quorum negligentia per Sacerdotum sacrificia piè supplenda in pluribus Altaribus visa est.*

Respondeo aliud esse privatarum Missarum substantiam ac antiquitatem, aliud frequentiam. Nam & ipsas per suos Presbyteros à se celebrari jussas affirmat in libris de Dei Civitate Sanctus Augustinus. Ipsas in omni Ecclesia esse antiquissimas evincit vel unicus, in multis posteà Synodis confirmatus, Laodicensis Canon, vetans Missas deinceps fieri in privatis seu profanis domibus, utique sine venia Episcopi. Nam quod magnus Antiochiæ Patriarcha Flavianus ipsas in Macedonii Anachoretæ Cellula celebrarit, ac ipsum sub illis in Presbyterum consecrarit, refert in Monastica Historia Theodoretus. Et ibidem de Mari Anachoreta ac semetipso scribit: *Cùm Mares spiritalis ac Mystici sacrificii videndi desiderio diuturno teneretur, rogavit ut illic Divini doni fieret oblatio. Ego verò libenter obtemperavit, & sacra vasa adferri jussi, Diaconorumque manibus utens pro Altari, Mysticum ac Divinum sacrificium obtuli.* Antiquissima & plura sunt istius modi exempla. Et quod Altarium multiplicatio à quatuor tunc, aut nunc quinque dumtaxat sæculis in eadem Ecclesia cœperit, omninò habitur Joannes Cochlæus. Eum convincit in litteris ad Palladium Sanctonensem in Gallia Episcopum Sanctus Gregorius Magnus: *Veniens lator præsentium Leuparicus Presbyter vester insinuavit nobis Fraternitatem vestram Ecclesiam in beati Petri & Pauli Apostolorum, necnon Laurentii atque Pancratii Martyrum construxisse, atque illic tredecim Altaria collocasse.* Paucæ profectò hodiè Basilicæ habent tredecim Altaria. Nec morem istum apud Gallos inchoavit Palladius, sed suorum Majorum exempla est imitatus, ideoque lucet rem istam apud Latinos esse valdè antiquam. Undè & Basilicam istam laudavit Gregorius, & ad quatuor, quæ ob sacrarum reliquiarum defectum non consecrata remanserant, Altaria consecranda reliquias transmisit. Quem morem etiam in Anglia viguisse, lucet ex illis quæ de Hagustaldensi Ecclesia scribit in Anglorum Historia venerabilis Beda. Et hinc laudatum Antiocheno Canonem omninò existimo loqui de eodem dumtaxat Altari, non de eadem Ecclesia. Quòd enim Latina Ecclesia eodem die intra eandem Basilicam semper permiserit iterari sacrificium, suprà audivimus à magno Leone, cujus notanda sunt hæc verba: *Nostræ consuetudini ex forma paternæ traditionis insedit.* Hanc traditionem quomodo improbasset, aut per observantiam venerata non fuisset Gallicana Ecclesia? Suorum rituum Regulas semper accepit à Matre Romana. Et hinc Deusdedit Pontificis Constitutum dirigi existimo ad solum Clerum, ad solas Cathedrales Ecclesias, & ab ipso non facultatem dari, sed imponi præceptum: Ut ni certa aut festorum inter se, aut ipsorum cum Dominicis aut quibusdam feriis concurrentia obligentur ad duas solemnes Missas.

Lib. 22. cap. 8.

Cap. 13.

Cap. 20.

Lib. 5. Ep. 50.

Lib. 5. cap. 21.

Quidquit sit, libenter fateor privatas Missas olim non fuisse in Latina Ecclesia tam frequentes. Etenim in libro de Ecclesiasticis Officiis Walafridus Strabo quosdam dumtaxat semel per annum in Dominica Cœna, quosdam omni die Dominica, quosdam omnibus Domini festis, quosdam omnibus etiam Sanctorum festis celebrat-

se

se affirmat, subnectit celebrandi frequentiam creviſſe per poſteriores Romanorum Pontifices, & concludit: *Cùm ergo Hebræi carnales ſuas oblationes quotidiè ex juſſione Domini celebraſſe legantur, quare non Chriſtiani hoſtias ſuas ſpiritales quotidie offerant, & in monumentum ſuæ ſalutis frequententent? Legimus etenim, beato Gregorio teſtante, Caſſium Narnienſem Epiſcopum poſt ordinationem ſuam omni die ſacræ oblationis hoſtiam Domino immolaſſe, & Divina dignatione ut ſolitis inſtaret operibus commonitum, ac magna promiſſionis gratia ad perſeverantiam confortatum.* Unicam in anno celebrationem viguiſſe affirmat præſertim apud Monachos, ideoque ad hanc Regulam referri etiam poſſit quod de Clemente Monacho ſcribit Sancti Benigni Divionenſis Chronicon:

Fol. 444. *Clemens fuit omnibus virtutibus adornatus, præcipuè humilitate, qua in tantum ſe abjectum & vilem aſſerebat, ut cum Sacerdotii gradu fungeretur, numquam in omni vita ſua niſi ſemel ad hoc Miniſterium accedere præſumpſerit.* Verumtamen admirandum hoc eſt, non imitandum. Rectè enim ſtatuit tertia ſub Clementis quinti Pontificatu

Cap. 13. celebrata Ravennæ Synodus: *Cùm nonnulli Religioſi & Sæculares Clerici imprudenter ad Sacerdotium ſe faciant promoveri, poſt promotionem hujuſmodi Miſſas celebrare ac aliàs Sacerdotale Officium exercere non curantes, nec animadvertentes quod quemadmodum quotidie pro populi peccato, ita & pro ſuo debet offerre Sacerdos, ideò præſentis Concilii authoritate ſtatuimus, quod ſi aliquis jam promotus ſit ad Sacerdotium, aut in futurum quemquam promoveri contigerit: à die ſuæ promotionis infra tres menſes celebrare debeat primam Miſſam, & deindè, prout poterit, Miſſarum ſolemnia frequentare, vel ſaltem ſemel in anno.* Et adjicit graves pœnas. Ut quiſque Sacerdos ad minus quater in anno celebret, ſanciunt duæ Toletanæ Synodi: Altera ſub Joannis vigeſimi ſecundi, altera celebrata ſub Papatu Sixti quarti. Quæ diſciplina placuit & Græcis. Etenim ad tertium Antiochenum Canonem ſcribit Theodorus Balſamon: *Quia nonnulli Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi, qui ſua ſponte & propria voluntate Sacris non erant operati, rurſus ſacrificare volentes ſunt prohibiti, quæſitum eſt, quantum tempus eſt quod Sacrorum celebrationem ei adimit, qui eam non exercet? Dico, quod multum tempus ex lege eſt triennium. Si ergò Sacerdos quiſpiam toto triennio non celebret, nec morbo impeditus nec alia juſta cauſa, non ampliùs celebrare ſinetur. Si enim, ut vult hic præſens Canon, deponitur qui longo tempore, triennio ſcilicet, in aliena Parochia verſatur, licèt etiam fortaſſe illic celebret, quantò magis poſt triennium celebrare non ſinetur, qui tanto tempore ſuum Miniſterium averterit, vel ſuam etiam indignitatem condemnaverit?* Subdit & alia Nicolai Chryſobergii Patriarchæ Conſtantinopolitani Decreta, quæ palàm clamant Presbyterum ad ſemel ſaltem intra ſex menſes celebrandum omninò obligari. Ipſorum circa ſacrarum Primitiarum tempus diſciplina fuit rigidior quàm noſtra. De noviter enim confecrato Presbytero ſtatuit

Fol. 296 Euchologion: *Per ſeptem dies continuos celebret.* Exponit Simeon Archiepiſcopus Theſſalonicenſis: *Novellus Sacerdos benedictione accepta ad ſeptimum uſque diem accedit, quotidie Sacra facturus, & ut actioni ejus ſermo correſpondeat, & abſque interruptione Sacrorum hebdomadæ, qua præſentis vitæ diſpenſatio decurritur, Sacerdotii operatio perſeveret. Et cùm diligenter opus hoc in præſenti fuerit executus, ad indeficiens illud ſacrificium, & conjunctiſſimam Chriſti participationem perveniat. Verùm & ſpirituali gratia abundanter ſuſcepta, juxta ſeptenarum ſpiritus gratiarum numerum, quæ gratiæ ſunt non interpolato tempore & æqualibus diebus tenetur operari.* Ponit differentiam inter Novellum & alios Sacerdotes: Hi enim interpolatis, iſte autem ſeptem continuis diebus celebrare debet, & quidem inchoandos à prima die poſt acceptam manus impoſitionem. Et certè ſacras Primitias non poſſe dudum differri videtur manifeſtum. Verùm uti de ipſarum tempore, ita de varia & Græcorum & Latinorum circa illas pietate erit alius dicendi locus.

Redeamus ad antiquam privatarum Miſſarum apud Latinos raritatem, & audiamus Petris Bleſenſis litteras ad Alexandrum ex Magiſtro noſtro Monachum Carthuſienſem, ac de ſuo, quod rarius celebrari permitteret, deferendo ordine deliberantem: *Hoc in ordine Carthuſienſi* Ep. 86. *cauſaris & arguis, quod ſingulis diebus Miſſas non faciunt, atque hujus Religionis, aut potius ſuperſtitionis obtentu tuum machinaris egreſſum. Tuæ litteræ faciunt te inſanum. Scis quia Monachorum Pater, & ſacri Ordinis Inſtitutor, nec etiam Sacerdotii gradum attigit, experſque Miſſarum multo tempore, etiam in die Paſchæ utrùm Paſchalis eſſet ſolemnitas ignoravit. Paulus primus Eremita & Antonius, Petrus & Paulus Apoſtoli, atque cæteri quorum laus eſt in Evangelio, non leguntur ſingulis diebus ſalutis hoſtiam immolaſſe. Frequentia contemptum parit, & ex ipſa raritate creſcit reverentia Sacramenti.* Multis oſtendit ad dignè celebrandum requiri magnam juſtitiam, ideoque quotidianam celebrationem omnibus non convenire. Et ad ſui ordinis Sacerdotes ſcripſit Sanctus Pater Franciſcus: *Moneo & exhortor vos in Domino, ut in locis, in quibus morantur Fratres, una tantum celebretur Miſſa in die, ſecundùm formam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ. Si verò in loco plures fuerint Sacerdotes, per amorem charitatis ſit alter contentus audire celebrationem Sacerdotis alterius.* Eadem verba laudat in Euchologii ſcholiis Joannes Goar, atque infert: *Ex quibus evidenter deducitur Sancti illius ætate nondum Romanam Eccleſiam plures Miſſas eadem die celebrandi conſuetudinem ubique acceptam habuiſſe.*

Rectè dicit, *Ubique*. Quod enim Romana Eccleſia ſacrificium in eadem die & Baſilica iterare conſueverit ex antiquiſſima Patrum traditione, ſupra didicimus à Magno Leone. Quapropter opus eſt diſtinctione, inſigniter expoſita per Radulphum Decanum Tongrenſis Eccleſiæ: *Quoad Divinum officium hodiè omnium credulitas &* Cap. 22. *opinio divulgatur, quòd nullæ Eccleſiæ ſervent in illo ordinem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, niſi Fratres Minores, nec in aliquorum niſi in ipſorum Breviariis ac libris contineatur, ex eo quia Beatus Franciſcus in Regula præcipit, ut Clerici faciant divinum officium*

cium ſecundùm dictum ordinem, ubi Breviaria habere poſſunt. Hujus autem rei Romæ contrariam didici veritatem. Nam olim quando Romani Pontifices apud Lateranum reſidebant, in eorum Capella ſervabatur Romanum officium non ità completè, ſicut in aliis Urbis Eccleſiis Collegiatis. Imò Clerici Capellares, ſive de mandato Papæ, ſive ex ſe, officium Romanum ſemper breviabant, & ſæpè alterabant, prout Domino Papæ & Cardinalibus congruebat obſervandum. Et hujus officii Ordinarium vidi Romæ à tempore Innocentii tertii recollectum. Et iſtud officium breviatum ſecuti ſunt Fratres Minores. Indè eſt quod Breviaria eorum & libros officii intitulant ſecundum conſuetudinem Romanæ Curiæ, non autem curaverunt mores aliarum Eccleſiarum Urbis Romæ recipere & obſervare. Romana Eccleſia habebat tunc duplex officium, ſeu duplicem officiandi modum. Alium in Palatina Capella, alium in Urbicis Baſilicis. Et Prior unicam de die admittebat Miſſam. Cauſa, licet ignorare me fatear, poſſit fuiſſe bina. Prima, quòd Papalis Capella non ſit titulus ad Miniſterium populi. Secunda, quòd Græcorum Epiſcopi ac horum Legati iſtic cum Papa paſſim celebrarent ac procederent, ideoque ſaltem illic Apoſtolica Sedes ſe iſtis accommodaret. Dico, *Saltem illic*: Quod enim in publicis Baſilicis iſti Romanis ritibus, etiam iteratis in eadem Baſilica Miſſis, ſe accommodare olim debuerint, ac ſemper accommodaverint, lucet ex laudato Sancti Leonis ad Dioſcorum Alexandriæ Patriarcham Reſcripto. Sancti Petri Romanam ac Sancti Marci Alexandrinam Eccleſias urget debere eſſe concordes, & proſequitur:

Epiſt. 81. cap. 2. *Propter hoc remeanti filio noſtro Poſſidonio Presbytero hanc ad Fraternitatem tuam Epiſtolam dedimus perferendam, qui noſtris proceſſionibus atque ordinationibus frequenter interfuit, & toties ad nos miſſus, quid in omnibus Apoſtolicæ Sedis auctoritatis teneremus, agnovit.* Conſtantinopoli in Patrum Prædicatorum Conventu repertus contra Græcorum Schiſma eruditus Tractatus hanc refert ipſorum in nos calumniam: *Latini Sacerdotes ter quater uno die celebrant ſuper uno Altari.* Eſt frivola. Nam ipſorum olim Epiſcopi & Patriarchales Legati idem Romæ frequenter fecerunt, aut certè cum facientibus Epiſcopis proceſſerunt. Sanctus itaque Franciſcus, quo ordinem ſuum firmius alligaret Sedi Apoſtolicæ, non commune Romanæ Civitatis, ſed Papalis Capellæ proprium officium illi impoſuit, atque adeò omnes ſuas Eccleſias voluit unica per diem Miſſa eſſe contentas. Et hinc lucet quotidiani ſacrificii conſuetudinem tunc non viguiſſe apud omnes paſſim Presbyteros, & Sancto Franciſco non placuiſſe.

Eſt tamen antiquiſſima apud Eccleſias. Etenim in ſexto Monaſticarum inſtitutionum libro Joannes Caſſianus ſcribit caſtitatem omni Monacho penitus neceſſariam, atque adjungit:

Cap. 8. *Quid nos conveniet facere, qua puritate oportebit cuſtodire noſtri corporis atque animæ caſtitatem, quos neceſſe eſt quotidiè ſacroſanctis Agni carnibus veſci, quas neminem immundum contingere etiam veteris legis præcepta permittunt?* Palàm loquitur de Monaſteriorum Presbyteris: Et quòd eadem Monaſteria ſolis Sabbathis ac diebus Dominicis Collectas ſeu ſynaxes agerent, tradit idem Caſſianus in quinto libro, adeoque iſta quotidiana ſacrificia erant Miſſæ privatæ. Et adverſùs Gennadium Maſſilienſem, qui in Eccleſiaſticorum dogmatum libro populum non quotidiè, ſed in ſolis diebus Dominicis communicare ſuadet, ſcribit ad neſcio quem Guntardum Amalarius Fortunatus: *Comperi te Anchoram mentis tuæ fixiſſe in pelago, & non in portu. Fixiſti illam in Gennadio Maſſilienſi Epiſcopo. Hortor ut potiùs figas illam in portu tutiſſimo, Auguſtino. Hortatus eſt te Gennadius ut præcipuè per dies Dominicos communices: Fortè non erat conſuetudo illius, ut per ſingulos dies Miſſam celebraret.* Quotidiani Sacrificii conſuetudinem ſupponit etiam Gennadii, qui tamen non Epiſcopus, ſed dumtaxat Presbyter fuit, tempore viguiſſe. Exſtat epiſtola in ſpicilegio Lucæ Dacherii. Et venerabilem Caſſium Narnienſem Epiſcopum, quòd quotidiè celebrarit, laudari à Magno Gregorio, ſuprà teſtatus eſt Walafridus Strabo. Hæc in quarto Dialogorum libro ſunt verba Gregorii: *Vir* Cap. 56. *vitæ venerabilis Caſſius Narnienſis Epiſcopus quotidiè offerre conſueverat Deo ſacrificium, ſeque in lachrymis inter ipſa ſacrificiorum arcana mactabat.* Verùm quod Monaſteriorum in Oriente Presbyteri non niſi per annum ſemel offerrent in Cœna Domini, undè Walafridus hauſerit, ignoro. Hæc ſunt ejus verba: *Alii, ut ex Patrum collationibus diſcimus, ſemel in anno communican-* Cap. 20. *dum cenſebant, ut videlicet diuturna præparatione Corpus & animam purificantes, tandem ad Communionem Menſæ Cœleſtis dignè pertingerent.* Patrum Collationes agunt de quorumdam Laicorum Monachorum conſuetudine, ideoque ad ipſorum Presbyteros admodum inconcinnè transferuntur. Quod hi frequentiſſimè celebrarint, docent etiam Sancti Sophronii ſpirituale Pratum, & Lauſiaca Hiſtoria Palladii Epiſcopi Helenopolitani. Ad veritatem magis accedunt hæc Walafridi verba, quibus quotidianam celebrationem ſuadet, ac pergit: *Quantum mentis vel corporis graviores maculæ non obſiſtunt, panem & ſanguinem Dominicum, ſine quibus vivere non poſſumus, jugiter ambiamus, & deſiderio illius tuitionis potiùs quàm præſumptione noſtræ puritatis ſumamus, imitantes primitivæ Eccleſiæ ſtudium ſalutare, de quo in Actibus Apoſtolorum ita ſcriptum eſt*; ERANT AUTEM PERSEVERANTES IN DOCTRINA APOSTOLORUM ET COMMUNICATIONE FRACTIONIS PANIS. *Et infrà*: QUOTIDIE QUOQUE PERDURANTES UNANIMITER IN TEMPLO, & FRANGENTES CIRCA DOMOS PANEM, SUMEBANT CIBUM CUM EXULTATIONE. Affirmat Apoſtolos quotidiè celebraſſe. Verùm ad iſta Sancti Lucæ de Apoſtolis verba ſcribit S. Joannes Chryſoſtomus: *Panem dicens videtur* Hom. 7. *mihi hoc loco ſignificare jejunium & auſteram vitam.* Quod ipſum confirmat in alia ſuper Apoſtolorum Actus Homilia. Et hinc de Apoſtolis, quod in dies celebrarint, nullibi eſſe ſcriptum, non ma- Hom. 43. lè aſſeruit in litteris ad Fratrem Alexandrum Petrus Bleſenſis. Et adjunxit: *Tamen ne in domo*

tua

tua fieres scandali generalis occasio, ut obstrueretur os loquentium iniqua, tibi fraterna charitas singulis diebus offerre hostiam speciali devotione indulsit. Carthusianus ordo semper ignoravit Monastici rigoris dispensationes: Quare hæc fratri Alexandro facta gratia demonstrat quotidianam celebrationem fuisse etiam tunc admodum favorabilem. Et Sanctum Leonem secundum, qui septies aut novies in uno die celebrasse laudatur, constat omni die celebrasse. Disertè id affirmant Walafridus Strabo ac Honorius Augustodunensis. Et Apostolus noster Bonifacius, licèt semel dumtaxat per diem, quotidiè tamen celebrasse laudatur ab eisdem Scriptoribus. Et de Alcuino
Cap. 60. Flacco scribit Micrologus: *Albuinus Magister Caroli Imperatoris, rogatu Sancti Bonifacii Archiepiscopi, fertur Missales orationes de Sancta Trinitate composuisse, & in secunda feria de Sapientia, in tertia de Spiritu Sancto, in quarta de Charitate, in quinta de Angelis, in sexta de Cruce, in Sabbatho de sancta Maria.* Quod ipsum testantur alii Francorum Scriptores. Fecit id venerabilis Albuinus ob rationes varias, quarum una Sacerdotibus suadebat quotidianam celebrationem. Pietati huic fuerunt quidam adeò tunc affixi, ut Angilramnum sanctæ Mariæ Centulensis Abbatem, dum ageret animam, voluisse celebrare
Lib. 4. c. 16. etiam in lecto, referat in ejusdem Cœnobii Chronico Monachus Hariulphus. Et in tertio super Sancti Benedicti Regulam libro scribit venerabilis Abbas Rupertus: *Dicere proposui, cur beatus Benedictus in Regula sua nihil ordinaverit de Ministerio Altaris, quia videlicet hodie nonnullas animas ignorantia sui negligentes facit illius internæ pulchritudinis, propter quam ad sacri Altaris officium meruerunt adsciſci. Nam quia Monachi sunt, & beatus Benedictus Monachis ordinavit opus manuum, penè obliviscuntur quod Sacerdotes sunt: Maximè quia idem Pater sacri Altaris officium in Regula sua Monachis, quomodo vel quali studio frequentare deberent, non instituit. Relinquenda allis esset nostro silentio sua intentio, qua intenti circa opus manuum, de quotidiana celebratione Missarum parvum aut nullum dicuntur habere studium, nisi sollicitarent plerosque Fratrum simpliciorum ex Cœnobiis nostris, quod multis didicimus experimentis.* Demonstrat quotidianum etiam Monachi sacrificium manuali operi plurimum prævalere. Habemus & testem antiquissimum Sanctum Irenæum. Eucharisticum sacrificium & quotidianas antiqui populi oblationes laudat, atque adjungit: *Sic & ideò nos quoque offerre Domi-* Lib. 4. c.
nus vult munus ad Altare frequenter sine intermissione. 34.

Porrò de Græcis scribit ad Gunctardum Amalarius Fortunatus: *Græcorum aliquorum Presbyterorum consuetudo est, ut à quinta Feria se præparent & sanctificent ad Missam.* Utique per abstinentiam à commercio uxorio. Quod ipsum nuper firmavit ac innovavit pro conjugatis Græcorum Sacerdotibus Clemens octavus. Et hinc Monachis, aut etiam sæcularibus à vinculo isto liberis Sacerdotibus quotidie celebrare est omninò concessum. Et Monasteriorum Presbyteris fuisse olim familiare, jam audivimus à Joanne Cassiano. Quocircà quotidiana celebratio & antiquissima est, fuitque semper frequentissima: Verùm probet semetipsum homo. Est opus magna justitia, magna animæ & corporis puritate. Videatur Walafridus Strabo, ac prima Sancti Augustini ad Januarium Epistola. Et hinc Martinus Lutherus, dum de abroganda privata Missa scripsit librum, passus est conscientiæ fluctum memoratum à Joanne Eckio: *Lutherus ait sæpè sibi palpitasse cor tremulum, & reprehendens objecisse, Tu solus sapis? Totne erraverunt universi? Tanta sæcula ignoraverunt? Quid si tu erres, & tot tecum in errorem trahas damnandos æternaliter?* Et jure merito. Quòd enim Missa privata sit Apostolicum, imò Divinum Institutum, non est dubitandum. Est alibi pluribus ostendendum. A. 1520.

DECRETUM SECUNDUM.

ALiud Alexandri secundi Decretum habemus apud Anonymum & Authenticum Ecclesiasticorum rituum sub Gregorii septimi Pontificatu descriptorem, qui se ipsum titulat Micrologum: *Quidam officium de Sancta Trinitate*
Cap. 60. *in octava Pentecostes instituunt, quod & per totam subsequentem hebdomadam observandum putant. Sed non est authenticum. Nam quidam Leodiensis Stephanus idem officium composuisse asseritur, quod ab Apostolica Sede respuitur. Undè piæ memoriæ Alexander Papa de hac re inquisitus, respondit juxta Romanum ordinem nullum diem specialiter adscribi debere solemnitati Sanctæ Trinitatis, sicut nec sanctæ Unitatis, præcipuè cùm in omni Dominica, imò quotidiè utriusque memoria celebretur. Sciendum autem, quendam Albuinum Magistrum Caroli Imperatoris, rogatu Sancti Bonifacii Archiepiscopi, Missales orationes de Sancta Trinitate composuisse.* Et infrà: *Incongruum videtur, unam Dominicam cum orationibus Albuini & cantu Stephani de Sancta Trinitate celebrari, cùm omnes Dominicæ authenticis abundent officiis, quæ non minùs nobis intimant honorem Sanctæ Trinitatis. Præfationem autem de Sancta Trinitate, quam in Dominicis diebus frequentamus, non ex Albuino, sed ex Romana auctoritate suscepimus. Nam hæc est una ex illis novem, quas solas Pelagius Papa Antecessor Gregorii constituit observari.* Laudati festi originem exponit in Historiali Epitome Siffridus Presbyter Misnensis: *Carolus Magnus, cùm esset Christianissimus, & circa Divinum cultum sollicitus, rogavit Magistrum suum Albuinum, ut Historiam & Officium componeret de Sancta Trinitate, ut per hoc errores emendarentur, & dubia decederet*

ret devotio, & securitas fidei augeretur. Quibus peractis cœpit festum Trinitatis à multis clariùs amplecti ac peragi, maximè à Germanis & Gallis,
A. 801. *quorum Principum auctoritate fuerat ordinatum.* Errorem de Sancta Trinitate, qui tunc grassari conatus est, edicit in Chronico Ado Archiepiscopus Viennensis: *Synodus magna Grani Aquis congregatur, in qua de processione Spiritus sancti quæstio agitatur, utrùm sicut procedit à Patre, ita procedat à Filio. Hanc quæstionem Joannes Monachus Hierosolymitanus moverat, cùm Regula & fides Ecclesiastica firmet Spiritum sanctum*
A. 809. *à Patre & Filio procedere.* Per Regulam intelligit Symbolum Sancti Athanasii. Illud ipsum scribit Regino Abbas Prumiensis, atque adjungit: *Quæstionis definiendæ causa Bernarius Wormatiensis Episcopus, & Adelardus Abbas Monasterii Corbeiæ, Romam ad Leonem Papam missi sunt.* Per Aaronem Saracenorum Regem afflictæ tunc Hierosolymitanæ Ecclesiæ frequentes eleemosynas & grandia solatia tunc misit Carolus, atque ita istius Clerici & Monachi erant frequentes in Gallia. Ipsorum unus pro gratiarum actione pessimum errorem istic seminavit. Grassabatur & Feliciana hæresis, id est, per Felicem Urgelitanum Episcopum resuscitata Nestoriana. Hinc ad muniendum & custodiendum ab utraque peste populum cantari Constantinopolitanum Symbolum ad Missarum solemnia jussit Carolus, & ab omnibus coli festum Sanctissimæ Trinitatis. Hinc Siffridus scribit ipsum
L. 11, c. 1. præsertim viguisse apud Germanos & Gallos, hoc est, in Monarchia Francorum. Ex eadem radice ipsum uti convenientissimum prædicat in
L. 12. c. 1. opere de Divinis Officiis Rupertus Abbas Tuitiensis: Videlicet homo Gallus, educatus in Leodiensi Ecclesia, ubi singularissimè hoc festum viguisse, statim audivimus à Micrologo. Addit tamen ipsum non in prima, sed celebrari in secunda Dominica post Pentecosten. Et hinc lucet quòd libros istos non Leodii in Sancto Laurentio, sed Tuitii apud Coloniam scripserit, aut certè compleverit. Etenim in libro de observantia Canonum scribit Radulphus Decanus Tongrensis: *Super Octava Pentecostes magna est adhuc diversitas. Cùm enim Romani in hac Dominica non servarent festum Trinitatis, aliquæ nationes, ut Alemanni, eadem die servant Octavas Pentecostes, in hebdomada & Dominica sequenti servantes officium Trinitatis. Alii, ut Gallici, plures illo plenum faciunt die festum Trinitatis cum Octavis.* Tuitium est in Germania: & Colonia, licet in Gallia sit, jam pridem tamen adhæsit Germanis. Hinc & Sanctam Trinitatem tunc celebrabat Dominica secunda.

Festum paulatim profecit etiam ad alias gentes. Etenim Sanctum Thomam Cantuariensem Sabbatho post Pentecosten in Presbyterum, & Dominica sequenti consecratum fuisse in Episcopum scribit Gervasius Cantuariensis Monachus,
A. 1162. & adjungit: *Consecratus Thomas Archiepiscopus instituit festivitatem principalem Sanctæ Trinitatis, singulis annis in perpetuum die octavarum Pentecostes celebrandam. Unde & ipse eadem die Missam celebravit.* Angli sunt nobis Gallis vicini, & moribus similes: Quin imò terræ motus dicitur nos interjecto mari divisisse in duas gentes. Hinc Sanctus Thomas censuit festum hoc eodem cum Gallis die agendum. Et omnia L. 1. c. 38.
Hungaricæ Ecclesiæ festa in suis legibus enumerans ad undecimi sæculi finem Sanctus Rex Ladislaus, nullam præsentis festi fecit mentionem; ejus autem proximus successor Colomannus sic
L. 1. c. 70. statuit: *Officium de Sancta Trinitate post octavas Pentecostes celebretur.* Festum admittit ac præcipit juxta morem Germanorum. Et apud Gregorium nonum scribit Alexander tertius Pontifex: *Festivitas Sanctæ Trinitatis secundùm consuetudines diverſarum Regionum à quibusdam consuevit in octa-* L. 2. Tit.
vis Pentecostes, ab aliis in Dominica prima ante 11. c. 2.
Adventum Domini celebrari. Ex qua tertia consuetudine videtur festum hoc tunc etiam extra Galliam ac Germaniam viguisse.

At verò Romana Ecclesia, quod novitates non facilè admittat, tardissima fuit ad novum etiam hoc festum. Nam & in animæ gemma scribit Honorius Augustodunensis: *Quidam in hac Dominica,* utique prima post Pentecosten, L. 4. c.
Officium de Sancta Trinitate canunt, quod Romani 117.
non recipiunt. Nec solus Alexander secundus duxit non admittendum, sed etiam integro post ipsum sæculo Alexander tertius rescripsit: *Ecclesia Romana in usu non habet, quod in aliquo tempore* Tit. 9. c.
celebret specialiter Sanctæ Trinitatis festivitatem, 2.
cum singulis diebus Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto, & similia dicantur ad laudem pertinentia Trinitatis. Et quia Rescriptum hoc Gregorius nonus inseruit suis Decretalibus, clarum est ipsius tempore istud festum à Romana Ecclesia necdum fuisse acceptatum. Porrò qui post Urbanum sextum floruit, in libro de Canonum Observantia scribit Radulphus Decanus Tongrensis: *Hodiernis temporibus Romæ & in Curia Romana solemnis habetur festivitas Sanctæ Trinitatis in octava Pentecostes, quod etiam plures Alemanni po-* C. 16.
stea cœperunt sequi. Addit festivitatem hanc ibidem cum octava celebrari. Quis Pontifex ipsam admiserit, usque huc ignoro. Cur in primam à Pentecoste Dominicam Roma admiserit, colligi potest ex Clementis tertii apud laudatum Gregorium Rescripto: *Festum Pentecostes caret octava.* C. 3.
Die Dominica incipit, & in Sabbatho finitur. Uti enim Quadragesima præsentem temporalis pœnitentiæ, ita Quinquagesima futurum perpetuæ gloriæ diem & cursum significat, ideoque octavæ non habet finem, aut occasum. Et gloria ista non est aliud quàm Divinæ Trinitatis fruitio: Hinc illius festum Romana Ecclesia rectè judicavit Quinquagesimæ continuandum.

Porrò Græcis festum hoc est usque hodie igno- F. 160.
tum. Etenim in jure Græco-Romano Imperatoris Manuelis Comneni famosa de feriis lex enumerat festa ipsorum omnia, & hujus nullam facit memoriam. Et in prima post Pentecosten Dominica Græci celebrant festum omnium Sanctorum. Hinc de Constantinopolim obsidente Turcarum Principe Mahomete secundo scribit Orthodoxus Michaelis Ducæ Nepos: *Tyrannus die Dominica Urbem ab omni parte oppugnare* C. 39.
cœpit. Dominica autem illa erat festivitas omnium

Sanctorum, Mali dies vigesimus septimus. Factum id fuit quinti decimi sæculi anno quinquagesimo tertio; Pascha tunc incidit in Kalendas Aprilis, ideoque dies vigesima septima Maii erat Dominica prima post Pentecosten. Et in Synaxario scribit Nicephorus Calixtus: *Die Dominica post Pentecosten ubique per universam terram existentium, sive in Asia, sive in Africa, sive in Europa, Austro atque Septemtrione, Sanctorum omnium diem festum celebramus*. Et morem hunc esse Græcis antiquum demonstrat Imperatoris Leonis Philosophi oratio, dicta *Dominica post Pentecosten in universæ terræ Sanctos universos, quando generis nostri adversarium suis in certaminibus profligaverunt, & universalis Dei Ecclesia illos honorat*. Et hinc intellige Theodorum Balsamonem: *Monachi suarum fundationum constitutionibus coguntur amplius jejunare, scilicet à festo omnium Sanctorum*. Omnis olim Græcia Sanctorum Apostolorum Petri ac Pauli festo præmittebat solenne jejunium, & inchoabat à feria secunda post festam omnium Sanctorum Dominicam. Et quia hæc erat mobilis, istud jejunium quandoque æquale fuit Quadragesimali. Ipsum Balsamon affirmat suo tempore in solis Monachis permansisse. Eandem Dominicam Græci appellant primam Sancti Matthæi. Quatuor Evangelia non permixtim, sed continua serie illi legunt ad Missam: Sancti Joannis à Paschate ad Pentecosten, Sancti Matthæi à nostra hac Dominica usque ad Septembrem, Sancti Lucæ à Dominica post Exaltationem Sanctæ Crucis usque ad Dominicam Tyrophagiæ, Sancti Marci Evangelium à prima Quadragesimæ Dominica usque ad Pascha. Omnium fidelium animarum commemorationem etiam celebrant; feria quinta ante Pentecosten. Ita habes in Nicephori Calixti Pentecostario. Eamdem faciunt feria sexta ante Dominicam Septuagesimæ.

DECRETUM TERTIUM.

DEcretum, quo ex Gregorio secundo Nicolaus secundus consanguinitatem atque affinitatem extendi declaravit in septimum usque gradum ad dirimenda matrimonia, quidam evacuaturi, & perseveraturi in pertinaci suo incœstu, dixerunt gradus hos juxta Romanorum Principum leges esse computandos, adeoque fratrem & sororem esse in secundo, consobrinos in quarto, sobrinos in sexto gradu. Romanæ enim, adeundarum hæreditatum modum præscribentes, leges tot in transversa linea gradus ponunt, quot numerant ex utroque latere, dempto tamen stipite, capita. Ecclesiasticus in constituendis conjugii impedimentis computandi modus est longè diversus. Istos ergo computistas in quadam sua Synodo damnavit iterum Alexander secundus. Synodale Decretum est longius, exstatque apud Gratianum, & in Decreto Sancti Ivonis Episcopi Carnutensis. Omnem Italiam turbavit hæc quæstio, ideoque laudatum Decretum singulari ad Joannem Cesenæ Episcopum & Ravennatis Ecclesiæ Archidiaconum opusculo defendere atque exponere coactus fuit Sanctus Petrus Damiani. In istis præsertim Ecclesiis contentio bulliebat. Eadem de re idem Petrus ad nescio quem Presbyterum scripsit eruditam Epistolam. Sed neque sic cessarunt incæstuosa conjugia. Quare isto ipso anno aliam Romanam Synodum congregavit idem Pontifex, & omnes illos, qui talia conjugia aut deinceps contraherent, aut jam contracta non desererent, Ecclesiastica communione privavit. Utramque Synodum laudat, & eodem anno factam affirmat in opusculo de contemptu sæculi laudatus Petrus Damiani, addens nec tunc ex millibus vix unum Apostolicis jussionibus obtemperasse.

Opusc. 8.

L. 5. Epist. 17.

Istum à quibusdam prætensum computandi modum tenuit semper, & usque nunc tenet omnis Orientalis Ecclesia. Etenim in libro de matrimonialibus causis scribit Matthæus Monachus: *Gradus aliqui dicti perhibent à translatione graduum scalæ. Quippè sicut per eos ascenditur ac descenditur, ita per gradus cognationis tam ascendentes quàm descendentes inveniuntur. Qui verò sic adfecti non sunt, ex transverso cognoscuntur. Cæterùm gradus ita comparati sunt, ut secundùm ordinem generationum procedant. Quippè receptum est, ut quælibet generatio gradum unum absolvat. Deindè quidam in latitudinem, quidam deorsùm extenduntur. Qui in latitudinem, eundem inter se ordinem servant. Nam qui liberi sunt, primum omnes gradum implent, qui fratres, secundo inter se gradu junguntur, licèt plures numero sint quàm decem*. Decem fratres per decem generationes sunt, & tamen inter primum & decimum non sunt decem gradus, sed soli duo. Quòd nempè omnes illæ generationes sint ejusdem vicinitatis ad commune principium. Eadem tradit in jure Græco-Romano Demetrius Chomatenus Thessalonicensis Episcopus, atque adjungit: *Pater ad filium nullo modo graduatur. Propterea quod radix hujus est atque principium, unus gradus filius cum patre esse censetur. Duo autem germani, quia ex duabus progrediuntur generationibus, duos quoque gradus faciunt*. Consobrinos in quarto, sobrinos in sexto, ipsorum proles in octavo, patruum & neptem affirmat esse in tertio gradu, & sic deinceps. Errat patrem & filium nullo distingui gradu: Distingui unico Matthæus Monachus, in Legum Synopsi Michael Attaliates, aliique Græci constanter tradunt. Et quidem sexti gradus, seu sobrinorum nuptias à multis sæculis diremerunt, Patriarcha autem Sisinnius secundus legem extendit ad gradum septimum: Exindè sobrinus nequit ducere filiam sobrini. Et hanc formam aliqui tentarunt inducere in Latinam quoque Ecclesiam, ipsosque merito proscripsit noster Papa Alexander. Etenim septimus Græcorum gradus est nobis mixtus ex quarto & tertio, atque ita iste computus Gregorii secundi Decretis plurimùm adversatur. Cunctos Græcæ formæ anfractus exponere non spectat ad præsentem locum.

F. 311.

DECRETUM QUARTUM.

QUartum Decretum refert suprà memoratus Micrologus: *In Septuagesima Heptateuchum incipiunt. Undè & Alexander Papa secundus constituit, ut Responsoria de eadem historia in eadem Dominica incipiantur. Alleluja etiam in Sabbatho ad Vesperam jussit dimitti ante Septuagesimam*.

C. 47.

C. 16. Quòd ipsum confirmat Radulphus Decanus Tongrensis. Et hoc Decretum culpant Græci Schismatici. Etenim famosus Constantinopoli repertus tractatus habet & hanc calumniam: *Latini à Septuagesima usque ad Pascha non cantant Alleluja. Affirmant non debere aliis linguis Dominum venerari, nisi istis tribus, scilicet, Hebraica, Græca, & Latina*.

Primi calumniæ auctores fuerunt in litteris ad Joannem Tranensem Episcopum Michael Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus, & Leo Acridensis Episcopus, Metropolita Bulgarorum: *Alleluja in Quadragesima non psallitis, sed semel in Pascha tantummodò, quod interpretatur*, DOMINUS VENIT, LAUDATE, HYMNUM DICITE, ET BENEDICITE EI. *Ergo secundùm hoc neque* LAUDATE DOMINUM, *neque* BENEDICTUS QUI VENIT, *psallitis. Et istud Alleluja est Hebraicè dictum*. Calumnia videtur sibi ipsi non cohærere. Etenim si Alleluja cantemus in solo Paschate, quomodo illud omittimus in sola Quadragesima, & cur indè singulariter culpamur? Interim quod ipsum Romana Ecclesia olim cantaret in solo Paschate, credidit Hermias Zozomenus: *Singulis annis dumtaxat semel Romæ Alleluja canunt, prima die Paschalis festi, ut à multis Romanis hic Hymnus juris jurandi instar tum audiri tum cantari expetatur*.

L. 7. c. 19.

Verùm longè aliter scribit in libro adversùs Vigilantium Sanctus Hieronymus: *Vigilantius, seu verius Dormitantius, immundo spiritu pugnat contra Christi Spiritum, damnandas dicit esse vigilias, & numquam nisi in Pascha Alleluja cantandum*. Absit Romanam Ecclesiam fuisse Vigilantianam: Absit ut ob ejus sacrum ritum Vigilantius à Sancto Hieronymo notetur de hæresi atque damnetur. Hæretici sunt passim Gyrovagi: Istud de Romana Ecclesia mendacium Visilantiani possint in sui erroris adjutorium sparsisse per Orientem, & Zozomenus credidisse. Etenim circa plura ad Latinam Ecclesiam spectantia est hallucinatus.

C. 1.

Laudati Hymni primam originem docet nos in libro de Prophetarum vita ac morte Sanctus Epiphanius: *Aggeus Propheta etiamnum juvenis è Babylone Hierosolymam reversus, de populi reditu vaticinatus est, ac templi Hierosolymitani instaurationem prævidit. Primus illic Alleluja cecinit, quod interpretari possumus, Laudemus Deum vivum. Undè nos usurpare hodiè solemus Alleluja. Qui est Aggei Hymnus & Zachariæ*. Hymnum igitur à Synagoga acceptum Apostoli derivarunt in Ecclesias. Nec sine fundamento. Etenim Babylonicæ captivitatis solutio, & Salomonicæ Basilicæ restauratio dumtaxat fuerunt nostræ è Diabolica captivitate per JESUM Christum Redemptionis, ac in plenam cum immortalitate justitiam, & per ipsam in primæva, imò primævis longè sanctiora Divinæ Majestatis templa reparationis prænunciativa ac promissiva Sacramenta: Hinc longè potiori jure nos in his, quam Judæi in istis cantamus Alleluja. Hinc nobis assiduè cantandum Apostoli præceperunt. Quot in quovis festo Psalmi cantandi, & quoties Alleluja sit adjungendum, decidit secunda Turonensis Synodus, & subnectit: *Quod Angelo ostendente Patres didicerunt*. Per Patres intelligit primævos Ægypti Monachos, quos quomodo Angelus Psalmos & Alleluja in Divinis Officiis cantare docuerit, multis exponit in secundo Monasticarum institutionum libro Joannes Cassianus. Et dum Alexandrinum Serapidis fanum in Christianam Basilicam convertere pararent sub Arcadii Imperio fideles, de Magno Gentilium Sacrilegiorum Protectore Olympio scribit Hermias Zozomenus: *Olympius concubio noctis ejus, postquam superveniente die hæc transacta sunt, subaudivit quemdam in Serapidis Templo Alleluja cantantem. Et quoniam foribus clausis & constante quiete neminem conspiceret, sed solam tantummodò audiret vocem Psalmi, præsagium intellexit, & clam omnibus Templo egressus, in Italiam trajecit*. Præmonstrabat Angelus illic non ampliùs vanum Serapidem, sed Divinam Majestatem consueto Ecclesiæ Hymno glorificandam. Neque hæc sunt admiranda. Quod enim turbas multas Alleluja in Cœlo cantantes atque iterantes audiverit, testatur in Apocalypsi Sanctus Joannes Apostolus. Nempè turbas illas, quas alibi vocat Turbam magnam collectam ex omnibus populis, gentibus, tribubus & linguis, ac stantem ante thronum. Et addit Cantici causam: *Quia venerunt nuptiæ Agni*. Hoc est, Quia vivum & verum Divinæ Majestatis Templum tunc ex omnibus electis non dumtaxat reparatum sit, sed & dedicatum in sempiter-

C. 5. 6.

Lib. 7. c. 15.

Cap. 19.

C. 20.

C. 18.

piternam gloriam, adeoque advenerit verum tempus cantandi Hymni, quem sanctus Epiphanius titulat Prophetarum Aggei & Zachariæ. Quod ergò Apostoli & à Prophetis & ab omni postmodum Synagoga in Sacramento cantatum, & ab omni triumphante Dei Regno in perpetuas æternitates cantandum noverant, cantari voluerunt etiam à militante Ecclesia, atque ita Christi Domini Regnum in nobis inchoari.

Cantum hunc esse Apostolicum Institutum, lucidè affirmat in litteris ad nobilem Marcellam Sanctus Hieronymus: *Nuper quæsisti, quid ea verba, quæ ex Hebræo in Latinum non habemus expressa, apud nos sonarent, curque sine interpretatione sint posita, ut est illud Alleluja? Ad quod breviter respondemus, sive septuaginta Interpretes, sive Apostolos id curasse, ut quoniam prima Ecclesia ex Judæis fuerat congregata, nihil ad credentium scandalum innovarent, sed ita ut à parvo imbiberant traderent, posteà verò quam in universas gentes Evangelii dilatatus est sermo, non potuisse semel suscepta mutari. Licèt & illud Origenes asserat propter vernaculum linguæ uniuscujusque idioma non posse ita apud alios sonare, ut apud suos dicta sunt, & multò melius esse non interpretata ponere, quàm vim eorum interpretatione temuare. Igitur Alleluja exprimitur Laudate Dominum.* Ep. 137. Adeò tunc erat familiaris Hymnus, ut laudatus Doctor scribat de ipso ad nobilem virginem Eustochium: *Quo signo Monachi vocantur ad Collectam.* Ep. 27. cap. 10. Nec enim tantùm in Ecclesia à Clericis cantabatur aut Monachis, sed erat & Laicorum in durioribus operibus celeuma. Etenim de Palæstinæ rusticis ad eandem Marcellam scribit idem Doctor: *Quocumque te verteris, arator stivam tenens Alleluja decantat.* Ep. 17. Quod ipsum eisdem verbis repetit in sequenti ad ipsam Epistola, & adjungit: *Hæc sunt in hac Provincia carmina, hæ amatoriæ cantilenæ, hic pastorum sibilus, hæc arma culturæ.* Impura cantica esse pessimam populi pestem clamant omnes Patrum Homiliæ. Hinc qui ipsa in Alleluja transmutarit etiam apud rusticos, Sancto Hieronymo Palæstina Ecclesia plurimum obligatur. Et per hanc castitatem persuasit multis nobilibus in Palæstina potiùs quàm in Italia habitare. Ipsa enim etiam elementa ab impuris cantibus corrumpi, aliquoties testatur Sanctus Joannes Chrysostomus.

Alleluja est vocabulum Hebraicum, & adversùm ejus à Michaele Cerulario datam interpretationem rectè reposuit Cardinalis Humbertus: *Scimus Alleluja Hebraicè dictum, & Latinè interpretari,* LAUDATE DEUM, *sed quod etiam,* DOMINUS VENIT, *aut* BENEDICTUS QUI VENIT, *interpretetur, nescimus, nec nisi à vobis hactenùs audivimus.* Loquitur ex laudata Sancti Hieronymi ad Marcellam Epistola. Nempè calumniæ consueverunt omnibus pedibus claudicare. Est Canticum adeò sanctum apud omnes ac venerabile, ut de ipso ad Comitem Epist. 178. Pascentium dixerit Sanctus Augustinus: *Sciendum est, Amen & Alleluja, quòd nec Latino nec Barbaro licet in suam linguam transferre, Hebræo sanctas gentes vocabulo decantare. Non enim in Africa, aut in cuncta Barbaria, sed in Syria, ubi & ipsa caro voluit de Virgine nasci Dominica, decuit vel oportuit verba fidei compendiosè firmare.* Et in populari de diversis sermone scribit de Hæresibus: *Sunt filiæ malæ, filiæ non similitudine morum, sed Sacramentorum. Habent & ipsæ Sacramenta nostra, habent Scripturas nostras, habent Amen, & Alleluja nostrum habent.* Voces *Amen & Alleluja* numerat inter Catholicæ Ecclesiæ Sacramenta, seu inter fundamentales ritus, quos nullus umquam etiam Hæreticus tentavit proscribere aut transferre in aliam linguam, & quorum causa omnes Hæreses sint adhuc Dei filiæ, & nostræ sorores. Quid sanctius voce, *Deo gratias?* Ipsam tamen proscripserunt Donatistæ, Alleluja non ausi tangere. In omnes Ecclesiæ ritus & Lutherani & Calvinistæ sunt impiissimè grassati: Nobiscum tamen cantant Alleluja. Quod in alienam linguam transferri non possit, in superius laudata ad Marcellam Epistola dixit nobis ex Origene Sanctus Hieronymus, & repetit in Epistola ad Damasum Pontificem. C. 17.

Quomodo igitur ipse in istis eisdem locis interpretatur ac transfert non solùm Alleluja, sed etiam Amen & Osanna, voces æquè sacrosanctas? Respondeo cum Sancti Augustini secundo libro de doctrina Christiana: *Hebræa verba non interpretata sæpè invenimus in sacris libris, sicut Amen, Alleluja, Racha, & Osanna. Quorum partim propter sanctiorem auctoritatem, quamvis interpretari potuissent, servata est antiquitas, sicut est Amen & Alleluja; partim verò in aliam linguam transferri non potuisse dicuntur, sicut alia duo quæ posuimus.* Et in laudata disputatione cum Comite Pascentio: *Amen & Alleluja nec Latino nec Barbaro licèt in suam linguam transferre.* Et in quadragesimo primo super Sancti Joannis Evangelium tractatu ad hæc Domini verba, *Amen Amen dico vobis*, scribit: *Amen interpretatur verùm, & tamen non est interpretatum, cùm potuisset dici,* VERUM DICO VOBIS. *Nec Græcus hoc interpres ausus est facere, nec Latinus, nam hoc verbum nec Græcum est nec Latinum, sed Hebræum. Sic mansit, non est interpretatum, ut honorem haberet velamento secreti: Non ut esset negatum, sed ne vilesceret nudatum.* Et in quinto decimo libro adversùs Faustum: *Amen interpretatur verum, non quomodocumque, sed mystica Religione.* Distinguit duplicem possibilitatem: Naturalem ac moralem. Etenim in moribus illud possumus quod jure possumus. Quidquid non licet, Ecclesia non potest. Ex quo principio dixit suprà cum Origene & Sanctus Hieronymus easdem voces transferri non posse, ne sancta ipsarum *vis tenuaretur*. Consonat in secundo de Ecclesiasticis Officiis libro & Sanctus Isidorus: *Aleluja sicut & Amen, de Hebræa in aliam linguam nequaquam transferuntur, quia interpretari nequaquam queant, sed sicut ajunt Doctores, servatur in eis antiquitas propter sanctiorem auctoritatem.* Sunt laudata Sancti Augustini verba ex libris de Doctrina Christiana. Loquuntur hi Patres de publicis Ecclesiæ libris & officiis: in his enim solis transferri non possunt laudatæ voces. Eas Ecclesiasticæ eruditionis gratia in suis libris transtulit laudatus Hieronymus. C. 11. C. 9. C. 13.

Ad-

Addidit idem Doctor & aliam rationem: *Sive septuaginta Interpretes, sive Apostoli id curarunt, ut quoniam prima Ecclesia ex Judæis fuerat congregata, nihil ad credentium scandalum innovarent, sed ita ut à parvo imbiberant traderent, posteà verò quam in universas gentes Evangelii dilatatus est sermo, non potuerunt semel suscepta mutari.* Canticum istud erat in Synagoga adeò solemne & sanctum, ut nec septuaginta Interpretes nec Apostoli, quoniam sine populi scandalo non poterant, judicarint alterandum. Et ab isto judicio nullus successor Episcopus præsumpsit recedere. Quæ è gentibus fideles à Mosaicæ legis jugo absolvit, Apostolica Synodus retinendam duxit abstinentiam à sanguine & suffocato: Modicas istas reliquias voluit esse non contemptæ à gentibus legis professionem, & utrique populo fibulam pacis. Hoc ipsum omnis semper Ecclesia censuit de nostro Cantico. Quòd in æterna vita Electi omnes sint Hebraica lingua locuturi & Deum laudaturi, est multorum opinio: Hinc enim illos Alleluja cantantes audivit in Apocalypsi Sanctus Joannes Apostolus. Unitatem hanc inchoari in militante Ecclesia voluit Divina providentia, aut certè præsignari.

Tertiam rationem scribit in animæ gemma Honorius Augustodunensis: *Missa tribus linguis, Hebræa, Græca & Latina cantari præcipitur, sicut & titulus in Passione Domini scriptus fuisse legitur. Hebraicum quippè est, Alleluja, Osanna, &* L. 1. c. 92. *Amen; Græcum Kyrie eleison, Latinum reliquum officium.* Et Græcos, & Latinos, & Hebræos esse unum in Christo, sic duxit Ecclesia profitendum. Eadem de causa & Romæ, & Constantinopoli, & apud omnes Sedes Patriarchales in majorum festivitatum Officiis Evangelium, Epistola, ac Lectiones cantantur & Græcè & Latinè. Pontifex tunc procedit cum duobus Diaconis ac Subdiaconis, Græco & Latino. Sic profitemur Latinam & Græcam Ecclesiam esse germanas sorores. Cujus professionis Mysterium non intellexit ille Schismaticus, qui suprà nos arguit quasi asseramus Deum in tribus dumtaxat linguis posse laudari. Loquitur de publicis in Ecclesia Officiis. Et est mera calumnia. Etenim quædam in Syria, quædam in Chaldæa, quædam in Saracenica, quædam in Sclavonica, quædam gentes in alia lingua publicas laudes Deo decantant. Et ipsas à sua communione istam ob causam non secludit Latina Ecclesia. Verùm de Latina, Græca, ac Hebraica lingua rectè scribit in suo ad Psalmorum expositionem Prologo Sanctus Hilarius Episcopus Pictaviensis: *His maximè tribus linguis Sacramentum voluntatis Dei, & beati Regni expectatio prædicatur. Ex quo illud Pilati fuit, ut in his tribus linguis Regem Judæorum Dominum* JESUM *Christum esse præscriberet. Nam quamvis multæ Barbaræ gentes Dei cognitionem secundùm Apostolorum prædicationem, & manentium hodiè Ecclesiarum fidem adeptæ sint, tamen specialiter Evangelica doctrina in Romani Imperii, sub quo Hebræi & Græci continentur, Sede consistit.* Quod ipsum pluribus in Epistola ad Sfentepulcrum Moraviæ Comitem tradit Joannes Octavus Pontifex, quæ-

dam illic Divina Officia permittens cantari Sclavonicè, & adjungens: *Neque enim tribus tantùm, sed omnibus linguis laudare Dominum auctoritate sacra monemur.* Epist. 247. Variis hoc probat Divinis testimoniis, & præfocat futuram tunc istius Schismatici calumniam. Ex tribus ergò solùm linguis publica sua officia conflari voluit ob dictam rationem Latina Ecclesia.

Quartam pro nostro Hebraico hymno rationem adducit in secundo de Sancrosanctæ Missæ Mysteriis libro Innocentius tertius: *Post luctum sequitur consolatio, nam beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Et ideò post Graduale cantatur Alleluja, quod significat ineffabile gaudium Angelorum & hominum in æterna felicitate lætantium, quod est semper laudare Deum. Hoc ineffabile gaudium vitæ præsentis inopia nullatenus habere meretur, sed prægustans illud in spe, sitit & esurit quòd gustaverit, donec spes mutetur in rem, & fides in speciem. Quapropter hoc nomen Hebraicum iniuterpretatum remansit, id est, interpretatum non fuit, ut peregrinum ab hac vita gaudium peregrinum quoque vocabulum fignaret potiùs quàm exprimeret. Cujus Mysterium, velut quoddam gaudii stillicidium de divitiis supernæ Hierusalem, priùs in mentem Patriarcharum & Prophetarum, post in Apostolorum ora plenius per Spiritum Sanctum delapsum est.*

Circa Hymnum hunc diversæ olim Ecclesiæ habuerunt diversas consuetudines. Etenim in secunda ad Januarium Epistola diem Dominicam esse & primam & octavam, ideoque tamquam Dominicæ Resurrectionis commemorationem celebrari in gaudio, scribit Sanctus Augustinus, & adjungit: *Unde etiam omnibus diebus Dominicis Alleluja canitur, quod significat actionem nostram futuram non nisi laudare Deum, sicut scriptum est, Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Ep. 119. cap. 15. Quinquagesimam esse Domini nobiscum post Resurrectionem conversantis, adeoque & futuræ beatitudinis repræsentationem ostendit ibidem, atque prosequitur: *Ut Alleluja per illos solos quinquaginta dies in Ecclesia cantetur, non usquequaque observatur. Nam & in aliis diebus variè cantatur alibi atque alibi, ipsis autem diebus ubique.* Cap. 17. Et in Epistola ad Casulanum Presbyterum: *Illis quinquaginta tantummodò diebus in multis Ecclesiis, in omnibus autem maximè cantatur Alleluja.* Ep. 86. Et in quinto sermone de diversis: *Non sine causa consuetudinem antiquæ traditionis tenet Ecclesia, ut per istos quinquaginta dies Alleluja dicatur.* Cap. 9. Consonat atque exponit in primo de Ecclesiasticis Officiis libro Sanctus Isidorus Archiepiscopus Hispalensis: *In Africanis Regionibus non omni tempore, sed tantùm Dominicis diebus, & quinquaginta post Domini Resurrectionem Alleluja cantatur, pro significatione futuræ Resurrectionis & lætitiæ. Verum apud nos secundùm antiquam Hispaniarum traditionem, præter dies jejuniorum vel Quadragesimæ, omni tempore cantatur Alleluja. Scriptum est enim: Semper laus ejus in ore meo.* Cap. 13. Hymnum istum adeò dilexerunt quædam Hispaniarum Ecclesiæ, ut adversùs excessum quarta Toletana Synodus fuerit compulsa statuere: *Cognovimus quosdam*

Hiſpaniæ Sacerdotes, qui in Quadrageſimæ diebus Alleluja decantant, præterquam in ultima hebdomada Paſchæ. Quod deinceps fieri interdicimus, ſtatuentes ut in omnibus prædictis Quadrageſimæ diebus, quia tempus non eſt gaudii, ſed mœroris, Alleluja non decantetur. Tunc enim opus eſt fletibus ac jejuniis inſiſtere, corpus cilicio & cinere induere, animum mœroribus dejicere, gaudium in triſtitiam vertere, quo uſque veniat tempus Reſurrectionis Chriſti, quandò oporteat jam Alleluja in lætitia canere, & mœrorem in gaudium commutare. Hoc enim Eccleſiæ univerſalis conſenſio in cunctis terrarum partibus roboravit: Quod & à nobis in omnibus ut conſervetur per Hiſpanias Galliciaſque Provincias oportebit. Quod ipſum ſtatuit de Kalendis Januariis. Olim enim iſto die adversùm ſolemnes Paganorum inſanias ſolemne jejunium Eccleſia celebrabat. Et in Decreti ſui prævaricatorem Epiſcopum aut Clericum laudata Synodus addit degradationis pœnam, & privationem iſtius Paſchalis communionis. Quadrageſima enim eſt revera mœroris tempus: Significat præſentem ærumnoſam vitam, ideoque gaudii cantica ſunt tunc muſica in luctu. At verò Quinquageſima ſignificat Reſurrectionis ac futuræ vitæ gaudia, ideoque gaudii Canticum tunc convenit maximè frequentari. Etiam Dominica dies eſt Dominicæ Reſurrectionis Imago, atque ideò etiam in Quadrageſimæ Dominicis videtur olim Alleluja cantatum. Ita videtur palàm aſſerere Sanctus Auguſtinus. Et per Quinquageſimam & per Dominicas aſſerit non jejunari, non flecti genua, & cantari Alleluja; Et quia duo priora etiamnum fiunt in Quadrageſimæ Dominicis, omninò videtur olim & tertium fuiſſe factum.

Adductam, ex qua Canticum iſtud Quadrageſimæ non conveniat, à Toletana Synodo rationem laudat & probat etiam in adductis locis Sanctus Auguſtinus, ac in ſuo adversùm Michaelis Cerularii Reſponſo inſigniter elucidat Cardinalis Humbertus: *Porrò ipſum Alleluja, ſicut calumniamini, non ſolummodò in Paſcha cantamus, ſed omnibus totius anni temporibus, exceptis novem hebdomadibus, quibus id intermittere à Patribus noſtris accepimus; ſcilicet quibus negligentias aliorum temporum diluere attentiùs debemus. Sicut enim quondam populus in eremo peccatum Idololatriæ in ſe ipſo puniturus, & Ninivitæ pœnitentiam in prædicatione Jonæ acturi, omnem ornatum ſuum & delicias depoſuerunt, & ſaccum & cinerem ſibi impoſuerunt, nec jam peregrinis verbis ac exquiſitis ſeu dulciſonis melodiis, ſed propriis ſermonibus & incompoſitis, ſive amaris ejulatibus ad Dominum clamaverunt, ſic & venerabiles Patres noſtri agere conſueverunt. Undè ornamenta & divitis linguæ divitias tempore Quadrageſimæ deponentes, pauperrimum habitum noſtræ linguæ nobis imponimus, & ſtulti facti propter Chriſtum, nihil nos ſcire judicamus, niſi ipſum crucifixum. Cujus diſtrictum præ oculis habentes judicium, vinculati & gravati peccatis tamquam Idiotæ, vix audemus vilin noſtro idiomate interpellare Deum. Nam ex libro Sapientiæ didicimus, quia non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.* Eandem rationem firmat in ſecundo de Miſſæ Myſteriis libro Innocentius III. & adjungit non contemnendam aliam: *Poteſt Alleluja referri ad exultationem eorum, qui de Miraculis Chriſti gaudebant laudantes Dominum, & dicentes, Quia vidimus mirabilia hodie, & quia viſitavit Dominus plebem ſuam. Tunc enim cantabatur in jubilo Alleluja, cùm omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo, & omnis populus gaudebat in univerſis quæ gloriosè fiebant ab eo. Hinc eſt quod à Septuageſima uſque ad Paſcha non cantatur Alleluja. Quia tempore triſtitiæ non debet carmen lætitiæ decantari, ſecundùm illud Propheticum: Quomodò cantabimus Canticum Domini in terra aliena? Septuageſima namque tempus Babylonicæ captivitatis repræſentat ſpiritualiter, in qua ſuper flumina Babylonis ſedentes & flentes in ſalicibus organa ſuſpenderunt.* Cap. 32.

Vetuſtum Romanæ Eccleſiæ morem aperit in litteris ad Oceanum Sanctus Hieronymus, ſcribens de ſolemnibus Fabiolæ exequiis: *Sonabant Pſalmi, & aurata tecta templorum reboans in ſublime quatiebat Alleluja.* Exiſtimo illum non de Cleri ſacro cantu loqui, ſed de fauſtis populi Chriſtiani acclamationibus. Etenim ad Joannem Syracuſæ Epiſcopum ſcribit de Romana Eccleſia Magnus Gregorius: *Ut Alleluja hìc diceretur, de Hieroſolymorum Eccleſia ex Beati Hieronymi traditione, tempore beatæ memoriæ Damaſi Papæ, traditur tractum.* Exſtant litteræ, quibus Damaſus poſtulat, & Hieronymus Romam mittit Græcum pſallendi modum, affirmans Alleluja in ſola Quinquageſima cantandum. Et hinc licet ex ambiguis Magni Gregorii ſyllabis loquantur, errorem continere videntur hæc verba Innocentii tertii: *Ut aliis* extra Quinquageſimam *temporibus Alleluja caneretur ad Miſſam, olim Eccleſiæ Romanæ conſuetudo non erat, ſed à Beato Gregorio conſtitutum, imò potius reſtauratum eſt. Nam à tempore Damaſi Papæ, cùm priùs fuiſſet, eadem conſuetudo defecerat.* Et dictas Epiſtolas eſſe fictas ac ſpurias evincunt multæ rationes. Quis enim credat Romanam Eccleſiam Apoſtolico Inſtituto tamdiu caruiſſe? Et hinc dicit Gregorius: *Traditur tractum.* Exiſtimo aliquid Hieroſolymitanæ conſuetudinis Romano cantui per Damaſum ac Hieronymum fuiſſe admixtum. Et quia per omnem Paleſtinam non ſolus in Baſilicis Clerus ac Populus, ſed etiam ad ſtivam arator & in compito ſervus pro amatoriis ſordibus cantabat Alleluja, eandem caſtitatem ac pietatem videtur Romæ plantaſſe Damaſus, atque ita in ſacris defunctorum exequiis populus Alleluja acclamaſſe. Quidquid ſit, uſque ad Gregorii tempora non cantabatur ad Miſſam niſi per quinquageſimam: Ad normam Africanæ Eccleſiæ. Et quia hæc eſt Romana plantatio, credo morem Roma in Africam veniſſe. Porrò Magnus Gregorius fuerat Pelagii ſecundi Pontificis apud Tiberium Auguſtum Diaconus Apocriſiarius, & Conſtantinopolitana Eccleſia ad Miſſas etiam extra Pentecoſtes tempora dicebat Alleluja: Placuit mos Gregorio, ideoque factus Pontifex ipſum impoſuit Romanæ Eccleſiæ. Adversùs vanum *Univerſalis Epiſcopi* nomen, ac ejus uſurpatorem Joannem Patriarcham tunc pugnabat, ideoque quidam murmurarunt *Ec-*

Epiſt. 30.

Lib. 7. Indict. 1. Ep. 64.

Lib. 4. c. 26.

Eccleſiam Conſtantinopolitanam diſponit comprimere, qui ejus conſuetudines per omnia ſequitur. Conſtantinopolitanas conſuetudines admittere cenſebant repugnare Majeſtati Romanæ Eccleſiæ. Et hinc nec Conſtantinopolitanam Eccleſiam à ſe comprimi, nec alienos mores à ſe Romam induci, multis oſtendere conatur Gregorius, & adjungit: *Si quid boni vel Conſtantinopolitana, vel altera Eccleſia habet, ego & minores meos, quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari, paratus ſum. Stultus eſt enim, qui in eo ſe primum exiſtimat, ut bona quæ videt, diſcere contemnat.*

Adjungit ſuperius laudata verba, quibus dixit hunc Hymnum è Hieroſolymitana per Sanctos Damaſum ac Hieronymum veniſſe ad Romanam Eccleſiam. Ita oſtendit ſe non eſſe primum Pontificem, qui Græcorum ritus traduxerit ad Apoſtolicam Sedem. Et hinc vides Latinorum ac Græcorum de ritibus æmulationem non eſſe novitiam: Eſſe Photiano Schiſmate multo antiquiorem. Pergit Gregorius: *Et ideo magis in hac Sede illam conſuetudinem amputavimus, quæ hìc à Græcis fuerat tradita.* Sunt verba obſcura, & movent quæſtionem. Quam enim Græcorum conſuetudinem Romæ amputavit Gregorius? Reſpondeo Græcos etiam per Quadrageſimam Alleluja cantaſſe. Hinc enim quòd in Quadrageſima non cantaremus, nobis improperavit Michael Cerularius. Quem morem Gregorius non admiſit. Lucet ex quarta Toletana Synodo, cujus ſupra laudatus Canon altè clamat: *Hoc Eccleſiæ univerſalis conſenſio in cunctis terrarum, utique Latinarum, partibus roboravit.* Nempè ut per Quadrageſimam non cantetur Alleluja. Et quomodo Romanæ Eccleſiæ morem degradatione punire Hiſpania præſumpſiſſet? Hinc ergò dicit Magnus Gregorius Græcorum de hac re conſuetudinem fuiſſe à ſe amputatam potiùs, quàm introductam. Laudatam Epiſtolam ſuo de Eccleſiaſticis Officiis operi inſeruit Amalarius Fortunatus, & concludit: *Ex Epiſtola docemur quod aliquo tempore celebrabatur Miſſa in Romana Eccleſia abſque Alleluja. Si eo tempore cantabatur Tractus per omnes Dominicos dies, & poſt Alleluja aſſumptum in ſolis Dominicis diebus an Septuageſima reſervaretur, ignoro.* Et infrà: *Reſtat adhuc quod pulſat intentionem ad requirendum, hoc eſt, ſicut per Dominicos dies & feſtos cantatur Alleluja ad Miſſam, ita debeat cantari per communes dies, an non. Niſi fortè imbui poſſimus ex præſenti ſcriptura Sancti Gregorii. Nam ex eo ubi Sanctus Gregorius dicit,* Alia quæ dici ſolent in quotidianis Miſſis tacentur, tantummodo Kyrie eleiſon & Chriſte eleiſon dicuntur, *poſſumus intelligere, quod non Alleluja cantabatur apud illum per quotidianos dies in Officio Miſſæ.* Affirmat Alleluja à Magno Gregorio cantari juſſum per omnes Dominicas in loco Tractus poſt Graduale, & dubitat de duobus. Primò, an non ſolas Quadrageſimæ, ſed etiam Septuageſimæ Dominicas exceperit? Secundò, an etiam in ferialibus Miſſis curarit cantari? Et ad hanc quæſtionem reſpondet negativè. Et hoc eſt ſecundum punctum, in quo Conſtantinopolitanam conſuetudinem non admiſit Gregorius.

Prior quæſtio demonſtrat de Septuageſimæ Dominicis fuiſſe tunc varias ſententias & mores. Hinc enim ſtatuit Abbatum Aquiſgranenſis ſub Ludovici Pii Imperio conventus: *Alleluja in Septuageſima dimittatur.* Dimittentium Eccleſiarum conſuetudinem voluit ſervari in omnibus Monaſteriis. Eandem in Reſponſo adverſus Michaelis Cerularii calumniam laudavit Cardinalis Humbertus: Dixit enim Alleluja dimitti per novem hebdomadas ante Paſcha. Et quin juxta Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem reſponderit, non eſt dubitandum. At verò in libris de Sancti Germani Antiſiodorenſis Epiſcopi vita ſcribit Henricus ejuſdem Eccleſiæ Monachus: *Alleluja noſtra Eccleſia Septuageſimæ tantum die Dominico cum memorato Pſalmo modulari conſuevit.* Utique cum Pſalmo: *Laudate Dominum de Cœlis.* Et hanc conſuetudinum diverſitatem volens eliminatam Alexander ſecundus edidit præſens Decretum. Quòd non pro Romana, ſed pro aliis dumtaxat Eccleſiis ediderit, demonſtrat laudatum Reſponſum Cardinalis Humberti. Et quia Romana Eccleſia non facilè admittit novitates, omninò crediderim eſſe Inſtitutum Magni Gregorii. Eſſe enim antiquam Patrum traditionem, diſertè affirmat laudatus Humbertus.

Cap. 30.

Lib. 1. cap. 10.

Reſtat quærendum, in quibus non dumtaxat Miſſæ, ſed & aliorum Divinorum Officiorum partibus conſueverint olim Eccleſiæ Alleluja cantare, & quomodo devenerimus ad præſentem diſciplinam? Verùm & longa & involuta eſt iſta quæſtio, per otium tractanda. Nolim tamen omittere quæ de Alleluja ad Miſſam poſt Graduale cantandi antiqua pietate monet Innocentius tertius: *Canimus Alleluja poſt Graduale, Canticum lætitiæ poſt luctum pœnitentiæ, ſummopere nitentes exprimere magnitudinem conſolationis, quæ repoſita eſt lugentibus, jubilantes potius quàm canentes, unamque brevem digni ſermonis ſyllabam in plures neumas protrahimus, ut jucundo auditu mens attonita repleatur, & rapiatur illuc, ubi ſemper erit vita ſine morte, dies ſine nocte.*

Lib. 2. cap. 32.

S. GREGORII VII. PONTIFICIS DICTATUS.

Clemente secundo inchoatam, & ab ejus Successoribus necdum perfectam Latinæ Ecclesiæ reformationem plenè completurus Gregorius septimus, varia ipsorum adversùs conjugatos & Simoniacos Episcopos & Clericos, nec non varios Laicorum excessus Decreta confirmavit, & extendit per omnia Regna, quin & Henricum quartum Imperatorem, variosque hinc indè Episcopos gradu dejecit, affirmans ac demonstrans se agere ex Sancti Petri privilegio, de quo in populari
Serm. 2. cap. 2. sermone declamat Sanctus Leo Magnus: *Manet ergò Petri privilegium, ubicumque fertur ex ipsius æquitate judicium.* Ad quæ verba ex Caroli Calvi Francorum Regis persona scripsit olim Hincmarus Metropolita Remensis: *Qua sententia constat, quia non manet* Ep. 14. *Petri privilegium, ubi ex ejus æquitate non fertur* 42. *judicium.* Et in secunda Trecensi Synodo professus fuit, *quos Apostolica Sedes per Dominum Papam privilegio Sancti Petri damnarit, & quod in omnibus secundùm Scripturarum tramitem, sacrorumque Canonum Decreta Sedes Romana tenet*, se in omnibus & prosequi & venerari. Sancti Petri privilegium dixit in æquitate, Divinarumque litterarum & sacrorum Canonum consequentia fundari, adeoque quidquid ab illis alienum Pontifex decreverit aut egerit, non procedere ex isto privilegio, ac proindè esse irritum & nullum. Henrici quarti Imperatoris, ac fœdorum Sacerdotum adversùs laudatum Gregorium nostrum defensores non solummodò resumpserunt hoc principium, sed & Sancti Petri privilegium devocarunt ad examen, & multis injuriis afficerunt. Eos refutat hic Dictatus.

CANON I.

QUòd Romana Ecclesia à solo Domino sit fundata.

SCHOLION.

CAnon hic agit adversùs Cunibertum, Bambergensis Ecclesiæ Clericum, de quo sub Gregorii nostri Papatu celebrata, & apud Bertholdum Presbyterum Constantiensem exstans, Synodus Quintelburgensis: *Quidam Bambergensis Clericus, nomine Cunibertus, Romani Pontificis Primatui derogare volens, in mediam Synodum se contulit, asserens Romanos Pontifices hunc sibi Primatum adscripsisse, non aliundè concessum hæreditasse, videlicet ut nullus de eorum judicio judicare debeat, nec illi alicujus judicio subjaceant. Qui cùm apertè à tota Synodo confutaretur, præcipuè tamen à quodam Laico convictus est per illud Evangelium:* NON EST DISCIPULUS SUPRA C. 14. MAGISTRUM. *Cùm enim hoc generaliter in omnibus Ecclesiasticis Ordinibus observandum deputetur, ne Major à minore judicetur, quis hoc Vicario Sancti Petri denegare potuit, quem omnes Catholici pro Domino & Magistro venerantur?* Ab eodem fundamento inchoatam fuisse Martini Lutheri prædicationem testatur in Citizensis Ecclesiæ Chronico Paulus Langius: *Martinus Lutherus asserit & probat Romanam Ecclesiam non esse jure divino primam & caput omnium. Quamobrem*
A. 1517. *ipse Papa, & Cardinales, omnesque Romanenses, mirum in modum contra illum & fremere & excandescere cœperunt, & ceu alterum Athanasium persequi, potissimum quòd disputaverit Romanam Ecclesiam non esse Divino jure primam, & caput Ecclesiarum orbis.* Ejus palmare principium fuit frivolum somnium Marsilii Paduani, de quo in Catholica concordantia Nicolaus Cardinalis Cusanus: *Quidam Marsilius Paduanus dicere videtur per Canonem Bibliæ probari non posse, Petrum Episcopum Romanum, imò aut Romæ fuisse.*
L. 2. c. 34. *Quod ex prima Petri epistola falsum est, & non est usque ad hæc tempora quisquam Doctorum sanctorum inventus, qui hoc umquam negaverit. Imò Alypius, Augustinus, Optatus Milevitanus, Sanctus Hieronymus, ac omnes alii, qui Romanorum Pontificum Catalogum suis scriptis inseruerunt, à Petro incipiunt.* Urget Marsilius hæc Apostolicæ epistolæ verba: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone.* Romam enim, quòd tunc idololatricæ confusionis plena esset, per Babylonem à Sancto Petro hic intelligi existimant Sanctus Hieronymus, & quidam alii Patres. Alii tamen Assyriorum Babylonem intelligi, atque illic scriptam esse istam Epistolam volunt, quod illic hæreditarius, à quo omnes per Cappadociam, Bithyniam, Pontum, atque Galatiam Synagogæ pendebant, primæ Judaicæ dispersionis Patriarcha degeret. Ista de causa volunt Petrum Apostolum illic Antiochia accessisse. Quidquid sit, Petrum Romæ non tantùm fuisse, sed & illic sedisse primum Episcopum, unanimi voce clamant Sanctus Irenæus, Tertullianus, Sanctus Cyprianus, Sanctus Firmilianus, Eusebius Cæsariensis, Patres omninò omnes, Latini & Græci. Et hinc Romanæ Cathedræ Primatum eversurus Marcus Antonius de Dominis, alias sibi struxit phantasmatum machinas: Fatetur Petrum Romæ vixisse & obiisse, prædicasse illic & exercuisse actus Episcopales, ast negat Cardinalem seu proprium istic fuisse Episcopum, negat fuisse Apostolorum caput & Principem, atque ità vult Papam nec esse ejus successorē, nec ex ejus successione sequi totius Ecclesiæ Primatum. Nempè adeò manifesta est suprema Romani throni Majestas, ut non nisi per ista horrenda manifestissimorum mendaciorum monstra possit vel impugnari.

Et omnia ista evertens noster Canon omninò hausus est ex avito Ecclesiæ sensu. Etenim ad Rufum Thessalonicensem Archiepiscopum, ac
Epist. 6. suum in Illyriciana Diœcesi Vicarium, olim uti rem manifestam scripsit Bonifacius primus: *Beato Apostolo Petro arx Sacerdotii Dominica voce concessa est.* Et infrà: *Ejus consulis*, Romanæ utique, *Sedis arcanum, quam constat dignatione Petræ spiritalis*, videlicet Christi Domini nostri, *illatam.* Et in litteris ad Thessaliæ Episcopos Romanæ Cathedræ Primatum affirmat à nascentis Ecclesiæ fuisse exordio, & prosequitur: *Nicænæ Synodi non aliud Præcepta testantur, adeò ut non aliquid super eam ausa sit constituere, cùm videret nihil supra meritum suum posse conferri. Om-* Epist. 9. *nia denique huic noverat Domini sermone concessa. Hanc ergo Ecclesiis toto orbe diffusis velut caput certum est horum esse membrorum.* Laudat sextum Nicænum Canonem, qui Alexandrino & Antiocheno Patriarchis figit certas Episcopalium consecrationum & judiciorum leges, additque de Romano: *Quia & urbis Romæ Episcopo paritis mos est.* Et Metropolitarum & Provincialium Episcoporum consecratio ex Apostolico Instituto spectat ad Patriarchas. Verùm aliqui plures & largas Diœceses habent, ideoque remotarum Provinciarum Antistites permiserunt ab invicem ad suas litteras consecrari. Quin & quosdam sine suis litteris. Variarum Provinciarum fuit varia consuetudo. Hinc de Alexandrina, Antiochena, & alia quavis Ecclesia statuit laudatus Canon cuique servari sua privilegia, & antiquam de ipsis consuetudinem firmat in scriptam legem. At verò Romanæ Ecclesiæ morem solummodò laudat, nihil ausus constituere, sciens illi omnia concessa à Domino, ideoque ejus Episcopum ex fide & arbitrio agere, ac soli Deo teneri ad rationes. Et Arabici, licet non Nicæni, tamen antiquissimi Orientalium Canones Romanum Episcopum, non minùs quàm Apostolum Petrum, affirmant esse *Christi Domini Vicarium super cunctos populos & universam Ecclesiam Christianam.* Et in prima sua ad Julium Pontificem epistola Sardicense Concilium profitetur omnium Ecclesiarum *caput esse Petri Apostoli Sedem, ad quam de singulis quibusque Provinciis Domini referunt Sacerdotes.* Et ad plenam Ephesinam Synodum dixit Philippus Romanæ Ecclesiæ Presbyter ac Legatus: *Nulli dubium, imò sæculis omnibus notum est, quod Sanctus ac beatissimus Petrus Apostolorum Princeps & Caput, fideique columna, & Ecclesiæ Catholicæ fundamentum, à Domino nostro* JESU *Christo claves Regni cœlestis accepit,* Act. 3. *qui ad hoc usque tempus & semper in suis Successoribus vivit, & judicium exercet.* Et ad Sanctum Leonem Pontificem scripsit magna Synodus Chalcedonensis: *Tibi vineæ custodia à Domino* Act. 2. *commissa est.* Et ad Sanctum Leonem secundum Constantinus quartus Imperator & omnis sexta Synodus: Romana Cathedra *est ea Petra, super* Act. 18. *quam Dominus fundavit Ecclesiam, ac prædixit numquam fore, ut portæ inferi, hoc est, hæreticæ insidiæ, adversùs eam prævalerent.* Et in sua ad Nicolaum primum appellatione clamat Sanctus Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus: *Catholicæ Ecclesiæ unum & singularem, præcellentem atque Catholicissimum medicum ipse Princeps summus, & fortissimus Sermo, & ordinator & curator, & solus ex toto Magister Deus omnium produxit, videlicet tuam Fraternam Sanctitatem.* Cuncta, quibus Sermo Deus exaltavit Sanctum Petrum Apostolum, testimonia producit, & adjungit: *Tales beatas voces non secundùm quamdam utique sortem Apostolorum Principi solùm circumscripsit & definivit, sed per eum ad omnes, qui post illum secundùm ipsum efficiendi summi Pastores & Pontifices senioris Romæ, transimisit.*

Quæ

Quæ omnia probavit & suis Actis inseruit Synodus octava.

Sanctum Petrum fuisse Romanorum Episcopum, ejusque Primatum & Claves ex Divina ordinatione, & perpetuo Christianitatis more transisse in successores, in litteris ante Chalcedonensem Synodum exstantibus scribunt non tantùm Sanctus Leo Papa, sed etiam Theodosius ac Valentinianus Imperatores, nec non Augustæ Licinia Eudoxia & Galla Placidia. Et in Epist. 25. 26. 28. Codice Theodosiano exstat eorumdem Principum ad Ætium utriusque militiæ in Gallia Magistrum lex, asseverans Sedis Apostolicæ Primatum, non tantùm in Romanæ urbis dignitate & auctoritate Nicænæ Synodi, sed etiam ex Sancti Petri meritis fundari & processisse. Et in litteris ad laudatum Leonem Theodoretus Cyri in Euphratesia Provincia Episcopus scribit Apostolicam Sedem esse Sedem Sancti Petri, tenere in omnibus Primatum, ornari multis Prærogativis, idque ex dono largitoris omnium bonorum. Et in tractatu de Acaciano schismate Sanctus Papa Gelasius adfirmat omnes Apostolos fuisse pares, & adjungit: *Cùm omnes æqualiter, æqualiterque spiritali luce fulgerent, unum tamen Principem esse ex illis Christus voluit, eumque dispensatione mirabili in dominam gentium Romam direxit, ut in præcipua Urbe vel prima primum & præcipuum dirigeret Petrum, ibique sicut doctrinæ virtute sublimis emicuit, ita sanguinis gloriosa effusione decoratus, æterno hospitio conquiescit, præstans Sedi, quam ipse benedixit, ut à portis inferi numquam pro Domini promissione vincatur, omniumque sit fluctuantium tutissimus portus.* Disertè adfirmat Sanctum Petrum non ex propriæ electionis arbitrio, sed ex Dominicæ auctoritatis Divino Epist. 3. jussu migrasse Antiochia Romam, & illic cum pleno in universalem Apostolatum successionis jure sedisse Episcopum. Exstat Tractatus apud Jacobum Sirmondum post Appendicem Codicis Theodosiani. Et ad Bonifacium secundum in Romana, per Dominum Lucam Holstenium publicata, Synodo dixit Stephanus Larissenus Episcopus, Thessaliæ Metropolita: *Nullus Ecclesiasticus ordo illam vestram, quæ à Salvatore omnium & primo Pastore vobis est conlata, potest præcellere potestatem.* Et iterùm: *Auctoritas Sedis Apostolicæ, quæ à Deo & Salvatore nostro Summo Apostolorum data est, omnibus sanctarum Ecclesiarum privilegiis antecellit.* Hanc veritatem sola olim Photiani Schismatis præformatrix Eusebiana Arianorum factio fuit arietare ausa, abundè damnata per laudatam Synodum Sardicensem. Amplissima est hæc materia, & innumera ipsam firmant authentica omnium sæculorum testimonia. Ad elucidandum præsentem Canonem sufficiunt hæc pauca.

Omittere nolim Thesim in Catholica concordantia propositam à Nicolao Cardinali Cusano: *Non posse Romanum Pontificem perpetuum Principem Ecclesiæ probari, satis etiam ex hoc manifestum est. Nam non legitur, etiamsi Petrus illum Principatum* L. 2. c. 34. *omnium habuit, propterea Romanum Pontificem ejus Successorem aut Antiochenum, vel Hierosolymitanum, cum ejusdem sint successores, habuisse, aut habere debere, ex Sacris Litteris, nisi concurrat communis Ecclesiæ consensus, sicut Apostolorum in Petro. Undè etsi Romanus Pontifex, aut ex loco & Sede Petri, aut Principatu Civitatis, inter cæteros mundi Episcopos in Primatu, ut præcipuus & honorabilissimus Præses tantæ Civitatis, & sedens in tanta Petri Sede aut Principatu Civitatis veneraretur, tamen nisi subjectivè ex consensu concurreret electio per eos, qui aliorum omnium vices gerunt, non crederem ipsum Præsidem aliorum omnium, & Principem sive Judicem esse. Quare si per possibile Treverensis Archiepiscopus per Ecclesiam congregatam pro Præside & Capite eligeretur, ille propriè plus successor Sancti Petri in Principatu foret, quàm Romanus Episcopus. Licet credendum sit Romanum Pontificem, sicut locum Petri, ita & Principatum numquam perditurum. Non enim successio in loco arguit successionem in Principatu, ut de Antiochia & Hierosolymis dictum est. Nec cessaret ille principatus in Ecclesia, etiamsi Romanæ Urbis Sedes Episcopalis deficeret.* Distinguit Papalis potestatis substantiam, ac ejus affixionem ad Episcopatum Romanum: Illam fatetur esse à Deo, hanc vult venisse ab Apostolis & Ecclesia, ideoque per generalem Synodum posse transferri Trevirim, aut ad aliam quamvis Civitatem. Quin imò potestatem istam addit nec ipsi Apostolo Petro datam à Christo Domino, nisi ad electionem & suffragia Apostolorum. Multis hæc firmare conatur, & concludit: *Nihil tamen de meis conceptibus adeò firmum assero, quin peritioribus potiùs dicam acquiescendum.* Romanum Primatum vult esse à Deo partim, partim ab homine: *Licet induxerim multa, tamen in hoc resedi, quòd licet secundùm plura Sanctorum Scripta potestas Romani Pontificis à Deo sit, & secundùm alia ab homine & Conciliis generalibus, tamen videtur in veritate medium concordantiæ per Scripturas investigabile ad hoc demum tendere, quod ipsius Pontificis Romani potestas, quoad considerationem præeminentiæ Prioratus & Principatus, sit à Deo per medium hominis & Conciliorum, scilicet mediante consensu electivo.*

Respondeo Cardinalem Cusanum nimio in Synodum Basileensem affectu, nimiaque Eugenii quarti Pontificis degradandi libidine incensum cecidisse in hujusmodi somnia. Et à quo didicit Sanctum Petrum umquam fuisse Episcopum Hierosolymitanum? Paradoxum id est, & à nemine umquam vel somniatum. Et quis umquam tradidit Petrum Apostolico Collegio ex Fratrum electione fuisse Prælatum? Dico igitur Papalis Primatus non dumtaxat substantiam, sed etiam in Romana Cathedra affixionem esse omninò juris Divini, ideoque immutabilem. Etenim Photii Patriarchæ Constantinopolitani, Papalia privilegia blaterantis Constantinopolim migrasse cum Imperialibus, nugas derisit & damnavit octava generalis Synodus, & omnis semper Orthodoxa Ecclesia. Eam migrationem aut translationem censuit impossibilem, & omni humana potestate superiorem. Sanctus Apostolus Petrus non ex humano spiritu, sed ex Divino instinctu migravit Antiochia Romam, ibidem non pro tempore, sed firmè usque ad mortem sedit Cardinalis Episcopus, & de Antiocheno Patriarchatu ad Patriarcham Alexandrum scribit Innocentius primus Pontifex: *Advertimus non* Epist. 18. c. 1. *tam pro Civitatis magnificentia hoc eidem attributum, quam quod prima primi Apostoli Sedes esse monstretur. Quæ urbis Romæ Sedi non cederet, nisi quod illa in transitu meruit, susceptum apud se consummatumque gauderet.* Nempè Sancti Petri Episcopatum. Longa est hæc res suo loco latius elucidanda.

CANON II.

QUòd solus Romanus Pontifex jure dicatur Universalis.

SCHOLION.

ANatolium Chalcedonensis Concilii tempore Episcopum Constantinopolitanum, quod se *Universalem Episcopum* titulare cœperit, accusat, & ita in Sancti Leonis Papæ litteris reperiri C. 17. affirmat in opusculo contra Hincmarum Laudunensem Episcopum Hincmarus Metropolita Remensis. Consonat repertus Constantinopoli apud Patres Prædicatores adversùm Græcos Tractatus, assiduas Constantinopolitanorum Antistitum rapinas enumerans, atque adjungens: *Processu temporis crescente Græcorum malitia, & potentia invalescente, Patres qui convenerunt in quarto Concilio, suasu Principis Martiani, quædam privilegia Romanæ Sedis similia, & hoc nomen* Œcumenicus Patriarcha, *quod sonat* orbicularis seu Universalis Patriarcha, *Constantinopolitano Episcopo, contradicentibus Sedis Apostolicæ Legatis, contulerunt.* Verùm uterque est memoria lapsus. Etenim vigesimi octavi Chalcedonensis Canonis conditores de isto titulo nec cogitarunt. Alexandrini dumtaxat & Antiocheni Patriarcharum, & trium Autocephalorum Primatum, nequaquam Romanæ Cathedræ privilegia læserunt, transcribentes ista in Constantinopolitanum Episcopum. De isto excessu Anatolium nullus umquam accusavit. Isto tamen tempore Olympius Evazorum in Asia Episcopus Ephesino latrocinio subscripsit in hunc modum: *Sanctissimus Pater noster & Universalis Archiepiscopus Dioscorus magnæ Alexandrinæ Civitatis, &c.* Sed istam tantæ adulationis stultitiam nemo est secutus. Et quod ejus proscribendæ causa, Chalcedonensis Synodus titulum istum Sancto Leoni detulerit, est in ejus scholiis abundè ostensum.

Istum ergò superbiæ fucum primus sibi circumposuit Joannes Cappadox, istius nominis secundus Patriarcha Constantinopolitanus, de quo in præfatione ad arcanam Procopii Cæsareensis historiam scribit eruditus Nicolaus Alemannus: *Imperator Justinianus sic Constantinopolitanorum Patriarcharum fastui & supercilio blanditus est, ut Joannes Scholasticus Cappadox Justiniano, à quo plurimùm diligebatur, Rempublicam administrante, primus sibi* Œcumenici *nomen arrogarit, idemque ratum & gratum primus omnium Orientis Imperatorum habuerit, atque suis Constitutionibus Justinianus inscripserit. Quamobrem Epiphanius, qui Joanni successit, quidquid in Romanos Pontifices ausus & ipse foret, utique sibi facilem Justinianum futurum, ab eoque adeò sibi nihil fore timendum intelligebat, ut Joanni Romanæ Ecclesiæ Pontifici, Byzantium appellenti, loco cedere noluerit, vixque tandem, ut Marcellinus Justiniani Cancellarius refert, ac Theophanes explicat, dextrum Ecclesiæ solium Pontifici Romano ægrè concesserit.* De Joanne Patriarcha hæc Procopius in Arcana historia: *Justinianus Amantium Eunuchorum aulæ Principem* C. 6. *nonnullis cum aliis interfecit, in crimen illum ea tantùm re ducens, quod nescio quam vocem petulantiùs jactasset in Joannem Urbis Antistitem.* Et Alemannus commentatur: *Quod Joannem Justinianus plurimùm amabat,* Œcumenici *nomen tunc primùm sibi arrogantem non compescuit.* Pergit Procopius: *Sacerdotibus in vicinos fidenter sanè* C. 13. *peccantibus indulgebat Justinianus, & finitimorum bona occupantibus gratulabatur, sic ratus adversùs Deum colere pietatem.* Et laudatus Nicolaus: *Non solùm aliena occupantibus, sed etiam Constantinopolitanis Patriarchis,* Œcumenici *nomen per summam Romanorum Pontificum injuriam occupantibus. Quod enim primus Joannes Cappadox ausus fuisset, ipse qui tum Justino avunculo superstite Rempublicam administrabat, æquo animo tulit, deindè Imperium adeptus, ratum gratumque habuit, suisque legibus pernicioſum nomen inscripsit. Quare Jurisconsulti multis parcant interpretationibus, cum* Œcumenici *nomen in Justiniani Constitutionibus offendunt.*

Quod Joannes Cappadox adsumpserit hunc titulum, lucet ex Constantinopolitana Synodo sub ejus successore Menna. Illic enim variæ variorum ad illum preces habent hanc Epigraphen: *Sanctissimo & beatissimo Archiepiscopo,* Œcumenico *Patriarchæ Joanni.* Eodem modo titulatur ab Actis Synodalibus. Et factum continuavit ejus successor Epiphanius: Hujus item successor dictus Mennas. De Menna lucet ex præfatis Actis, adsiduè repetentibus: *Præsidente sanctissimo Domino nostro* Œcumenico, *& Patriarcha Menna.* Et Justinianus omninò confirmavit. Ejus enim tertia Novella lex habet hunc titulum: *Imperator Justi-*

Justinianus sanctissimo Archiepiscopo Regiæ Civitatis, & universali Patriarchæ Epiphanio. Eandem inscriptionem habent lex sexta, quinta, & aliæ plures. Sexta decima habet hanc: *Imperator Justinianus sanctissimo Authemio, Archiepiscopo Constantinopolitano, & Universali Patriarchæ*. Hic est ille Epiphanii successor Authymus, translatus ex Trapezuntis Cathedra, quem propter Eutychianam hæresim degradavit Agapetus Pontifex, & in ejus locum ordinavit Mennam. Et lex quadragesima secunda: *Imperator Justinianus Mennæ sanctissimo Archiepiscopo, & universali Patriarchæ*. Nona lex habet hanc Epigraphen: *Imperator Justinianus Joanni viro beatissimo, & sanctissimo Archiepiscopo & Patriarchæ veteris Romæ*. Joannem secundum Pontificem non dignatur isto titulo. Adeò Justinianus excessit. Constantinopolitanis tamen Episcopis nequaquam hæreticè aut schismaticè adscripsit generalem omnium sub cœlo Ecclesiarum sollicitudinem, aut universalem totius Christianitatis Præfecturam. Lucet ex quinquagesima septima & sexagesima septima legibus, quarum hæc est Epigraphe: *Imperator Justinianus Mennæ sanctissimo Archiepiscopo Constantinopolitano, & universi ejus tractus Patriarchæ*. Mennam per solas suas Diœceses affirmat universalem. Fuit non hæreseos aut schismatis, sed solius superbæ vanitatis fumosus titulus.

Et hinc Chalcedonensis Canon, licèt vanitatem non induxerit, illi tamen dedit nascendi occasionem. Etenim tres autocephalos Exarchos exuit suis Diœcesibus, Byzantii in Constantinopolim ac Regiam Urbem evecti, quod ex Apostolico Canone non nisi Heracleensis per Europæ Provinciam Metropolitæ suffraganeam constat esse Parochiam, Episcopis istas adscripsit, atque ita alicui universalitati dedit originem. Quam ut augeret, jam pridem suppressam atque sepultam Antecessoris Attici rapinam resumpsit Epiphanius Episcopus, Orientale Illyricum invasit, & per Romanam Bonifacii secundi Synodum vix potuit compesci. Et isti etiam violentiæ Justinianus fuit suffragatus. Etenim infelicem Theodosii secundi legem, quam non solummodò à Romana Ecclesia, sed & ab ipso suo auctore noverat circumductam, vigori reddidit, & suo inseruit Codici Legem, qua Orientale Illyricum Theodosius auferebat Romanæ Cathedræ, & transcribebat in Patriarchalem potestatem Episcopi Constantinopolitani. A Romana item Ecclesia damnatum, quod sextum Nicænum manifestè everteret, Chalcedonensem Canonem sustinuit, legis authoritate donavit, & tot Romanorum Pontificum adversùs illum Edicta profano Augustæ potestatis abusu fecit dormire. Mennæ in Patriarchatum successit Sanctus Eutychius, Eutychio ob constantem adversùs Eutychianos de incorruptibili Christi Domini corpore errores defensam Catholicam veritatem per istorum patronum Justinianum degradato ac relegato Joannes tertius, Joanni defuncto iterùm Eutychius, & huic defuncto Joannes quartus, cognomento Jejunator. An Eutychius & tertius Joannes superbum titulum usurpare perrexerint, ignoro.

Quidquid sit, ipsum resumpsit, & synodaliter firmari sibi fecit Joannes quartus, acerrimè impugnatus & redargutus à Pelagio secundo, Gregorio Magno, & pluribus successivè Romanis Pontificibus. Fumum enim deponere numquam voluerunt Regiæ Civitatis Patriarchæ. Non quòd se totius sub Cœlo Ecclesiæ, sed solius suæ Diœceseos assererent universales. Ita in septimæ Synodi ad Joannem octavum Pontificem præfatione affirmat, & tolerari supplicat Anastasius Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Bibliothecarius. Theophylactus Simocata historiæ suæ præmisit fictum sui cum Philosophia Dialogum, in quo Sergium Patriarcham Constantinopolitanum laudat, & titulat Œcumenicum Episcopum; Quæ verba Jacobus Pontanus nimis imperitè transtulit in hæc Latina, *Totius orbis Præsulem & Antistitem*. Simocata enim cum Joanne Patriarcha ac ejus fautore Mauritio Imperatore locutus est, & solius Diœcesis universalitatem intellexit. Eodem posteà sensu omnes Patriarchæ dicti sunt Episcopi universales. Hinc enim apud Sanctum Theophanem Paulus Patriarcha Constantinopolitanus lamentatur suam Ecclesiam ob Iconoclasticam hæresim esse ab aliis universalibus Sedibus abscissam & damnatam. Easdem Sedes esse Catholicos thronos scribit etiam Georgius Cedrenus, Persidis item, Æthiopiæ, Armeniæ, & aliarum in Oriente Gentium aut Sectarum Primates, vocarunt se Catholicos, seu Antistites universales. Ita Provinciarum suarum Rationales Romana Respublica appellavit Catholicos: Non quòd cunctis ibi rebus, sed quòd cunctis dumtaxat illic ad suum Principem spectantibus pecuniis præsiderent. Ita fuit usque ad intrusionem & Schisma Photii: Hic enim blasterare cœpit non sola Imperialia, sed & Papalia simul privilegia migrasse Roma Constantinopolim, ideoque se esse universalem Patriarcham totius mundi.

Ejus successores deseruerunt errorem, non tamen superbiæ titulum, qui erat erroris fomentum. Quòd enim ad Domini annum millesimum vigesimum quartum Eustatius Patriarcha & Basilius Imperator à Joanne vigesimo Pontifice postularint, *Quatenus liceret Ecclesiam Constantinopolitanam in suo orbe, sicut Roma in universo, universalem dici & haberi*, refert Glaber Rudolphus. Avaritia & Simonia tunc Romæ grassabantur, ideoque indultum hoc ferè extorserant: Verùm impedivit Venerabilis Guilielmus Abbas Sancti Benigni Divionensis. Eustatio post Alexium succedit in Patriarchatum Michael Cerularius, contra quem scribit Sanctus Leo nonus: *Nova ambitione Alexandrinum & Antiochenum Patriarchas, antiqua sua dignitate privare contendens, contra omnes fas & jus tuo dominio subjugare conaris*. Et statim infrà: *Qualis & quàm detestabilis, atque lamentabilis est illa sacrilega usurpatio, qua te universalem Patriarcham jactas ubique & scripto & verbo, cùm omnis Dei amicus hujusmodi hactenus horruerit honorari vocabulo*? Et in serum à se Constantinopoli gestarum breviculo Cardinalis Humbertus: *Michael Patriarcha contra Romanam Ecclesiam*

L. 4. c. 1.

Epist. 6.

sam se scribit Œcumenicum Patriarcham. Nempè Photii Michael errorem resumpsit & auxit. Et adversùs ipsum Gregorius septimus dictavit præsentem Canonem.

Et hinc oritur quæstio, Quomodo prævaricatus non sit hæc laudata Leonis verba: *Omnis Dei amicus hujusmodi hactenus horruit honorari vocabulo*? Nomen istud laudatus Leo, Sanctum Gregorium imitatus, acerrimè insequitur, ejus causa Joannem Constantinopolitanum Episcopum affirmat à Pelagio secundo & laudato Gregorio anathematizatum, omnem ejus usurpatorem scribit esse paranymphum ac lenonem Antichristi. Et adjungit de Sancto Leone Magno: *Certè nomen istud à sanctis Patribus in Chalcedonensi Synodo ob reverentiam sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedis, sanctissimo Decessori nostro Leoni Papæ & præclarissimo Doctori, ipsiusque successoribus fuit oblatum, sed nec ab illo, nec ab ullo successorum ipsius constat hactenus receptum*. Eos dicit imitatos fuisse Sanctum Petrum Apostolum, qui numquam titulatus fuit, aut titulari voluit Apostolus Universalis. Quæ omnia in variis Epistolis affirmat etiam Magnus Gregorius, titulum istum adeò aversatus, ut & sibi & suis in perpetuum successoribus assumpserit hunc oppositum: *Servus Servorum Dei*. Et hinc in Catholica concordantia Nicolaus Cardinalis Cusanus constanter defendit hunc articulum: *Papa non est Universalis Episcopus, sed super omnes primus*. Quod ipsum acriter agit Marcus Antonius de Dominis.

L. 2. c. 13.
L. 4. c. 7.

Respondeo titulum istum non assumi à Gregorio septimo, sed dumtaxat definiri, quod soli Romano Pontifici de jure debeatur. Quod est omninò verissimum. Lucet ex laudata Chalcedonensi Synodo, in qua Theodorus Alexandrinæ Ecclesiæ Diaconus suos ad Leonem Pontificem libellos sic inscripsit: *Sanctissimo, & Dei amantissimo, & Universali Archiepiscopo & Patriarchæ Magnæ Romæ Leoni*. Eodem modo suos inscripserunt Ischyrion Diaconus, & Sophronius Laicus Alexandrinus. Et Lucentius Esculanus Episcopus ac Sedis Apostolicæ Legatus dixit ad plenam Synodum: *Apostolicus vir Universalis Ecclesiæ Papa Leo*. Et plena Synodus: *Beatissimus atque Apostolicus vir, Universalis Ecclesiæ Papa Leo*. Et in ipsa, quam ex plenæ Synodi consensu pronunciavit, Dioscori Patriarchæ Alexandrini damnatrice sententia Sanctus Paschasinus Lylibeti in Sicilia Episcopus, ac Apostolicæ Sedis Primarius Legatus, lucidius ac efficacius est locutus: *Sanctus ac Beatissimus Papa, Caput universalis Ecclesiæ, Leo per nos & Legatos suos, &c.* Voces has, *Caput universalis Ecclesiæ*, scio abesse à textu Græco: habentur tamen in sententiæ exemplari, quod suis ad Gallicanos Episcopos de Synodi successu litteris annexuit Sanctus Leo. Nempè Paschasinus fuerat illic Latinè locutus. Quare Marcus Antonius de Dominis asserens hunc titulum non exstare in Actis Synodalibus palàm hallucinatur. Et in Constantinopolitana Mennæ Patriarchæ Synodo Græcorum Archimandritæ suos ad Agapetum Pontificem libellos inscripserunt in hunc modum: *Domino nostro sanctissimo & beatissimo Archiepiscopo antiquæ Romæ, & Œcumenico Patriarchæ Agapeto*. Et sextæ cum Synodo Constantinus quartus Imperator: *Leoni* secundo, *sanctissimo & beatissimo Archiepiscopo veteris Romæ, & Œcumenico Papæ*. Quod ipsum in litteris ad Joannem Pontificem repetit Justinianus secundus. Et primitivæ Ecclesiæ Doctor Tertullianus in libro de pudicitia Romanum Antistitem vocat *Pontificem Maximum, & Episcopum Episcoporum*: Quod est idem cum Episcopo Universali. Fateor id per derisum ac ironiam dici ab homine tunc Montanista. Hinc interim authenticè lucet, quid de Romano Episcopo senserit antiqua Christianitas, & quomodo tunc illum titularit. Huc etiam spectat Sancti Cypriani ad errantem suam Synodum præfatio: *Neque quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit*. Notat Sanctum Stephanum Pontificem, tamquam tanto titulo & dignitate abusum. Et de Dei domo, in qua Timotheum rectè conversari docet prima Apostoli ad ipsum Epistola, scribit Ambrosiaster, seu Hilarus Romanæ Ecclesiæ Diaconus: *Domus Dei Ecclesia dicitur, cujus hodiè Rector*, utique universalis, *est Damasus*. Etiam Sigismundus, Burgundionum Rex, in scriptis per Sanctum Avitum Viennensem Archiepiscopum litteris Symmachum Papam vocat Præsulem Ecclesiæ universalis. Cardinalis Cusanus loquitur in sensu Sancti Gregorii: Aliud non vult, quàm quòd Romanus Papa non sit proprius & Cardinalis Episcopus omnium sub Cœlo Ecclesiarum.

C. 1.

Epist. 27.

Act. 3.

Act. 16.
Act. 4.

Act. 12.

Quæstio est, Quomodo Sanctus Gregorius Magnus & Sanctus Leo nonus affirment hunc titulum nec à Sancto Leone Magno, nec ab ullo ipsius Successore fuisse usurpatum? Etenim quinquagesima quarta Sancti Leonis Epistola habet hanc Epigraphen: *Leo Episcopus Romanæ & universalis Ecclesiæ Martiano Augusto*. Eandem habet sexagesima quinta. Sexagesima secunda habet hanc: *Leo Catholicæ Ecclesiæ Episcopus*. Et ipsius tituli acerrimus damnator Sanctus Gregorius titulavit se *Servum Servorum Dei*, utique Episcopalis Ministerii servitute: Quod quid est aliud, quàm esse Episcopum universalem? Et à Phoca Imperatore adversùs Cyriacum Constantinopolitanum Patriarcham, proximum Joannis Jejunatoris Successorem impetravit Bonifacius tertius, ut solus Romanus Episcopus diceretur Œcumenicus. *Bonifacius*, inquit liber Pontificalis, *obtinuit apud Phocam Principem, ut Sedes Apostolica Beati Petri Apostoli caput esset omnium Ecclesiarum, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat*. Non totius Ecclesiæ Primatum, sed Primatui huic debitum *Universalis Episcopi* titulum usurpabat sibi Constantinopolitanus Episcopus. Ipsum Phocas sacra jussione declaravit competere soli Episcopo Romano. Et cunctis post millesimum Domini annum Pontificibus hic titulus, *Catholicæ Ecclesiæ Episcopus*, cœpit esse familiaris. Quin & primorum sæculorum Pontifices ipsos fuisse hoc titulo, *Episcopus Episcoporum*, demonstrant adducta testimonia Tertulliani & Sancti Cypriani.

Respondeo adductas Epigraphas non esse San-

cti Leonis, sed à posterioribus seu Typographis seu Descriptoribus adscriptas. Non malè id in sua ad Franciscum Bonum Epistola ostendit Joannes Launojus. Quomodo Sanctus Leo titulum, quem ab ipso rejectum testatur constantissimè Magnus Gregorius, suis litteris apposuisset? Et de ipso ad Chalcedonense m Synodum
Act. 4. dixit ejus Legatus Sanctus Paschasinus: *Beatissimus atque Apostolicus universalis Ecclesiæ Papa urbis Romæ Leo.* Et cum ipso ejus Collegæ Lucentius Esculanus, & Julianus Episcopus Coensis: *Sanctissimus ac beatissimus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus urbis Romæ Leo.* Et in Romana sua Synodo Hilarus Pontifex scripsit de semetipso: *Hilarus Episcopus Ecclesiæ Catholicæ urbis Romæ.* Et in sua Synodo Fœlix tertius: *Fœlix Episcopus Ecclesiæ Catholicæ urbis Romæ.* Et Sanctus Gregorius Magnus: *Gregorius Episcopus Sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ.* Ejusmodi plura testimonia adducit memoratus Launojus. Existimat fuisse titulum omni tunc Episcopo communem. Hinc enim in litteris ad Anulinum Africæ Proconsulem Imperator Constantinus Carthaginensem Ecclesiam vocat *Ecclesiam Catholicam, cui Cæcilianus præest.* Et in litteris ad Alexandrinam Ecclesiam Nicæna Synodus laudat *Catholicas & Apostolicas Ecclesias, quæ sunt sub* Patriarcha *Alexandro.* Et in Carthaginensi Catholicorum cum Donatistis Collatione frequenter habes: *Aurelius, Fortunatianus, vel Augustinus Episcopus Catholicæ Ecclesiæ.* Utique quæ est Carthagine, vel in quavis alia civitate.

Quo titulo usi sunt etiam mediorum sæculorum Pontifices. Etenim Romanæ suæ Synodo, qua Anastasium Sancti Marcelli Cardinalem Presbyterum damnavit, Leo quartus subscripsit in hunc modum: *Leo sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ quartus Episcopus.* Et suæ adversùs Photium Synodo Adrianus secundus: *Adrianus Episcopus sanctæ Romanæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ.* Et Tricassinæ Synodo Joannes octavus: *Joannes Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, primæ Sedis, Episcopus.* Et antiqua Romani Pontificis professio habet: *Episcopus sanctæ Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ urbis Romæ.* Ita per mille annos Romani Pontifices semetipsos titularunt. At verò Joannes Monachus Besuensis in sui Cœnobii Chronico refert Stephano Abbati datum privilegium, cui Paschalis secundus ita
A. 1108. subscripsit: *Ego Paschalis Episcopus Catholicæ Ecclesiæ.* Et Berardus Casauriensis Monachus refert sui Cœnobii privilegium cum hac subscriptione Calixti secundi: *Calixtus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.* Et aliud cum eadem subscriptione Adriani quarti. Similes Eugenii tertii & Anastasii quarti subscriptiones habes in diplomatibus, quæ
L. 8. c. 27. ex Sarlatensis Ecclesiæ Archivo protulit, & ad Petri de Marca opus adjunxit Stephanus Baluzius. Quis ipsarum sit primus Auctor, & an is sit Gregorio septimo anterior, ignoro. Quidquid sit, eas legitimo jure posse fieri laudatus Gregorius hic definit.

Et meritò, ac rectè. Etenim licèt antiqui Pontifices numquam disertè voluerint semetipsos titulare universales Episcopos, frequentissimè tamen sine urbis aut Ecclesiæ addito titularunt se absolutè Episcopos. Quod quid est aliud quàm titulari Episcopum totius Ecclesiæ Catholicæ seu universalis? Fatetur id Marcus Antonius de Dominis: *Nostri jam Monarchico spiritu toti inflati* L. 4. c. 1. *Pontifices Romani in suis inscriptionibus nominari ampliùs noluerunt, sed vel se Catholicæ Ecclesiæ Episcopos inscripserunt, vel demum posteriores, adeoque semper deteriores, miro cum artificio, nec minoris superbiæ tipho, sub simplicioris & humilioris tituli specie se tantùm Episcopos vocaverunt, ut jam ordinaria Paparum inscriptio sit,* PAULUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI. *Episcopus nimirùm absolutè totius mundi; & non soli Romanæ Sedi alligatus, cui tamen prisci se alligatos esse & sciebant & profitebantur.* Romanæ, à qua tamen fuit ex infima populi fœce exaltatus, Ecclesiæ deprimendæ cupiditas hominem excæcavit. Etenim in sexta decima Chalcedonensis Synodi Actione, ubi Latinus Sanctum Leonem universalis Ecclesiæ Papam, Græcus textus absolutè titulat Ecclesiæ Papam. Et Romano suo Concilio Gregorius Magnus subscripsit: *Gregorius Dei gratia Episcopus.* Et Liberii Pontificis pleræque Epistolæ habent hanc Epigraphen: *Liberius Episcopus.* Eadem utuntur Damasus, Zozimus, Leo, & alii antiqui.

Prætereà, licèt universalis Episcopi titulum numquam sibi adscribere voluerint Romani olim Pontifices, ipsum tamen sibi ab aliis adscriptum nullus ipsorum, præter Magnum Gregorium, radi jussit aut circumduci. Adeò illud non jussit Magnus Leo, ut Chalcedonensis Synodi, cui istum titulum inseruerat Sanctus Paschasinus, de Dioscoro sententiam sine ulla rasura aut circumductione adnexuerit suis litteris ad Episcopos Gallicanos. Et Hormisdas Pontifex ab Imperatoris Justini Comite Pompejo passus est se titulari *Apostolicum Patrem & Archiepiscopum universalis Ecclesiæ.* Et *universi orbis terræ Patriarcham* à Monachis secundæ Syriæ. In Mennæ Patriarchæ Constantinopolitana Synodo sic titulari se permisit & Papa Agapetus. In sua item Romana Synodo Bonifacius secundus. Et Mauri Cesænatis Episcopi, quæ ipsum toto orbe Apostolicum & universalem Pontificem titulabant, litteras integrè legi in sua Lateranensi Synodo permisit Martinus primus. Etiam litteras, quibus Theodorum Papam ita titularat Sergius Patriarcha Constantinopolitanus. Obedientiæ libellus, quem in octava Synodo profiteri coacti fuerunt Photianæ factionis Episcopi & Clerici, fuit Romæ compositus: Et tamen in ipso Adrianus secundus titulatur *Summus Pontifex & Papa universalis.* Eundem Adrianum in laudatæ Synodi præfatione *universalem Episcopum* vocat Anastasius Cardinalis Bibliothecarius. Et in sexti Concilii subscriptionibus omnes tres Apostolici Legati dederunt sibi hunc titulum: *Locum gerens Agathonis beatissimi & universalis Papæ urbis Romæ.* Et in Pontigonensi Synodo Joannes Thuscanensis Episcopus: *Legatus Sanctæ Sedis Apostolicæ, & Domini Joannis Summi Pontificis, & universalis Papæ.* Et Sancti Benigni Divionensis Chronicon refert Diploma Sergii

Post Epist. 40. rel.

Post Epist. 21. rel.

Sergii primi, in quo hic quidem se titulat Pontificem Romanum, verùm Joannes Bibliothecarius adjungit: *Anno Pontificatus Domini Sergii, Papæ universalis decimo.* Nempè licèt usitandum numquam duxerint hunc titulum, jure tamen sibi deberi Romani Pontifices semper senserunt. Ita primis Ecclesiæ sæculis nullus se scripsit Episcopum Episcoporum aut Pontificem Maximum, quod tamen omnes essent ejusmodi, lucet ex adductis testimoniis Tertulliani ac Sancti Cypriani.

Quæstio est, An inter has inscriptiones, *Clemens Episcopus Catholicæ Ecclesiæ urbis Romæ*, & *Clemens Episcopus Catholicæ Ecclesiæ*, sit largum discrimen? Quidquid obloquatur Marcus Antonius de Dominis, respondeo non esse. Etenim hæ voces, *Urbis Romæ*, possint habere subintellectas hasce alias, quas in sua ad Trecensem Synodum subscriptione expressit Joannes octavus, *Primæ Sedis*, quæ utique est & universalis. Voces, *Urbis Romæ*, possint olim fuisse adjunctæ, non ad limitandum, sed ad ampliandum, hoc sensu: Episcopus Urbis Romæ, quæ Catholica seu universalis Ecclesia est, hoc est, Catholicæ Ecclesiæ Metropolis & caput universale. Lucet hoc ex disputatione Joannis Patriarchæ Constantinopolitani cum Innocentio tertio Pontifice, exhortante ipsum redire ad universalem Romanam Ecclesiam. Repositit Joannes: *Quod mihi in tuæ Sanctitatis Scripto non modicam superinduxit ambiguitatem, non abscondam. Nam & pro miro habeo, quomodo unam & universalem vocasti Romanam Ecclesiam, ut quasi divisam in species quasdam specialissimas.* Ad quæ Innocentius: *Ecclesia duabus de causis universalis vocatur. Dicitur universalis Ecclesia, quæ de universis constat Ecclesiis: Et secundùm hanc acceptionem vocabuli Ecclesia Romana non est universalis Ecclesia, sed pars universalis Ecclesiæ, prima videlicet & præcipua, veluti caput in corpore, quoniam in ea plenitudo potestatis exiitit, ad cæteras autem pars aliqua plenitudinis derivatur. Et dicitur universalis Ecclesia illa una, quæ sub se continet universas. Et secundùm hanc nominis rationem Romana tantùm Ecclesia universalis nuncupatur.* Eodem modo Episcopus Catholicæ Ecclesiæ urbis Romæ est idem quod Episcopus istius Cathedræ, quæ est Caput & Mater omnium Ecclesiarum. Proindè hæ inscriptiones, *Clemens Episcopus Catholicæ Ecclesiæ Urbis Romæ*, & *Aurelius Episcopus Catholicæ Ecclesiæ Urbis Carthaginis*, possint habere grande discrimen: Romæ enim ampliat, alterius urbis adjectum nomen humiliat Episcopi dignitatem.

Pro utraque & subscriptione & inscriptione multa testimonia conglomerat memoratus Joannes Launojus, priorem esse antiquam, posteriorem demonstrat novam, atque hinc infert tria. Primum est: *Ut ergò Petrus, ita & Romanus Episcopus Petri successor primum membrum sanctæ & universalis Ecclesiæ est, sed nihilominus membrum, semper in membris Ecclesiæ constitutus, atque eam ob causam Ecclesiæ, quæ Domini corpus est, necessariò postponendus.* Secundum est: *Hæc omnia eo spectant, ut qui N. ab anno Christi millesimo*

Fol. 14.

Christ. Lupi Oper. Tom. V.

se Catholicæ Ecclesiæ Episcopum vel inscripsit vel subscripsit, se Catholicè atque Apostolicè Romanæ Ecclesiæ, vel quod idem est, se Catholicè atque Apostolicæ Ecclesiæ urbis Romæ vel inscripsisse vel subscripsisse intelligas. Sic rectæ & plana erunt omnia, quæ Fol. 16. *obliqua & aspera suspicacis animi homines esse existimabant.* Tertium est: *Cæterùm si Cajetanus, si Bellarminus, si similes alii Curiæ Theologi novissent, qua ratione intelligenda sit inscriptio vel subscriptio, hanc à simplici & vero tot Romanorum Antistitum sensu ad novas & falsas opiniones non deflexissent, nec adeò leviter contra Sedis Apostolicæ traditionem dixissent Romanum Episcopum supra universam Ecclesiam esse.* Et pro his stabiliendis ad suprà laudatum, quo Dominicæ domus seu Ecclesiæ Rectorem suo tempore fuisse Damasum Pontificem dixit Ambrosiaster, testimonium apponit hoc Scholion: *Quasi vero qui Commentaria hæc subjecit Ambrosio, Damasi meminisse, aut librarius aliquis inserere commentariis*, Cujus hodiè Rector est Damasus, *non potuerit? Qua fraude majorem illis fidem conciliaret, & facilius imponeret lectoribus, ut re ipsa multis imposuit, & iis qui piè decipi volunt, adhuc imponet.*

Respondeo primum & tertium illatum coincidere. Porrò an Romanus Episcopus generali Concilio, & an extra ipsum subsit universali Ecclesiæ, sunt quæstiones plurimùm disparatæ. De prima Theologi moderni certant, & adhuc sub Judice lis est. Dico, *Moderni:* Constat enim Patres non certasse de hac re, sed pro Pontifice nec hæsitasse. Suo loco id ostendere conatus sum, & pluribus adhuc conabor. De secunda quæstione, dum adversùs Joannem Jejunatorem, Mauritium Augustum, & omnem Constantinopolitanam Ecclesiam toto mentis suæ impetu ob *Universalis Episcopi* titulum depugnaret Magnus Gregorius, scripsit ad Joannem Syracusæ Episcopum: *De Constantinopolitana Ec-* L. 7. Trid. *clesia quod dicunt, quis eam dubitet Sedi Apostolicæ* 2. Epist. *esse subjectam? Quod & piissimus Dominus Imperator, & Frater noster Joannes ejusdem Civitatis Episcopus assiduè profitentur.* Quod ipsum hodierna die profitetur Parisiensis, & alia quævis in Galliis Ecclesia; & Christianissimus Rex aliam professionem non sustineret. Nonne enim quòd Domini vinea sit commissa Romano Episcopo, supra audivimus profitentem Synodum Chalcedonensem? Cur non potiùs hanc & similes plurimas tam Synodorum quàm Patrum professiones ad spuria additamenta proscribit Launojus? Certè pari jure, quo in Ambrosiastrum, posset & in ipsas grassari. Aggreditur debile Romanæ Sedis propugnaculum. Ambrosiaster enim est Hilarus Romanæ Ecclesiæ olim sanctus & magnus, verùm posteà ad Luciferi Calaritani Episcopi schisma delapsus Diaconus, quem ab omnibus Episcopis ac Presbyteris desertum, quòd solus totam Ecclesiam rebaptizare vellet, Sanctus Hieronymus lepidè vocat orbis Deucalionem. Ejus tempore omninò sedit Damasus: Et homo, licèt schismaticus, Romanæ Cathedræ Majestatem nec voluit nec potuit obtenebrare. Quæ Christianæ aures ferant Romanum Episcopum non esse totius Ecclesiæ Rectorem?

rem? Nulla Ecclesia, nullus Episcopus, nullus Christianus possit à Sancti Petri Apostolatu esse exemptus. Circa secundùm illatum, ut quis priores cum posterioribus Pontifices inter se committat nulla est necessitas, nulla occasio, nullum periculum. Nam & in laudata Chalcedonensi Synodo Apostolici Legati magnum Leonem quandoque universalem seu universalis Ecclesiæ, quandoque Ecclesiæ, quandoque cum addito *Urbis Romæ*, titularunt Papam aut Episcopum: Et ubique idem senserunt. Diversa verba eundem habuere sensum. Hæc attendamus, & cogitationes nostras componamus.

In Epistola ad Fœlicem Philippæum Brossum Joannes Launoius resumit eandem thesim, & firmat duobus præsertim argumentis. Primum sunt Siricio Pontifici per Capuanam in Bonosi Macedonis Episcopi causa Synodum fixæ leges, & Jacobi Almaini longa de ipsis disceptatio adversùs Thomam Cardinalem Caietanum. Alterum fundamentum est hæc Augustiniani Enchyridii circa Apostolici Symboli ordinem regula: *Spiritus sanctus si creatura, non Creator esset, summa creatura esset, & ideò in Regula fidei non poneretur ante Ecclesiam, quia & ipse ad Ecclesiam pertineret in illa ejus parte, quæ in cœlis est.* C. 57. At verò in Parasceve, in Sabbatho sancto, in Litaniis, in Romano Missali, in cunctis generatim publicis precibus, necnon in formata per Pium quartum fidei professione, Ecclesia semper ponitur ante Pontificem: Atque ita lucet non hunc, sed illam esse majorem, atque præesse. Respondeo omnes nos orare pro Ecclesia & Romano Episcopo ad istum modum, quo veri Franci orant pro sua Republica. Prius orant pro Regno, deinde pro Domino suo Rege Christianissimo. Nec ideò Regem Regno subesse profitentur. Istiusmodi enim oratio esset illa, de qua scriptum est: *Et oratio ejus fiat in peccatum.* Et quidem in peccatum læsæ Majestatis. Nempè Regnum quandoque pro toto, quod membra & caput continet, corpore accipitur, quandoque pro solis contra caput condistinctis membris. Et hoc sensu dicitur totum Regnum Regi supplicare, servire, tributa pendere, ac etiam rebellare, adeoque non præesse, sed subesse. Verum dum pro ipso oramus Divinam Majestatem, absit ut excludamus Regem. Priori tunc sensu accipitur, ideoque & ante Regem bono jure celebratur. Eadem est ratio universalis Ecclesiæ ac Episcopi Romani. Capuanæ Synodi Decretum tangit quæstionem, an Romanorum Episcopus subsit generali Concilio: Non facit ad præsentem *Universalis Episcopi* titulum, ideoque est alibi elucidandum.

CANON III.

QUòd ille solus possit deponere Episcopos, vel reconciliare.

SCHOLION.

CAnon hic habere possit duos sensus. Primus est hic: Nullus possit Episcopos deponere aut reconciliare, nisi solus Papa. Alter est hic: Ad deponendos vel reconciliandos Episcopos Papa opus non habet assistentia Synodi, sed solus id potest. Hic sensus spectat ad Canonem vigesimum quintum, ideoque prior ad hunc præsentem. Quod cujusque Provinciæ Synodus potuerit olim Episcopos deponere ac reconciliare, & Canones docent, & universalis omnium Ecclesiarum consuetudo, & innumera exempla. Etenim quintus Nicænus Canon: *De his qui communione privantur, seu ex Clero, seu ex Laico ordine, ab Episcopis per unamquamque Provinciam, sententia Regularis obtineat, ut hi qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur*: Voces, *Ex Clero*, comprehendunt etiam Episcopos. Lucet ex Rescripto Innocenti primi Pontificis ad Victricium Episcopum Rothomagensem: *Si quæ causæ vel contentiones inter Clericos, tam superioris ordinis quàm etiam inferioris, fuerint exortæ, secundùm Nicænam Synodum congregatis ejusdem Provinciæ Episcopis jurgium terminetur. Si autem majores causæ in medium fuerint devolutæ, ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, & beata consuetudo exigit, post judicium Episcopale referatur.* C. 3. Sub laudatis Synodi vocibus non solùm inferiorem, sed etiam superiorem Clerum comprehendi palam asserit, definitivum etiam de ipso judicium adscribit Provinciæ Synodo, ac Apostolicæ Sedi aliud non defert quàm probandæ vel improbandæ definitionis relationem. Relationem hanc disertè non expressit Nicæna Synodus, ideoque Hincmarus Metropolita Remensis vult hic ab Innocentio non ipsam laudari, sed Synodum Sardicensem. Verùm sine fundamento. Hæc enim longè minus meminit istius Apostolici juris. Rectè addidit Pontifex: *Et beata consuetudo exigit.* Utique inducta per Apostolos, de qua sextus Nicænus Canon: *Suis privilegia serventur Ecclesiis.* Quæ tamen consuetudo apud omnes gentes videtur non fuisse in pleno semper usu. Africana enim Ecclesia non singulorum Episcoporum degradationes, sed solum communicantium catalogum suo tempore referebat per Primatem Carthaginensem. Ita lucet ex Epistolis Sancti Cypriani. Episcoporum degradationem à Provinciarum Synodis posse definiri, lucidè agnoscunt etiam Canones Sardicenses.

Nec solos Provinciales Episcopos degradaban t olim Synodi, sed & proprium Metropolitam. Quòd nempè Provinciæ Synodus sit Metropolita superior. Exempla possint adduci plurima. Ità fuit usque ad Romanam Damasi Pontificis Synodum, à Gratiano Imperatore confirmatam in hæc verba: *Volumus ut quicumque judicio Damasi, quod ille cum consilio quinque vel septem habuerit Episcoporum; vel eorum qui Catholici sunt, judicio vel concilio condemnatus fuerit, si injustè voluerit Ecclesiam retentare, ut qui evocatus ad Sacerdotale judicium per contumaciam non ivisset, aut ab Illustribus viris Præfectis Prætorio Galliæ atque Italiæ, sive à Proconsulibus vel Vicariis, auctoritate adhibita, ad Episcopale judicium remittatur, ut ad Urbem Romam sub prosecutione perveniat. Aut si in longinquioribus partibus alicujus ferocitas talis emerserit, omnis ejus causæ dictio ad Metropolitæ in eadem Provincia Episcopi deducatur examen. Vel si ipse Metropolitanus est, Romam necessariò, vel ad eos quos Romanus Episcopus Judices dederit, sine dilatione contendat.* Schismatica Ursicini nequitia Sanctum Damasum pessimis calumniis incrustarat, reddiderat suspectum de publicis criminibus, & pendente de ipsis judicio quasi suspensum ab executione Papalis officii, atque ita fecerat esse *neminem, qui de lapsis* ad Ursicinum, *aut* per ipsum *factiosis Episcopatus invasoribus posset judicare*. Romanæ Cathedræ Ursicinus irrogarat ferè istud ipsum, quod Alexandrinæ olim Meletius. Hinc illam ad Romanæ Synodi preces reparat Gratianus: Provinciales Episcopos Metropolitis permittit antiquo more, Metropolitas autem reservat soli Patriarchali judicio Romani Episcopi. Quæ constitutio fuit longè æquissima, ideoque ipsam de solo Romano statuentem extendit ad omnem Patriarcham ac Primatem Chalcedonensis Synodus, mandans Clericum apud proprium Episcopum, Episcopum apud Provinciæ Synodum, Metropolitam apud Diœceses Primatem accusari ac judicari. Loquitur de solis tribus Autocephalis Diœcesibus, Regiæ Civitatis Episcopo in ipsarum Metropolitas dans alternativam cum Primatibus potestatem, adeoque laudatum Patriarcharum jus videtur illic etiam anteà viguisse. Possit esse Canon Apostolicus. Quidquid sit, Sancti Damasi Constitutum respexit Sanctus Leo Magnus, Anastasium Thessalonicensem Episcopum, suum in Illyrico Vicarium, durè arguens quod Atticum Nicopolitanum Episcopum, veteris Epiri Metropolitam, in contumaciam degradasset: *Etiamsi tale aliquid mereretur Atticus, exspectandum tibi fuerat quid ad tua consulta rescriberemus.* Epist. 84. c. 1. Et infrà: *Etiamsi quid grave intolerandumque gessisset, nostra erat exspectanda censura, ut nihil prius ipse decerneres, quam quid nobis placeret agnoscere. Vices enim nostras ita tuæ credidimus Charitati, ut in partem sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.* Metropolitarum degradationes Sedi Apostolicæ affirmat reservatas adeò privativè, ut etiam à tanto ejusdem Sedis Vicario non possint attentari. Sardiniæ Metropolitam non nisi apud Sedem Apostolicam accusari posse, lucidè ad ejusdem Provinciæ Episcopos scribit etiam Gregorius magnus. Et longo isti ac magno Maximi Salonitani Metropolitæ judicio neminem nisi sese, etiam ad Mauritii Augusti Sacras jussiones aut preces, passus est misceri. Lib. 7. Indict. 2. Epist. 8.

Quæ tamen disciplina dudum non obtinuit in Hispania. Etenim Gregorium Emeritensem Metropolitam Innocentius primus judicari permisit à Synodo Toletana. Et Gothorum ibidem decima Synodus Potamium Braccarensem, sexta decima degradavit Sisbertum Metropolitam Toletanum. Et hinc Roderico Archiepiscopo Toletano, Ecclesiæ suæ data ab antiquis Pontificibus privilegia confirmari atque innovari postulanti, inter cætera rescripsit Innocentius tertius: *Personam tuam in manu nostra propensiori gratia retinentes, censemus ut solius Romani Pontificis judicio ejus causa, si qua fuerit, decidatur.* A se innovari dicit datas ab Urbano secundo & ejus successoribus gratias. Quia nempè usque ad Urbani tempora laudatum Damasi Constitutum non fuerat istic in usu. Epist. 22. c. 5. C. 8. L. 1. Epist. 5.

Idem mos viguit in Gallia. Etenim Hilarium Arelatensem Metropolitam, licèt Armentarium Ebredunensem & Chelidonium Vesontionensem Metropolitas degradasset, de laudati Constituti prævaricatione non arguit Sanctus Leo. Et Prætextatum Rothomagensem ac Ægidium Remensem Metropolitam fuisse à suis Synodis damnatos, habes apud Sanctum Gregorium Turonensem. Quod ipsum de Sancto Desiderio Viennensium Metropolita scribit Fredegarius. Lapsum cum extranea muliere Metropolitam à propriis Provincialibus judicari & deponi mandat tertia Synodus Aurelianensis. Adversùs quem morem reclamare primùs cœpit Remensium Metropolita Turpinus, Adriano primo conquerens Antecessorem suum Sanctum Rigobertum fuisse nuper sine Apostolicæ Sedis interrogatione & consensu dejectum, postulansque deinceps servari Canones. Et obtinuit Postulata. Verùm cum hac appendice & cauda: *Si Remensis Episcopus ad Sedem Romanam appellaverit in ipso judicio.* Ipsum vel à sua Synodo, vel à Romano Pontifice judicari reliquit ejus electioni, faciendæ ac declarandæ in ipso statim judicii ingressu. Hoc est, si dixerit & protestatus fuerit se velle non à Synodo, sed à Pontifice judicari. Adriani Pontificis Epistola exstat apud Flodoardum in historia Remensis Ecclesiæ. Et hinc Turpini post Wulfarium successor Ebbo fuit degradatus à Synodo: Quod nempè, uti in litteris apud Trecensem Synodum exstantibus scribit ad Nicolaum primum Pontificem Rex Carolus Calvus, consensisset in istud Tribunal, & Sedem Apostolicam non imploràsset. Addit tamen à Patre suo Ludovico Gregorium quartum rogatum fuisse judicii confirmationem, & vero similiter non dedisse. Quidquid sit, Sergius secundus ipsum habuit ratum. Et hinc sibi ac Successoribus suis plenè prospectum volens Ebbonis Succes- C. 4. L. 2. c. 24. 32. L. 2. c. 17.

sor Hincmarus, à Benedicto tertio ac Nicolao primo adversùs Lotharii Imperatoris inimicas machinas impetravit privilegium, quo nullus deinceps Remensis Archiepiscopus posset nisi per Apostolicam Sedem judicari. Et hinc ab Hugone Rege ob perduellionis crimen postulatus ad degradationem Metropolita Arnulphus nulli Synodo subesse aut adesse voluit, ideoque & per Regem & per Synodum fuit Sedi Apostolicæ permissus. Posteà consensit in arbitros, fuitque per ipsos degradatus; & omne tamen judicium exsufflavit Sylvester secundus. Quod nempè suo quidem valeat, verùm Apostolicæ Sedis juri reus Episcopus non possit renunciare. Exstant hæc latè in ista Remensi Synodo. Ejus privilegii adeò tenax fuit Manasses Archiepiscopus, ut etiam Hugonis Diensis Episcopi, Apostolici per Gallias Legati, judicio ac Synodo sisti recusaverit, asseverans se judicari non posse, nisi ab ipso Papa, aut certè Legato Romano, id est, Roma misso à latere Pontificis, & qui esset Episcopus aut Clericus Ecclesiæ Romanæ. Sed ipsum de excessu privilegii arguit Gregorius septimus. Ab Hincmari igitur
L. 6. Epist. 1. tempore omnes Gallicani Metropolitæ spectaverunt ad solum Romanæ Ecclesiæ judicium. Quod eorum negotia esse de majoribus Ecclesiæ causis admitteret tunc omnis Gallicana Synodus, habes ex litteris Nicolai primi. Quod ipsum lucidè profitetur Hincmarus. Et octava
Epist. 47. Epist. 17. Synodus statuit nullum deinceps Metropolitam judicari à vicinis Metropolitis, sed à solo Patriarcha. Vetustum Latinorum Canonem mandat deinceps ubique servari, atque extendit
C. 26. etiam ad Ecclesias Orientales.

Quocirca Apostolicus Canon solos Patriarchas & Autocephalos Primates vetuit sine Romani Episcopi prævio consensu degradari. Ad ipsum spectabat prima instantia. Quod enim Sanctum Dionysium Alexandrinum, suum Patriarcham de hæresi suspectum, Pentapolitani Episcopi Romam detulerint ad Dionysium Pontificem, disertè in opere de ejus sententia testatur Sanctus Athanasius. Et factionem Eusebianam, quod sine suo consensu in Tyria Synodo degradasset laudatum Athanasium, durè arguit Julius Pontifex, & exprimit causam: *Cur de Alexandrina Civitate nihil nobis scribere voluistis? An ignari estis hanc esse consuetudinem, ut primùm nobis scribatur, ut hinc quod justum est definiri possit?* Hoc esse dicit Sanctorum Petri & Pauli Institutum. Quod ipsum novit homo gentilis Ammianus Marcellinus, iteratam Sancti Athanasii à Mediolanensi Synodo damnationem referens, & adjun-
L. 15. C. 18. gens: *Constantius Imperator, Athanasio semper infestus, licet damnationis judicium sciret impletum, tamen auctoritate, qua potiuntur æternæ Urbis Episcopi, firmari, desiderio nitebatur ingenti.* Addit Liberium Papam ob negatum hunc consensum fuisse ejectum Sede & deportatum. Et Ephesina Synodus Joannem Patriarcham Antiochenum ac ejus factionem, quòd Sanctum Cyrillum Alexandriæ Patriarcham degradassent sine Apostolicæ Sedis consensu, communione privavit. Alexandrinum à solo Pontifice judicari posse affirmat in litteris ad Dardaniæ Episcopos Sanctus Gelasius primus. Quod ipsum confirmat in Epist. 13. Tractatu de Acaciano Schismate: *Numquam docebitur, numquam monstrabitur, numquam omninò probabitur Petri* Mogi Alexandrini Patriarchæ *purgationem fuisse legitimam, quæ non est competentibus regulis celebrata. Secundæ enim Sedis Antistitem nec expellere quisquam, nec revocare, sine primæ Sedis adsensu vel potuit vel debuit. Nisi fortè confuso jam ordine rerum atque turbato, nec prima, nec secunda, nec tertia debeat observari vel suscipi secundùm antiqua Statuta Majorum, & sublato capite, ut videmus, omnia membra vario inter se compugnent certamine, fiatque illud quod de populo scriptum est Israel*: In illo tempore non erat Dux in Israel. Unusquisque quod erat placitum in oculis suis faciebat. *Qua enim ratione vel consequentia aliis Sedibus defendendum est, si primæ beatissimi Petri Sedi antiqua & vetusta reverentia non defertur, per quam omnium Sacerdotum dignitas semper est roborata atque firmata, trecentorumque decem & octo Patrum invicto & singulari judicio vetustissimus judicatus est honor?* Et in Epistola ad omnes Orientales Episcopos: *Cum Acacius nullo privilegio fulciretur, ut de secunda Sede posset fere judicium, jure non potuit quemquam* ejus Episcopum *damnare. Simili modo, nisi primæ Sedis auctoritate percepta, nec examinandi Petri jus habuit, nec recipiendi penitùs potestatem.* Et iterùm: *Acacius, qui præsumpsit non servato ordine Petrum suscipere, nec examinatum eum, nec cognoscitur recepisse purgatum. Et ideò præter Sedis Apostolicæ notitiam, non legitimam ejus receptionem sibi usurpare voluisse. Sicut ante non priùs damnavit, quam & referret, & posceret Apostolica potestate damnandum; sic & in recipiendo modum servare debuisset, ut priusquam se ei communione misceret, per Sedem Apostolicam posceret examinari eum, & legitima ratione purgari, cùm nec examinandi aut recipiendi eum haberet ipse Pontificium, & non nisi per illius Sedis auctoritatem atque consensum hoc posset implere, sine cujus auctoritate non potuerat ipse damnare, & cujus principali diligentia & discuti potuit & purgari, & in communionem conveniente admitti.* Dum Timothei Æluri in Alexandrinam Cathedram intrusus successor Petrus pro Eutychete ac Dioscoro adversùs Chalcedonensem Synodum cieret turbas, Acacius Constantinopolitanus Episcopus strenuè exequebatur officium: Hinc illum juxta Apostolicos Canones ac perpetuum morem retulit Sedi Apostolicæ, ac postulavit per Simplicium Papam compesci, aut damnari. Norat omne de secunda Sede judicium spectare ad primam. At versatile ingenium non permisit ipsum esse constantem. Etenim posteà cum eodem Petro pacta iniit, quasi pœnitenti communionem reddidit ac Episcopatum, atque ità est horrendè prævaricatus. Quòd solvendi potestatem non haberet, altissimè clamabat prior ejus ad Simplicium facta relatio: Item perpetua Ecclesiæ consuetudo, antiquissima Statuta Majorum, ac ipsa Nicena Synodus, quæ sanxit sua privilegia servanda omnibus Ecclesiis, præsertim Romanæ. Gelasius addidit ex horum prævaricatione induci to-

totius Christianitatis confusionem atque acephaliam. Qui damnatum sine potestate solvit, non illum absolvit, sed ipsius sibi affricat scabiem. Et hanc pertinax Acacius in omnem sibi communicantem Orientem traduxit. Hæc est vera origo Acaciani Schismatis, quod tandem composuit Hormisda Pontifex, adjutus ab Imperatore Justino. Laudata Gelasii testimonia exstant apud Jacobum Sirmondum, post appendicem Codicis Theodosiani. Etiam Arcadio Augusto, Alexandrini Patriarchæ Theophili causam delegan-
Act. 4. ti, obedire noluit ex eadem regula Sanctus Joannes Chrysostomus, adfirmans id repugnare Nicænis Canonibus.

Et in Ephesina Synodo dixit Juvenalis Hierosolymæ Episcopus: *Mos est ex Apostolico ordine & traditione, ut Sedes Antiochena apud Apostolicam Sedem Magnæ Romæ judicetur.* Et de memorato Joannis excessu ad Cælestinum Pontificem scripsit ipsa plena Synodus: *Etiamsi Joannes degradationis sententiam justissimè legitimèque subivisset, Pietatis tuæ judicio hoc reservavimus.* Eum præsentium Apostolicorum Legatorum auctoritate excommunicavit, verùm sine speciali Pontificis mandato non fuit ausa degradare. Etiam Paulini, Meletii, Evagrii ac Flaviani de Antiocheno Patriarchatu litem sola semper judicavit Romana Sedes. Et quotquot accusarunt Dioscorum Alexandriæ Patriarcham, accusarunt apud Sanctum Leonem. Eidem Episcopum suum Constantinopolitanum, Patriarchæ jure tunc utentem, Sanctum Flavianum detulit Hæresiarcha Eutyches. Ejus item Successor Anatolius, ipsiusque illegitima promotio non habuit alium Judicem. Plura sunt hujusmodi exempla.

Objici possit Pauli Samosatensis Patriarchæ Antiocheni degradatio, sine prævio Romanæ Sedis consensu facta per Synodum Antiochenam, quæ peractum suum judicium dumtaxat retulit Dionysio Pontifici, uti lucet ex Synodalibus litteris exstantibus in Ecclesiastica historia Eusebii Cæsareensis. Quin & Episcopum suum Cosmam, ac Severianum Arethusæ Antistitem, quod sine Synodo soli Severum ejusdem Antiochiæ Patriarcham abdicaverint, & abdicationis libellum ipsi solemniter miserint, laudat Evag-
L. 3. C. 34. grius Epiphanensis. Respondeo cum laudatis Synodalibus litteris, manifestam lapsi ac relapsi Pauli hæresim ac scandalosissimos mores exponentibus, & concludentibus: *Istum igitur tam Deo adversarium, tamque contumacem, eramus coacti Ecclesia & congregatione fidelium interdicere, atque excludere, & alium Episcopum in ejus locum substituere.* Aiunt manifestam Pauli hæresim non sustinuisse moras prævia relationis. Aliud fundamentum in Agrippinensi Synodo, adversùs ejusdem civitatis Metropolitam Euphratem pronuncians, adducit Valerianus Episcopus Antisiodorensis: *Etsi non omnes Conseniores convenissemus, sufficerat à quinque Episcopis Euphratem blasphemum pro meritis suis sententiari eodem jure esse depositum.* Et ad Romanam suam, à generali octava probatam, Synodum dixit Adrianus secundus: *Propter solam hæresim licitum est minoribus Majorum suorum motibus resistere, vel pravos sensus liberè respuere.* Hæreticus Act. 7. proprio judicio se damnat, & lata in ipsum Synodi sententia declarat potiùs quàm definit, ideoque & à plena Synodo, ac etiam à paribus, imò & ab inferioribus inferri potest in Superiorem.

Suffraganeos igitur Episcopos judicare ac degradare Provinciales Synodi usque ad octavum Domini sæculum omninò potuerunt. In Gallia tunc ac Germania per Francos, in Hispania per Saracenos, in Italia ac Illyrico per Longobardos & Græcos admodum vexata ac depressa erat Apostolicæ Sedis Majestas, & omnis Ecclesiastica jurisdictio, ideoque ad ipsas sublevandas nescio quis pius fidelis finxit sub antiquorum Romanorum Pontificum nomine decretales istas epistolas, quas passim vocamus Collectionem Isidori Mercatoris. Hic enim ipsas cum aliis mercibus ex Hispania deportavit in Gallias, Riculphus post Sanctum Bonifacium tertius Moguntinus Archiepiscopus lectas & probatas sparsit per omnem Franciam, admisitque etiam Ecclesia Romana. Ex eis enim plura, Angilramno Metensi Episcopo data, capitula desumpsit Adrianus primus, & nominatim tertium, quod mandat nullum Episcopum super quibuslibet criminibus citari aut judicari, nisi in Synodo convocata per Apostolicam auctoritatem. Easdem acerrimè defendit, ac in praxim redegit Nicolaus primus, sine prævio suo consensu nullum, licet Sedem Romanam non appellaret, deponi deinceps permittens Episcopum, ideoque graviter invectus in Hincmarum Metropolitam Remensem, qui ex vetusta Synodorum auctoritate degradarat Rothaldum Episcopum Suessionensem. Episcoporum degradationem asseruit esse de majoribus Ecclesiæ causis, ideoque juxta vetustam Ecclesiæ legem non posse sine prævia ad Sedem Romanam relatione attentari. Ad minores causas usque tunc spectasse reposuit Hincmarus, modicè æstimavit dictas Epistolas, & Metropoliticam suam in degradandis Episcopis potestatem cum pluribus in Gallia Collegis strenuè defendit. Verùm sibi ipsi non constitit. Etenim in scriptis ex tertiæ Suessionensis Synodi nomine litteris apud laudatum Pontificem accusat Britonum Episcopos tamquam Barbaros & semi-Christianos, quod non solùm sine Synodo, sed & sine Apostolicæ Sedis notitia Episcopos exauctorarent. Alii item Francorum Episcopi non erant concordes. Etenim Hincmari nepos Hincmarus Laudunensis Episcopus dictas epistolas constanter defendebat uti legitimas & authenticas, coegitque suum patruum ad omnia adversùm ipsas dicta & gesta in Trecensi Synodo coram Joanne octavo Pontifice solemniter recantanda. Ita habes in historia Remensis Ecclesiæ apud Flodoardum.

Ex illo tempore ad majores Ecclesiæ causas spectare cœpit Episcopi degradatio, & quivis etiam in Gallia Episcopus adeò non potuit deponi sine prævio Pontificis consensu, ut ad Henricum primum Francorum Regem, qui Hæresiarcham Berengarium ac ejus manifestum sectato-

ctatorem Brunonem Andegavenſem Epiſcopum volebat degradatos à Regni ſui Synodo, ſcripſerit Theoduinus Epiſcopus Leodienſis: *Deſperamus id fieri poſſe, cùm Bruno exiſtat Epiſcopus. Epiſcopum autem non oportet damnationis ſubire ſententiam præter Apoſtolicam auctoritatem.* Et infrà: *Majeſtatem veſtram omnes exoratam vellemus, ut interim illorum impiam, ſacrilegam & nefariam aſſertionem audire contemneretis, donec accepta Romanæ Sedis audientia damnandi poteſtatem haberetis.* Nec ob hæreſim Epiſcopus ſine prævio Pontificis conſenſu poterat tunc damnari. Et ad Poloniæ Archiepiſcopum, cujus Anteceſſor Epiſcopum ſine tali conſenſu damnaverat, ſcripſit Epiſt. 6. Paſchalis ſecundus: *Quibus hoc Canonibus, quibus Conciliis legitur eſſe permiſſum?* Quam Regulam frequenter ſupponit etiam Sanctus Ivo Epiſcopus Carnutenſis. Et ad Gerardum Engoliſmenſem Epiſcopum, Sedis Apoſtolicæ in Aquitania Legatum, ſcribit Goffredus Abbas Vindocinenſis: *Quod me præſente etiam coram Laicis prædicaſtis, vos videlicet Epiſcopos deponendi habere poteſtatem, novum genus præſumptionis putavimus, quia nulla ratione Legatis Apoſtolicæ Sedis conceditur, quod ad ſolius Romani Pontificis pertinet dignitatem. Sed ſita eſt, ut à vobis publicè prædicatum agnoſcitur, quaſi alterum Papam vos faciſtis. Nos tamen credebamus Mediocritatem veſtram* L. 1. Ep. ſt. 21. *habere legationem Sedis Apoſtolicæ, non Apoſtolicam Sedem eſſe, & à Domino Papa partem ſuſcepiſſe ſollicitudinis, quam ſolummodo cæteri Legati ſuſcipiunt, non plenitudinem exercere poteſtatis.* Et hocce Sedis ſuæ privilegium Gregorius ſeptimus hic confirmat. Innocentius tertius, quem *audacem juriſperitum* vocat Matthæus Pariſienſis, in litteris ad Decanum & Capitulum Andegavenſe, exſtantibus apud Gregorium nonum, dixit longè amplius: *Non humana, ſed potiùs Divina poteſtate conjugium ſpirituale diſſolvitur, cùm per translationem, depoſitionem, aut ceſſionem, auctoritate Romani Pontificis, quem conſtat eſſe Vicarium* L. 1. Tit. 7. c. 2. *JESU Chriſti, Epiſcopus ab Eccleſia removetur. Et ideò tria hæc, quæ præmiſimus, non tam conſtitutione Canonica, quàm inſtitutione Divina, ſoli ſunt Romano Pontifici reſervata.* Utitur argumento à carnali, quod non niſi per Deum ſolvi poteſt, conjugio ad ſpirituale.

Quæſtio eſt, An Nicolai primi Pontificis Decretum fuerit alienum à Canonibus antiquis? Quidquid aliqui dicant in oppoſitum, reſpondeo non fuiſſe. Quidam probant ex cauſa Marciani Arelatenſis Epiſcopi, qui adversùs Sanctorum Pontificum Cornelii & Lucii de lapſis poſt legitimam pœnitentiam recipiendis Decreta pertinax adhæſit duritiæ Novatianenſi, plurimos pœnitentes ſine pacis ac reconciliationis viatico permiſit excedere, omnem inquietavit Galliam, ideoque à Fauſtino Lugdunenſium Metropolita motus Sanctus Cyprianus ſcripſit ad Sanctum Ste- Epiſt. 67. phanum Papam: *Dirigantur in Provinciam, & ad plebem Arelatæ conſiſtentem à te litteræ, quibus abſtento Martiano alius in locum ejus ſubſtituatur, & grex Chriſti, qui in hodiernum ab illo diſſipatus & vulneratus contemnitur, colligatur.* Cur ipſum non degradavit, ſed degradandum à Pontifice poſtulavit Provinciæ Synodus? Reſpondent aliqui, quoniam ſine Pontificis conſenſu non poterat. Verùm ratio non eſt firma. Quod enim tunc & Hiſpani, & Afri, & Galli in ſuis Synodis ſine prævia ad Pontificem relatione degradarent Epiſcopos, lucet ex variis epiſtolis ejuſdem Cypriani. Martiani igitur cauſa erat dubia: Similis cauſæ iſtorum Epiſcoporum in Africa, à quibus Zephyrini Pontificis de recipiendis mœchis Decretum uſque ad ſua tempora non fuiſſe receptum, ſed etiam in fine negatum Sacramentalis Reconciliationis Viaticum teſtatur idem Cyprianus in litteris ad Epiſcopum Antonianum. Quod non ex negatæ poteſtatis errore, ſed ex retinendæ diſciplinæ zelo refutarent Decretum, non erant Hæretici aut Eccleſiæ turbatores, ideoque nec ipſos Cyprianus attentavit damnare. Nam etiam poſt Nicænum, qui omni penitus peccato impartiri juſſit extremum Reconciliationis Viaticum, Canonem multi hinc indè Epiſcopi in priori duritia perſeverarunt. Eadem de cauſa Martianum damnare non auſi ſunt Galliarum Epiſcopi, ſed quod turbulentè agens excederet modum, per Sanctum Cyprianum, Corneliani Decreti acerrimum defenſorem, ſupplicarunt damnari ab Eccleſia Romana. Et hinc ad adducta Sancti Cypriani verba rectè ſcribit Nicolaus Rigaltius: *Licuiſſe jam olim Pontificibus Romanis Epiſcopos juſtis de cauſis excommunicare, imò deſtituere, & novos in eorum locum ſubſtituere, perſpicuum facit hoc loco Cyprianus de Gallis. Quod mirum in modum auctoritatem commendat & Primatum.*

Quocirca meam aſſertionem probo ex Innocentii primi Pontificis ad Alexandrum Antiochiæ Patriarcham litteris, aſſeverantibus nullum etiam Provincialem Epiſcopum à quovis Metropolita poſſe ſine prævia ad Patriarcham relatione, & obtenta ipſius confirmatione conſecrari. Quod jus omnibus tribus Patriarchis commune eſt, ac indubiè ab Apoſtolis inſtitutum. Epiſt. 18. c. 2. At verò per eaſdem cauſas quævis res & fit & deſtruitur, ideoque ſicut Epiſcopus ſine Patriarchæ prævio aſſenſu creari non poteſt, ita nec degradari. Et hinc intelliges Canonem vigeſimum ſextum octavæ Synodi: *Epiſcopos* appellantes *concurrere ad Patriarchale caput decernimus, qui à Metropolitis ſuis*, damnationis ſententiam *ſe pertuliſſe fatentur. Inſuper etiam nullo modo quiſquis Metropolitanorum vel Epiſcoporum à vicinis Metropolitis, vel Epiſcopis Provinciæ ſuæ judicetur, ſed à ſolo Patriarcha.* Degradatos à Metropolitis Epiſcopos mandat ad Patriarcham appellare, & eoſdem à ſuæ Provinciæ Synodo damnari vetat Canon, adeoque videtur in ſemetipſum pugnare. Verum non pugnat. Prior enim pars de degradatis uſque tunc Epiſcopis, poſterior agit de deinceps degradandis. Permiſſam uſque tunc Synodis in Epiſcopos poteſtatem revocat, & Patriarchis confirmat iſtud jus, quod nuper ſibi adjudicarat Nicolaus primus. Romanus Patriarchatus vaſtiſſimas habet Dioeceſes, ideoque ſicut liberam Epiſcoporum ſine ſua prævia confirmatione conſecrationem, ita & liberam ipſorum

rum ſine prævia ad ſe relatione degradationem Metropolitis dudum permiſerunt Romani Pontifices: Quod ipſum indulſerant & alii Patriarchæ. Et hoc reformarunt ac poteſtatem iſtam Patriarchis reſervarunt Nicolaus primus & octava Synodus. Quod enim de Metropolitis ſibi reſervavit Sanctus Damaſus, de Provincialibus etiam Epiſcopis reſervare potuit Pontifex Nicolaus.

CANON IV.

QUod Papæ Legatus omnibus Epiſcopis præſit in Conciliis, etiam inferioris gradus, & adversùs eos ſententiam depoſitionis poſſit dare.

SCHOLION.

ITa ſervatum fuit in omni ſemper generali Synodo. Etenim Nicænæ Synodo Romanos Presbyteros adfuiſſe teſtatur Julius Pontifex in litteris ad factionem Euſebianam. Adfuiſſe Romani Epiſcopi Directos, atque ab ipſis confectum Concilium, ſcribit in publicatis nuper à Domino Luca Holſtenio litteris ad Orientalem Eccleſiam Sancti Damaſi Pontificis Synodus Romana. Et de Hoſio Cordubenſi Epiſcopo habet in ſua ad Conſtantium Imperatorem Apologia Magnus Athanaſius: *In qua Synodo non ille Dux & Anteſignanus fuit? Quem non ille recta tuendo in ſententiam ſuam pertraxit? Quæ Eccleſia non illius præſidentiæ pulcherrima monumenta retinet?* Et in Epiſtola ad Solitarios: *Hic Princeps eſt Synodorum, & ſi quid ſcribit, ubique auditur. Hic formulam fidei in Nicæna Synodo concepit, & Arianos ubique pro Hæreticis traduxit.* Et in Eccleſiaſtica hiſtoria Sulpitius Severus: *Nicæna Synodus auctore Hoſio confecta habetur.* In ſuis notis Georgius Hornius per vocem, *Auctore*, ſuaſum dumtaxat & conſilium importari exiſtimat, & hac in Synodo Hoſium non egiſſe aliud præ aliis Epiſcopis, quàm quod Imperatori Conſtantino fuerit impulſor ipſius indicendæ. Romanæ Legationis præſidentiam homo Calvinianus ita conatur evacuare. Nempè à Romana Republica ad Eccleſiaſticam Hierarchiam translatæ vocis non capit virtutem, de qua in libro Apologetico Tertullianus: *Vetus erat* apud Romanos *Decretum, ne quis Deus ab Imperatore conſecraretur, niſi à Senatu probatus. Tiberius ergò, cujus temporibus nomen Chriſtianum in ſæculum intravit, adnunciatum ſibi ex Syria Palæſtina detulit ad Senatum cum prærogativa ſuffragii ſui. Senatus, quia non ipſe probaverat, reſpuit.* Relatio erat rei per Senatum tractandæ & ſanciendæ propoſitio, ſuffragii prærogativa fuit primum cum Auguſta auctoritate ſuffragium: Ægrè tulit Senatus ipſum à Tiberio in re excepta uſurpari. Poſtmodum tamen illud in omni Senatusconſulto Imperator habuit, ideoque hocce fieri dicebatur ipſo auctore. Imò & tertiæ, & quartæ, & quintæ relationis jus ſibi poſteà aſſumpſit, id eſt, poteſtatem quatuor vel quinque negotia, & quidem cum ſuffragii prærogativa proponendi. *Magno aſſenſu*, inquit in Annalium libris Cornelius Tacitus, *celebrata* Pœti Thraſeæ *ſententia, non tamen Senatuſconſultum fieri potuit, abnuentibus Conſulibus ea de re relatum. Mox auctore Principe ſanxerunt.* Nempè rem juſtam Princeps cum ſuffragii prærogativa mox retulit, atque ita fuit auctor Senatuſconſulti. Pergit in alio loco idem Scriptor: *Confidius Æquus & Cælius Curſor, Equi-* L. 15. c. 38. *tes Romani, auctore Principe & Decreto Senatus puniti.* Eodem ibi ſenſu ſcribit Pompejum *Conſulem legum ſuarum & auctorem fuiſſe & ſubverſorem.* Et de ſeipſo Conſule dixit in Oratione pro Cornelio Balbo Marcus Tullius: *Harum ego ſen-* L. 3. c. 37. *tentiarum Princeps & auctor fui.* Et de Antonino Auguſto Ulpianus: *Oratione habita, auctor fuit Senatui cenſendi.* Conſulibus primum com- C. 8. petiit ſuprema hæc poteſtas, & poſtmodo ab illis ad Principem tranſiit, aut certè utriſque manſit communis. Quidquid ſit, eandem in generalibus Synodis habuit Romanus Epiſcopus, ideoque ad Sanctum Leonem Magnum de convocandis ex toto orbe ad Chalcedonenſem Synodum Patribus ſcripſit Pulcheria Auguſta: *De Catholica confeſſione*, & lapſis in Epheſino latrocinio Epiſcopi, *ſicut fides & Chriſtiana pietas exigit, te auctore decernant.* Exponit in ſuis ad eundem litteris Imperator Martianus: *Sicut Sanctitas tua* L. 1. Epiſt. 35. *ſecundùm Eccleſiaſticas Regulas definiverit*, ſeu cum ſui ſuffragii prærogativa atque auctoritate propoſuerit, *ſua diſpoſitione declarent*, ſeu ſuo etiam ſuffragio confirment. Hinc pergit in alia Epiſt. 34. Epiſtola: *Per celebrandam Synodum te auctore.* Hinc item Epheſino Latrocinio non Sanctum Leonem Pontificem, ſed Dioſcorum Alexan- Epiſt. 33. driæ Patriarcham cum relationis & ſuffragii prærogativa præſidere volens Theodoſius Auguſtus, ita ad hunc ſcripſit: *Auctoritatem & Primatum tuæ præbemus Beatitudini.* Eodem modo loquitur Sulpitius Severus, vultque Hoſium non ſuaſorem fuiſſe Nicæni Concilii, ſed Præſidem. Quæ omnia inſigniter intellexit, & in Catholica

ca sua concordantia expoſuit Nicolaus Cardinalis Cuſanus. Hoſio adjuncti fuerunt Vincentius & Viton Romanæ Eccleſiæ Presbyteri. Et hoc in adductis locis omninò laudant Julius ac Damaſus Pontifices. Et hac de cauſa ante omnes Patriarchas & alios Primates Epiſcopos ſubſcripſerunt Synodo, adeoque & ante ipſos ſederunt. Eodem modo actum fuiſſe in Sardicenſi, Epheſina, Chalcedonenſi, ac omni legitima generali Synodo, eſt ſuis locis abundè oſtenſum. Et hac de re nullus umquam dubitavit germanè Catholicus, neque pro ipſa videtur Gregorius ſeptimus hunc Canonem dictaſſe.

Dictavit pro Apoſtolicorum Legatorum in Provincialibus Synodis Præſidentia, de qua Lambertus Schafnaburgenſis: *Epiſcopus Hoſtienſis, Epiſcopus Prænęſtinus, Epiſcopus Curienſis, & Epiſcopus Cumenſis miſſi ſunt à Romano Pontifice,* utique Gregorio ſeptimo, *componere vacillantem ſtatum Galliarum. Itaque petierunt verbis Romani*
A. 1274. *Pontificis, ut Synodum tenere intra Gallias Epiſcoporum pace ſinerentur. Vehementer hoc abnuerunt omnes Epiſcopi, tamquam inuſitatum & à ſuis rationibus longè alienum, nec ſe hujus auctoritatis privilegium ulli alii, præterquam ipſi Romano Pontifici, umquam delaturos affirmarunt.* Et adversùs Lietmarum Bremenſem Archiepiſcopum ſcribit ipſe Gregorius: *Legatos noſtros pro viribus impediſti. Ad hæc, ut Concilium fieret, prohibuiſti.* Quod ipſum in aliis litteris graviter queritur de Galliarum Metropolitis, recuſantibus comparere ad Synodos Hugonis Dienſis Epiſcopi, ſui ibidem Legati. Et tunc crimen hoc fucare conatus Manaſſes Remenſis Archiepiſcopus inter aſſumptos è Gallia & inter Roma miſſos à Pontificis latere Legatos diſtinxit, aſſerens ſe juxta antiquum Eccleſiæ ſuæ privilegium poſſe ab hiſce ſolis judicari. Apud
L. 2. c. 28. Petrum Bibliothecarium in noſtri Gregorii vita dictus Lietmarus allegat Apoſtolicas vices & ſibi & Moguntino Epiſcopo *fuiſſe antiquis privilegiis conceſſas*, ideoque neutri ullum Legatum poſſe præeſſe. Nempè ejus Anteceſſori Adelberto iſtas vices dederat Alexander ſecundus. Et exceptio habuit aliquid coloris. Hinc enim repoſuere Legati vices iſtas per concedentis mortem expiraſſe. Etiam tali colore orbatos Saxoniæ Epiſcopos noluiſſe comparere ad Legati Apoſtolici Altheimenſem ſub Conrardi primi Imperio cele-
Part. 5. c. 162. bratam Synodum, lucet ex ejus fragmentis in Decreto Sancti Ivonis Epiſcopi Carnutenſis. Et à Joanne Cardinali, Honorii ſecundi Legato, quòd in Weſtmonaſterienſi Synodo Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & totius Regni Nobilibus præſideret, fuiſſe graviter offenſam omnem Angliam, in Cantuarienſium Pontificum Actis teſtatur Gervaſius ejuſdem Eccleſiæ Monachus. Adduci poſſint plura iſtiuſmodi exempla. Rationem dat in Apologeticis adversùs Paſchalis ſecundi excommunicationem litteris Clerus Leodienſis: *Illos Legatos à latere Romani Epiſcopi exeuntes, & ad ditanda marſupia diſcurrentes, omninò refutamus, ſicut temporibus Zozymi, Cæleſtini, Bonifacii, Concilia Africana probaverunt.* Ajunt ſe cum ſuo Metropolita facere Synodos, & Romam nequidem referre, *niſi graviora negotia de quibus non invenitur in Scripturis ſanctis auctoritas.*

In Sacerdotii ac Imperii concordantia conſonat Pariſienſium Archiepiſcopus Dominus Petrus de Marca, ad Brunichildis Reginæ, quæ Regni Synodo præfuturos Legatos poſtularat à Sancto Gregorio Magno, factum hæc ſcribens: L. 6. c. 31. *Extraordinarium erat in Politia Eccleſiaſtica mitti in Provincias Legatum, qui Conciliis Provinciarum intereſſet, quemadmodum ad Cæleſtinum Papam ſcribit Concilium Africanum.* Nam ut aliqui tamquam à Sanctitatis tuæ latere mittantur, nulla invenimus Patrum Synodo conſtitutum. *Unde concludunt non toleraturam diutius Africam Fauſtini Epiſcopi Sedis Apoſtolicæ Legati præſentiam. De illo enim intelligi debet hic locus, non autem de Apiario, ut cenſuit illuſtriſſimus Cardinalis Peronius. Afrorum Epiſcopi de Fauſtino addiderunt: Securi ſumus, quod eum, probitate & moderatione Sanctitatis tuæ, ſalva fraternitate, ulterius Africa minimè patietur.* Hinc Dominus Archiepiſcopus Apoſtolicorum Legatorum in Provinciarum Synodis Præſidentiam dicit ad appellatas degradatorum Epiſcoporum cauſas retractandas eſſe introductam à Sardicenſi Synodo, ideoque ab hanc ignorantibus Afrorum Epiſcopis fuiſſe in Synodalibus ad Zozymum, Bonifacium & Cæleſtinum Romanos Pontifices litteris refutatam. Et adjungit: *Africanorum Regula certa manet, niſi ſi caſus evenerit in Sardicenſi Concilio notatus. Unde ſequitur neceſſarium eſſe, ut ſi ea tempora incidant, ut neceſſe ſit hanc diſciplinæ Canonicæ Regulam tranſgredi, ſuprema protectionis Canonum auctoritas, quæ penes Reges eſt, conveniat cum ſuprema executionis auctoritate, quæ ad Summos Pontifices pertinet. Atque adeò Legatos non poſſe mitti in Provincias, niſi Principes conſentiant ob cauſam aliquam, quæ ad ſtatum Eccleſiæ Gallicanæ pertineret.*

Adversùs omnem hanc doctrinam dictavit præſentem Canonem Gregorius ſeptimus. Et jure meritò. Etenim ad Flavium Philagrium & alios Imperii Præfectos ſcribunt Regionis Mareoticæ Clerici: *Colluthο, non vero, ſed imaginario Epiſcopo, in generali Concilio ab Hoſio & à cæteris Epiſcopis juſſum fuit, ut ſe pro Presbytero haberet.* Et in litteris ad Synodum Alexandrinam: *Colluthus, cum Epiſcopi ſibi titulum vendicaſſet, in Alexandrina Synodo in præſentia Patris noſtri Hoſii depoſitus eſt.* Ecce non in ſola univerſali, Nicæna, ſed etiam in Nationali Ægyptiacæ Diœceſeos, non ad appellatam degradati Epiſcopi cauſam retractandam, ſed ad Arii, Meletii & Colluthi Hæreſes & factiones componendas adunata Synodo Hoſius Cordubenſis Epiſcopus, Sylveſtri Pontificis Legatus, tamquam Pater præſedit dudum ante Concilium Sardicenſe. Et datæ Theſſalonicenſi Epiſcopo per Illyrici Diœceſim Apoſtolicæ vices quid aliud fuerunt quam Apoſtolica Legatio? Ei tamen ad quaſvis cauſas fuit data Synodi poteſtas à Sancto Damaſo & ejus Succeſſoribus, quos abſit ut ſuſpicemur fuiſſe Canonum prævaricatores. Eadem poteſtas intra Gallias fuit Vicario Arelatenſi. Et Regina Brunichildis, quandò Gallicanæ Synodo Præſidem poſtulavit à latere Sancti Gregorii, nequaquam

poſtulavit

poſtulavit Canonum prævaricationem. Etiam Hilarium Monachum, qui Afrorum præſideret Synodis, legavit idem Gregorius. Et quis nobis & Francis omnibus lapſam reparavit fidem & diſciplinam, niſi Sanctus Bonifacius Legatus Romanus? Eum quippè tunc nullius ſedis fuiſſe Cardinalem Epiſcopum fatetur etiam Hincmarus. Francofordienſi item Synodo Apoſtolica Legatio præſedit. Et Sancti Agobardi Lugdunenſis Archiepiſcopi antiqua eſt in libro de diſpenſatione querela: *Sunt qui Gallicanos Canones, aut aliarum*
Cap. 20. *Regionum putent non eſſe recipiendos, eo quod Legati Romani in eorum conſtitutione non interfuerint.* Legatorum in Provinciarum Synodis Præſidentia tanti tunc erat ponderis, ut ſine ipſa factis quidam condendorum Canonum abrogarent poteſtatem. Nec ſine fundamentis. Et Canonum peritiſſimus Agobardus ipſam Canonibus adverſari adeò nec dixit nec cogitavit, ut aliud non conetur quam oſtendere etiam ſine ipſa fieri, licet non tantæ auctoritatis, legitimas tamen Synodos. Etiam ſub Carolo Calvo & Lothario Regibus, ipſorumque è Caroli Magni ſanguine Succeſſoribus ſemper viguit Synodalis Legatorum Præſidentia: Tempus deficeret volentem ſingulas Synodos enumerare.

Et Afrorum Epiſcoporum apud memoratos Romanos Pontifices interceſſio non facit ad rem. Nec enim adversùs Legatorum in ſuis Synodis Præſidentiam, ſed adversùm inferioris ſui Cleri Romanas appellationes interceſſerunt. Africanæ Eccleſiæ Clerus inferior ex vetuſto gentis more Romam appellare numquam potuit, ſed ſui Provincialis, aut certè Carthaginenſis Primatis Synodali judicio debuit acquieſcere, & ſemper acquievit, uſque ad Apiarium Siccenſis in Mauritania Eccleſiæ Presbyterum, qui ab Epiſcopi ſui Urbani degradatoria ſententia non ad hunc aut iſtum Primatem, ſed ad Zozymum appellavit Pontificem, Romam acceſſit, fuitque per ipſum gradui reſtitutus. Hanc novitatem graviter impugnarunt Africani Epiſcopi, ideoque Fauſtinus Potentinus Epiſcopus cum Agellio & Philippo Presbyteris ad ipſos à Zozymo legatus eſt, demonſtraturus Apiarii & appellationem & reſtitutionem fuiſſe factam juxta Nicænos Canones. Verùm non Nicænos, ſed Sardicenſes detulit Canones, quos quia ignorabant Afri, de Romanæ Eccleſiæ privilegio multa cum ipſis altercatus eſt, & in quibuſdam offendit. Acceſſit & alia, quam in litteris
Epiſt. 261. ad Cæleſtinum Pontificem deplorat Sanctus Auguſtinus, offenſio commiſſa in reſtitutione Antonii Epiſcopi Fuſſalenſis. Hinc & Nicænorum Canonum litteræ pertinaciter adhærentes Afri Romanas ſuorum etiam Epiſcoporum appellationes ſuſpenderunt, Fauſtinum Legatum averſati ſunt, & à laudato Cæleſtino ſupplicarunt in Italiam revocari. Nec iſtos à Papali latere Legatos, qui Romanas appellationes retractarent in Provinciis, dixerunt laudari à Nicæna Synodo, ideoque ab ipſorum moleſtiis ſe deinceps contra perpetuum gentis morem non gravandos. Non ergo quoſcumque Legatos, ſed illos dumtaxat qui Romanas inferiores præſertim Cleri appellationes vellent traducere in Africam, Afri Epiſcopi refutarunt. Et quidem peſſimè. Verùm longa eſt hæc quæſtio, ſuo loco enodanda. Etiam Regius conſenſus non facit ad propoſitum. Si enim Legatorum in Synodis præſidentia adverſetur Canonibus, quomodo Laici Principis Placitum valeat hanc ſcabiem defricare?

Objici poſſint varia. Etenim Claudianus & Vitus Presbyteri, & Eugenius atque Cyprianus Diaconi, à Sylveſtro Pontifice Legati ad primam Arelatenſem Synodum, nequaquam præſederunt, ſed ſederunt inter Italiæ Epiſcopos. Primum locum habuit Chreſtus Epiſcopus Syracuſæ. Et Synodi Sardicenſis ſubſcriptio ſic habet: *Hoſius ab Hiſpania, Julius Romæ per Archidamum & Philoxenum Presbyteros.* Hoſius à quibuſdam exiſtimatur per ſacram Conſtantii & Conſtantis Auguſtorum juſſionem præſediſſe. Nam & per ſimilem junioris Theodoſii juſſionem Dioſcorus Alexandriæ Epiſcopus præſedit Epheſino Latrocinio. Et hinc Hilarus Romanæ Eccleſiæ Diaconus, ac Sancti Leonis Pontificis Legatus, ultimo iſtic poſt omnes Epiſcopos loco ſedit & ſubſcripſit. Et in Epheſino Concilio, licet Arcadius Epiſcopus ac Sedis Apoſtolicæ Legatus ſederit ac ſubſcripſerit proximè poſt Sanctum Cyrillum, ejus tamen Collega Projectus Epiſcopus poſt Juvenalem Hieroſolymitanum, Philippus autem Presbyter ſedit ac ſubſcripſit etiam poſt Flavianum Epiſcopum Philippenſem. Julianus item Coenſis Epiſcopus, laudati Leonis Legatus, in Chalcedonenſi Synodo ſedit inter alios Epiſcopos, & quidem cum hoc titulo: *Julianus Civitatis Coenſis Epiſcopus, tenens & ipſe locum Apoſtolicæ Sedis ſenioris Romæ Leonis.* Et iterum: *Julianus minimus Epiſcopus, Legatus Sedis Apoſtolicæ.* Et ſexta Synodus habet has ſubſcriptiones: *Joannes Epiſcopus Theſſalonicenſis, & Apoſtolicæ Sedis Romæ Legatus. Joannes Epiſcopus Portuenſis, Legatus totius Concilii ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Urbis Romæ. Stephanus Epiſcopus Corinthi, & Legatus Apoſtolicæ Sedis antiquæ Romæ.* Eodem modo ſubſcripſit Joannes Rhegienſis Epiſcopus. Omnes in ordine Epiſcoporum. Et in ipſa ſexta Carthaginenſi Synodo præſedit ac primus loqui cœpit, non Fauſtinus Zozymi Legatus, ſed Aurelius Primas Carthaginenſis. Et Synodo Pontigonenſi Joannes Aretinus Epiſcopus, ac Sedis Apoſtolicæ Legatus, ſubſcripſit poſt Anſegiſum Metropolitam Senonenſem. Et talia exempla habemus plura.

Reſpondeo Sedem Apoſtolicam hic non uti jure ſingulari. Lucet ex ſeptimo Canone Trullano: *Statuimus ut Diaconus, etiamſi in quovis officio ſit Eccleſiaſtico, ante Presbyterum non ſedeat, præterquam ſi proprii Patriarchæ vel Metropolitæ vicem gerens adſit in alia civitate ſuper aliquo capite. Tunc enim ut locum illius implens honorabitur.* Et ita in omni ſemper generali Synodo fuit ſervatum. Etenim in Chalcedonenſi Synodo Quintillus Heracleæ in Illyrico Provincialis Epiſcopus adſedit proximus Juvenali Hieroſolymitano ante Cæſarienſem Ponticæ Diœceſeos Primatem, quod teneret locum Anaſtaſii Archiepiſcopi Theſſalonicenſis. Lucianus Byzæ

in

in Europa Episcopus adsedit Stephano Ephesino, utpotè Vicarius Cyriaci Primatis sui Heracleensis. Et Meletius Lariſſæ in ſecunda Syria Provincialis Epiſcopus ſedit inter Metropolitas, quia Metropolitæ ſui Domni Legatus. Iſtiuſmodi plura exempla habes in quinto Concilio. In ſexta Synodo Petrus Eccleſiæ Alexandrinæ Presbyter, & Georgius Presbyter Hieroſolymitanus ſederunt in loco ſuorum Patriarcharum. Et quidem Georgius non ipſius Patriarchæ, ſed dumtaxat Theodori Presbyteri, qui hujus ſervabat locum, vices gerebat. Erat ſolummodò Subdelegatus. Etiam in Chalcedonenſi Synodo Euſebius & Conſtantinus Presbyteri ſederunt inter Metropolitas, quod eſſent Legati & Tenentes locum Anaſtaſii ſui Metropolitæ Nicæni. Item Photius Diaconus, agens vices Theoctiſti, in ſecunda Galatia Metropolitæ Peſſinuntis. Plura ejuſmodi exempla reperies in Synodo ſeptima & octava. Et Socrate ac Hermia Zozomeno teſtibus Imperator Conſtantius idem fieri juſſit in Synodo Seleucienſi. Scio Baſſulam, Capreoli Carthaginenſis Archiepiſcopi Legatum, Epheſi ſedisſe poſt omnes Epiſcopos: Quod nempè non Locumtenens, ſed merus eſſet excuſatoriarum litterarum Bajulus. Ita laudatus Capreolus in hiſce litteris diſertè teſtatur. Etiam Ferrariæ Gregorium Monachum, Alexandrini Patriarchæ Legatum, ante Epheſiorum Metropolitam Marcum, licet Legatum Patriarchæ Antiocheni, ſediſſe ac ſedere debuiſſe affirmat in Florentinæ Synodi Hiſtoria Sylveſter Sguropulus.

Lib. 4. cap. 32. Lib. 5. cap. 15.

Quem morem fuiſſe ſervatum etiam in Provincialibus ac Patriarchalibus Romanæ Eccleſiæ Synodis, lucet ex Adriani ſecundi contra Photium Synodo: Ibi enim Joannes Diaconus, Urbinatis Epiſcopi Legatus, ſedit inter Epiſcopos. Quod & Græci ſervaverint, oſtendunt Synodales, exſtantes apud Socratem, Meletii Patriarchæ Antiocheni litteræ ad Jovianum Auguſtum. Et omni ſemper Provinciali, ad novum Epiſcopum eligendum adunatæ, Synodo præſidere Metropolitæ Legatum Carthophylacem ſcribit in libro de ſacris Ordinationibus Simeon Archiepiſcopus Theſſalonicenſis. Cur hocce privilegium Simeon, Trullano Canoni contrarius, adferat ſoli Charthophylaci, edicit in Canonum Epitome ac in dicti Canonis Scholio Conſtantinus Harmenopulus: *Sciendum, ſoli majoris Eccleſiæ Carthophylaci conceſſum eſſe, tum ex longa conſuetudine, tum Scripto juſſu Imperatoris Domini Michaelis, ut in exteris Synodis etiam ante Pontifices ſedeat.* Quod ipſum in Meditato de Carthophylacis ac magni Defenſoris officio ſcribit Theodorus Balſamon, adducitque & auream Bullam, qua Imperator Alexius Comnenus iſtam prærogativam Carthophylaci adversùs quorumdam Epiſcoporum murmura confirmavit. In Canonicis ad Marcum Alexandriæ Patriarcham Reſponſis addit Abbatis Legatum Monachum, licèt dumtaxat Lectorem, in aliis Cœnobiis etiam locandum ante Presbyteros.

Lib. 3. cap. 21.

Tit. 4.

Qu. 62.

Aliud tamen ſervavit Gallicana Eccleſia. Etenim Rejenſi Concilio Vincentius Presbyter, Conſtantini Epiſcopi Legatus, ſedit ultimo loco & ſubſcripſit. Idem fecit Superventor, Claudii Epiſcopi Legatus, in prima Synodo Arauſicana. In Synodo Agathenſi Leo Diaconus, licet Veri Turonenſis Archiepiſcopi Legatus, ſedit & ſubſcripſit non ſolum poſt varios Epiſcoporum Legatos Presbyteros, ſed etiam poſt Optimum Diaconum, Legatum Leonici Provincialis dumtaxat Epiſcopi Gabalenſis. Quòd nempè Optimus eſſet conſecratione ſenior. Gallicana Eccleſia Presbyteris ac Diaconis Legatis non ex legantium Epiſcoporum dignitate, ſed ex ipſorum ordinationis tempore dabat in Synodis locum. Hinc omnes Diaconi omnibus Presbyteris ſemper poſtponebantur. Ita factum fuit in ſecunda Lugdunenſi Synodo. Præponebantur tamen Titularibus, ſeu Sedem & populum non habentibus Epiſcopis. Ita vides ex ſubſcriptionibus ſecundæ Synodi Matiſconenſis. Eadem lege etiam Hiſpaniam vixiſſe docent ſubſcriptiones quarti Concilii Toletani. Addit Synodus Emeritenſis: *A tergo Epiſcoporum inter Presbyteros ſedeat*. Utique Legatus Diaconus. Non ergò cum Epiſcopis, ſed retro ipſos inter Eccleſiæ illius, in qua agebatur Synodus, Presbyteros. Haud dubiè juxta ætatem ſuæ ordinationis. Diaconos coram Epiſcopo, aut inter Presbyteros ſedere, rigidè vetat antiquus Patrum Canon, ideoque magnus ipſis erat iſte honor. Hinc illum incongruum judicans laudata Synodus ſtatuit, ut nullus deinceps Diaconus, ſed ſolus Archipresbyter, aut ipſo impedito quis inſignior Presbyter ab impeditis Epiſcopis ad Synodos legaretur. Quæ omnia numquam ligarunt Legatos Eccleſiæ Romanæ. Nam Claudianum & Vitum Presbyteros, ac Eugenium & Cyriacum Diaconos, Sylveſtri Pontificis Legatos, ad conſedendum inter Epiſcopos admiſit prima Synodus Arelatenſis.

Et hinc redit objectum ſupra argumentum, cur iſti Synodo non præſederint? Reſpondeo id factum ex diſſimulatione & conniventia Sancti Sylveſtri. Etenim ad Anteceſſoris ſui Melchiadis de Donato in Caſis nigris & Cæciliano Carthaginenſi Epiſcopo, à quo Donatiſtæ provocarant, retractandum judicium indicta & adunata fuit iſta Synodus, ideoque Legatos ſuos, ne per potentiam videretur in appellantes agere, paſſus eſt Pontifex non præſidere. Quòd ipſis deberetur præſidentia, docent Synodus Sardicenſis, Epheſina, & Chalcedonenſis: Ad retractandam Euſebianorum, Neſtorii, ac Eutychetis à Papali judicio provocationem adunatæ Apoſtolicos Legatos permiſerunt ſibi præſidere. Et hic eſt lapſus Epheſini Latrocinii. Ab Eutyche per Chryſaphium Eunuchum circumſcriptus Imperator Theodoſius, dicti Eutychetis ita provocatam cauſam retractaturæ Synodo non Romanos Legatos, ſed Dioſcorum Alexandriæ Patriarcham, ſecundæ in tota Eccleſia Sedis Epiſcopum, juſſit præſidere. Legati erant Julius Puteolanus Epiſcopus, Renatus Presbyter, ac Hilarus Diaconus, quorum primum ob Sedis Apoſtolicæ reverentiam ſibi proximum aſſidere juſſit Dioſcorus, duos alios poſtpoſuit omnibus Epiſcopis. Epiſcoporum enim Legatos Presbyteros ac Diaconos Epiſcopis non permiſcuit, ſed juxta gradus

ſui ordinem & ordinationis ætatem ſedere fecit, quomodo jam conſuetum dixit apud Gallos atque Hiſpanos. Ita laudatus Hilarus, vir Dioſcoro ob Apoſtolici pectoris conſtantiam metuendus, retruſus eſt in ultimum locum. Quòd quare contra perpetuam generalium Synodorum, & totius Orientalis Eccleſiæ Regulam & conſuetudinem attentarit homo Ægyptius, nolim hic examinare. Quidquid cauſæ fuerit, rectè ſcribit in Breviario Liberatus Carthaginenſis Eccleſiæ Archidiaconus: *Eccleſiæ Romanæ Diaconi, vices habentes Papæ Leonis, aſſidere paſſi non ſunt, eo quòd non fuerit data præſeſſio ſanctæ Sedi eorum.* Et infrà: *Omnibus, quæ ſunt geſta, contradixerunt.* Et in ipſo ſtatim Chalcedonenſis Synodi ingreſſu proclamavit Apoſtolica Legatio: *Dioſcorus, cùm judicandi* ſeu præſidendi *perſonam non haberet, præſumpſit & Synodum auſus eſt facere ſine auctoritate*, ſeu præſidentia *Sedis Apoſtolicæ; quod numquam licuit, numquam factum eſt.* Quod dictum omnis Synodus comprobavit.

Cap. 12.

Hoſium Julii Pontificis vice præſediſſe Sardicenſi Synodo, abundè eſt ſuo loco oſtenſum. Neque refert quòd in ſubſcriptione non fecerit ſuæ Legationis memoriam. Etenim etiam Sanctus Cyrillus Alexandriæ Patriarcha, licet Sancti Cæleſtini Pontificis Legatus, Epheſino Concilio hunc ſimplicem in modum ſubſcripſit: *Cyrillus Epiſcopus Alexandriæ*. Etiam Flavianus Philippenſium Metropolita, licet Rufi Theſſalonicenſis Archiepiſcopi & totius Illyricianæ Diœceſeos Legatus, ſimpliciter ſubſcripſit: *Flavianus Epiſcopus Philippenſium*. Verum in ſui exordio longè aliter habent Acta Synodalia: *Cyrillus Alexandriæ Epiſcopus, qui & Cæleſtini quoque, ſanctiſſimi & ſacratiſſimi Romanæ Eccleſiæ Archiepiſcopi, locum obtinebat. Flavianus Philippenſium Epiſcopus, qui Rufi quoque Reverendiſſimi Theſſalonicenſium Epiſcopi locum gerebat.* Ante Synodi ingreſſum Legati legationis ſuæ debebant exhibere litteras, poteſtatis ſuæ amplitudinem, modum ac limitem oſtendere, itemque titulum ex quo hunc vel iſtum occuparent locum. Hinc in primo conſeſſu legationem ſuam ſemper exprimebant. Verùm non ita ſemper in finali ſubſcriptione. Præſertim Legati Epiſcopi. Quod enim ſuo jure ſpectarent ad Synodum, admiſſum jam & notorium Legati titulum quandoque omittebant. At verò Presbyteri aut Diaconi Legati, quòd ſolùm Epiſcoporum ſit Synodus, legationem ſuam, ex qua ſola ſedere & ſuffragari inter Epiſcopos poterant, debuerunt ſemper exprimere. Præterea Papalem legationem ab Hoſio ſubſcribente fuiſſe omiſſam, nullo modo conſtat. Sardicenſis quippè Synodi plena acta perierunt, & ſola ipſorum compendia habemus à Sancto Athanaſio, cui ſuffecit meram ſuæ iſtic peractæ cauſæ ſubſtantiam retuliſſe.

Arcadius & Projectus Epiſcopi, & Philippus Presbyter, non ad omnia Epheſinæ Synodi deinceps agenda, ſed ad ſolam Joannis Antiocheni cum Cyrillo Alexandriæ Patriarcha, Apoſtolicæ Sedis tenente vices, qui ſeſe mutuo degradarant atque ita turbarant omnia, quæſtionem cognoſcendam & judicandam fuerant à Cæleſtino Pontifice Legati. Omni huic judicio præſederunt. Porrò ab attentato per Joannem convitio abſolutum Cyrillum non tantùm in Epiſcopatus, ſed etiam in Apoſtolicæ legationis ac Synodalis præſidentiæ repoſuerunt gradum, atque ita illi locum ceſſerunt, ſeſſuri inter ſui Ordinis Collegas. Notanda eſt Synodalis per Eutychem Diaconum ad Imperatorem Theodoſium tranſmiſſa relatio: *Cæleſtinus ſanctiſſimus magnæ Romæ Epiſcopus miſit litteras per Arcadium & Projectum ſanctiſſimos Epiſcopos, & Philippum Religioſiſſimum Presbyterum magnæ Romæ, qui Cæleſtini ſanctiſſimi Epiſcopi præſentiam ſupplent. Quia ergo viri illi, qui venerunt, totius Occidentalis ſanctæ Synodi ſententiam noſtræ huic ſanctæ Synodo per litteras expoſuerunt, &c.* Habuerunt legationem duplicem: Et Cæleſtini Pontificis, & totius Patriarchalis Romanæ Synodi. Primæ præſidentia, ſecundæ legationi debebatur locus honoratior. Hinc poſt illam depoſitam Arcadius Cyrillo, Projectus Juvenali, Philippus Flaviano aſſedit proximus ante omnes Metropolitas ac Autocephalos Primates. Poſterior enim legatio erat firma uſque ad Synodi finem. Ex quo lucet fallì, qui duplicem hanc Romanæ legationis ſpeciem exiſtimant uſque ad ſextum Concilium fuiſſe ignotam. Ad ſextam tamen Synodum Sanctus Papa Agatho eas non ſolo officio, ſed etiam perſonis diſtinxit: Suæ perſonæ Theodoro ac Georgio Presbyteris ac Joanni Diacono, ſuæ autem Synodi vices dedit Joanni Portuenſi, Baſilio Gortynenſi, Abundantio Tempſano, ac Joanni Rhegienſi Epiſcopis, qui proindè non primum, ſed honoratiorem dumtaxat locum meritò habuerunt. Porrò Joannes Theſſalonicenſis Epiſcopus non ad Synodum, ſed per Illyrici Diœceſim fuit Apoſtolicæ Sedis Legatus ſeu Vicarius. Etiam Stephanus Corinthi Epiſcopus, Metropolita Achajæ. Hic enim Theſſalonicenſi parere recuſans, Apoſtolicas vices habebat in ſua Provincia, aut ſibi arrogabat. Tanti ſemper ponderis apud Primates etiam Epiſcopos fuerunt Romanæ vices.

Cur Legationis ſuæ cauſa Julianus Coenſis Epiſcopus Chalcedonenſi Synodo non præſederit cum aliis Legatis, edicit Sanctus Leo Magnus in litteris ad Imperatricem Pulcheriam: *Fratri & Coepiſcopo meo Juliano ſollicitudinem meam in cauſa fidei delegavi.* Et in litteris ad ipſum Julianum: *Speculari de Conſtantinopolitanæ urbis opportunitate non deſinas.* Audi rationem: *Quia in Anatolio Epiſcopo Conſtantinopolitano Catholicus vigor non eſt.* Non ergò ad Synodum, ſed ad ſolam in Orientali, Conſtantinopolitana præſertim, Eccleſia per Neſtorium ac Eutychetem vulneratæ fidei cuſtodiam, & de ipſa faciendas Pontifici relationes erat Legatus, ideoque ad præſidentiam aut præcedentiam nihil habebat juris. Eadem eſt ratio Fauſtini Potentini Epiſcopi in Synodo Carthaginenſi: Non ad præſidendum aut celebrandam Synodum, ſed ad Apiarii Presbyteri factam à Pontifice reſtitutionem exſequendam, & Afris demonſtrandum Romanæ appellationis jus erat Legatus, ideoque non præſedit. Anſegiſus Senonum Metropolita à Joanne

Ep. 56.

octavo factus erat per omnem Galliam ac Germaniam Apostolicus Vicarius, & quasi alter Papa: Hinc Joannes Aretinus Episcopus ei cessit locum. Et videtur solius Romanæ Synodi fuisse Legatus. Quidquid sit, ejus Collega Joannes Tuscanensis Episcopus sedit ante Ansegisum.

Apostolicorum, Provincialibus aut etiam Diœcesanis Synodis præsidentium, Legatorum auctoritatem exponit in litteris ad Anastasium Thessalonicæ Episcopum, ac suum in Illyrico Vicarium, Sanctus Leo Magnus: *Si in eo quod cum fratribus tractandum definiendumque crediderit, diversa eorum fuerit à tua voluntate sententia, ad nos omnia sub gestorum testificatione referantur, ut remotis ambiguitatibus, quod Deo placeat, decernatur.* Unicum Legati suffragium totius Synodi æquivalebat suffragio, atque ita suffragiorum numero numquam poterat vinci. Omnis tunc quæstio referebatur ad Papam, ejus arbitrio decidenda. Hinc quibus tantum auctoritatis dederat tantus Pontifex, deponendorum etiam Episcoporum potestatem alii Pontifices, & quidem post Nicolai primi tempora, frequenter dederunt. Etenim de Gregorio nostro septimo, adhuc Hildebrando Romanæ Ecclesiæ dumtaxat Subdiacono, ad Nicolaum secundum Pontificem scribit Sanctus Petrus Damiani: *A Victore Papa Apocrisarius in Gallias destinatus Hildebrandus Synodum congregavit, in qua sex Episcopos ex Apostolicæ Sedis auctoritate deposuit.* Et ab ipso Gregorio Legatos, qui omnes simoniacè promotos Episcopos degradarent, fuisse in Germaniam destinatos testatur Lambertus Schafnaburgensis. Etiam Stigandum Cantuariensem Archiepiscopum in Vintoniensi Synodo fuisse ab Alexandri secundi Legatis degradatum, habes apud Rogerum Hovedensem. Et in Mariani Scoti Appendice habet Abbas Dodechinus: *Halberstadiensis Episcopus, à suis Romæ iniquè accusatus, à Legato Papæ deponitur. Henricus Virdunensis Episcopus à Matthæo Albanensi, Legato Apostolico, deponitur.* Plurima sunt ejusmodi exempla. Hunc ergo summam potestatem Legatis, licet Episcopi non sint, legitimè committi, præsenti Dictatu Gregorius confirmat. Debebat esse speciale mandatum. Gerardum enim Engolismensem Episcopum, quod solo suæ Legationis citra tale mandatum titulo dejiceret Episcopos, suprà audivimus graviter redargui à Goffredo Abbate Vindocinensi. Etiam Cremonensem Episcopum, & Archiepiscopum Moguntinum, Sedis suæ Legatos, quod sine tali mandato, licet ob notoria crimina, illud ipsum fecissent, arguit Innocentius tertius.

Ep. 84. c. 11.

L. 1. Ep. 9.

A. 1074.

L. 3. Epist. 137. 214.

CANON V.

QUòd absentes Papa possit deponere.

SCHOLION.

AUitam Ecclesiasticæ accusationis, cognitionis, ac judicii Regulam edicit in Sancti Athanasii ad Monachos Epistola Synodus Mediolanensis, Imperatori Constantio per Augustam auctoritatem dicenti, *Ego sum Athanasii accusator, meo nomine credite*, respondens: *Quonam modo accusator esse possis non præsente reo? Esto ut accusator sis, absentia tamen rei facit, ut in causa judicare non liceat. Non enim de re Romana judicium est, quo tibi ut Imperatori fides habeatur, sed de Episcopo agitur, & in hoc judicio oportet pari jure cum reo & accusatore agi. Quomodo autem accusabis eum, qui ob longinquitatem loci adesse non potuit? Quod si quæ objicis, ex auditu habes, æquum est ut iis, quę pro se dicit Athanasius, fidem quoque habeas.* Eidem Principi respondit in eadem Synodo etiam Liberius Pontifex: *Judicia Ecclesiastica summa cum æquitate fieri debent. Quare, si placet Pietati tuæ, judicium constitui jube, & si condemnationem commeruisse videbitur Athanasius, tum in illum juxta Ecclesiastici ordinis formam sententia proferetur. Alexandriam convenientes omnes, ubi & accusatus & accusatores sunt, & defensor eorum, examinata causa sententiam proferamus.* Etiam Sanctus Ivo Carnutensis Episcopus Decreto suo inseruit hanc Regulam: *Nullus absens accusari potest aut accusare.* Et quarta Carthaginensis Synodus statuit: *Caveant Judices Ecclesię, ne absente reo, cujus causa ventilatur, sententiam proferant, quia irrita erit. Imò & causam in Synodo profectò dabunt.* Et Joanni Defensori, ad peractum de Januario Malacitano Episcopo judicium inquirendum proficiscenti in Hispanias, mandavit Magnus Gregorius: *Quærendum est, si partibus præsentibus sententia recitata est. Quod si fortè hæc solemniter acta non sunt, in Ecclesiam suam Januarius modis omnibus revocetur.* Quòd nempè irrita sit istiusmodi sententia. Absentem, nisi ex contumacia, Episcopum judicari criminaliter non permittunt etiam Capitula, quæ Angilramno Metensi Episcopo dedit Adrianus primus. Etiam novellus Bonifacii octavi Canon habet: *Sententia, quam à Judice Litigatoribus non recitari contingit, nullius penitus est momenti.* Et hæc est una è rationibus, ob quas

Par. 6. c. 328.

C. 30.

L. 11. Epist. 52.

C. 5.

L. 2. Tit. 14. c. 5.

quas plurimi olim censuerunt defunctum in Catholica pace Episcopum non posse damnari post mortem: Quod neque exordio accusandus, neque litis termino accusatus possit adesse. Hisce ergo Canonibus non ligari Romanum Pontificem dictat Gregorius septimus. Eujus mentem exponit apud Gregorium nonum Innocentius tertius: *In causis, quæ Summi Pontificis judicio deciduntur, & ordo juris & vigor æquitatis est subtiliter observandus, cùm in similibus casibus cæteri teneantur similiter judicare, nisi fortè cùm aliquid, causa necessitatis & utilitatis inspecta, dispensativè duxerit statuendum.* Deformata ac turbulenta Gregorii nostri tempora, ac in ipsis grassantia Episcoporum pessima vitia postulabant in adductis Canonibus frequenter dispensari.

L. 2. Tit. 27. c. 29.

CANON VI.

QUòd cum excommunicatis à Papa, inter cætera, nec in eadem domo debemus manere.

SCHOLION.

ADversùs Andronicum Beronicensem, Pentapolitanæ Provinciæ Tyrannum potiùs quàm Præfectum, à se ac sua Ecclesia excommunicatum, ad omnes Ægyptiacæ Diœcesis Antistites scribit Sanctus Synesius, Ptolomaidis Episcopus, ac præfatæ Provinciæ Metroplita: *Si quisquam velut exiguæ Urbis Ecclesiam nostram contempserit, & ab eadem damnatos receperit, quasi pauperi parere nihil necesse sit, noverit sciissam à se Ecclesiam esse, quam esse unam vult Christus. Atque hic, sive Levita, sive Sacerdos sit, sive Episcopus, apud nos eodem, atque Andronicus, loco censebitur.* Ex Apostolico enim per Nicænam Synodum stabilito Canone inflicta per quemvis Episcopum excommunicatio tanquam lepra adhæret aut pessimi contagii scabies: Quisquis excommunicato communicat, eodem mox vinculo est innodatus. Tanta est etiam pauperrimi Episcopi, aut minimæ Ecclesiæ virtus, adeoque longè validior est Cathedra Romana. Pergit Sanctus Synesius: *Privatos omnes & Magistratus hortor, ut nec ejusdem cum Andronico tecti participes esse velint.* Et prima Toletana Synodus statuit: *Si quis Laicus abstinetur, ad hunc vel ejus domum nullus vel Clericorum vel Religiosorum accedat.* Et Romanis fidelibus, ne errantis Cypriani Legatos Episcopos sub sua tecta admitterent, à Sancto Stephano Papa fuisse mandatum scribit Sanctus Firmilianus in Cappadocia Archiepiscopus Cæsariensis. Et Sigbertum, piissimum Anglorum Regem, in excommunicati Comitis domo, quam contra excommunicantis Episcopi vetitum intraverat, Divinitus fuisse permissum trucidari à germanis fratribus, affirmat in Ecclesiastica Anglorum historia Venerabilis Beda. Et in suo Capitulari sanxit Beatus Theodulphus Aurelianensis Episcopus: *Excommunicatum nullus in suam domum recipiat.* Et de Luitardo Papiensi Episcopo, ejusque civibus scribit in Nicolai primi Pontificis vita Anastasius Bibliothecarius: *Cùm audissent, quòd* civitatem ingressus Joannes Ravennæ *Archiepiscopus esset à Summo Pontifice excommunicatus, in tanta se custodiæ circumspectione dedederunt, ut nec in suis domibus eum reciperent, nec hominibus ejus paterentur aliquid venumdari, ne per tale commercium saltem locutionis eorum viderentur esse participes, ac per hoc excommunicationis notam incurrerent.* Excommunicatam Bosonis uxorem Ingeltrudem nullo intra omne Lotharienſe Regnum hospitio donari præcepit rigidissimè laudatus Papa Nicolaus. Et de excommunicato Francorum Rege Roberto scribit ad Desiderium Abbatem Cassinensem Sanctus Petrus Damiani: *Sacerdotalis Edicti tantus omnem undique populum terror invasit, ut ab ejus societate universi recederent, nec præter duos sibi ad necessarii victus obsequium remanerent, qui tamen & ipsi omnia vasa, in quibus Rex edebat vel bibebat, percepto cibo abominabilia judicantes, pabulum ignibus exhibebant.* Reliqui ad sustendandam Regis vitam judicarunt se superfluos, ideoque nec idem cum ipso tectum retinere præsumpserunt. Et de excommunicato Comite Gaufredo habet Gervasius Monachus Cantuarienſis: *Cùm in exitu sylvæ, pausandi gratia, caloriſque vitandi, in gramine recubaret, herba viridissima sub ipso emarcuit, ut eo surgente quasi præmortua videretur, nec toto ferè anno viriditatis suæ vires recuperavit. Undè datur intelligi, quàm detestandum sit consortium excommunicatorum.* Et de nescio quo excommunicato prædone Baldricus Tornacensis Episcopus: *Terra, qua sepulturæ ejus locus ambiebatur, tribus per circuitum cubitis ab imo ita exarsit, ut ab occultis meatibus incendio emisso fatisceret. Et per triennium in agro illo ros aut pluvia non cecidit, nec gramina pavit.* Istum ergò antiquum Canonem in Romanæ præsertim Ecclesiæ excommunicatos servandum Gregorius noster rectè dictavit.

Epist. 58.

L. 2. Epist. 13.

C. 15.

C. 30.

L. 3. c. 22.

L. 1. c. 46.

C. 26. 37.

Verùm his obesse videtur Regula, quam ad Laurentium in Charitatis apud Antisiodorenses Cœnobio Monachum scripsit Sanctus Ivo Carnutensis Episcopus: *De excommunicato hospitio recepto sufficere videtur, si hospes, qui eum suscepit, continet se à mensa excommunicati & osculo.*

Et ad Francos Cruceſignatos ſcripſit Innocentius
Epiſt. 186. tertius: *Eſt cautum in jure, quod ſi quiſquam per terram Hæreticorum aut quorumlibet excommunicatorum tranſierit, neceſſaria emere ac recipere poterit ab iiſdem*. Exſtat epiſtola in ejus vita. Quid autem peregrino magis neceſſarium quàm hoſpitii tectum? Iſta ex Regula Pontifex probat laudatos Francos in excommunicatorum Venetorum navibus potuiſſe vehi in Terram ſanctam. Et antiqui paſſim Canones ſolius colloquii, ſalutationis, oſculi, aut ſimilis fraternæ amicitiæ, nequaquam ejuſdem tecti communionem nobis interdicunt.

Reſpondeo rem hanc eſſe implexam. Quod enim quidam antiqui Canones ac fidelium gentium mores etiam hoſpitio vetent excommunicatum ſuſcipi, lucet ex huc uſque dictis. Et Petrus Abbas Byzacenus, à Primate ſuo Liberato excommunicatus, in ſuis apud Carthaginenſem Bonifacii Primatis Synodum querelis inſigniter confirmat: *Cur etiam hoſpitalitas, quam ſemper exhibuimus, denegatur*? Et hinc olim Majores noſtri cum excommunicatis Venetis nec ad terram ſanctam fuerunt auſi in eadem navi navigare. Quòd nempè navis per mare peregrinantibus ſit domus & tectum. Verùm quòd majorem, quàm Veneti nolebant reddere, ſolviſſent ſui nauli partem, ad Innocentii tertii judicium pro ſuæ conſcientiæ ſecuritate habuerunt refugium. Et ipſi etiam Pontifici hæſit aqua. Tandem ut ipſos ſervaret indemnes, permiſit cum iſtis navigare, ea tamen lege ut non niſi in neceſſariis, & quidem cum dolore & amaritudine cordis, ſub pœnitentiæ ac veniæ ſpe, communicarent. Et ad hoc indulgendum non ſola ſuperiùs ladata Regula fuit uſus, ſed & iſta ſubtilitate, qua Navarchum dixit eſſe quaſi Patrem-familias, cui excommunicato poteſt familia omninò communicare. Excommunicati ſunt homines & fratres noſtri, non bruta aut lapides: Hinc illis hoſpitii tectum denegare multis viſum eſt acerbum & durum. Et hanc Regulam ſecutus eſt etiam Sanctus Ivo. Gregorius item noſter poſſit peregrinos non comprehendiſſe.

CANON VII.

QUòd Papæ ſoli licet pro temporis neceſſitate novas leges condere, novas Plebes congregare, de Canonica Abbatiam facere, & è contra, divitem Epiſcopatum dividere, & inopes unire.

SCHOLION.

IN concordantia Catholica ſcribit Nicolaus
Lib. 2. c. 12. Cardinalis Cuſanus: *Romanus Pontifex in condendis Statutis generalibus non eam habet poteſtatem, quam quidam adulatores ei contribuunt, ſcilicet quod ipſe tantum ſtatuere habeat, aliis conſulentibus*. Iſtorum adulatorum unus fuit ad quinti decimi ſæculi finem Joannes Angelus per hunc à ſacra Pariſienſi facultate meritò damnatum articulum: *Papa poſſet totum jus Canonicum deſtruere, & novum conſtruere*. Et ad ejuſdem ſæculi exordium Joannes Saracenus per hunc articulum: *Quandocumque in aliquo Concilio aliqua inſtituuntur, tota auctoritas dans vigorem Statutis, in ſolo reſidet ſummo Pontifice*. Cardinalis Cuſanus diſtinguit totius Eccleſiæ univerſales Canones ab Apoſtolicæ Sedis Decretis, aſſeverans illos à ſola generali Synodo poſſe condi, & hæc omnia ex iſtis debere hauriri. Aliud hac in re Pontificem non poſſe, quam generales Regulas ad ſingulares factorum aut faciendorum ſpecies applicare. Ex Africanæ Eccleſiæ praxi diſtinguit & duplicem totius Eccleſiæ Synodum: Aliam per præſentes Epiſcopos, aliam per ſolos Diœceſion ſeu Nationum Legatos. Baſileenſe Concilium ſanxit Romanæ Eccleſiæ deinceps eſſe ſolos viginti quatuor Cardinales, eoſque aſſumptos ex ſingulis fidelium nationibus: Ipſos eſſe voluit iſtarum repræſentativos Legatos, atque ita totam in ipſis Eccleſiam, & quaſi generalem Synodum Romano Pontifici ſemper adeſſe. Sine talis Synodi non ſolum conſilio, ſed etiam aſſenſu Cuſanus vult nullam pro tota Eccleſia legem poſſe condi. Ejuſdem ſententiæ in famoſa adversùs nepotem ſuum Epiſtola fuit Hincmarus Metropolita Remenſis, fundans ſe in prima Sancti Leonis Epiſtola, rigidè mandante à cunctis Italicarum Provinciarum Epiſcopis ſervari & ſua, & ſuorum Anteceſſorum Decretalia Conſtituta, *quæ de Canonum ſunt ordinata* ſeu hauſta *diſciplinis*. Cap. 5.
Omnia Gregorii Magni & aliorum ſanctorum Pontificum Decreta affirmat ex ipſis hauſta, cunctaque illis adverſantia, ſeu ex ipſis non hauſta eſſe nullius ponderis, nec recipienda. Quod ipſum in variis, tam ſuo quam Caroli Calvi Regis nomine ſcriptis, Epiſtolis conſtanter inculcat. Et hinc de ipſo ſcribit in Remenſis Eccleſiæ Hiſtoria Presbyter Flodoardus: *Hincmarus ſcripſit Apologeticum contra Obtrectatores ſuos, qui calumniabantur quod nollet auctoritatem recipere Decretorum Pontificum Sedis Romanæ, ad quæ reſpondit refellens hos, & ſe Decretalia Pontificum Roma-*

Romanorum à ſanctis Conciliis recepta & approbata recipere & ſequi diſcretè, prout ſunt ſequenda, depromens. Hoc eſt, à ſe recipi omnia è generalium Synodorum Canonibus hauſta. Hinc etiam Anſegiſi Senonenſis Metropolitæ Apoſtolicas per Galliam ac Germaniam vices Pontigonenſis Synodus recipere noluit, niſi ſub hac forma: *Secundùm ſacros Canones, & Decreta Sedis Romanæ Pontificum ex eiſdem ſacris Canonibus promulgata*. Et Adelbertus Morinenſium Electus ſuo Metropolitæ præfato Hincmaro fecit hanc profeſſio-
Cap. 12. nem: *A ſacris Canonibus, & Regularibus Decretis Apoſtolicæ Sedis me non deviaturum profiteor*. Exſtat apud Jacobum Sirmondum in formulis Epiſcopalium promotionum. Porrò Regularia Apoſtolicæ Sedis Decreta ſunt Decreta hauſta ex generalibus Eccleſiæ Regulis. Conſonat in litteris ad Seguinum Senonenſem Archiepiſcopum Gerbertus, qui poſteà fuit Sylveſter ſecundus Pontifex, Metropolita Remenſis: *Sit lex communis Eccleſiæ Catholicæ, Evangelium, Apoſtoli, Prophetæ, Canones Spiritu Dei conſtituti, & totius mundi reverentia conſecrati, & Decreta Sedis Apoſtolicæ ab his non diſcordantia*. Unde & in alia Epiſtola, de Apoſtolicis Sancti Dionyſii Monaſterio datis privilegiis diſceptans, conſtanter profeſſus eſt à ſe non recipi Eccleſiarum aut Monaſteriorum privilegia, niſi promulgata auctoritate Canonum, ſeu quæ ex generalibus Eccleſiæ Canonibus ſint hauſta, ac ipſis non adverſen-
Lib. 2. tur. Etiam ad undecimi ſæculi annum vigeſi-
Ep. 32. mum quintum celebrata Anſenſis Synodus per Odilonem Abbatem producta Cluniacenſis Monaſterii privilegia exſufflavit, *quod Canonicis non ſolum non concordarent, ſed etiam contrairent ſen-*
L. 4. c. 8. *tentiis*. Decretum è Matiſconenſis Eccleſiæ Tabulario produxit, ac ſuis de Sacerdotii & Imperii concordia libris inſeruit Dominus Petrus de Marca. Quod ipſum poſteà docuit Gervaſius Remenſis Archiepiſcopus, & alii plures. Nam & laudato Sancti Dionyſii Monaſterio, Corbejenſi, & pluribus aliis Landericus Pariſienſis, Bertefridus Ambianenſis, ac aliarum Eccleſiarum Epiſcopi non qualemcumque olim dederunt libertatem, ſed ſecundùm Canones & Synodum Bonifacii Primatis Carthaginenſis. Etiam Facundus Hermianenſis Epiſcopus ſcribit ad Impe-
Lib. 12. ratorem Juſtinianum: *Novos conſtituere Canones*
cap. 13. *non niſi multis & in unum congregatis primi Ordinis Sacerdotibus licet*. Et in ſui Nomo-canonis præfatione Photius Conſtantinopolitanus: *Non ignoro Magnos illos viros, Baſilium & Gregorium Nyſſenum, in ea eſſe ſententia, ut exiſtiment Canones Eccleſiaſticos eos eſſe dicendos & habendos, quos non modò ſeorſum & privatim aliquis, ſed plures Sancti Patres in unum convenientes, de communi ſententia, cum accurata ac ſollicita perquiſitione decreviſſent*. Et in ipſo Nomo-canone: *Quod non ab uno Epiſcopo, ſed à communi Epiſcoporum cœtu Canones promulgentur, Baſilii Canon quadrageſimus ſeptimus circa finem, Gregorii Nyſſeni Canon ſextus circa medium, utique docent*. Sancti Baſilii ac aliorum Patrum Canones affirmat non eſſe veros Canones, ſed dumtaxat Metropolitica ex veris Canonibus deprompta Reſponſa.

Et ad Hugonem Primatẽ Lugdunenſem ſcribit Sanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus: *Non dico* Ep. 60.
quòd contra novos exceſſus non liceat nova promulgare mandata, ſed hoc dico quod dicit Papa Zozimus Narbonenſibus; contra Statuta Patrum concedere aliquid vel immutare nec hujus quidem Sedis poteſt auctoritas. Apud nos enim inconvulſis radicibus vivit antiquitas, cui Patrum Decreta ſanxere reverentiam. Adversùm novos exceſſus affirmat à Romano Pontifice condi poſſe non novos Canones, ſed nova dumtaxat mandata, hauſta utique ex antiquis Canonibus, quibus nec ipſius Sedis Apoſtolicæ auctoritas poſſit derogare. Pluribus Romanorum Pontificum teſtimoniis id confirmat. Et de Nicænis Canonibus, quorum ſexto per ſuum vigeſimum octavum derogarat Chalcedonenſis Synodus, ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum ſcribit Sanctus Leo Magnus: *Tanto divinitus privilegio Nicæna Synodus* Ep. 53. cap. 2.
eſt conſecrata, ut ſive per pauciores, ſive per plures Eccleſiaſtica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate ſit vacuum, quidquid ab illorum fuerit conſtitutione diverſum. Ejus Canones dicit eſſe ſpiritu Dei conditos ac totius mundi reverentia conſecratos, ideoque nec à generali Synodo poſſe abrogari, ſed uſque ad ſæculi finem in plena auctoritate manſuros. Plura ejus de hoc puncto teſtimonia ſuo loco adduxi. Et hinc generalem, qui in generalium Canonum obſervantia conſiſtit, Eccleſiæ ſtatum à Papa non poſſe mutari edixit Synodus Baſileenſis. Et palmare, ex quo nos prævaricatores & Schiſmaticos Græci aſſeverant, principium eſt, quod Epheſinum de non faciendo ad Symbolum additamento Canonem ſola Papali auctoritate tranſmutaverimus. Et hæc quidem ſunt non contemnenda fundamenta, ex quibus videatur Pontifex non poſſe novos condere Canones. Et ſanctiſſima Gregorii ſeptimi adversùm Simoniacos & conjugatos Clericos Decreta eodem telo fuiſſe à quibuſdam impugnata, affirmat eorumdem licet Anonymus, eruditus tamen Defenſor.

Et adversùm illos ipſe Pontifex ſcripſit ad Sanctum Annonem Colonienſem Archiepiſcopum: *Novit Fraternitas tua, quia præcepta hæc non de* Lib. 2.
noſtro ſenſu exſculpimus, ſed antiquorum Patrum Ep. 67.
ſanctiones, Spiritu Sancto prædicante prolatas, officii noſtri neceſſitate in medium propalamus. Quamquam huic ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſemper licuit, ſemperque licebit contra noviter increſcentes exceſſus nova quoque Decreta atque remedia procurare, quæ rationis & auctoritatis edita judicio, nulli hominum ſit fas ut irrita refutare. Et hanc doctrinam adversùm Simoniacos ac impudicos blaterones præſenti Dictatu confirmat, & facit authenticam. Et jure merito. Ipſam enim omnis jam pridem Eccleſia probavit, damnans hunc, ab Henrico Knygthono relatum, ſollardorum articulum: *Papa non poteſt condere Canones Decre-* A. 1389.
tales, ſeu conſtitutiones, & ſi quos condiderit, nullus tenetur eos obſervare. Et Stephanus Tornacenſium Epiſcopus ſcribit: *Solus Pontifex poteſtatem habet & condendi novos Canones, & exponendi veteres*. Et ad Rudolphum Bituricenſem Archiepiſcopum ac ejus ſuffraganeos Nicolaus primus;

Epist. 40 primus: *Sedi Apostolicæ facultas est in tota Christi Ecclesia leges speciali prærogativa ponere ac Decreta statuere, atque sententias promulgare.* Addit hæc non esse sua commenta, sed Dei Instituta, quæ non ignoret, sed in suis Archivis recondita possideat Ecclesia Gallicana. Et in litteris ad Valchelinum Vintonienſem Episcopum Arnulphus Episcopus Roffensis: *Numquid Decreta & Canones universi Christianæ fidei Confessores aut defensores uno spiritu, eodemque sensu decrevere? Pluraque enim ab uno*, Romano utique Pontifice, *nonnulla à pluribus sunt definita, quæ tamen ab omnibus gratanter sunt accepta, à nemine contempta.* Exstat epistola apud Lucam Dacherium. Et in novella ad Ætium utriusque militiæ in Gallia Magistrum lege Theodosius secundus ac Valentinianus tertius Imperatores: *Gallicanis Episcopis, omnibusque pro lege sit quidquid sanxit vel sanxerit Apostolicæ Sedis auctoritas.* Exstant in Codice Theodosiano. Condendi Canonis potestatem nequaquam conferunt Romano Episcopo, sed avitum morem & Evangelicum Institutum declarant ac firmant. Et ad omnes ubique Orthodoxos scribit Magnus Athanasius: *Non nupera aut novitia res est Canonum Ecclesiasticorum institutio, sed à primis usque Patribus per manus tradita est, & fundata in Ecclesiis.* Etenim rigidum illum, & in omnibus olim sub Cœlo Ecclesiis observatum, qui tribus gravioribus peccatis Sacramentalis Reconciliationis Viaticum etiam morituris negavit, Canonem Montanistæ ac Novatianenses malè asseruerunt esse Divinum Institutum: Nequidem fuisse Apostolicum, ostendi in Scholiis ad Canones Nicænos. Erat Canon Romanæ Ecclesiæ. Ejus item pro mœchia circumductionem seu mitigationem fuisse Zephyrini Pontificis Edictum testatur in libro de Pudicitia Tertullianus. Et ipsum ab omni sub Cœlo Ecclesia fuisse receptum, lucet ex Sancti Cypriani litteris ad Episcopum Antonianum. Pauci qui non recipiendum duxerant, Episcopi adduxerunt excusatorias rationes. Eundem Canonem pro Thuificatis, Libellatis, aut alia quavis idololatria pollutis circumducendum ac mitigandum vacantis Romanæ Ecclesiæ Clero suasit laudatus Cyprianus, circumduxit autem ac mitigavit, variasque dandæ illis pacis regulas fixit Sanctus Cornelius Papa. Et omnis Ecclesia recepit. Celebrandum ubique in Dominico die Paschа sanxit item Pius Pontifex, & ejus Successor Victor validè confirmavit. Nec adversùs ipsorum auctoritatem, sed adversùm solas rationes Asiatici Episcopi interceserunt. Nec desunt alia similia exempla.

In famoso adversùs nepotem suum Laudunensem Episcopum opusculo respondit Hincmarus Metropolita Remensis: *Animadvertenda est discretio inter Synodalia Concilia, & Apostolicorum virorum Epistolas, quas ante Concilia celebrata diversis temporibus dederunt.* Primitivam Ecclesiam Apostolicis Decretis seu Rescriptis fatetur fuisse gubernatam, *Donec per sacra Concilia Patres nostri in unum convenientes, mansuras usque ad finem sæculi leges condiderunt.* Hisce solis vult jam pridem regi Ecclesiam, ipsas à Romano Pontifice non posse aboleri, nec addi alias, nisi ex ipsis desumptas. Varia id Sancti præsertim Gelasii Pontificis, ac Sancti Augustini auctoritate conatur stabilire. Duas miscet quæstiones. Prima est, An legitimos generalium Synodorum Canones Romanus Episcopus abrogare possit aut mutilare? Altera est, An ipsis possit alios addere licet ex eis non depromptos? Prima quæstio ad præsentem locum non spectat, ad alteram constanter respondendum est affirmativè. Etenim omnium generalium Synodorum prima & princeps est Nicæna, quæ suprà Sancti Petri Romanam Cathedram nihil fuit ausa constituere, sciens illi omnia commissa à Domino. Ita ad Thessaliæ Episcopos scripsit Bonifacius primus. Longè ergò minus voluerit aut potuerit laudata Synodus laudatam Cathedram avita condendorum Canonum auctoritate exuere, aut hanc circumscribere ad certos fines & modos. Gallicanarum, aliarumque Provincialium Synodorum Canones non esse paris cum Nicænis aut Chalcedonensibus ponderis rectè fatetur in opusculo contra Barbaram Burgundionum de duellis legem Agobardus Metropolita Lugdunensis, recteque adjungit: *Congrua veneratione pro causis necessariis, quarum definitiones in generalibus non inveniuntur, fides est Gallicanis Canonibus adhibenda religione debita, & melius est unicuique eorum sequi auctoritatem, quam proprium sensum.* Quod ipsum pluribus confirmat in opusculo de rerum Ecclesiasticarum dispensatione. Ut non decisis per generales Synodos quæstionibus darentur regulæ, bis per annum fieri in quavis Provincia Synodum Patres sanxerunt. Qua potestate per omnem Ecclesiam fungi etiam Romanos Pontifices quis inficietur? Eam statim post Nicænam Synodum exercuerunt Sylvester ac ejus Successores, initi ante Sacrum Ordinem conjugii usum, quem illa ob Paphnutii Episcopi intercessionem non damnarat, damnantes pro omni Latina Ecclesia, ac rigidissimè proscribentes. Sabbathi item jejunium, & variam aliam Ecclesiæ disciplinam promanasse à laudato Sylvestro, cunctis Ecclesiasticarum rerum peritis est manifestum. Etiam matrimonii ultra secundum gradum impedimenta induxit solus Gregorius secundus. Nec desunt alia sine numero exempla.

Cap. 11. 12. Cap. 30.

Et aliud non docent Magnus Basilius, aut ejus frater Gregorius. Basilius enim non de condendi novi, sed de antiqui, datum vel acceptum in hæresi baptisma exsufflari vetantis, Canonis exponendi potestate agit, aitque quæstionis hujus pondus ob Romanæ Ecclesiæ adversantem sibi auctoritatem esse tantum, ut à se uno decidi non possit, sed Synodo sit omninò opus. Etiam Gregorius sese dumtaxat dicit ad condendorum circa omissos à Patribus casus Canonum potestatem non esse fide dignum seu aptum: Quod nempè non Romanorum esset supremus Pontifex, sed Provincialis solummodò Episcopus modicæ in Cappadocia Nyssæ. Symboli additamentum involvit Ephesini Canonis derogationem, ideoque an à solo Pontifice fieri potuerit, est involuta quæstio, nec spectat ad hunc Dictatum. Quidquid sit, præsentem veritatem amplexus tandem

tandem est Hicmarus, cum aliis Pontigonensis Concilii Episcopis sanciens hunc Canonem: *Ut honor Domno & spirituali Patri nostro Joanni, Summo Pontifici, & venerabili universali Papæ, ab omnibus conservetur, & quæ secundùm sacrum suum Ministerium auctoritate Apostolica decreverit, cum summa veneratione ab omnibus suscipiantur, & debita illi obedientia ab omnibus conservetur.*

Quæstio est, An hæ voces, *Papæ soli*, non dumtaxat generalem totius Ecclesiæ, sed etiam Occidentalis Patriarchatus, aut certè Romanæ Provinciæ particularem Synodum, ac item Dominorum Cardinalium Collegium excludant? An condendorum Canonum auctoritatem adscribant soli Pontificis personæ? Partem affirmativam suadet Cardinalis Bennonis in nostrum septimum Gregorium Invectiva: *Gregorii, ejectis à consilio & custodia ejus Cardinalibus, vita & fides & doctrina sine testibus fuit, cum sacri Canones præcipiant, ut in omni loco tres Cardinales Presbyteri, & duo Diaconi Papam non deserant, propter testimonium Ecclesiasticum, & propter stylum veritatis.* Addit ab ipso etiam Henricum Cæsarem præter voluntatem & consilium Cardinalium, ideoque citra Canonum judicandi ordinem, fuisse excommunicatum. Videtur ergò Gregorius omnia solus egisse. Respondeo Cardinalem Bennonem insigniter calumniari. Omnia enim sua Decreta & Edicta, & quævis majora negotia, non solum cum Cardinalibus, sed etiam cum sua quandoque Patriarchali, quandoque Provinciali, quandoque ex solis vicinis aut advenis Episcopis collecta Synodo egit Gregorius: More Majorum. Olim enim non tantum Romanorum Pontificum, sed omnium etiam Patriarcharum aut Metropolitarum Decretales Epistolæ semper fuerunt Synodales. Quocircà præfatæ voces excludunt solam generalem Synodum. Plures Justiniani Imperatoris leges habent hanc finalem additionem: *Recitata Septies.* Legendum est, *Septimi.* Septimum enim fuit Constantinopolitanæ urbi vicinum Palatium, in quo frequens fiebat adunatio Senatus, adeoque & illic per Principem aut ejus sanctius consilium conceptæ leges recitabantur. Lex enim non erat lex, nisi priùs per Notariorum Primicerium in Senatu recitata & probata. Romani Pontificis Senatus est aliqua ejus Synodus, ac ejus novi Canones per hanc olim fuerunt semper probati. Verùm Dominorum Cardinalium auctoritas paulatim excrevit, & sacri istius Senatus amplitudo tandem ad ipsos solos contracta est, ac solus ipsorum consensus novos Canones jam pridem firmavit. *Dominorum Cardinalium*, inquit Joannes de Turrecremata, *consilio & assensu Summus Pontifex regit, disponit, atque gubernat universalem Ecclesiam.* Quem morem cum antiqua forma conciliare conati Cardinalis Cusanus atque Basileense Concilium, sanxerunt Cardinales assumi è diversis nationibus, ipsos apud Pontificem esse suæ nationis Vicarios & Legatos, atque ita ex ipsis sine quovis alio Episcopo componi Synodorum totius Occidentis. Huc etiam respicit Cardinalis Hostiensis, dicens *Cardinales loco universalis Ecclesiæ suum habere officium.* Et tales Synodos olim omninò habuit Africana Ecclesia. In condendis hodie Canonibus Romani Pontifices solo utuntur Cardinalium consilio, non exquirunt consensum. Dist. 1

In Christianis terris, proprios Episcopos habentibus, sine Ordinarii, cujus Parochia dismembranda est, consensu non posse erigi novos Episcopatus affirmat in suo ad sexagesimum Carthaginensem Canonem Commentario Theodorus Balsamon, & adjungit: *Fieri Episcopos de novo in Parochiis, quæ sunt aliis Episcopis subjectæ, sine Regio mandato non permittitur, etiamsi millies consenserit, qui eam habet Episcopus. Synodicè enim constitutum est, ut nec ipsa magna Synodus sine jussu Regio possit novare Episcopos.* Et quidem Episcopi, qui aliqua Diœcesis suæ parte spoliandus venit, assensum requirit etiam secunda Carthaginensis Synodus: *Diœceses quæ numquam habuerunt Episcopos, non habeant. Et si accedente tempore, crescente fide, Dei populus multiplicatus desideraverit proprium habere Rectorem, ejus voluntate, in cujus potestate Diœcesis est constituta, habeat Episcopum.* Quem Canonem ad Epigonii Episcopi querimonias & preces tertia etiam Synodus innovavit & confirmavit. Est & alius in vaga illa collectione Africanus Canon: *Plebes, quæ numquam habuerunt proprios Episcopos, nisi ex Concilio plenario uniuscujusque Provinciæ, & Primatis, atque consensu ejus, ad cujus Diœcesim eadem Ecclesia pertinebat, minimè accipiant.* Et Sylvanum Calaguritanum Episcopum, non solum quod sine Metropolitica auctoritate, sed etiam sine Cæsar-Augustani Episcopi consensu novum in ejus Diœcesi Episcopatum erexisset, apud Hilarum Pontificem graviter accusavit Ascanius Metropolita Tarraconensis. Et de quibusdam, quos ad Wambæ Regis violentiam sine Ordinariorum assensu erexerat, novis Episcopatibus Stephanus Emeritensis Metropolita à duodecima Toletana Synodo veniam suppliciter rogans, impetravit cassari suum factum, ac deinceps servari laudatos Africanos Canones. Eandem esse Nicænorum, Sardicensium, Laodicensium, ac Taurinensium Canonum sententiam laudata Synodus ostendit. Et Dunensem Episcopatum, quem de Sigeberti Regis consensu erexerat in Carnutensi Diœcesi sine Pappoli Episcopi licentia Ægidius Metropolita Remensis, ad ejusdem Pappoli intercessionem exstinxit quarta Synodus Parisiensis. Rei successum multis exponit in Francorum Historia Sanctus Gregorius Episcopus Turonensis. Addit etiam Aristitensem, ab eodem Rege erectum, Episcopatum, fuisse exstinctum ad preces Dalmatii Episcopi Ruthenensis. Ventanæ item civitatis Episcopatum, quem invito Agilberto Dorcincano Episcopo erexerat Cenvvalch Occidentalium in Anglia Saxonum Rex, à Theodoro Cantuariensi Archiepiscopo fuisse synodaliter cassatum affirmat in Anglorum Historia venerabilis Beda. Quomodo Sanctus Imperator Henricus Bambergensem Episcopatum sine Henrici Herbipolensis Episcopi assensu nec erexerit, nec erigere potuerit, multis refert ejus vita publicata per Jacobum

Cap. 5. Lib. 7. c. 17. L. 5. c. 5. Lib. 3. c. 7. C. 14. 15.

cobum Gretzerum. Quam pertinaciter Episcopus
Lib. 6. restiterit, & quanta humilitate Princeps illum tandem inflexerit, videre possis apud Ditmarum Episcopum Merseburgensem. Apud eundem, nec non & apud Witichindum Monachum videre possis Magdeburgensis Archiepiscopatus & aliquot Suffraganearum sedium, ad Othonis primi Imperatoris preces decretam à Romano Pontifice & Archiepiscopo Moguntino, erectionem fuisse dudum impeditam & suspensam à solo Bernardo Episcopo Halberstadiensi. Ejus tandem Successor Hilduardus inflexus laudatas civitates à suæ subjectionis & obedientiæ vinculo solemniter absolvit, atque ita in erectionis executionem etiam Joannes decimus tertius Pontifex, ac ejus apud Ravennam celebrata Synodus consensit. Plurima adduci possint similia exempla.

Regium consensum, mirè in suis ad centesimum secundum Carthaginensem Canonem Scholiis exaltat Theodorus Balsamon, dicens sine Metropolitæ, Parochiæ suæ parte privandi Episcopi, ac totius Synodi assensu non posse novum Episcopatum erigi, & adjungens: *Provinciæ decernet Synodus, nisi Rex pro sibi data à Superis potestate aliquid aliud voluerit.* Et ad Canonem sexagesimum: *Et de eo in aliis Canonibus scriptum est.* Ad Canonem sextum decimum dicit ita statutum esse per Synodum Chalcedonensem & Trullanam. Etenim duodecimus Chalcedonensis Canon mandat, ut novæ, quam per Provinciæ alicujus sectionem Princeps erexerit, Metropolios Cathedra Episcopalis etiam Metropolitica fiat, licet non re ac potestate, tamen nomine & honore. Octavus autem & trigesimus Trullanus Canon omnem civitatis dignitate à Principe donatum locum donari mandat etiam Cathedra Episcopali. Et Ecclesiasticam Hierarchiam civili Romanorum Monarchiæ per omnia conquadrarunt etiam Apostoli, & ipsum à suis posteris jusserunt faciendum. Et hinc Sanctum Basilium, omnemque ejus Synodum, quod sine Principis auctoritate novos in prima Cappadocia creassent Episcopatus, in læsæ Majestatis & violatorum Canonum reatum vocavit Demosthenes Provinciæ Præfectus; etiam Sanctum Gregorium Nazianzenum, quod unum ex illis Zazymorum Episcopatum acceptasset. Episcopatuum erectionem spectare ad solos Laicos Principes multis demonstrare conatur Marcus Antonius de
L. 6. c. Dominis.

Ep. 385.

Respondeo Theodorum Balsamonem loqui ex frivola Schismaticorum Græcorum Theologia, quæ Augusti Principis Regiam unctionem asserit esse novi Testamenti Sacramentum, eminentius & ad quasvis sacras functiones efficacius ipsa etiam Episcopali consecratione. Nullus olim Imperator attentavit quid ejusmodi, ne quidem Valens, homo Arianus. Quo Sanctum Basilium vexaret, Cappadociam ille secuit, atque ita Thyanam, novam secundæ Metropolim, una cum Suffraganeis Ecclesiis Cæsarienſi Cathedræ subtraxit. Sanctus autem Archiepiscopus istam suæ Synodi jacturam reparaturus, novos in variis locis Episcopatus erexit: Nequaquam tamen de læsa Majestate, sed de violato dumtaxat Canone fuit vocatus in culpam, quod quidam in pagis & viculis dicerentur erecti. Et reverà Zazyma fuit Vicus adeò miser, ut laudatus Gregorius illic nec residere umquam voluerit, nec offerre. Et antiquum morem seu Canonem, qui ad Civilis Provinciæ divisionem dividebat etiam Ecclesiasticam, nullo modo probavit Chalcedonensis Synodus, sed exstinxit. Neque mos iste à dividente Principe, sed ad ejus opus à Patriarcha aut Primate erigi jubebat novam Metropolim, aut certè in Principis reverentiam ipse Canon erigebat. Eodemque sensu loquitur Synodus Trullana. Attamen non in solo, sed dumtaxat in omni civitatis jus habente loco mandat erigit sedem Episcopalem. Etiam in aliis, dummodò insignibus ac populosis, erigi nullus umquam Canon interdixit. Lucet ex jam laudato facto Sancti Basilii. Et in Fussalensi oppido id ipsum faciendum à Numidiæ Primate impetravit Sanctus Augustinus. Et generatim ad novo Episcopatui dandam originem, non civilem civitatis dignitatem, sed solius populi multiplicationem requisierunt secunda ac tertia Synodus Carthaginensis. Quod ipsum probavit sextus Sardicensis Canon, dumtaxat vetans in pago, aut parvo loco, cui unicus sufficiat Presbyter, erigi Cathedras Pontificales. Civitatis dignitatem nullo modo requirit. Plures sunt ejusmodi Canones, plura exempla.

Huic igitur negotio primùm se miscere cœperunt Romani Imperii laceratores Reges Barbari: Gothi, Wandali, Franci, Burgundi, Angli, Longobardi. Ex Episcopis, Abbatibus, ac Proceribus mixtam instituerunt Regnorum suorum Curiam seu Synodum, ideoque uti sine suo consensu nullum consecrari novum Episcopum, ita multò magis nullum permiserunt erigi novum Episcopatum. Ipsos instituere adeò non fuerunt permissi, ut illos, quos ad violentas Wambæ Regis jussione instituerat Stephanus Metropolita Emeritensis, suprà audiverimus fuisse cassatos à duodecima Synodo Toletana. Et ad Childebertum Francorum Regem, parantem Meloduni in Senonensi Diœcesi novum Episcopatum erigere, scripsit ejusdem sedis Metropolita Leo: *Illa debent vestris fieri temporibus, unde & pax inter Sacerdotes esse possit, & plebs non permittatur à Pastoris proprii custodia per novam & illicitam ordinationem divelli. Custodite, quæso, Statuta Patrum, & Canonum severitate constricti non patiamini ad petitionem ejus plebis, superstite proprio Sacerdote, alterum Episcopum ordinari.* Ostendit Attentatum hoc esse pessimam novitatem, & concludit: *Gloria vestra optimè debet & credere & scire, quia si contra Statuta Canonum quicumque Episcoporum sine consensu nostro Melodunì Episcopum voluerit ordinare, usque ad Papæ notitiam vel Synodalem audientiam, tam hi qui ordinaverunt, quam qui ordinatus fuerit, à nostra erunt communione sejuncti.* Quin & malè exstinctum Merseburgensem Episcopatum restituere sine Episcopali auctoritate Sanctus Imperator Henricus non præsumpsit. Ita habes in ejus vita.

Regii tamen consensus necessitatem Episcopi passim

passim admiserunt. Hinc enim Childebertum Regem arguit laudatus Leo, non solùm quod sine sua Metropolitica potestate, sed etiam quod sine Theodoberti Regis, in cujus Regno erat Melodunum aut certè Senonensis civitas, licentia Episcopatum erigere attentasset. Etiam Dunensis Episcopatus de Sigiberti Regis licentia fuit erectus. Et Apostolum nostrum Sanctum Bonifacium, quod cum assensu Ottilonis Ducis tres novos Episcopatus creasset in Bavaria, laudavit Gregorius tertius. Olomucensem in Moravia Episcopatum Adrianus secundus, Episcopatum Nitrensem erexit Joannes octavus, aliorum erectionem relinquens gentis Apostolo Sancto Methodio, ac Duci. Quod Regium jus quidam volunt adeò firmum semper fuisse in Gallia, ut primus illud infringre tentarit Bonifacius octavus Pontifex, de quo Thomas Walsingamensis: *Urbs Apamea hoc anno proprium accepit Episcopum, à Tholosano Episcopatu per Papam Bonifacium separata, sed citò post Ludovicus filius Regis Siciliæ Episcopus factus Episcopatum tenuit reunitum.* Etenim Francorum Rex Philippus Pulcher Papale factum circumduxit, coactusque fuit Bonifacius Regium consensum expostulare.

Epist. 7.

Ep. 194. 24.

A. 1297.

Aſt longè aliud clamat Primatus Ecclesiæ Lugdunensis. Adeò enim ipsum sine Regio assensu instituit Gregorius septimus, ut ad Calixtum secundum pro Senonensi, Primatum illum constanter refutante, Archiepiscopo scripserit Rex Ludovicus sextus: *De sententia in Metropolitanum Senonensem pro nostro honore relaxata animum nostrum ex parte mitigastis. Sed quoniam ad tempus est relaxata, suspensum vehementer & dubium reddidistis. Videtur enim aliquam adhuc spem habere Lugdunensis Archiepiscopus super illa, quam quærit, subjectione. Sed ut verum fatear, sustinerem potiùs Regni nostri totius incendium, capitis etiam nostri periculum, quam bonis subjectionis & abjectionis opprobrium. Videtur enim ad nostrum respicere contemptum, contra nos hoc modo fieri, quod numquam exstiterat factum.* Germanico Imperio tunc suberat Lugdunensium civitas, ideoque ejus Episcopum suorum Metropolitanorum esse Primatem, Francorum Reges detestabantur. Regni sui in Apostolicam Sedem merita, & præstita adversùm nuperas Henrici quinti Imperatoris violentias adjutoria extulit omni eloquentiæ conatu laudatus Rex, & tamen istius Primatus exstinctionem à Calixto non potuit impetrare. Nec enim solum Gregorii septimi factum, sed & præsentem ejus, Laicæ hujus servitutis excussorem, Dictatum censuit Pontifex esse constanter sustinendum. Eundem insigniter sustinuit Sanctus Ivo Carnutensis Episcopus, Paschali secundo, ne Tornacensem à Noviomensi, cui per quadringentos fermè annos fuerat adjunctus, Episcopatum contra ejusdem Ludovici Regis voluntatem separaret dehortans, atque
Ep. 238. adjungens: *Nec in hoc resistimus, quin possit Sedes Apostolica Parochiarum amplitudinem minorare, aut brevitatem dilatare, si utilitas populi Dei ita exigat, & nullum indè schisma contingat. Quia ergò Rex Francorum, utpotè homo simplicis naturæ, erga Ecclesiam est devotus, & Sedi Apostolicæ benevolus, petimus & consulimus, ut à benevolentiæ ejus nulla vos subreptio subtrahat, nulla persuasio disjungat.* Palàm fatetur Regio consensu non egere Pontificem, verùm istius Episcopatus restaurationem non convenire ostendit multis, ideoque supplicat amicum Regem non offendi, & Germanicum Sacerdotii ac Regni schisma in Gallias non induci. Et persuasit. Verùm addit in appendice ad Sigebertum Gemblacensem Robertus Abbas Montensis: *Ecclesia Tornacensis, quæ per annos circiter sexcentos, à tempore Beati Medardi, sub Episcopo Noviomensi sine proprio fuerat Sacerdote, hoc anno proprium Episcopum cœpit habere, Anselmo Abbate Sancti Vincentii Laudunensis à Papa Eugenio Romæ consecrato, & eidem civitati in Episcopum destinato.* Acta hæc sunt auctore Sancto Bernardo, scribente ad Mediolanenses: *Plenitudo potestatis super universas orbis Ecclesias Apostolicæ Sedi donata est. Potest, si utile judicaverit, novos ordinare Episcopatus, ubi hactenus non fuerunt. Potest eos qui sunt, alios depri-* Ep. 131.
mere, alios sublimare, prout ratio dictaverit, ita ut de Episcopis Archiepiscopos creare liceat, & è converso, si necesse visum fuerit. Acta sunt sine assensu Regis Ludovici septimi. Hincenim Anselmum Abbatem, Romæ casu repertum, ne fortè Remensis Metropolita sine Regis venia non fuisset ausus, propriis manibus Eugenius Pontifex consecravit. Litteras, quibus Clerum & populum Tornacensem à Noviomensis Ecclesiæ obedientia absolvit, ac ad Anselmo deinceps obediendum adstringit, & quibus Ludovicum Regem ad suis hisce novis dispositionibus non adversandum adhortatur, nuper publicavit eruditus vir Lucas Dacherius. Eadem de causa Lam- Tom. 5.
bertum, primum restitutæ Atrebatensis Ecclesiæ Electum, consecravit Urbanus secundus: Quod nempè Episcopatum illum, Cameracensi jam pridem unitum, non solùm Henrico quarto Imperatore, sed etiam Philippo Francorum Rege & Flandrensium Comite Roberto repugnantibus restituisset, ideoque laudatum Electum Rainaldus Remensium Archiepiscopus non auderet consecrare. Dura & longa fuit hæc tragædia: Urbano tamen Pontifici Sanctus Petrus Apostolus donavit victoriam, exponendam latius in Scholiis ad Synodum Claromontanam.

Et Rex Philippus Pulcher videtur his non obviasse. Etenim opulentæ, ad quam Apameense spectabat oppidum, apud Sanctum Antoninum Abbatiæ perpetuam protectionem seu Advocatiam, & certam exindè redituum portionem Ludovico sancto Regi dederat Clemens quartus Pontifex, atque ita illius jam dictus nepos & successor sibi substituit Rogerium Comitem Fuxiensem, Abbatiæ adversarium, de quo in Bo-
L. 1. c. 16. nifacii octavi Apologia Joannes Rubeus: *Fidem & juramentum mox exegit à Clientibus Monasterii, & quæ hostilis sunt detentionis exercens, enormia & gravia commisit.* Hinc Abbatiam adversùs talem protectionem protecturus laudatus Bonifacius, ipsam erexit in Cathedram, ac ejus Abbatem provexit in primum Episcopum, secutus hunc Remensem Eugenii tertii Canonem: *Subadvocatos & exactores eorum modis omnibus*

ab Ec-

ab Ecclesiarum infestationibus removeri præcipimus.
C. 6. *Quod si quis contra hanc sententiam de cætero attentare præsumpserit, Christianorum careat sepultura.* Censebat Regem Advocatiæ juribus excidisse, ideoque ad exstinguendum Monasterium non esse opus ejus assensu. Verùm integra sibi esse avita jura prætendebat Philippus, ideoque exstinctionem istam sine se non potuisse attentari, nec à se permitti. Advocatus enim aliud non est, quàm Monasterii adversùs quamvis injuriam, exstinctionem præsertim, constans ac intrepidus defensor. Non ergò de Regis, sed de Apostolici Advocati jure fuit hæc quæstio. Quidquid sit, Philippi Pulchri in octavum Bonifacium insolentia nequit ponere legem. Etiam Anglorum Reges ac Germanorum Augusti dudum recalcitrarunt adversùs præsentem Gregorii Dictatum, tandem tamen vicit Apostolica potestas, & jam pridem ubique viget.

Etiam Episcopi, à cujus Parochia decidendus est novus Episcopatus, consensum exstinguens Gregorius, antiquo ac generali Patrum Canoni non est adversatus. Etenim novis Episcopatibus erigendis modum præscribens Sardicensis Canon nec apicem habet de Episcopi consensu. Et Sylvanum Calaguritanum Episcopum arguit Hilarus Pontifex, non quod sine Cæsaraugustani Episcopi assensu, sed solummodo quod sine Ascanii Tarraconensis Metropolitæ auctoritate novam in illius Parochia Cathedram fixisset. Et magnus Basilius de reformanda Isaurorum Ecclesia scripsit ad Sanctum Amphilochium Metropolitam Iconiensem: *Inprimis id agamus, ut exi-*
Ep. 406. *guæ civitates & tenuiores viculi, quibus olim Episcopi præsidebant, Præpositos suos nanciscantur. Tum Episcopum profectò Urbis excitabimus, ne qui constituetur sit impedimento nobis aliquo ad consequentem rerum dispensationem, neve bellum domesticum exordiamur gerere propter illam pluribus imperandi cupiditatem. Postremò, ne nolit suffragio suo ratas facere Episcoporum ordinationes.* Isaurorum Ecclesia, olim divisa in plures, tunc contra consuetum Provinciarum morem contracta erat ad unicum Episcopum, & antiquam formam Basilius judicabat omninò reponendam. Faciendum id suadet vacante Sede, ne forsan sese opponat Episcopus, moveatque bellum intestinum. Ejus itaque dissensum, utpote ex pluribus imperandi cupiditate consuetum enasci, censuit contemnendum. Et Augustus olim Princeps, ut oppidum vel castrum in civitatem eveheret, adeoque Patriarcham ad inducendam istic novam Cathedram cogeret, nullo indigebat assensu Episcopi. Cur ergo indigeat ipse Patriarcha? Et dum Gregorius secundus ac Zacharias Pontifices in Francia ac Bavaria novos Episcopatus fundarunt per Legatum suum Sanctum Bonifacium, nullum Ordinarii assensum leguntur exquisivisse. Nempè nullus generalis Ecclesiæ Canon, sed solus pacis amor & quarumdam gentium mos, quos ligari numquam voluit Apostolica Sedes, sustinuit istam necessitatem.

Voces: *Quòd soli Papæ licet*, possint habere duplicem sensum. Primus est: *Soli Papæ sine Regis aut Episcopi consensu licet novos Episcopatus erigere.* Et hunc jam exposui. Alter est: *Nemo præter Papam potest deinceps erigere, exstinguere, dividere, aut unire Episcopatus.* Et quæstio est, An etiam hunc Gregorius noster intenderit? Respondeo affirmativè. Hanc in Ecclesia Latina potestatem Sedi suæ deinceps reservavit. Et hinc Tornacenses ac Atrebatenses exstinctam sibi reparari Cathedram, non à suo Metropolita aut ejus Synodo, sed ab Urbano secundo, Paschali secundo, ac Eugenio tertio postularunt atque impetrarunt. Nullus præter Papam exindè legitur Episcopatus erexisse. Anglorum quidem & Hibernorum Pontificales, passim in vilibus contra Canones locis fixas Cathedras, ante hunc Dictatum cœpit ad digniores Civitates suæ Synodi auctoritate transferre Sanctus Lanfrancus, verùm ipso posterior Sanctus Anselmus sine Papali assensu non perfecit. Adversùs nimiam Episcopatuum erectionem statuit Africana Ecclesia: *Plebes quæ numquam habuerunt proprios*
C. 65. *Episcopos, nisi ex Concilio plenario uniuscujusque Provinciæ & Primatis, atque consensu ejus, ad cujus Diœcesim eadem Ecclesia pertinebat, decretum fuerit, minimè accipiant.* Erectionem hanc à tot conditionibus suspendit. Cur ergò eandem Apostolica Sedes non possit sibi reservare? Solis Patriarchis ac Autocephalis Primatibus competere ex antiquo Canone, & quibusdam hinc indè Metropolitis fuisse sola dissimulatione indultam, insigniter lucet ex facto Sancti Athanasii Patriarchæ Alexandrini. Palebisca, Erythrensis in Pentapolitana Provincia Ecclesiæ oppidum, ob Orionis Episcopi senectutem & nimiam facilitatem elegerat sibi proprium Episcopum, ipsumque consecraverat laudabilis quidem vitæ vir, sed in rebus agendis audacior, Philon Episcopus Cyrenensis, atque hac de re ad Theophilum Patriarcham scribit Sanctus Synesius Ptolomaidis Episcopus, dictæ Provinciæ Metropolita: *Formidolosis* Valentis Ariani Imperatoris *temporibus summum jus prætermitti necesse est. Ideo*
Epist. 67. *Magnus ille Athanasius id tempori dedit.* Palam dicit sine Athanasii auctoritate fieri non potuisse. Alexandrini Patriarchæ suorum jurium fuerunt semper tenacissimi. Hinc nullus ibi umquam Metropolita aut Provincialis Synodus legitur Episcopatum erexisse. *Mos est*, inquit in Panario Sanctus Epiphanius, *Alexandrinorum Archi-*
L. 68. *episcoporum, ut per totam Ægyptum, Thebaidem, Mareotidem, Libyam, Ammoniacam, & Pentapolim, Ecclesiastica negotia administrent.* Et in litteris adversus venerabilem Frumentium Auxumios Episcopum Imperator Constantius: *Georgius*, Alexandriæ Episcopus, *in creandis ac dijudicandis Episcopis summam auctoritatem habet.* Et Hypselitarum Episcopus Arsenius è Meletii schismate accedens ad unitatem Catholicam, inter varia professus est Sancto Athanasio *se citra ejus sententiam nullum de Episcopis, aut alio dogmate communi & Ecclesiastico editurum esse Decretum, sed cessurum Canonibus ante susceptis, ad exemplar & modum Ammoniani, & Tyranni* Metropolitæ Pelusiani, *& aliorum Episcoporum.* Qui Canon adeò strinxit cunctos istius Diœcesis Episcopos, ut omnes simul in Chalcedonensi

donensi Synodo sint protestati esse sibi antiquissimum morem & consuetudinem, ex qua etiam generalium Synodorum dogmaticis definitionibus non possint subscribere sine sententia & jussione sui Patriarchæ. Et laudata Synodus protestationi tandem acquievit. Supremam illam, quam in suos suburbicarios Episcopos semper habuit Romanus Pontifex, potestatem Alexandrinus semper habuit in omnem suam Diœcesim: Præter ipsum nullus potuit illic ullum consecrare Episcopum, multò minus erigere novum Episcopatum. Hoc ergò commune Patriarchicum jus sibi Gregorius septimus per omnes Romani Patriarchatus Diœceses restauravit. Dico, *Per Romani Patriarchatus Diœceses:* Etenim solos suos Metropolitas & ipsorum Synodos indulta huc usque potestate, nequaquam Patriarchas avito suo jure mutilavit. Et hinc non tantum Græci Constantinopolitani, sed etiam Latini Antiocheni & Hierosolymitani Patriarchæ perrexerunt Episcopatus unire, dividere, exstinguere, erigere, nullusque unquam Pontifex ipsis contradixit.

CANON VIII.

QUòd solus Papa possit uti Imperialibus insigniis.

SCHOLION.

RESpicit Gregorius ad famosum Constantinianæ donationis instrumentum, ex quo ad Henrici quarti Advocatum dixit in Synodali disceptatione etiam Sanctus Petrus Damiani: *Constantinus Sylvestro, ejusque Successoribus obtulit, ut Regali more & aurea coronâ plecterentur in capite, & cæteras Regii cultus insulas usurparent. Verùm Beatus Sylvester ornamenta, quæ Sacerdotali congruere judicabat officio, in proprios usus assumpsit, coronam verò, vel cætera quæ magis ambitiosa quam Mystica videbantur, omisit.* Et ex hoc fonte etiam processit quod de Bonifacio octavo scribit Conrardi Abbatis Uspergensis supplementum: *Bonifacius penes se utriusque gladii potestatem esse affirmabat, quod ipso apparatu in Jubilæo, qui tum Romæ agebatur, solemniter ostentavit. Primò quidem solemni die in Pontificalibus apparens populo, Apostolicam illis benedictionem impartitur. Postera die, Imperiali habitu, insula*
A. 1294. *Cæsarea insignis, gladium nudatum ante se jussit deferri. Et sedens alta voce testatur: Ecce duo gladii hic.* Plurium Jurisconsultorum, qui non solam Romanam urbem, sed omne cum spectantibus ad ipsum Regnis Occidentale Imperium fuisse à Constantino datum Sylvestro tunc passim docebant, sententiam Bonifacius sequebatur. Et quidem istud donationis instrumentum à cunctis tunc adeò credebatur Authenticum, ut ipsum admiserit etiam Henrici Regis Advocatus.

Esse spurium & fictitium nemo eruditus hodie dubitat, ejus tamen à nostro hìc Gregorio respectus articulus non caret omni fundamento. Etenim in opusculo adversùs Gerardum Engolismensem Episcopum scribit Arnulphus Epi-
C 4. scopus Lexoviensis: *Quibus vestibus induatur Pontifex, jam non ex ipsius pendet arbitrio, sed Sanctorum Patrum antiqua constitutione decretum est.* Et de Constantino Papa, Regiam urbem ingrediente, Anastasius Bibliothecarius: *Pontifex, & ejus Primates cum Sellaribus Imperialibus, sellis & frœnis inauratis, simul & mappulis ingressi sunt civitatem. Apostolicus Pontifex cum Camelauco, ut solitus est Romæ procedere, à Palatio egressus in Placidias usque properavit.* Et de Schismatica Ursicini adversùs Sanctum Damasum electione, & eam ob causam Romæ patratis in Ecclesia motibus & cædibus scribit homo gentilis Ammianus Marcellinus: *Neque ego abnuo, ostentationem rerum considerans Urbanarum, hujus rei cupidos, ob impetrandum quod appetunt, omni contentione laterum jurgari debere, cum id adepti futuri sint ita securi ut ditentur oblationibus Matronarum, procedantque vehiculis insidentes, circumspectè vestiti, epulas curantes profusas, adeò ut eorum convivia Regales superent mensas. Qui esse poterant revera beati, si magnitudine urbis despecta, quam vitiis opponunt, ad imitationem Antistitum quorumdam Provincialium viverent, quos tenuitas edendi, potandique parcissimè, vilitas etiam indumentorum, & supercilia humum spectantia, perpetuo Numini, verisque ejus cultoribus, ut puros commendant & venerandos.* Ex tunc ergo Pontifex habuit splendidum ornatum, distinctum à veste cæterorum Episcoporum.

Notanda sunt verba: *Securi ut ditentur oblationibus matronarum.* Edicunt Papales opes tunc non è Romanæ urbis aut vicinarum Provinciarum proventibus, sed è solis fidelium oblationibus processisse, ideoque adversùs Constantini donationem suggerunt validum argumentum. Notanda sunt item hæc verba: *Eorum convivia Regales superant mensas.* Ipsorum vestitum dicit non Regium, sed dumtaxat circumspectum, ideoque Regalia Pontificum indumenta videntur tunc necdum apparuisse. Regiam coronam seu coronatam tiaram Hormisda Pontifex primus accepit à Clodoveo Francorum Rege,

de quo

de quo liber Pontificalis: *Eodem tempore venit Regium donum cum gemmis pretiosis à Rege Francorum Clodoveo Christiano, beato Petro Apostolo.* Exponit in Remensis Ecclesiæ Historia Flodoardus: *Rex Ludovicus, exhortante Sancto Remigio, Regnum, hoc est, Coronam cum gemmis pretiosis aureâm, donum beato Petro Apostolo misit.* Nulla est antiquioi Regni memoria, ideoque videtur non esse donum Constantini. Quomodo suam ex aureis filis contextam stolam ad celebrandum baptismatis Sacramentum, & honorandam Hierosolymæ Ecclesiam, Macario Episcopo dederit laudatus Constantinus, lucidè enarrant antiqui Ecclesiæ Scriptores: De plena Regi ornatus in Romanum Pontificem communione quomodo tacuissent? Hormisdæ missum Regnum fuisse istud ipsum, quod una cum bractea tunica in collati per codicillos Consulatus ornamentum Clodoveo Regi transmiserat Anastasius Imperator, insinuat Sigebertus Gemblacensis.

Quidquid sit, prætensa Constantini donatio sic habet: *Tradidimus Sanctis Apostolis, beatis Dominis meis Petro & Paulo, ac post illos beato Sylvestro, Patri nostro, magno Episcopo, & Catholico Papæ urbis Romæ, omnibusque Successoribus ejus, Imperatorium nostrum palatium Lateranense, quod superat atque vincit omnia mundi palatia. Præterea etiam diadema, sive Coronam capitis nostri. Tum lorum quoque & humerale, quod Imperatoriæ Majestatis collum cingit. Simul etiam purpuream chlamydem, & tunicam coccineam, omniaque Imperatoria indumenta, nec non Imperatoriorum jumentorum insignia.* Et iterum: *Sancimus ad hæc, ut & ipse pius Pater noster Sylvester, Magnus Episcopus, & omnes Episcopi Successores ejus, gestarent diadema, sive coronam ex puro auro & inæstimabilibus margaritis confectam, quam ipsi ex capite nostro tradidimus. Verùm ipse beatissimus Papa Sylvester super coronam, sive Papalethram, quam ad gloriam Dei & sancti Petri habebat, nolebat portare coronam meam, vel margaritarum plenam: Nos verò propterea sancto ipsius capiti radiantissimum lorum, sacro-sanctam Resurrectionem denotans, nostris manibus imposuimus.* Ita suis ad Photii Tit. 8. Nomocanonem Commentariis inseruit in utraque lingua Theodorus Balsamon. Pro *Papalethram* legendum videtur *Papalem mitram*. Vulgaris lectio non nihil differt: *Diadema, videlicet coronam capitis nostri, simulque Phrygium, id est, Mitram, nec non & Superhumerale, videlicet lorum, quod Imperiale circumdare assolet caput.* Et infrà: *Ipse verò beatissimus Papa, quia super coronam Clericalem, quam gerit ad gloriam sancti Petri, omninò ipsa ex auro non est passus uti corona, nos Phrygium quoque candidi nitoris, splendidam Resurrectionem Dominicam designans, ejus sacratissimo vertici manibus nostris imposuimus.*

Errat in ipso capite. Etenim Lateranense palatium possedit Melchiades Pontifex, & in ipso Synodaliter damnavit Donatum Episcopum in Cafis nigris, & alios Donatistas, ideoque ipsum Constantinus non dedit Sancto Sylvestro. Nec verum est ipsum fuisse eminentissimum cunctorum in toto mundo palatiorum. Erat enim Plautii Laterani domus, de qua in litteris ad Oceanum Sanctus Hieronymus: *In Basilica quondam Laterani, qui Cæsaræano truncatus est gladio.* Fuerat à Nerone Augusto percussus, ideoque ipsius in Fiscum redactas ædes vel Constantinus conjugi suæ, vel filiæ suæ Faustæ dedit Herculius Maximinus, atque ita ipsas Sanctus Optatus Milevitanus Episcopus vocat *ædes Faustæ in* L. 1. *Laterano*. Addit Sanctus Hieronymus ad Chronici sui annum trecentesimum trigesimum primum: *Constantinus uxorem suam Faustam interfecit.* Fuit is septimus decimus Sylvestri annus, adeoque non Constantinus, sed ipsa Fausta videtur suas ædes donasse Melchiadi. Hinc ipsas Romani Pontifices in beneficii memoriam perrexerunt titulare *ædes Faustæ*. Constantinus adjunxit hodiernam Basilicam, quæ sola vocata semper fuit Constantiniana. Verum hæc non spectant ad rem præsentem.

Primùm igitur Regium ornamentum, quod post recusatam coronam Sylvester accepit, fuit Phrygium, id est, mitra. Per Phrygium quidam Patriarchale, laneum ac crucibus insignitum, pallium malè intellexerunt. Esse Episcopalem mitram seu tiaram affirmat etiam Theodorus Balsamon, & adjungit: *Hujus quoque temporis Patriarcha Alexandrinus ex præsenti Edicto jus habet, ut cum Phrygio celebret. Habuit autem hanc facultatem Sanctus Cyrillus Alexandrinus à Romano Papa Cælestino, quando coacta est Synodus Ephesina adversùs Nestorium. Cum non posset Cælestinus adesse Ephesi & judicare Nestorium, visum est ut Sancto Cyrillo à Cælestino permitteretur huic Synodo præsidere. Ut itaque constaret eum habere jus & auctoritatem Papæ, sedit cùm Phrygio, & condemnavit Nestorium.* Et de apparente Sancto Petro Apostolo scribit ad nescio quem Archiepiscopum Sanctus Petrus Damiani: *Phrygium suscepit* L. 3. Epist. *in capite*. Ipsum esse Imperialis galeri instar, 10. aureo circulo concinnatum, & à Papa geri consuetum ornamentum scribit etiam in Ludovici Grossi Francorum Regis vita Sugerius Abbas Sancti Dionysii. Et in sermone de Sancto Syl- C. 9. vestro Innocentius tertius: *Sylvester pro diademate Regio utitur auriphrygio circulari.* Id est, mitra cui aureus circulus Phrygii operis arte est circumjectus. Episcopalem mitram esse Apostolicum institutum est ostensum alibi. Quare non ipsam, sed solùm Phrygium seu aureum ejus circulum dedisse Sylvestro asseritur ab isto Edicto Augustus Constantinus. A solo circulo tota mitra obtinuit Phrygii nomen. Debet esse alba: Quomodo enim ejus candor Christi Domini Resurrectionem & gloriam repræsentet, exponit in animæ L. 1. c. Gemma Honorius Augustodunensis. 214.

Aliud Imperiale ornamentum, quod Romanis Episcopis indulsisse dicitur Constantinus, est Regium lorum, de quo Theodorus Balsamon: *Papæ in omnibus, quæ ubique fiunt, processionibus & Divinis earum Mysteriis caput regio loro tegitur.* Existimat lorum esse capitis ornamentum. De Imperatore Aureliano, quod primus paragaudas vestes militibus dederit, affirmat Flavius Vopiscus: *Et quidem aliis Monolores, aliis Dilores, Trilores aliis, & usque ad Pentalores,*

ves, quales hodiè lineæ sunt. Et infra adducit ejusdem Principis ad Gallonium Avitum Thraciæ Legatum litteras, quibus Bonosi Tribuni sponsæ donari mandat *duas dilores interulas, quæ matronæ conveniant.* Vocem *Paragauda* quidam Parthicam, quidam affirmant Syriacam. Quidquid sit, significat fimbriam seu segmentum aureum, ideoque unius aut pluris lori tunica fuit tunica habens unicum aut plura istiusmodi segmenta. Hinc quidam in præsenti Edicto credunt lorum esse idem cum Phrygio, seu aureo Papalis Mitræ circulo. Et ità sensisse omnino videtur Theodorus Balsamon. Et favet Edicti contextus: *Nos sancto ipsius capiti radiantissimum lorum imposuimus.* Verùm obstat alius Edicti contextus: *Lorum & humerale, quod Imperatoriæ Majestatis collum cingit.* Et textus vulgatus: *Superhumerale, videlicet Lorum, quòd Imperiale circumdare assolet collum.* Hinc alii volunt lorum esse famosum, olim solorum Patriarcharum, nunc omnium, in Occidente præsertim, Metropolitarum laneum pallium, quod est omnino aliquod lorum seu segmentum. Et hinc in Græco habetur, *Homophorion*, vox isti pallio apud omnes Ecclesias propriissima. Verùm non collo, sed solis humeris ipsum imponitur: Neque est Imperiale & aureum, sed laneum atque Ecclesiasticum.

Respondeo rem hanc esse perplexam. Textus Græcus distinguit duplex lorum: Aliud capitis, aliud colli. Primum est omninò ipsum aureum Phrygium, à Clodoveo Rege transmissum Pontifici Hormisdæ. Instrumenti istius fictorem Otho tertius Imperator in Diplomate, quo Sylvestri secundi Pontificis confirmavit electionem, scribit esse Joannem Romanæ Ecclesiæ Diaconum: Utique Joannem cognomento Digitorum, quod esset digitis mutilatus, qui sub Othone vixit sæculo decimo. Alii volunt esse Joannem, qui scripsit vitam Sancti Gregorii, & floruit sub Pontificatu Joannis octavi. Sunt qui fictum putent temporibus Pippini. Quidquid sit, unicum Phrygium lorum seu coronam habebat tunc Papale Regnum, atque ita Clodovei donum Scriptor iste transtulit in Constantinum. Secundam coronam ad designandum in Pontifice utrumque gladium addidit dudum post Bonifacius octavus. Tertiam tandem Urbanus quintus: *Reges Persarum*, inquit Pomponius Lætus, *Tiaram, qua utebantur, tribus coronis exornabant.* Asserebant se Reges Regum. Omnium Regum, licet non quoad temporalia, certè quoad spiritualia, reverà Rex est Romanus Episcopus. Cur igitur assumpsisse non possit similem Tiaram? Quid per colli lorum intelligat iste Scriptor, videtur posse colligi ex libro Tertulliani de idololatria: *Purpura & aurum, vervicis ornamentum, insignia erant dignitatum.* Laudat aureas torques, quibus Danielem Prophetam, & Patriarcham Joseph ornaverunt Reges Pharao & Balthazar. *Torques*, inquit in Ætymologiis Sanctus Isidorus, *circuli aurei à collo ad pectus dependentes, à viris geruntur.* Et Poeta in quinto libro Æneidos: *In pectore summo flexilis obtorti per collum cir-* C. 18.

culus auri. Hoc ergo possit esse colli lorum, L. 9. c. 31 quod dicitur datum à Constantino. Omnem quippè, ex collo pendere solitum, aureum vel argenteum funiculum dici lorum advertit etiam Ambrosius Calepinus. Memoratus Scriptor intellexisse possit etiam Regium illum limbum, de quo in Regina Zenobia Trebellius Pollio: *Zenobia ad conciones galeata processit cum limbo purpureo, gemmis dependentibus per ultimam fimbriam.* Uti laticlavus quandoque pro ornato laticlavis vestimento, ita hic limbus accipi passim cen- C. 31. setur pro veste habente istiusmodi collarem limbum, qui dependentium & per humeros fluitantium gemmarum causa rectè possit dici superhumerale. Anonymus iste Scriptor nos cogit pro rebus inutilibus tempus expendere, cujus nemo possit reparare jacturam.

Tertium hic memoratum Imperiale ornamentum est purpurea chlamys, & tunica coccinea. In Græco habetur vox *Chiton*, de qua in erudito opere de antiqua re vestiaria Octavius Ferrarius: *Tunica Græcis Chiton dicitur, vestimentum scilicet interius, cui toga aut pallium, aut alia superior vestis superinjiceretur. Et hinc pallium auferre volenti fuasit Dominus dandam & tunicam. Discipulis suis duas item tunicas interdixit. Quòd nempè soli divites duplici uterentur: Linea una, interula seu indusio; lanea altera, adversùm frigus.* Exponit in litteris ad Cratonem Monachum Isidorus Peluseotes: *Quod vestitus mollities & subtilitas, colorque elegans, religiosæ ac Deo gratæ exercitationis regulam minimè servant, Theologum Joannem interroga, describentem Domini tunicam. Tibi dicet: Erat autem tunica ejus inconsutilis, desuper contexta per totum. Quis autem vestis illius* L. 1. E- *vilitatem ignoret? Ut qua Galilæorum pauperes utan-* pist. 74. *tur, apud quos etiam maximè hujusmodi vestis genus fieri solet, arte quadam, ut pectoralia, retractim consutum.* Et in Panario Sanctus Epiphanius: *Jacobus frater Domini tunicam alteram numquam induit, sed lineo palliolo dumtaxat usus est,* L. 78. c. 13. *quemadmodum testatur Evangelium. Fugit, inquit, adolescens relicta sindone, qua erat amictus.* Erat amictus sindone, seu linea tunica super nudo. Et Dominus ipse & plerique Apostoli fuerunt pauperes Galilæi, ideoque ipsis omnibus ille voluit vilem hunc amictum esse communem. Et hinc moderni quidam Evangeliorum Interpretes, volentes non duas simultaneas, sed dumtaxat mutatorias tunicas fuisse Apostolis interdictas, graviter errant. Jacobus Domini frater in nullam fuit missus Provinciam, sed Hierosolymis mansit semper Episcopus, ideoque etiam post Domini mortem retinuit istam vestem. Hinc Hierosolymorum etiam Patriarchæ, ut ipsum, si non humilitate, saltem qualicumque qualitate imitarentur, solo semper lino fuerunt amicti. Porrò de tunica scribit Quintilianus: *Cui laticlavi jus non est, ita cingatur, ut tunicæ prioribus oris infra genua pullulum, posterioribus ad medios poplites usque descendant. Nam infra* C. 11. *mullerum est, supra Centurionum.* De talaribus tunicis scribit in libris de doctrina Christiana Sanctus Augustinus: *Talares & manicatas habere tunicas, olim apud Romanos erat flagitium,* L. 3. c.

Quod ipsum vario Romanorum Scriptorum possit firmari testimonio. Porrò chlamys, uti & toga, erat vestimentum consuetum superimponi tunicæ: Verùm hæc pacis, illa belli tempore gestabatur. Erat varia: Puerilis, muliebris, virilis. Et hæc duplex: Vulgaris, dicta Sagum; ac Imperatoria, dicta Paludamentum. Cujus formæ & materiæ fuerit, & an ipsam olim Episcopi & Clerici gestaverint in spiritualis suæ militiæ tesseram, est alterius quæstionis. Sanè videntur potiùs togam, idem cum casula ac planeta vestimentum, aut etiam pallium gestasse. Præsentis Edicti auctor videtur vetustam Romanorum rem vestiariam non plenè calluisse, atque ita tunicam & chlamydem pro ordinario Clericorum duplici vestimento accepisse. Quidquid sit, solùm hic Augustarum vestium quærimus colorem, de quo apud Julium Capitolinum scribit ad Clodium Albium in litteris, quibus ipsum creat Cæsarem, Commodus Augustus: *Sanè ut tibi insigne aliquod Imperialis Majestatis accedat, habebis utendi coccinnei pallii facultatem me præsente, & cum mecum fueris, habiturus & purpuram, sed sine auro, quia & proavus meus Verus, qui puer vita functus est, ab Adriano, qui eum adoptavit, accepit.* Pallium largissimè accipit pro omni genere vestimenti. Romanorum alii album, alii galbium, alii gestaverunt colorem russum, verùm purpureus fuit Imperialis dignitatis tessera adeò distinctiva, ut in cujuscumque olim domo repertus istiusmodi pannus ipsum redderet gravissimè suspectum perduellionis & affectatæ Tyrannidis. Hinc quidam æmuli sui de isto crimine apud Julianum Augustum delator interrogatus, *Quibus indiciis ad hæc perveniſti?* respondit: *Purpureum sibi indumentum ex serico pallio parat.* Philosophum agebat, atque ità ejusmodi suspiciones ridebat Julianus, ideoque hoc ejus sacrarum largitionum Comiti datum
C. 22. præceptum laudat Ammianus Marcellinus. *Jube periculoso garritori pedum tegmina dari purpurea ad adversarium perferenda, quem, ut datur intelligi, chlamydem hujus coloris memorat sibi consarcinasse, ut scīri possit, quid sine vtribus maximis pannuli proficiant leves.* Et in prioris ad Corinthios epistolæ commentariis scribit Sanctus Joannes Chrysostomus: *Si vestes quidem sint aureæ & calcei, aliquo etiam alio indumento opus habemus, ut discamus Regem. Sed si purpuram viderimus & diadema, nullum aliud videre quærimus Regni signum.* Solam purpuram affirmat esse incommunicabilem characterem supremæ Majestatis. Hunc igitur & in tunica & in chlamyde, id est, in omni veste colorem Romanis Pontificibus dicitur Constantinus indulsisse.

Quidquid sit de Constantini Indulto, ornatum istum jam pridem gerit Romanus Episcopus, & quidem ex Holoserico, de quo in Aureliani Imperatoris vita scribit Flavius Vopiscus: *Vestem holosericam neque ipse in vestiario suo habuit, neque alteri utendam dedit. Et cùm ab eo uxor sua peteret, ut unico pallio blatteo uteretur, ille respondit; Absit in auro fila pensentur. Libra enim auri tunc libra serici fuit.* Et de Alexandro Imperatore Ælius Lampridius: *Vestes sericas ipse raras habuit, Holosericas numquam, subsericas numquam donavit.* Sericas & subsericas, id est, ex sericorum ac laneorum, seu lineorum filorum mixtura contextas confundit. Primum Holosericæ vestis gestatorem fuisse Heliogabalum, & antea solam subsericam fuisse in usu, Ælius Spartianus observat. Quare hæc Dionis de Caligula Imperatore verba, *Ut plurimum in serico vestitu versabatur*, de subserico sunt accipienda. Ex Lib. 59. serico non togas, sed vela confici, & ipsas esse vitreas togas scribunt Cicero & Varro: Quod nempè uti vela levissimo etiam vento raperentur, & tamquam vitra perlucerent, non plenè tegerent corpus, ideoque meretricibus, non honestis personis convenirent. Verum paulatim decrevit pretium, & solidi etiam serici textura reperta est, atque ita serica vestis & frequens facta est & casta. Donationis Edictum ejus non meminit: Quòd nempè numquam fuerit propria soli Imperatori. Quando ipsam gestare cœperit Romanus Pontifex, ignoro. Porrò Episcopalem dignitatem esse quid inter Divinam & humanam naturam medium scribit ad Hermogenem Lib. 3. Epistolarum Isidorus Peluſiota. Et ad Theodosium Epist. 20. Epiſcopum: *Sacerdotium Regno præstantius est.* Quod ipsum in multis aliis epistolis affirmat. Et ex hoc principio Michael Cerularius Constanti- Epist. 117. nopolitanus Patriarcha fecit quod scribit Joannes Schylitza: *Michael aggressus est etiam cocco tincta induere calceamenta, antiqui Sacerdotii morem hunc* Fol. 808. *asserens, & oportere his uti novum quoque Archiepiscopum, nam inter Sacerdotium & Regnum nihil interesse vel admodum parum, & in rebus pretiosioribus amplius fortasse & magis colendum Sacerdotium.* Quod ipsum scribit Michael Glycas. Videtur Cerularius respexisse ad præsens Edictum, & Romani Episcopi jura in se transcripsisse. Et hunc ejus fastum possit Dictatus compescere: Quidquid sit, Isidori dicta præsertim locum habent in Romano Episcopo, atque ita jure merito quadrat ipsi Regius ornatus. Quocirca ista Constantini donatio, licet spuria sit, nihil devii hic asseverat.

CANON IX.

QUòd solius Papæ pedes omnes Principes deosculentur.

SCHOLION.

AUstralis navigatio Jacobi le Maire, anno hujus sæculi decimo nono edita Lugduni Batavorum, hæc scribit de Indis: *Qui intrabant navem nostram, in genua procidentes, pedibus nostris oscula figebant.* Et infrà de ipso illorum Rege: *Comites illius pedes nostros exosculabantur, acceptosque eos in manibus suis capiti imponebant ad demissionem subjectionemque demonstrandam.* Quod confœderati Belgii Legatus Turcici Imperatoris vestem fuerit flexis genibus osculatus, anno præsentis sæculi duodecimo, affirmat Ecclesiastico-Politica Chronologia, addita tomo octavo Chronici Chronicorum. Quod ipsum à Gerlachio Prædicante Lutherano factum Martinus Crusius affirmat in Turco-Græcia. Evangelicus iste vir omninò fecit, quod à Bajazete Adrianopoleos Præfecto & aliis Turcorum Proceribus fuisse factum Mustaphæ, Turcici Imperii adversus fratrem Amurathem secundum invasori, scribit Laonicus Chalcondylas: *Cum Mustaphas*
Lib. 5. *agmine composito accederet, Turci confestim omnes ad illum transitionem faciunt, eumque ut Regem adorant.* Pergit Laonicus de Mahomete secundo: *Cum Mahometes iter per Cappadociam ageret,*
Lib. 9. *filius ejus natu maximus, qui Amazæam imperio moderabatur, accedebat, munera maxima Patri offerens, eumque in terram procumbens, ut mos est gentis, adoravit.* Etiam de primo post captam Urbem Patriarcha Gennadio, ac ejus Ecclesiam visitante dicto Mahomete scribit Politica apud Turco-Græciam historia: *Quòd cum Patriarcha didicisset, è sua habitatione descendit, ac Sultanum salutans adoravit.* Et de Patriarcha, dum à Solimanno secundo Patriarchatus investituram accepit, Josepho quarto habet Patriarchalis per Emmanuelem Malaxum descripta historia: *Manum Sultani osculatus, insigne potestatis accepit.* Videlicet Patriarchale Pedum. Et de investito per eumdem Regem Hieremia secundo: *Hieremias manum Regis deosculatus est, concessu & beneficio, quod habent Patriarchæ jam indè à tempore Sultani Mahometis, qui Urbem cepit, quo licet, quicumque Patriarcha factus fuerit, Regem deosculari.* Et de eodem, dum Solimani filio & successori Amurathæ tertio Pescesium solvit, Hieremia: *Hieremias more Patriarchico manum Regis est deosculatus.* Regiæ manus osculum Scriptor iste appellat morem Patriarchicum, datumque à secundo Mahomete beneficium: Quod nempè alii omnes oscularentur Regis pedem. Quin ipsum etiam laudatus Gennadius fuerit osculatus, vix est ambigendum. Verùm quòd vir orthodoxus esset & Sanctus, Divina bonitas dedit ei gratiam in Barbari oculis, atque ita & istud etiam pro successoribus privilegium. Nec F. 156. tantùm de ipso Sultano, sed etiam de Christiano Constantinopoleos populo & Ebraimo Bassa scribit eadem historia: *Accurrens populus deosculabatur pedes Bassæ.* Et de nescio quo Pseudo-Vatis Mahometis consanguineo, quem uti Patriarcham & Prophetam venerabatur cœca superstitio, scribit in Constantinopolitanæ per Amurathem secundum obsidionis historia Joannes Cananus: *Tamquam Angelum de cœlo Turci proni admittunt, neque manus illius & pedes solummodo deosculantur, sed & mulæ, qua vehebatur, fræna & pedes.* Verùm huic Thrazoni superstitiosa stultitia, isti Bassæ indebita, utpotè soli Regi competens, reverentia fuit impensa. Et quin ipsam etiam Gerlachius Prædicans impenderit, non est quod dubitemus: quin fuerit osculatus Regis pedem. Nempè Fratres isti Evangelici, & magno Turcę honorem istum impendere, & suis Nautis impensum admittere possunt sine omni crimine, verùm Summo Pontifici à nobis impensus damnatur de Idololatria. Revixit apud ipsos antiqua Donatistarum Regula: *Quod volumus sanctum est.*

Pedum ergò osculandorum mos est longè antiquissimus, ac de ejus apud Romanos exordio scribit in Tiberio Cæsare Svetonius Tranquillus: *Priusquam triumphaturus in Capitolium fle-* Cap. 26. *cteret, descendit è curru, seque præsidenti Patri ad genua misit.* Et infrà: *Tiberius*, jam factus Cap. 27. Imperator, *adulationes adeò aversatus est, ut Consularem satisfacientem sibi, ac per genua orare conantem, ita suffugerit, ut caderet supinus.* Et de Nerone Augusto: *Tyridatem Armeniæ Regem admisit ad genua, allevatumque dextra exosculatus est.* Et in Adriano Augusto Ælius Spartianus: *Su-* *pervenit quædam mulier, quæ diceret somnio se* Cap. 25. *monitam, ut Adriani genua oscularetur, receptura visum, si id feciſſet. Quod insomnium, cum impleſſet, oculos recepit.* Et de Maximino secundo Julius Capitolinus: *In salutationibus superbissi-* Cap. 2. *mus erat, & manum porrigebat, genua sibi osculari patiebatur, & nonnumquam etiam pedes. Quod numquam passus est Senior Maximinus, qui dicebat: Dii prohibeant, ut quisquam ingenuorum pedibus meis osculum figat.* Et de Alexandro Augusto Ælius Lampridius: *Salutabatur nomine, hoc est, Ave Alexander. Si quis caput flexisset, aut blandius aliquid dixisset, uti adulator vel abjiciebatur, vel ridebatur ingenti cachinno.* Adeò pedis osculum optimus Princeps non patiebatur. Pri- Cap. 28. mus ipsum exegit Diocletianus, de quo Eusebii Cæsarienſis Episcopi Chronicon: *Primus Dio-*

cletianus adorari se ut Deum jussit, & gemmas vestibus calceamentisque inseri, cum ante eum omnes Imperatores in modum Judicum salutarentur, & chlamyde tantùm purpureâ à privato plus haberent. An. 296. Quod ipsum Aurelius Victor, Eutropius, ac alii testantur. Exponit Pomponius Lætus: *Diocletianus, Romanorum Principum victoriosissimus, Divinos honores Imperatoribus Augustis habendos præcepit. Nam cùm priores ut Consules salutarentur, primus ipse voluit adorari, velut in eo esset cœlestis Majestas. Persarum iste mos, quorum Princeps Rex Regum appellatur, & adoratur, fratrem Solis ac Lunæ se nuncupans. Imperatores antea manus exosculandas Nobilibus præbebant, post suis manibus sublevabant ad oris osculum. Vulgus genua exosculabatur. Diocletianus Edicto sanxit, ut omnes sine generis discrimine prostrati pedes exoscularentur.* Cap. 22. *Quibus etiam venerationem quandam exhibuit, exornans calceamenta auro, gemmis & margaritis, quod fecisse ante Cajum Caligulam memorant.* Consonat Sanctus Martyr Theophanes: *Secundo fortunæ successu Diocletianus elatus, à Senatoriæ dignitatis viris se adorari, nec ut priùs salutari, vel consueto habitu procedere expetiit, verùm auro, margaritis, & pretiosis lapidibus calceamentum exornavit.* Utique quo pedum oscula osculantibus minùs displicerent. Etiam de Decebalo Dacorum Rege habemus in historicis Fragmentis Petri Patricii & Magistri: *Decebalus in conspectu Imperatoris Trajani arma projecit, & in terram cadens eum adoravit, & ad ejus pedes prostratus jacuit.* Et ad Carporum Legatos dicit ibidem Tullius Melophilus, Præfectus Moesiæ: *Si Imperatoris, Marci Aurelii, gratificatione indigetis, accedite ad eum, & ad ejus pedes procumbite, & ei supplicate.* Quapropter hæc oscula non indùxit Diocletianus, sed dumtaxat reparavit, ac Senatoriæ etiam dignitati imposuit.

An Constantinus, & alii Christiani Imperatores morem plenè retinuerint, non possim adfirmare. Fuisse dimissum censeri videtur in Arcana historia Procopius Cæsarœnsis, de accedentibus ad Augustam Augusti Justiniani uxorem Theodoram summis etiam Imperii Primoribus scribens: *Ad illam ingressi, perpavidi statim se subducebant, eam venerati dumtaxat, summisque labiis utrumque pedem osculati. Degeneraverat in servilem hanc adulationem Senatus Theodoræ Magistra, Romanumque Imperium deformabatur, partim levitate Tyranni, partim difficili Theodoræ protervia.* Cap. 15. Et iterùm: *Cæterùm ex iis, quæ Justinianus atque Theodora novarunt, hæc sunt etiam. Senatoribus olim Imperatorem adeuntibus ita libebat salutare. Quisque Ordinis Patricii Imperatorem ad dexteram mammam venerabatur, illumque recedentem osculo Cæsar impartiebat in capite. Reliqui ad unum omnes dextro subnixi genu discedebant. At Augustæ adorandæ nullus mos fuit. Verùm cùm in conspectum Justiniani & Theodoræ venirent, tum alii, tum qui Patritiæ dignitatis essent, statim in faciem procumbebant, ac manibus pedibusque tensis, utrumque Principis pedem osculo prosequebantur, & tum abscedebant. Neque hunc honorem respuit Theodora, quæ & Persarum ac aliorum Barbarorum Legatos, quod nunquam post hominum recordationem usurpatum est, admitteret, eisque lautia præberet, tamquam penes illam esset Romani summa Imperii.* C. 30. Nec solùm suos Patricios, sed & aliarum gentium Reges Justinianus coegit ad istam reverentiam. Etenim de capto per Belisarium, & Constantinopolim ad Justiniani conspectum perducto Wandalorum apud Afros Rege Gilimere scribit in Ecclesiastica historia Anastasius Bibliothecarius: *Pertingentem Gilimerem juxta Imperatoris Tribunal, purpura ejus ablata pronum cadere, & adorare Imperatorem coegerunt.* Nempè Justiniano adstantes Proceres.

Et successores sunt morem zelosè prosecuti. Etenim de proximo Justiniani successore & nepote Justino scribit Poeta Corippus: *Et poplite flexo, plurima Divinis supplex dabat oscula plantis.* Et de Sebochte Persici Regis ad eumdem Justinum Legato scribit Menander Protector: *Simul atque ingressus est, Imperatorem, ut moris est, venerans, ad pedes ejus procubuit.* F. 116. Et de Tzatho Lazorum Rege Justinus ipse scripsit ad Cabadem Persarum Regem: *Tzathus ad Regiam nostram profectus est, & pedibus nostris advolutus.* F. 144. Ita habes apud Sanctum Martyrem Theophanem. Quo more etiam Imperatorem Mauritium fuisse usum, in non uno loco ostendit Theophylactus Simocata. Et de Turcarum Principe, dum ad ipsum Imperator Heraclius accederet, scribit in historico Breviario Sanctus Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus: *Princeps adesse Imperatorem audiens, cum magna Turcorum manu obviam processit, & ex equo desiliens, humi se coram illo prostravit. Idem & universi ejus comites fecerunt.* Cap. 11. Pergit de Imperatore Justiniano secundo: *Bulgarorum Principem Terbelium, extra Blachernarum mœnia stationem habentem, omni munificentia ac honore prosecutus Justinianus, demùm ad eum veniens, Imperatoriam vestem circumdedit, & Cæsarem appellavit. Neque his contentus, sed ad consessum insuper admittens, adorari secum à populo voluit.* Cap. 28. Utique per pedum oscula. An hunc, quem uti vetustum laudare videtur Menander, morem primus è Christianis Imperatoribus reduxerit Justinianus, dubitare me faciunt hæc Felicis tertii Pontificis ad Zenonem Augustum pro exstinguendo Acaciano schismate verba: *Putasne me, venerabilis Imperator, non cum lacrymis ista profundere, & velut præsentem ad tuæ Pietatis vestigia? Nec enim piget, in tali maximè causa, Imperialibus inclinari officiis, cum se Apostolus omnium factum dicat esse peripsema.* Ep. 4. Exstat epistola apud Jacobum Sirmondum in appendice Codicis Theodosiani.

Ex eisdem verbis oritur alia quæstio, An etiam Episcopi, ac ipsi Romani Pontifices sint consueti Regios pedes osculari, & an id Justinianus item jusserit? Etenim in precibus Justiniano exhibitis dicunt apud Mennæ Patriarchæ Synodum Orientales Episcopi & Monachi: *Archiepiscopus veteris Romæ Agapetus, qui ad piorum vestrorum vestigia pedum admissus est.* Utique venerandа & osculanda. Et ad Constantinum quartum scripsit Sanctus Agathon Pontifex: *Tamquam*

quàm præsentialiter prostratus, & vestris vestigiis provolutus, quæso. Et ad Imperatorem Anastasium dixit Sanctus Archi-Mandrita Sabbas: *Vestræ Pietatis vestigia adoraturus veni.* Et ad Imperatorem Martianum Eustatius Tyriorum Metropolita: *Oro ad vestrorum pedum vestigia provolutus.* Et de Leontio Tripolitano apud Lydos Episcopo sub Imperio Constantii habet Svidas: *Leontius animo fuit ingenuo adversùm omnes, & ore libero. Et quodam tempore Concilio indicto, cum Eusebia Constantii uxor, superbia elata, ab Episcopis adoraretur, solus eam adulationem adspernatus, domi mansit. At illa irritata, & animo inflammata, ad eum mittit expostulatum, pollicitationibus etiam hominem adliciens, Ecclesiam illi maximam exstructuram se esse, & affatim pecuniæ præbituram, si se conveniret.* Solus ergò ex Episcopis Leontius per singularem libertatem videtur tunc Augustos Principes, utique per pedum oscula, non adoràsse.

Respondeò Svidam pergere de isto Leontio: *Hanc Regulam Ecclesiæ vocabant.* Quare audiendum est ab ipso datum Augustæ Eusebiæ Responsum: *Istorum quidem si quid Imperatrix exsequi volueris, non tam mihi te scito, quam animæ tuæ gratum facturam. Si me verò ad te venire volueris, debita Episcopis reverentia conservata, & ego quidem ingrediar, tu autem de sublimi isto solio statim descendens, reverenter mihi obviam procedas, & caput meis manibus supponas, benedictionem acceptura. Ac deindè ego sedeam, ut verecundè adstes, eum jussero dato signo, sessura. Si hæ tibi condiciones placuerint, veniam ad te. Sin alio modo, non tam multa dabis, tam magna non poteris, ut nos honore Episcopis convenienti neglecto, Divinum Sacerdotii Institutum violemus.* Eusebiæ iram adversùs Leontium, duras apud maritum querimonias, & vindictæ expostulationem exponit Svidas, atque prosequitur: *Constantius ingenuum Leontii animum magis laudat, placataque ira uxorem in gynicæum ablegat.* Quod nempè nosset ex Canone, ac inducto per patrem suum Constantinum more locutum esse ac egisse Leontium. Quantam enim reverentiam Constantinus Episcopis exhibuerit & sanxerit, est omnibus notum. Quod etiam Turcarum Sultanus, ac Constantinopolitanæ urbis expugnator Mahometes Constantinopolitanos Patriarchas exemerit à pedum osculo, & ad manus osculum admiserit lege perpetua, suprà audivimus à Patriarchali per Emmanuelem Malaxum descripta Historia. Honores, quos Gennadio secundo, primo post captam urbem Patriarchæ, exhibuit victor Mahometes, latè exponit Georgius Phranzes, atque prosequitur: *Mahometes dedit etiam litteras Patriarchæ cum subscriptione auctoritatis Regiæ, quibus illi à vexationibus cavit, rebellari vetuit, & quidquam tributi nomine ab eo exigi, vim à quopiam adversario & inimico adferri interdixit, & ut à vectigalibus & publicis contributionibus ipse, omnesque Successores, subjectique Episcopi in perpetuum vacarent, mandavit.* Lib. 3. cap. 10. Etiam ut Patriarcha, non aliorum more pedes, sed Principis manum deoscularetur. Quod privilegium an etiam ad omnes Episcopos fuerit extensum, non possim adfirmare. Certè quod ullus unquam Episcopus sit Sultano osculatus pedes, usque huc non legi; Quidquid sit, Christianorum Imperatorum erga Patriarchas, Episcopos, & omnes Clericos; reverentiam imitari, & ita ipsos sibi devincire voluit aut simulavit Mahometes, ideoque lucet quod Episcopi Christianis Imperatoribus pedes numquam fuerint osculati. Et adducta in contrarium testimonia non evincunt. Aliud non sunt, quam verbalis apud Augustam Majestatem humilitas, consueta præfertim apud Græcos, ejusmodi adulationibus semper delectatos. Quæ omnia in opere de Divinis Ecclesiæ & Aulæ Constantinopolitanæ officiis insigniter confirmat Georgius Codinus. Demonstrat quod in Paschali officio omnes Proceres Imperatori pedem osculentur, & adjungit de Clericis: *Patriarcha accedens benedicit, & osculatur Imperatorem in ore, eodemque modo fert ipse osculum ab Imperatore. Posteà stat vicinus Imperatori. Episcopi porrò duo accedentes osculantur & ipsi Imperatorem: Primò quidem manum, deinde genam. Deinde idem faciunt omnes Ecclesiæ Proceres, Archi-Mandritæ etiam ac Monasteriorum Præfecti.* Cap. 14. Omnes genam osculantur & manum. Et hoc privilegium videtur Mahometes cunctis istis reddidisse.

Et istius reverentiæ posteriores Græcorum Imperatores fuerunt constanter tenacissimi. Lucet ex Georgio Codino, exponente laudatum Paschale officium: *Proceres omnes, usque ad novissimum, ingressi osculantur, primò pedem Imperatoris, deinde dexteram manum, posteà dexteram genam. Si eo loco, in quo versatur Imperator, sit quoque Genuensium Potestatus seu Præfectus, ingreditur, osculaturque & ipse cum suo comitatu Imperatorem, quemadmodum & Proceres, nempè pedem, & manum, & genam ejus. Veneti verò ad osculum non veniunt. Causa est ista. Imperator Michael primus Palæologorum perpetuum cum Genuensibus fœdus pepigit, in quo etiam de honore Imperatori exhibendo constitutum est, quando nimirum Potestatus ex Genua appellit, inito, & tunc solùm, ad venerationem Imperatoris ingressus, genua bis flectit, semel statim ac triclinii januam intrat, & rursùs in medio ejus, quo facto accedit, & osculatur pedem & manum Imperatoris sedentis in throno. Similiter & alii Genuensium Proceres peregrè reversi, cum veneratione osculantur Imperatoris pedem & manum.* Bella adversùm Venetos fovit Michael Palæologus, ideò ipsos ad hoc solemne non admisit osculum: Erat enim honor atque privilegium. Imperator Constantinus Palæologus suum Proto-vestiarium, ac in arduis negotiis consuetum Legatum Georgium Phranzen evehere ad altiora dudum voluit, verùm aulica quorundam ipsum invidia persuasit differri. Audiamus rei finem ab ipso Phranze, jam ad Cypriam Legationem abituriente: *Præsolor aliquantùm, eum ecce Imperator prodiens, Tu ex hoc, inquit, magnus Logotheta esto. Hoc solùm tibi mando, ut propter temporis eventa, & varias Procerum voluntates, & alias ob causas, in sacris festorum dierum solemniis, pro more officii tui, ne me adores.* L. 3. c. 6. Novam dignitatem, ne ni-

tmium *inflammaret* invidos, occultatam ad tempus *Princeps* voluit, & Phranzen ab isto solenni pedum osculo, officii sui parte, suspensum. Hinc ergo & Venetos, quod fidi non essent amici, ab ista solenni adoratione excluſit Michael Palæologus. At verò de Imperatore, dum ad Florentinam Synodum transiret per Venetias, Joannes secundo Palæologo, & obviante Venetorum
Lib. 2. cap. 14. Duce adjungit Phranzes: *Dux cum Proceribus suis, & Senatus adeſt, Imperatorem ſedentem adorat.* Et iterùm: *Dux ad Imperatoriam navem cum Senatu accedit, ſurgenſque Imperatorem in throno ſedentem adorat.* Nempe aliud est in publica Divinorum Officiorum solennitate, aliud in simplici congressu adorare Principem: Hoc est omnium debitum, istud erat Genuense privilegium.

Etiam de creandi Despotæ ritibus scribit Codi-
Cap. 18. nus: *Deſpota*, utique statim à sui creatione, *pedem Imperatoris oſculatur.* Licèt sit Imperatoris filius. Et istud ipsum facere debebat etiam extra creationis ritum. Etenim de agente apud Venetos Imperatore Joanne primo Palæologo, & ipsum accedente filio ac Thessalonicensium Des-
Lib. 1. cap. 17. pota Manuele scribit Georgius Phranzes: *Manuel in Italiam ad Patrem cucurrit, ipſumque venerabundè cum oſculis manuum & pedum ſalutavit.* Et de Andronico Comneno, Augusti sanguinis viro, ac de Augusti Manuelis filio & Suc-
Cap. 13. ceſſore Alexio habet Nicetas Choniates: *Andronicus Imperatore ſubmiſsè adorato, pedes ejus am-*
Lib. 15. *plectitur.* Et de Saisan Iconiensi Turcarum Sultano, ac Patre suo Imperatore Alexio scribit Anna Comnena: *Sultanus, ut factus eſt vicinior, equo deſſiliit, pedemque Auguſti eſt deoſculatus.* Et Antiochiæ Latinus Princeps Boadmundus, componendæ pacis causa ad eundem Alexium ingressurus, postulavit ab ejus Proceribus ac Legatis: *Volo ſpondeatis Imperatorem arrepturum manum meam, & ad caput ſui Reclinatorii daturum mihi locum, bonique conſulturum, ut ego ad eum cum duabus chlamydibus ingrediens, nec genu flectam venerandi cauſa, nec collum inclinem.* Postulabat à pedum osculo eximi aut excusari. At
Lib. 13. non fuisse exauditum affirmat eadem Anna. Et hinc de Balduino primo Hierosolymæ Rege, pacem stipulante cum Manuele Comneno, scri-
Lib. 1. bit Joannes Cinnamus: *Balduinus ad genua concidere Legatos juſſit.* Utique Legatos Renaldi Principis Antiocheni. Solus Rex fuit ab ista humilitate exemptus. Et de Latino Achaiæ Principe, post ereptam Latinis Constantinopolim accedente Michaelem Palæologum, scribit Geor-
Lib. 1. c. 13. gius Pachymeres: *Princeps adfirmavit ſe jam minimè dubitaturum procidere ad pedes Michaelis, eique ſe ſubjicere ut juſto Imperatori.* Usque ad receptam urbem non agnoverat ipsum pro Imperatore. Plurima sunt istiusmodi exempla, quæ demonstrant solos à Constantinopolitano Imperio exemptos Reges fuisse etiam ab isto osculo exemptos. Etenim etiam Tzathum Lazorum Regem, quod esset Imperio subditus, Justini secundi pedibus fuisse, utique cum osculo, provolutum, suprà nobis dixit Martyr Theopha-
Fol. 144. nes.

Eadem omnia insigniter elucidat Imperator Joannes Cantacuzenus, scribens de Imperatore Andronico secundo Palæologo, ac ejus avo Andronico primo: *Andronicus ad terram procumbebat, avi pedem oſculaturus, quem ille humeris* Lib. 1. c. 16. *ejus obnitens abſtinebat, ac voce item prohibebat, tandemque ampliùs luctantem capillis retinebat. Cum etiam ſic, ſibimet non parcens, vi ſumma pergeret, metuens Avus, ne illa violentia crines à capite abſtraherentur, terram petere, & pedi oſculum figere permiſit, ſurgentemque capite apprehendens, oculos ejus deoſculatus eſt.* Et infrà: *More Romanis Imperatoribus receptum erat, cum quiſquam conſanguineorum, aut aliquis gratia apud eos florentium, ſecundùm adorationem pedem Imperatoris oſculo contigiſſet, ut Imperator viciſſim ejus faciem deoſcularetur. Cum itaque tunc nepos avi pedem oſculatus fuiſſet, ille, ne inexpiabili odio flagrare crederetur, ſi nec iis nepotem ac Imperatorem dignaretur, quæ privatis tribuerentur, faciem ejus contra & ipſe oſculo libavit.* Hi enim duo Andronici exercuere durissimas inimicitias, & Ottomannicis Turcis lacerandi Imperii dederunt prima fundamenta. De eisdem istis sibi occurrentibus pergit Cantacuzenus: *Cum mu-* Cap. 14. *tuò appropinquaſſent, nepos ab equo deſilivit, ut humi ſtans, tanquam ſervus, Imperatorem ſalutaret. Ille converſus, habenis retrocedere. Qua ambage inſinuabat decere Imperatorem, uti nepos erat, non humi ſtantem, ſed in equo ſublimem ſalutatione fungi. Vetus enim conſuetudo apud Romanos Imperatores vigebat, ut cum alter alteri obviam fieret, qui utrumque ſequerentur, à jumentis deſcendentes pedibus ambularent, ipſi in equis manentes congrederentur, & junior aperto priùs capite, eoque inclinato, ſenioris dexteram cum oſculo arriperet, indeque ſuſpicientem Pater viciſſim oſcularetur. Tum itaque non inſcitia moris hujus, ſed ut avo maximum, & plus quam debitum, conſuetumque obſequium ac reverentiam tribueret, nepos Imperator ex equo deſcendit. Cum pedibus obfirmatus ſequeretur, ſenior coactus ſubſtitit, & propè accedens junior pedem illius in omnium conſpectu complexus oſculo contingit.* Pergit idem Scriptor Lib. 3. c. in alio libro: *Protoſtrator adiens Imperatoris pedem* 38. *eſt oſculatus. Idem & cæteri ordine præſtiterunt. Imperator & ipſe prono capite Protoſtratorem ex equo ſalutavit, alios autem, dum proveheretur, ſalute impartiit.* Et iterùm: *Valedicebant* Proceres, Cap. 40. *& Imperatoris pedem oſculantes recedebant.* Pergit de Thoma Triballorum Principe: *Accedit* Cap. 41. *Imperatorem, pedem oſculatus.* Et de eorundem Principe Libero: *Imperatorem adorat, pedem* Cap. 49. *oſculatus.* Quod etiam Triballorum Crales & Cap. 43. Cralena, id est, Rex & Regina idem facerent, Lib. 4. c. multis ostendit in alio capite. Addit de pleno 10. Turcarum exercitu: *Circumfuſi Imperatorem adorarunt, eique pedes oſculati ſunt.* Quocircà & Despota, & Cæsar, & Protosebastus, & omnes generatim Proceres, utpotè subditi, obstringebantur ad istud osculum, solus junior Imperator, quia seniori æqualis, fuit exemptus.

Porrò sicut citra debitum ex superabundanti affectu junior Imperator Andronicus Andronico avo illud officium impendit, ita & alii frequenter fecerunt. Insigne exemplum adducit in Arcana historia Procopius Cæsaræensis, Patricium & Ducem Belisarium ostendit Augustis Justiniano ac Theodoræ fuisse reconciliatum, & honoribus restitutum per uxorem Antoninam, &
Cap. 4. prosequitur: *Hæc*, Theodoræ in litteris, *perlegit Beliſarius, geſtire præ lætitia vehementer cæpit, ſuique animi teſtem Quadratum*, qui litteras apportarat, *præſentem ſibi parare cupiens, repentè ad conjugis pedes effuſus, manibus tibias prehenſat, modò hunc, modò illum pedem oſculatur, illam ſalutis appellans auctorem, ſe non maritum, immò mancipium fidele impoſterum ait cenſendum fore.* Plura similia exempla adducta sunt in superioribus, possintque & alia adduci.

Regiorum pedum osculum Pomponius Lætus rectè affirmat esse morem Persicum. Hinc enim in libro Hester de denegata Ammano Persici Palatii Præfecto adoratione dixit ad Dominum Deum Mardochæus Judæus: *Tu cuncta noſti,*
Cap. 13. *& ſcis, quia non pro ſuperbia & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, ut non adorarem Amman ſuperbiſſimum. Libenter enim pro ſalute Iſrael etiam veſtigia pedum ejus deoſculari paratus eſſem, ſed timui, ne honorem Dei mei transferrem in hominem, & neque quemquam adorarem excepto Deo meo.* Pedum oscula erant Regius apud Persas honor: Et non solummodo ad hunc, sed etiam ad terræ impressa per Ammanis pedes vestigia deosculanda profitetur se paratum, dummodo Amman istud uti humanum honorem exegisset. Divini quidpiam gentilem in morem sibi arrogabat. Etiam de Conone Athenienſium
Lib. 6. Duce scribit Justinus: *Conon ad Artaxerxem Perſarum Regem pergit, cujus aſpectu & colloquio prohibitus eſt, quod eum more Perſarum*, utique per pedum oscula, *nollet adorare.* Et de evecto ad Persarum Regnum Alexandro Magno: *Quod*
Lib. 22. cap. 7. *primo ex Perſico ſuperbiæ Regiæ more diſtulerat, ne omnia pariter invidioſa eſſent, non ſalutari, ſed adorari ſe Alexander jubet. Acerrimus inter recuſantes Caliſthenes fuit. Quæ res & illi, & multis Principibus Macedonum exitio fuit. Siquidem ſub ſpecie inſidiarum omnes interfecti ſunt. Retentus tamen eſt à Macedonibus mos ſalutandi Regis, exploſa adoratione.* Caliſthenes erat Philosophus, ideoque humanorum pedum oscula aversabatur.
Lib. 15. cap. 7. At injuriam tanti fecit Alexander, ut ipsum non dumtaxat tamquam perduellem trucidarit, sed priùs naso, auribus ac labiis mutilarit, istudque deformè ac miserandum spectaculum, cum cane in cavea clausum, ad cæterorum terrorem jusserit circumferri. Etiam de Sancto Simeone, Seleucienſi apud Persas Archiepiscopo, per Saporem Regem vocato ad Tribunal & IESU Christi Martyrium, habet Hermias Zozome-
L. 2. c. 8. nus: *Simeon, cùm Sapores eum, ut daretur in quæſtionem, intromitti juſſiſſet, neque veritus eſt quidquam, neque Regem adoravit. Quare graviter commotus Rex ſciſcitatur quid ſit cauſæ, cur jam ipſum neutiquam adoret, cùm ante id feciſſet? Cui Simeon: Non ante deductus eram ad verum Deum perdendum, & propterea non recuſabam debitos honores Regi præſtare. At jam idem ipſum facere fas non eſt. Nam jam pro pietate, &*

noſtra Religione decertaturus venio. Regii, quantumvis Pagani, pedis osculum esse indifferentem honorem judicavit Simeon. Verùm quòd Martyr cum Tyranno, non uti cum Rege aut Judice suo, sed uti cum Dei sui hoste tunc tractaret, censuit non posse, aut certè non debere impendi. Etiam de Dargan Ægypti Soldano scri-
Lib. 19. cap. 18. bit in Sacri Belli historia Guilielmus Tyri Archiepiscopus: *Soldanus de more conſuetam Calyphæ exhibens reverentiam, ſemel & ſecundo humi proſtratus quoddam adorationis genus cœpit ſupplex impendere. Tertiò iterùm proſtratus ad terram, gladium de collo depoſuit. Tunc accedens cum omni reverentia, ſedentis pedibus oſculum humiliter impreſſit.* Soldanus est idem quòd Regni Procurator. De Ægyptio autem, seu potiùs Persa Saracenorum Calypha pergit laudatus Guilielmus: Cap. 19. *Princeps Ægyptius apud ſuos duobus appellatur nominibus. Dicitur enim Calypha, quod eſt ſucceſſor vel hæres. Eo quod Summi eorum Prophetæ Mahomet vicem & ſucceſſionem jure hæreditario teneat. Dicitur & Mulene: Quod interpretatur Do-* Lib. 18. *minus noſter.* Et in alio loco: *Calyphan Ægyptii, pro Summo Numine colere ſolent & venerari.* Erat ergò non tantùm Ægypti & vicinarum ditionum Rex, sed & totius Agarenæ superstitionis Supremus Antistes, in quem proindè impostor Mahomet transcripsit varias Summi nostri Pontificis dignitates & jura. Ex his quidam volunt fuisse pedis osculum, ideoque ipsum non ut Regi, sed ut sacrilegorum Sacrorum Præfecto fuisse impensum. Quidquid sit, honoris istud genus à Persis traductum est ad Romanos. An etiam apud Assyrios viguerit, ignoro.

Nec ipsum soli Romani Gentiles, imò nec soli Christiani Græcorum Augusti, sed etiam Latini, Franci & Germani exegerunt. Etenim de Rollone Nortmannorum Principe, Galliæ partem accipiente à Carolo Calvo Imperatore, Fol. 47. scribit Guilielmus Malmesberiensis: *Ubi conſiderari potuit ingenita & effrœnis viri barbaries. Siquidem cum dono conceſſo adſtantes ſuggererent, ut pedem largitoris oſcularetur, dedignatus genibus advolvi, apprehenſum Regis pedem ad os ſuum ſtans attraxit. Illo reſupinato, ſecutus riſus Nortmannorum. Francis reprehendentibus factum, Rollo excuſat impudentiam, allegans Provinciæ ſuæ morem.* Nec Carolus Magnus, nec Ludovicus Pius leguntur exegisse istud reverentiæ genus: Quod Græci Imperii fastum primus ad nos traduxerit Carolus Calvus, notant antiqui Francorum Scriptores. Etiam de Ludovico quarto Imperatore, & Eduardo tertio Anglorum Rege scri-
A. 1338. bit Thomas Walsinghamensis: *Juxta Coloniam cum maximo apparatu & gloria ſe invicem ſalutaverunt. Quidam autem ſcribunt, quod Bavarus indignè ferebat, quod Rex Angliæ non ſe ſubmiſit ad oſcula pedum ſuorum. Cui reſponſum fuit, quod Rex Angliæ Rex erat inunctus, & habet vitam & membra in poteſtate ſua, & idcircò non debet ſe ſubmittere tantum, ſicut Rex alius non inunctus.* Et de advecto in terram sanctam Frederico secundo Imperatore Matthæus Parisiensis: *Templarii & Hoſpitalarii flexis genibus adoraverunt eum, genua ejus deoſculantes.* Principis enim adoratio A. 1228.

juxta

juxta variam adorantium qualitatem est varia: Alii pedem, alii genu, alii manum, alii pectus, alii genam osculantur. Et hinc de Conrardo tertio Imperatore, in via ad Terram sanctam perducto Constantinopolim, scribit Arnoldus Abbas Lubecensis: *Est quædam detestabilis consuetudo Regi Græcorum, ut osculum salutationis multi offerat, sed quicumque faciem ejus videre meretur, incurvatus genua ejus osculatur. Quod Conrardus Rex ob honorem Romani Imperii omninò detestabatur. Cumque Rex Græcorum in hoc consensisset, ut osculum ei porrigeret, ipso tamen sedente, nec hoc Conrardo Regi placuit. Tandem sapientiores ex utraque parte hoc consilium dederunt, ut in equis se viderent, & ita ex paritate convenientes, sedendo se & osculando salutarent.* Occidentale Francorum Imperium Græcorum Augusti nunquam sustinuerunt agnoscere, sed voluerunt esse sibi subjectum dumtaxat Regnum: Hinc non uti ab æquali per genæ, sed uti à subdito per genu osculum Manuel Comnenus prætendit à Conrardo salutari. Eum quasi de gratia excusavit à pedis osculo. Ast Occidentalis Imperii dignitatem agnovit tandem, & Conrardum admisit ad salutandi speciem, quam Imperatori ab Imperatore impendi nobis jam dixit Joannes Cantacuzenus.

Et in hunc finem compagos, seu auro & gemmis ornatos calceos fuisse à Diocletiano Imperatore assumptos, rectè affirmat Pomponius Lætus. Eosdem in prioris ad Corinthios Apostolicæ Epistolæ Commentariis laudat Sanctus Joannes Chrysostomus, affirmans aureas vestes, aureos calceos, purpuram ac diadema esse signa Regiæ Majestatis. Et de Carino Imperatore scribit Flavius Vopiscus: *Habuit gemmas in calceis. Nisi gemmata fibula usus non est.* Et de Gallieno seniore Trebellius Pollio: *Caligas gemmatas adnexuit, cum compagos reticulos appellaret.* Et de seniore Maximino Julius Capitolinus: *Calceamentum ejus, id est, compagum Regium constat pede majus fuisse hominis vestigio.* Adeò enim procerus fuit hic Princeps, ut longi ac inepti homines passim dicerentur *caliga Maximini*. Et de Antonino Heliogabalo Ælius Spartianus: *Habuit & in calceamentis gemmas, & quidem sculptas. Quod risum omnibus movit, quasi possent sculpturæ nobilium artificum videri in gemmis, quæ pedibus adhærebant.* Et de Alexandro Ælius Lampridius: *Gemmas de calceamentis & vestibus tulit, quibus usus fuerat Heliogabalus.* Ornatum igitur auro & gemmis compagum gestarunt & illi Principes, qui pedis osculum non exegerunt. Non ipsum induxit Diocletianus, sed osculandi pedis causa dumtaxat restituit, & sanxit esse deinceps necessariam partem Regii vestimenti.

Et hinc mirum est, cur Constantiniani Diplomatis fabricator non dixerit etiam compagos Sylvestro fuisse à Constantino concessos. Eos interim jam pridem in solemni Missa gestant omnes Latini Episcopi, & Romanus Pontifex etiam in usu quotidiano. Etenim in Stephani quarti vita ritus, quibus Pseudo Papa Constantinus fuit degradatus, describens Anastasius Bibliothecarius dicit de Mauriano Romanæ Ecclesiæ Subdiacono: *Compagos Constantini abscidit.* Et de Constantis Augusti in Sanctum Martinum violentiis Beatus Anastasius: *Excubitor corrigiam compagorum ejus iscidit.* Et Romæ in Sanctæ Agnetis Basilica exstat opere musivo expressus Honorius primus, habens compagum cruce signatum. Et in Sancti ibidem Martini Monasterio ostenditur compagus Sancti Sylvestri, viridis, holosericus, ornatus texturis serici & auri. De hoc quidquid sit, antiquissimæ & authenticæ Romanorum imagines etiam Sanctum Gregorium exhibent cum compagis. Si compagus sit osculandi etiam Pontificii pedis testimonium, certi hinc sumus etiam hoc esse antiquissimum. Et omninò est. Etenim de advecto Constantinopolim Constantino Pontifice, & Justiniano secundo Imperatore scribit laudatus Bibliothecarius: *Augustus Christianissimus cum Regno in capite se prostravit, pedes osculans Pontificis.* Quod etiam Theodorus Calliopas, Constantis Augusti impius Satelles, de Martino primo, dum capere volebat, ad primos Cleri mentitus fuerit, *Voluimus eum adorare*, asserit laudatus Pontifex in litteris ad Eliterum. Magnum item Gregorium à Joanne Persidis Abbate, prostrato in terram, fuisse in publica platea adoratum testantur in ejus vita Joannes Diaconus, & in Prato spirituali Sanctus Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus. Joannes erat vir sanctissimus: Hinc illum prævenit humillimus Pontifex, & primus se prostravit. Quem admirabilem actum uterque Scriptor meritò transmisit ad posteros. Et de Agapeto Pontifice & Justiniano primo Imperatore habet liber Pontificalis: *Piissimus Augustus Justinianus humiliavit se Sedi Apostolicæ, & adoravit Beatissimum Agapetum Papam.* Et de Joanne primo ac Justino primo: *Justinus Augustus, dans honorem Deo, humiliavit se pronus in terram, & adoravit Beatissimum Joannem Papam.* Et hanc Theodorici Regis in ipsum fuisse primam invidiam testatur Eutropius. Reverentia hæc aliquid fundamenti habet à Sancto Evangelista Matthæo, scribente de unguentiferis mulieribus resuscitatum Dominum venerantibus: *Accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum.* Exponit in oratione de Dominica Resurrectione Joannes Archiepiscopus Thessalonicensis: *Defixæ in oscula, amplexatæ sunt pretiosos & intemeratos pedes.* Licèt non eamdem adorationem, eamdem tamen reverentiam supremo Domini in terris Vicario exhibendam fideles non malè censuerunt. Exstat oratio apud Franciscum Combefis in Additamentis ad Bibliothecam Patrum.

Quinimò de advecto Hierosolymam Sancto Epiphanio scribit ad Joannem Hierosolymæ Episcopum Sanctus Hieronymus: *Nònne ad eum omnis ætatis & sexus turba confluebat, pedes deosculans?* Olim enim non soli Romano Pontifici, sed omni Episcopo fideles pedem osculabantur. Episcopatus enim est Regno superior, ideoque illi Regium meritò deferebant honorem. De Anastasio nescio cujus in Cappadocia pagi Presbytero, & ejus pagum visitante Sancto Basilio scribit in hujus vita Sanctus Amphilochius, vel quis alius istius operis antiquus auctor: *Venientibus nobis in domum Presbyteri, ipse obviam factus, honorabiles Basilii pedes est deosculatus.* Ita de Sanctis Ambrosio & Theodosio Imperatore scribit in illius vita Paulinus Presbyter: *Christianissimus Imperator, provolutus pedibus Sacerdotis, testabatur meritis & orationibus ejus se esse servatum.* Etiam gloriosum Ducem Mascezil affirmat id ipsum fecisse: Et de Eudoxia Imperatrice, pro Severiano Gabalorum in Syria Episcopo apud Sanctum Joannem Chrysostomum deprecante, scribit Socrates: *Imperatrix filium suum Theodosium, jam tunc Imperii statum, quamquam admodum adolescens esset, feliciter gubernantem, ad genua Joannis abjecit.* Et de Abrahame Carrarum in Mesopotamia Episcopo religiosa Theodoreti historia: *Reginarum chorus & manus ejus prehendebat & genua.* Hi sunt honores, de quibus ad Eusebium Presbyterum scribit Isidorus Pelusiota: *Nimius Episcopis per Regum pietatem exhibitus honos enervat eos, deliciarumque & epularum materiam suppeditat.* Episcopalium pedum oscula etiam apud Latinos olim fuerunt adeò familiaria, ut non soli Romano Pontifici, sed omnibus Romanæ Ecclesiæ ritum sequentibus Ecclesiis scriptus octavo sæculo Ordo Romanus de cantaturo in solemni Missa Evangelium Diacono statuat: *Osculatur pedes Pontificis.* Idem mos etiam extra Missam durabat adhuc sæculo decimo. Etenim interrationes, ex quibus Veronenses Ratherium Episcopum suum dicerent Episcopatu indignum, fuit & hæc: *Pedem si vult aliquis osculari illius, cum magno eum repellit clamore.* Ità scribit ipse apud Lucam Dacherium in opusculo titulato, *Qualitatis Conjectura.* Noster ergò septimus Gregorius ex laudato Isidori judicio honorem hunc vetat impendi Episcopis, reservatque soli Pontifici Romano.

Omittere hic nolim longam litem, quam adversùs Eugenium quartum, pedum suorum oscula exigentem, Ferrariæ ante Synodi ingressum movit cum suis Episcopis Josephus Patriarcha Constantinopolitanus. Eugenii Legatis hæc respondit: *Dicite, undè Papa hoc sibi arroget? Quæ antiquorum Patrum Synodus, quis Canon hunc morem ei indulsit? Monstrate mihi, ubi reperitur ista concessio? In quo codice scripta permanet, memorate. Et si se successorem Divi Petri Papa venditet, quid ni & nos à reliquis Apostolis descendisse asseveremus? Num reliqui Apostoli ad Sancti Petri pedes osculandos in genua procubuerunt? Quis hoc unquam audivit?* Legatis ad vetustam multorum sæculorum, quibus & Episcopi & cum Regibus Imperatores officium istud non recusarunt, consuetudinem provocantibus denuò reposuit: *Novitia est consuetudo, qua me imbui numquam patiar. Quod si cupiat Papa, ut sicut fratres fraterno more in mutuos ruamus amplexus, quemadmodum apud nos ab æterno invaluit consuetudo, libentissimè ad eum accedam; sin ultra quid postulare perseveret, oro me excusatum habeat, revertar undè veni.* Etiam Antonius Heracleensis & Dositheus Metropolita Monembasiensis pedem osculari, imò & genua coram Eugenio flectere constanter recusarunt. Et ipsum facientibus duobus Bis-Consulibus sunt graviter indignati.

Quibus sibi relatis, perstitit in proposito Eugenius, atque ita ad ejus Legatos iterùm perrexit Josephus: *Nisi Papa remiserit mihi, meisque Archiepiscopis & Crucigeris Proceribus hanc usitatam exosculandi consuetudinem, immotum mihi hærebit numquam ex hac Scapha in terram descendere. Percipio enim hæc omnia à nobis adverso Numine tentari, & Græcos ad Synodum in Latiale solum, dogmatumque eventilationem irato Deo cojisse, qui ideò hoc sufflamen nobis injecit, ne in infinitam invidentiam & contemptum rota nostra procurreret. Actutum igitur volo me ad reditum accingere, dum adhuc in ipso portu ac prima arena consisto, priusquam dedecore graviori, aut majoribus malis obruar.* Quibus permotus Eugenius omnem Patriarchæ addixit honorem, permittens *ut quo velit modo ad ipsum accedat.* Rogavit tamen in clauso palatio coram solis id fieri Cardinalibus, ne ob tantæ Papalis honoris spontaneè admissa detrimenta Latinus orbis offenderetur. Et hinc factum est quod in Procemialibus Florentinæ Synodi Actis scribit quis Græcus Metropolita: *In Palatium Papæ adscendimus, & Patriarcha quidem stantis Papæ genam osculatus est, nos autem sedentis dexteram & genam cum Officialibus, reliqui verò aut dexteram tantùm deosculati sunt, aut profundâ veneratione dumtaxat contenti fuerunt.* Quæ omnia in Synodi historia latiùs narrat Sylvester Sguropulus.

Græci igitur Papalis pedis osculum nequaquam damnarunt, sed dumtaxat ab Episcopis, Metropolitis præsertim, & ipso maximè Patriarcha noluerunt impendi. Lucet ex actis laudatæ Synodi: *Ut cognovit Pontifex Græcorum Imperatorem portæ esse vicinum, surgens deambulabat, quo factum est ut Imperator stantem illum reperiret. Volentem ergo genu flectere non permisit Papa, sed sinu suo illum excepit, cumque porrexisset manum, quam deosculatus est Imperator, adsidere illum sibi ad sinistram voluit. Cardinales verò ad pedes eorum, salutationem in Christo peregerunt.* Græcorum Episcopi cunctos Episcopos dixerunt fratres, & Apostolici Collegii Successores, ideoque tantam humilitatem alteri ab altero non deberi. Dixerunt esse novitiæ adulationis abusum. Respondeo tamen omninò reperiri antiqua istiusmodi exempla. Etenim de suis in Ephesino, cui Dioscorus Alexandriæ Patriarcha præfuit, Latrocinio Actis dixit ad Chalcedonensem Synodum Onesiphorus Iconii Episcopus, Metropolita Lycaoniæ: *Tollens ego alios Episcopos surrexi, & tenui genua Dioscori, & dixi, Noli damnare Flavianum Constantinopolitanum Episcopum, per vestigia Reverentiæ vestræ. Nihil dignum damnatione egit.* Et Marianus Synnadensis Episcopus, Metropolita Phrygiæ Pacatianæ: *Dum Dioscorus vellet proferre sententiam, surrexi ego, & Domnus Onesiphorus, & Domnus Nunnechius Laodicensis, & alii, & tenuimus pedes ejus, dicentes, Quia & tu Presbyteros habes, non debes propter Presbyterum damnari Dominus Episcopus.* Et de Leonis quarti Electoribus scribit Anastasius Bibliothecarius: *Morem conservantes antiquum, omnes osculati sunt pedes.* Hos inter Electores

Cap. 17.
Cap. 16.
Cap. 2.
Cap. 4.
Tom. 1. f. 810.
Epist. 61. c. 4.
C. 12.
Epist. 15.
C. 151.
C. 28.
L. 6. c. 20.
C. 17.
L. 5. Epist. 89.
Fol. 3.
Fol. 310.
L. 4. c. 18. 19. 20. 21. 22.

flores quis nesciat fuisse etiam Episcopos? Novitium igitur esse morem hunc erravit Patriarcha Josephus. Uniendarum verò Ecclesiarum amore, optimè Eugenius Pontifex cessit suis juribus.

Quod ista Græcorum tergiversatio caruerit omni fundamento, insuper evincit antiquus mos, quo & ipsorum omnes cum supremis etiam Proceribus atque Metropolitis Episcopi sunt consueti osculari pedes Patriarchæ Constantinopolitani. Lucet hoc ex Sancti Martyris Theophanis Supplemento, ubi Imperator Leo Armenius Iconoclasticam resumit hæresim, ejicit Sanctum Patriarcham Nicephorum, & nescio quem
Fol. 441. Pancratii filium Joannem tentat intrudere, atque adjungitur: *A Patriciis tamen in hunc modum moventibus prohibitus est. Juvenis est, inquiebant, & ignobilis: Neque decet nos senes eum venerari, & coram eo procidere. Quin potius ex ingenuis, & illustri familia natis, ac ætate provectis, Patriarcha promoveatur.* Lucidè profitentur etiam se Patricios obligari ad coram Patriarcha procidendum. Utique ob pedis osculum. Etenim de Augusti sanguinis viro, & statim post Imperatore, Andronico Comneno, nec non de Patriarcha Theodosio scribit in Alexio Manuelis Comneni filio Nicetas Choniates: *Omnibus ad Andronicum*, uti ad Imperatorem, *navigantibus, posiremus omnium etiam Patriarcha Theodosius trajecit cum Primariis Sacerdotibus. Qui cum Pontificem ad suum tentorium accedere audivisset, statim ei*
C. 12. *obviam procedit, & quantus erat, se ad equi ungulas prosternit. Paulò post adsurgit, & Patriarchæ plantas deosculatur.* Et de calumniosè accusato, ac evidenter purgato Patriarcha Dionysio habet Patriarchalis per Emmanuelem Malaxum descripta Historia: *Tunc confertim Synodus accurrens, deosculata est pedes ejus.* Addit Historia Synodo adfuisse frequentissimos, non tantùm Episcopos aut Archiepiscopos, sed etiam Metropolitas. Quod ergo hi fecerunt Patriarchæ Dionysio, cur ipsorum Antecessores facere detrectarunt Papæ Eugenio? Attamen de Patriarcha, ex Hierosolymitana pietate ad Constantinopolitanum suburbium & aurei fontis Templum reverso, Hieremia secundo pergit eadem Historia: *Hoc ubi populus resciit, concurrit, idque tanta frequentia, ut triduum in osculanda sancta ejus manu absumpserit.* Quæ omnia inter se collata suadent Patriarchis pedis osculum fuisse potius liberum, quam necessarium. Quidquid sit, esse Romano Pontifici debitum omnis jampridem Ecclesia profitetur. Nam de Imperatore, dum Ferrariæ accessit Eugenium quartum, Joanne secundo Palæologo scribit etiam Georgius Phranzes: *Imperator* L. 2. c. 15
cum in genua vellet procumbere, non id Papa permisit, sed eum complexus porrectaque dextera osculatus est, & ad sinistram suam collocavit. Cardinales ad pedes eorum se incurvantes, salutationem in Christo peregerunt. Quare Metropolitæ & Proceres à sui Principis humilitate fuerunt valdè alieni.

CANON X.

QUod Papæ solius nomen in Ecclesiis recitetur.

SCHOLION.

PRo Regibus, Episcopis, aliisque hujus mundi Potestatibus, orare etiam in sacrificio nostro, est antiquissima omnium Ecclesiarum consuetudo, & mandatum Apostolicum, in Epistola ad Timotheum. Hinc parentes olim nostros pro Gentilium Imperatorum, etiam sese persequentium, æterna ac temporali salute in dies Domino supplicasse affirmant in Apologiis Justinus Martyr, Athenagoras, Tertullianus. Verùm aliud est simplex oratio, aliud oratio cum recitatione & expressione nominis, quam Sanctus Cyprianus passim intitulat *nominis oblationem*. Et hinc ipsa impendi non potuit, nisi *cum oblatione communicantibus*, id est, habentibus non solam *consistentiam*, sed *communionis perfectionem*, seu jus percipiendæ Eucharistiæ. *Energumeni nomen*, inquit Eliberina Synodus, *ad Altare cum oblatione non est recitandum.* Quòd nempè Hispani Energumenis non crederent Cap. 59.
Eucharistiam. Et de Sancto Dionysio Patriarcha Alexandrino scribit Sanctus Athanasius: *Ejus memoria hactenùs cum Patribus hucusque celebrata est, & in Catalogum relata.* Exindè probat ipsum dogmate fuisse orthodoxum, ac in perfecta Ecclesiæ communione defunctum. Hoc in cardine perpenderunt gravissimæ inter Romanam & alias Ecclesias de Eustatii Antiocheni, Sancti Joannis Chrysostomi, Cæciliani Carthaginensis, Acacii Constantinopolitani, ac aliorum defunctorum Episcoporum recitandis ac offerendis nominibus lites. Alii ipsos extra, alii intra plenam Ecclesiæ pacem & communionem asseverabant è vivis excessisse. Hęc enim recitatio fiebat è Dyptichis, seu duplicibus, quarum altera vivorum, altera defunctorum nomi-

na continebat, tabulis, de quibus in litteris post Chalcedonensem Synodum exstantibus scripsit ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum Ægyptiaca Synodus: *Venerabile Dyptichon, in quo piæ memoriæ transitum ad cœlos habentium Episcoporum vocabula continentur, quæ tempore sanctorum Mysteriorum secundùm sanctas Regulas*
Ep. 23. *releguntur.*

Dum faciendam cum nobis Latinis unionem Constantinopolitanæ Ecclesiæ Clero suasit, de admittenda Papalis nominis recitatione dixit Imperator Michael Paleologus: *Quid porrò habet Canonibus adversùm prolatio nominis Papæ publicè in Ecclesia pronuntiati? Utique cum multos, qui Papæ non sunt, mos obtineat & ex usu inducta necessitas impartiendi tali genere communionis, nominatim exprimendo illos, dum præsentes in Ecclesiæ conventu adsunt celebrante Sacerdote, ac Trinitatis gratiam omnibus dante communiter.* Ita ha-
Lib. 5. cap. 12. bes apud Georgium Pachymerem. Faciendæ unioni hostiliter adversabatur Clerus, ideoque hunc inter tres illius articulos præcipuum diminuebat prudens Princeps, suaviter & fortiter conatus inducere ad ipsum acceptandum. Verùm longè alia fuit Cleri sententia. De ipso enim in varias opiniones dissecto pergit Pachymeres: *Erant nonnulli, qui duo priora capita*, Papæ *Primatum*, & *Provocationem* ad ipsum, *sine*
C. 18. *magno damno relaxari posse dicerent*; *quippè quorum neutrum ultra nomen & speciem ad factum procederet, sed sub obtentu vanæ subjectionis, ostentatæ, non exhibitæ reipsa, integram, nec ullo interruptam usu, Græcis servaret juris hactenùs usurpati possessionem. Longè ab his diversum videri tertium de commemoratione Papæ in Sacro. Per id enim induci jus in usum, & verba facto sanciri.* Censuerunt hunc esse fundamentalem & capitalem articulum, ideoque nullatenùs admittendum.

Et omninò conformiter ad rationes sui schismatis. Hæc enim commemoratio est suprema & honoratissima communionis species, adeò ut de Josepho primo Patriarcha Constantinopolitano
Cap. 17. scribat idem Pachymeres: *Josephus Patriarchali Palatio egressus, diversabatur in Periblepti Monasterio, salvis ei proventibus, & honore consueto commemorationis in Sacro.* Faciendam cum Latinis unionem pessimè oderat Josephus, ideoque dignitatem deponere maluit, quam nobis communicare. Deposuit non totam, sed commemorationis honorem retinuit, sciens hunc esse magnam istius portionem. Et de Alexio Melisseno Cæsare, qui nobis Flandris eripuit, & Imperatori Michaeli Palęologo reddidit Constanti-
L. 1. c. 5. nopolim, scribit Georgius Phranzes: *Imperator, omnes Provinciæ, Patriarcha, universa Ecclesia in ore habebant, & cœlo laudibus æquabant Cæsarem. In Divinis præterea ac sacris liturgiis, in omnibus item ritibus, & officio sacrarum Ecclesiarum, clara voce ejus mentio fiebat. Insuper ornamenta sive insignia Cæsaris gestabat quotidiè, quavis hora & loco, donec vita suppeteret.* Hæc clausula, *Donec vita suppeteret*, tangit sola ornamenta Cæsarea, nequaquam nominis commemorationem. Lucet ex Nicephoro Gregora, qui
Lib. 4. refert eadem omnia, & adjungit: *Imperator præterea mandavit, ut nomen Cæsaris per integrum annum una cum Imperatorum in omnibus Romanis Provinciis, Hymnis, aliisque Laudibus celebraretur.*

Universalis quippè & perpetua nominis recitatio est privativus & incommunicabilis character Augustæ Majestatis. Hinc Joannes Cantacuzenus, dum se Imperatorem ostentaret & Pherærum obsideret civitatem, illis liberationem & varia privilegia obtulit sub hac unica conditione: *Ut tantummodò Anna Imperatrice, & ejus filio Imperatore nominatis, se quoque eadem honoris appellatione cum illis dignarentur, perindèque fui in solemnibus sacrificiis meminissent.* Verùm & civitatis Episcopus, & Constantinus Palęologus ejusdem Præfectus constantissimè refutarunt. Omnes enim tres norant istam commemorationem esse unam è supremis Augustæ Majestatis dignitatibus, & ita commemoratum agnosci in Imperatorem. Habes hæc apud præfatum Can- Lib. 3.
tacuzenum. De fractis longa tandem obsidione cap. 55.
Pheræis idem Scriptor pergit: *Cantacuzeno ut Imperatori faustum adclamarunt, & ejus in Sacris meminerunt.* Et de semetipso Bizyensium civitatem occupante prosequitur: *Ubi ad portas fuit, primùm quidem Annæ Imperatrici, deindè filio ejus Imperatori, postremò sibi & Irenæ uxori suæ faustum adclamari jussit. Eodem modo per alias urbes* Cap. 19.
fieri, & inter sacrificandum similiter Imperatorum memoriam celebrari voluit. Etiam de exaltato in Imperatorem filio suo Matthæo scribit: *Matthæi* L. 4. cap.
pedibus inductæ crepidæ purpureæ, & tiara lapil- 31.
li & margaritis ornata pro more capiti ejus impositæ, faustæ acclamationes insonuerunt, & in Sacris ejus ut reliquorum Imperatorum frequentari cœpta memoria. Joannis autem nomen in acclamando, atque inter Sacra socer taceri jussit, & Annæ Imperatrici, ac nepoti Andronico adclamari ut priùs, & in Missæ sacrificio eosdem nominari. Quanto zelo Romani, & gentiles & Christiani, Imperatores semper voluerint purpuram esse penitùs incommunicabilem, unanimiter clamant omnes Romanarum Rerum Scriptores. Apud quemcumque vel vetustum purpuræ segmentum reperiebatur, erat suspectus de adfectato imperio, & læsa Majestate. Similis dignitatis apud Christianos Imperatores fuit ista nominis commemoratio. Et hinc Imperator Joannes Cantacuzenus volens cunctis demonstrare collegam suum Joannem Palęologum jam esse in sua mente degradatum, ejus nomen jussit taceri. Et hæc est omninò prima radix nati inter ipsos belli.

Eandem normam hodie sequuntur Francorum Proceres & Episcopi. Lucet ex Stephani Baluzii ad Sanctum Agobardum Lugdunensem Archiepiscopum Scholio, cujus volo integrum textum adducere. Augusti nominis ad Sacra recitationem Agobardus in litteris ad Ludovicum Pium Imperatorem de Judaicis superstitionibus appellat *solitam pro Principe intercessionem*, & Baluzius commentatur: *Solebant Principis nomen recitare inter mysteria. Tertullianus capite trigesimo Apologetici:* Nos enim pro salute Imperatorum Deum invocamus æternum. *Infrà*: Oramus pro omnibus Imperatoribus, vitam illi prolixam, imperium

perium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, ſenatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcumque hominis & Cæſaris vota ſunt. *Et paulò poſt, iſtud Præceptum eſſe Chriſtianis docet auctoritate beati Pauli in Epiſtola prima ad Timotheum. Neque tum videbatur neceſſarium, ut nomen Imperatoris inter myſteria proferretur, quod uni tantùm pareret orbis univerſus, adhucque in Eccleſia perſeveraret ſancta illa veterum Chriſtianorum ſimplicitas. At poſteaquam dividi orbis cæpit, proque innocentia & ſimplicitate fraus & dolus irrepere cæperunt inter Chriſtianos, dubiumque ob eas cauſas eſſe potuit pro quonam Rege Sacerdos oraret, ſi nomen Principis taceretur, verbiſque tantum generalibus pro eo oraret Eccleſia, tum verò neceſſarium viſum eſt, ut nomen Principis recitaretur, quo fraudibus iretur obviam, intelligerentque populi eam eſſe mentem Eccleſiæ, ex Divino Præcepto & Apoſtolica traditione deſcendentem, ut illi Regi, qui tum imperitaret, fidem ſuam ſanctam illibatamque ſervarent, vitamque ei prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, & cætera quæcumque hominis & Regis vota ſunt, precarentur. Itaque in libro Sacramentorum, qui Gregorio magno tribui ſolet, diſertè præcipitur, ut nomen Regis pronuntietur inter myſteria:* Unà cum famulo tuo Papa noſtro illo, & Rege noſtro illo, & omnibus Orthodoxis atque Catholicæ & Apoſtolicæ fidei cultoribus. *Et proferri quidem poſſunt varia exempla hujus moris. Sed, omiſſis cæteris, ab ætate noſtra ſumemus exemplum. Cùm ante hos viginti annos Catalani ſe juſtis, iiſque neceſſariis de cauſis in fidem & clientelam Ludovici decimi tertii Francorum Regis contuliſſent, ejuſque ſe dominio volentes lubenteſque ſubjeciſſent, manebat tamen adhuc in quorumdam pectoribus inſitum in Gallos odium, & occulta in Hiſpanos inclinatio. Horum ergò affectibus utebantur Hiſpani ad turbandum Cataloniæ ſtatum. Sed opportunum in primis, valdèque utile viſum eſt abuti Monachorum virtutibus, ad quos tum in iis Regionibus delapſa erat omnis ferè cura Sacrarum Concionum, quod id genus hominum plurimùm auctoritatis habeat apud plebem, præcipuè verò apud Catalanos, gentem religioſiſſimam. Ea tempeſtate vir illuſtriſſimus Petrus de Marca, qui Tholoſatium, dein Pariſienſium Archiepiſcopus fuit, in Cataloniam miſſus eſt cum ampliſſima poteſtate, ut Provinciam recenter ad nos verſam prudentia & ſapientia & cæteris bonis artibus, quibus plurimùm valebat, Regi Chriſtianiſſimo teneret, Imperioque Francico parere adſuefaceret. Hic ergò cùm Barcinonem perveniſſet, deque his rebus fuiſſet admonitus, Rectores illius Urbis, quos Provinciales aut Superiores vocant, in ſuas ædes evocavit dibus Julii, anni milleſimi ſexcenteſimi quadrageſimi quarti, habitaque ad illos Latina oratione de meritis Ludovici decimi tertii Regis, ejuſque filii tunc regnantis in Cataloniam, deque fidelitate quæ Principi debetur, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, quatuor eis capita propoſuit, ab univerſis per Provinciam Monachis obſervanda, quorum unum fuit iſtud:* Tertium, quod à vobis exigo, illud eſt, ut inter Miſſarum ſolennia, juxta Divi Pauli Præceptum, antiquorum Patrum traditionem jam à Tertulliano teſtatam, ipſiuſque Romani Miſſalis contextum, Regis Chriſtianiſſimi ſpecialis & expreſſa ab omnibus Sacerdotibus fiat commemoratio, ita ut non tantùm Regis mentio generaliter injiciatur, ſed Ludovici nomen diſertè exprimatur, quemadmodum exigit uſus Eccleſiæ quotidianus; ne alioquin ſuſpicio indè naſcatur, aliud animo geri, aliud verbis ſimulari. *Poſtremo loco admonuit non defuturos officio ſuo Magiſtratus Regios, ſi quid in hoc peccarent Monachi. Sed ne pœnæ viderentur conſtitutæ tantùm adversùs Monachos, ac ſi de eis ſolis ſuſpicio eſſet, litteras deindè ad uniuſcujuſque Diœceſis Vicarios Generales dedit, in quibus eadem mandata continebantur. Exſtat autem Epiſtola ejus ad Generales Vicarios Diœceſis Helenenſis, in qua ſic ſcriptum eſt:* In orationibus quoque, quæ pro ſalute Regis inter Miſſarum ſolennia recitantur, Ludovici nomen diſertè & ſpecialiter exprimatur. *Cæterùm adversùs hanc orationem Marcæ, puerilem admodum declamatiunculam eodem anno Tarracone edidit Fr. Petrus Maliner, Trinitarius Magiſter, Theologiæ Doctor, ac veſpertinus Cathedraticus in Ilerdenſi Licæo. His enim ſe titulis ornavit homo, opinione ſua doctus & eloquens, ſed quantum ex ipſius declamatiuncula colligi poteſt, Muſis non tam inviſus, quàm ignotus.*

Errores varii. Primus eſt, quod Principis nomen ſuo tempore Apoſtolus recitari juſſerit, aut Tertulliani tempore Eccleſia recitarit. Etenim Romanorum Auguſti erant tunc Pagani, & Pagana nomina fuiſſe recitari juſſa ab Apoſtolis, aut unquam recitata ab Eccleſiis, nec D. Petrus de Marca, nec Stephanus Baluzius poſſint demonſtrare. Quod hæc recitatio ſolis cum oblatione communicantibus, ſeu ſolis perfectis Chriſtianis poſſit impendi, ideoque à Paganis ſit alieniſſima, apud omnes avitæ diſciplinæ peritos eſt pluſquam manifeſtum. Neque obeſt, quod Sancti Marci Liturgia pro Rege & ejus conſervanda juſtitia, Sancti autem Petri Miſſa oret pro Religioſiſſimis Auguſtis, & ipſorum victoria. Quis enim non videat hæc eſſe poſteriora, Chriſtianis temporibus facta, additamenta? Nec deſunt, qui exindè iſtas Liturgias velint ſpurias ac ſuppoſititias. Et hinc Stephanus Baluzius non ſine fundamento ſcribit Fr. Petrum Moliner fuiſſe Muſis non tam inviſum, quam ignotum. Etenim ſi antiquos Eccleſiæ Canones & mores ille noviſſet, potuerat Petri de Marca & Latinam Orationem & litteras, non puerili, ſed inſigniter virili interceſſione ſubvertere ac exſufflare.

Secundus error eſt, quod Romani, cui totus parebat orbis, Imperii temporibus facta non fuerit Regii nominis expreſſio, & dumtaxat cæperit poſt iſtud in varios Barbarorum Reges laceratum. Etenim in laudata Epiſtola longè aliud cenſuit Sanctus Agobardus, de Imperatore Theodoſio, qui à Chriſtianis everſam Judæorum Synagogam reparari ab eiſdem juſſerat, & de offenſo ob iſtam juſſionem Sancto Ambroſio ſcribens: *Ambroſius Theodoſium prævaricatorem judicavit, tam injuſta contra Eccleſiam perpetratam, & niſi ſibi locum audientiæ reſerviſſet, ſolis tam*

tam pro eo interceſſionem ſe intermiſſurum teſtatus. Solita interceſſio non eſt aliud, quam Auguſti nominis in Sacrificiis recitatio. Et de Orientalibus, Acacianum ſchiſma ac ejus fautorem Auguſtum Zenonem deteſtantibus, Epiſcopis ſcripſit ad omnem Orientalem Eccleſiam Papa Felix tertius: *Numquid omnes Imperatoris nomen ex Dyptichis abſtulerunt?* Exſtat Epiſtola apud Jacobum Sirmondum in Appendice Codicis Theodoſiani. Et de Calendione Antiocheno Patriarcha ſcripſit ad Dardaniæ Epiſcopos Sanctus Gelaſius: *Eſto, Calendion Imperatoris nomen abſtulerit.* Et ad Hormiſdam Pontificem Dioſcorus ejuſdem Diaconus & apud Imperatorem Juſtinum Legatus: *Deleta ſunt de Dyptichis Zenonis & Anaſtaſii nomina. Et hoc non ſolùm in ipſa ſola Eccleſia, in qua Epiſcopus manet, verùm etiam per omnes Eccleſias cum magna diligentia.* Ex quo lucet Imperiale nomen non tantùm in Cathedralibus, ſed in omnibus ubique Eccleſiis fuiſſe ſemper recitatum.

Epiſt. 9.

Ep. 13.

Relat. 6. poſt Ep. 40.

Nominum recitatio eſt omninò inſtitutum Apoſtolicum. Hinc certum eſt Imperialis nominis recitationem ſtatim à Conſtantini Baptiſmo cæpiſſe. *Plinthon*, inquit Georgius Cedrenus, *Græci vocant laterem coctum. Erat autem Plinthus quædam publica, in qua Senatorum ac Legionum nomina inſcribebantur. Quadrata figura in muro Plinthus erat.* Loquitur cum Cornelio Tacito in libris Annalium: *Aurelius Cotta Conſul nomen Piſonis radendum faſtis cenſuit.* Utique è faſtis Conſulum. Nec ſolas Conſulum aut Senatorum, ſed etiam Imperatorum fuiſſe tabulas, teſtatur in Aureliani Imperatoris vita Flavius Vopiſcus: *Ab Auguſto in Diocletianum Maximianumque Principes, quæ ſeries Imperatorum ſit, index publicus tenet.* Et ex hiſce tabulis Domitianum, Commodum, Heliogabalum, alioſque malè functos Imperatores fuiſſe ſolenniter raſos, teſtantur Romani Scriptores. Haſce ergo tabulas, uti & plures Romanæ Reipublicæ mores, cum Conſtantini Baptiſmo adſumpſit etiam Eccleſia, cæpitque non ſolos ſuos Epiſcopos, ſed inſuper & vivos & defunctos Imperatores religiosè ac ſolenniter ad ſacrificium commemorare. Et hinc regnantis præſertim Imperatoris nomen continent omnes Latinorum & Græcorum Liturgiæ.

Fol. 169.

Lib. 3. c. 17.

Cap. 42.

Et ita ſervatum omninò fuit etiam in laceratis per barbaros Provinciis. Non barbari Regis, ſed ſolius Romani Imperatoris nomen perrexerunt Epiſcopi Deo commendare. Hinc enim Sanctus Cuthbertus Cantuarienſis Archiepiſcopus, Sancto Apoſtolo noſtro Bonifacio coætaneus, in ſua Cloveshoenſi Synodo ſtatuit: *Ut pro Regibus & Principibus publicè oretur.* Quod nempè uſque tunc non fuiſſet ita oratum. Exſtat Synodus apud Guilielmum Malmesbrienſem. Quæ antiqua forma omninò fuit ſervata etiam in Francia. Sicuti Francorum Reges Romanorum Imperatorum Laureata ſemper admiſerunt; ita & Epiſcopi conſtanter perrexerunt recitare ipſorum nomen. Et hinc Rex Dagobertus multa Eccleſiis legavit eo pacto, ut ejus nomen ſcriberent in librum vitæ, & omnibus Dominicis diebus & magnis feſtivitatibus recitarent. Ita habes in ejus vita apud Franciſcum du Cheſne. Clarum igitur eſt ejus nomen uſque tunc non fuiſſe recitatum: Tunc recitari cæpiſſe, non ut Regis, ſed ut benefactoris. De recitando Regio nomine etiam Apoſtolus noſter Bonifacius nullam in ſuis Synodis fecit memoriam. Prima memoria eſt apud Jacobum Sirmondum in Epiſcoporum Capitulari: *Ut cuncti Sacerdotes precibus adſiduis pro vita & Imperio Domni Imperatoris, & filiorum ac filiarum ſalute orent.* Quod ipſum poſteà firmarunt ſexta Arelatenſis, ſecunda Remenſis, tertia Turonenſis, & ſecunda Synodus Cabilonenſis. Arelatenſis addit id ſtatutum ad preces Imperatoris. Notandum eſt ſemper agi de Domno Imperatore. Nempè magnus Carolus, quouſque Francorum aut Longobardorum dumtaxat Rex fuit, nec cogitavit de iſto honore. Primùm cogitavit per Leonem tertium Pontificem evectus in Imperatorem, ſciens hanc eſſe unam ex Imperialibus dignitatibus. Quapropter forma illa, quam Catelanis prædicavit Petrus de Marca, nullum in antiqua Gallicanæ Eccleſiæ diſciplina habuit fundamentum.

Cap. 40.

Cap. 1.

Tertius Stephani Baluzii error adſerit Regii nominis recitandi neceſſitatem eſſe à magno Gregorio, ac ejus libro Miſſali. Verùm quod magnus ille Papa ritum iſtum ſuo Miſſali non inſeruerit, evincit ejus ad Anglos Legatus Auguſtinus, à quo Reges non fuiſſe recitatos eſt jam oſtenſum. Et quidem ſui Sacrificii ritum partim è Romano, partim è Gallicanis Miſſalibus collegit ille, atque ita hinc etiam conſtat à Gallicana tunc Eccleſia Regem non fuiſſe recitatum. Et Imperatori Mauritio, quem ſcimus ſuæ dignitatis fuiſſe zeloſiſſimum, pleno jure parebat tunc Roma. Quomodo igitur Regum, quos omnes ſibi ſubeſſe cenſebat, ille, nomina Gregorius ſuo Miſſali miſcuiſſet? Et iſto Miſſali ſola tunc Romanæ Cathedræ Metropolitica Provincia utebatur. Et Miſſale iſtud etiamnum hodiè nullum habet nomen Regis. Et in Sancta Paraſceve, ac in Paſchalis Cerei benedictione recitat nomen ſolius Imperatoris. Quocirca Occidentalis Imperii infirmitas iſtis nominibus viam in Miſſale aperuit. Cuncta ferè Occidentis Regna ſe pedetentim ſubtraxerunt ab Imperii obedientia, atque ita & Clerus & populus non amplius Imperatoris, ſed ſui Regis nomen cœpit recitare.

Verùm in ſolo Miſſæ Canone. Et ita omninò oportet. Ut poſt Collectas vel Regis, vel Imperatoris, vel etiam Domni Papæ nomen ſemper recitetur, eſt non tantùm præter, ſed & contra Rubricales Romanæ Eccleſiæ regulas. Scio ita paſſim fieri à multis, & tolerari à Romana Eccleſia: Utique diſpenſatoriè ob Regum reverentiam. Et hinc à Stephano Baluzio velim diſcere, qua auctoritate D. Petrus de Marca Catelanis Monachis & Clericis impoſuerit, iſtud recitationis onus? Certè illic non Epiſcopus erat, ſed dumtaxat Regius Præfectus, ideoque Sacri ritus non ſpectabant ad ipſum. Et quomodo allegavit Romani Miſſalis contextum? Genuina enim Romana Miſſalia nec in Canone habent Regis

nomen. Et quomodo hac in parte delinquentes Monachos aut Clericos edixit à Regiis Magistratibus puniendos ? Ecclesiastica, præsertim in Divino Sacramentorum Ministerio commissa, Sacerdotum delicta, non per Regios Magistratus, sed per solos Episcopos esse judicanda & punienda semper credidit Gallicana Ecclesia. Nolim addere Catelanos tunc legitimo & Catholico suo Regi fuisse rebelles & apostatas, ideoque & Regularem & Sæcularem Clerum compulsum ad hanc rebellionem & apostasiam in ipso etiam tremendo Sacrificio firmandam & profitendam. Verùm hæc non spectant ad præsens Scholion. Regii nominis recitationem fateor esse professionem obedientiæ. Etenim in Missæ expositione scribit Theodorus Andidorum Episcopus: *Postea adclamatio*, In primis recordare Domine Archiepiscopi nostri. *Qua insinuatur subjectio ad Superiores. Et commemorato Pontifici communicat, qui offert in fide.* Et incognitus Scriptor Græcus de vitandis hæreticis: *Ab antiquo tempore accepit Dei Ecclesia commemorationem Pontificis in adytis esse perfectam communionem. Scriptum siquidem est in expositione Divinæ Missæ: Commemorat celebrans Pontificis nomen, ostendens ad id, quod superius est, subjectionem, & communionem mutuam in fide cum eo, & in Divinis Mysteriis successionem.* Fateor hanc obedientiæ professionem legitimè fieri in Missa, etiam extra Canonem: at morem hunc Latina Ecclesia jam pridem omisit ex causis variis, quarum una esse possit multus Græcorum circa ipsum abusus.

Insignem abusum continet in Imperatorem Michaelem Palæologum, qui innocentem puerum & legitimum Imperii hæredem Joannem Lascarim barbaricè excæcarat, per Arsenium Patriarcham Constantinopolitanum data, & per Nicephorum Gregoram memorata sententia: *Patriarcha Sacris interdixit Imperatori, mentionem tamen ejus in Psalmodiis non sustulit, veritus ne ille per iracundiam gravius aliquid in Ecclesiam consuleret, nevè fumum fugiens incidere in ignem cogeretur.* Lib. 4. Ne plenè degradare videretur, dispensatoriè permisit ejus nomen recitari. Erat paradoxa dispensatio. Quis enim unquam audivit excommunicatum nomen recitari ad Altare & Sacrificium? Interim expurgare nititur Georgius Pachymeres: *Fuit in modo & circumstantia quadam hujus facti, quod jure quis reprehenderet. Sed nec defuit quod ad excusationem contra vicissim allegaretur pro sic agentibus, quod aliter vix possent. Inconsequens videri potuit, excommunicato nominatim Imperatore, permittere, quemadmodum fecit, Clericis, ut consuetas pro eo preces palàm in Choro pronuntiarent. Nam hoc erat ipsos cum eo in Sacris communicare, qui à communione abscissus fuerat. Tum prætereà Patriarcham ipsum per se operari rei Divinæ, in qua sciebat honorificè memorandum eum, quem diri anathematis vinculis irretisset. Verùm ad hæc dici potest, meritò visum fuisse habere in tali persona severitatem animadversionis, quæ aliquid è summo rigore remitteret. Periculum enim fuisse, ne si vel pauxillum plus acerbitatis adhibuisset, ministeretur negotio per se odioso, cuncta statim modico momento in perniciem præcipitata confunderentur, quemadmodum Empedoclæo contingebat globo, quem ventis compressis & sopitis fœtum, siquis imprudentius contrectaret, ex eo repentè procellæ immanes, cuncta latè conquassantes, erumpebant.* Lib. 3. c. 14. Responsum Arsenium longè abfuisse à Sancti Ambrosii constantia in excommunicatum Theodosium, Michaele Palæologo longè potentiorem. Ista sanè dispensatio fuit horrenda dissipatio indispensabilis Nicæni Canonis. Arsenius Michaelis nomen debebat radere, aut ipsum non excommunicare. Canones æquavit aranearum telis, quæ muscas capere solent, à scarabæis lacerari.

Etiam Imperatori Andronico primo Palæologo, qui sui Nepotis & Collegæ Andronici secundi nomen in Palatina Capella raserat, ac etiam in Patriarchali & omnibus ubique Basilicis radi mandabat, Patriarcha Esaias malè respondit Augustum nomen radi non posse, nisi ob hæresim. Ita latè habes apud Joannem Cantacuzenum. Rebelles nepotis in avum insolentias, & avi de ipsis apud Synodum querimonias exponit etiam Nicephorus Gregoras, & adjungit: *His auditis Pontifices, prudentia & eruditione ornati, adsenserunt, & nepotis nomen in omnibus Ecclesiis tacendum esse, donec corrigeretur, censuerunt.* Lib. 1. c. 44. Lib. 9. Etiam Patriarchæ Esaiæ cum nepote conspirationes exponit, & prosequitur: *Patriarcha sacris tintinnabulis pulsatis, coactoque magnæ circumforaneæ turbæ numero, sacris interdictum esse omnibus promulgavit, qui junioris Imperatoris nomen tacerent, & omnem Imperatori debitum honorem illi habere recusarent.* Quod nempè hoc summo honore Imperator privari non posset, nisi ob hæresim. Verùm erat inepta sententia, per meliores Episcopos meritò damnata. Etenim hæc nominis recitatio non est ex qualiscumque, sed ex plenæ, quam antiqui Canones titulant Perfectionem, communionis honoribus & characteribus, ideoque non solùm hæreticis & schismaticis, nec solis Flentibus & Substratis, sed etiam Consistentibus non possit impendi. Est solorum cum oblatione communicantium, seu Perfectorum. Ita Græcos, qui Latinis Canonum prævaricationem adsiduè objiciunt, schisma docuit Canones prævaricari.

Istius commemorationis dignitas insigniter etiam lucet ex elogio, quo Francorum Rex Dagobertus istas Ecclesiæ tabulas suprà titulavit librum vitæ. Est antiquissima phrasis. Etenim de radendo Presbyteri Bonifacii suspecto nomine dixit ad suum populum Sanctus Augustinus: *Si vobis placet, ut nomen ejus non recitetur, ne iis qui ad Ecclesiam accedere nolunt, demus occasionem quærentibus occasionem, non erit nostrum hoc factum, sed eorum, quorum causa fuerit factum. Quid enim obest homini, quod ex illa tabula non vult eum recitari humana ignorantia, si de libro vivorum non delet eum iniqua conscientia?* Ep. 137. Palam affirmat istas tabulas esse imaginem libri vitæ. Et certè sicut soli Perfecti intrant vitam æternam, ita & hi soli olim recitabantur ex istis tabulis, & Divinæ Bonitati, tamquàm ista vita digni, offerebantur. Restantes enim peccatorum reliquiæ

quiæ Consistentem, licèt non à Dei gratia, pro tempore tamen adhuc excludunt à vita æterna. Quæ omnia firmantur à laudatis Augustini verbis. Etenim de pessimo crimine non convictus, sed dumtaxat à compliçe accusatus erat Presbyter Bonifacius: & quod humana in quamvis partem probatio deficeret, ad Divinum à Sancti Felicis corpore judicium provocarat. Nihilominùs sufficienter suspectum censebant è populo varii, ejus nomini nolebant communicare, ideoque nec frequentare Ecclesiam, quousque ipsum non suspenderetur. Quod nempè ista suspicio illum excluderet à communione Perfectorum. Et Augustinus, licèt à tam terribili appellatione satis purgatum opinaretur, obedivit. Et hinc item lucet non solius Episcopi, sed etiam omnium Presbyterorum nomina tunc apud Afros fuisse recitata. Etiam quosdam hospites fuisse isto honore impartitos audivimus suprà ab Imperatore Michaele Palæologo. Nempè hospites Episcopos. Uti illos ad publicum sacrificium ac verbum invitavit, ita & isto honore adfecit avita disciplina. Quod ipsum etiam Abbatibus & gravioribus Monachis advenis fuisse delatum à Monasteriis, Qu. 61. testatur Theodorus Balsamon in Responsis ad Marcum Patriarcham Alexandrinum. Fundatoris nomen in fundata per ipsum Ecclesia quotidie recitari, scribit in Homiliis super Apostolica Acta Hom. 18. Sanctus Joannes Chrysostomus. Recens Regeneratorum ac plenè Reconciliatorum nomina fuisse recitata, est omnibus notum.

Quinti generalis Concilii Actis inserta est Mopsuestena Synodus, à qua Joannes istius Ecclesiæ Presbyter & sacrorum Vasorum custos omnia sua Dypticha proferre jussus respondit: *Habeo & alios duos membranaceos quaterniones veteriores illis, qui nunc sunt & recitantur. Quos & ipsos protuli, sicut videtis.* Et Acta Synodalia: *Et recitati sunt, & habent sic, pro quiescentibus Episcopis Protogene, Zozymo, Olympio, &c.* Coll. 5. Continebant nomina omnium Mopsuestiensium Episcoporum à primo usque ad ultimum defunctum. Et quia istic pro expuncto Theodori nomine insertum erat Sancti Cyrilli Alexandrini nomen, ille judicatus est statim à sua morte malè oluisse. Etiam Theodorum illum, quo cùm per litteras frequens communicavit Sanctus Gregorius Nazianzenus, non fuisse Mopsuestiensem, sed suum Prædecessorem, è suæ Ecclesiæ evicit Dyptichis Euphrantus Tyanensis Episcopus, secundæ Cappadociæ Metropolita. Et de Acacii, Flavitæ, Euphemii, Macedonii, ac Timothei Episcoporum, nec non Zenonis & Anastasii Imperatorum nominibus ex Ecclesiæ Constantinopolitanæ Dypticho erasis scripsit ad Hormisdam Pontificem Diosсorus ejus Diaconus, ac pro exstinguendo Acaciano schismate ad Orientalem Ecclesiam Legatus: *Non solùm hoc in ipsa sola Ecclesia, in qua Episcopus manet, verùm etiam per omnes Ecclesias fuit factum.* Quod item Donatistæ suorum Principum nomina recitarent ad altare, scribit in libris contra Parmenianum Sanctus Augustinus. Et in libro post Carthaginensem collationem ad Donatistas scripto dicit ex persona Catholicæ Ecclesiæ: *Ego in-* Cap. 4.

ter spiritus olim requiescentium recito Cæciliano. Et adversùs hanc recitationem intercedenti Grammatico Crescentio respondet: *Vide qua consideratione nolis in communione nostra eorum mortuorum memoriam fieri, quorum facta non novimus, quorum etiam bonam inter suos famam posteritatis successione didicimus.* Lib. 4. c. 45. Alia ergò defunctos Episcopos, alia defunctos Imperatores continebat tabula: Ambas habebat non solùm Cathedralis Ecclesia, sed & quævis Parochialis, imò & quodvis Oratorium Monachorum.

De vivorum tabulis statuit Canon Arabicus: *Sabbatho, & diebus festis, quando sunt Sancta super Altare posita, Diaconus memoriam faciat nominatim, primùm Patriarchæ, deindè Archiepiscopi, Episcopi, Chorepiscopi, Archipresbyteri, Archidiaconi. Quia isti sunt Gubernatores Ecclesiæ. Idcircò nominandi sunt ad Altare in Ecclesia, quandoquidem per eos omnia Ecclesiastica administrantur, & ipsi sunt in Ecclesia Superiores.* Cap. 64. Patriarchæ, Metropolitæ, ac proprii Episcopi recitationem mandant etiam Sancti Basilii, Sancti Joannis Chrysostomi, & aliorum Patrum antiquæ liturgiæ. Et hinc ut nullus sui necdum synodaliter damnati Patriarchæ, Metropolitæ, aut Episcopi nomen præsumat ad Altare non recitare, rigidissimè mandat octava Synodus. Hinc item Cæciliani, quem nulla Synodus damnarat, nomẽ omitti non posse dixit ad Crescenium Sanctus Augustinus. Jam pridem addidit secunda Vasensis Synodus: *Et hoc nobis justum visum est, ut nomen Domini Papæ, quicumque Sedi Apostolicæ præfuerit, in nostris Ecclesiis recitetur.* Papa enim in omni Ecclesia est superior, omnem gubernat Ecclesiam, & omnia ubique Ecclesiastica negotia per ipsum administrantur. Et hinc istum apud quosdam Ecclesiæ Gallicanæ Episcopos lapsum Canonem reparari per Ludovicum Pium Imperatorem, multis in epistola de Ecclesiastici ac Politici regiminis comparatione suadet, & Pelagii primi Pontificis auctoritate confirmat Sanctus Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis. Etenim de Præsidiariorum militum Presbytero scripsit laudatus Pelagius ad Laurentium Episcopum Centumcellensem: *Caveat sibi Presbyter ille sine nostri & tui nominis recitatione sacra Mysteria celebrare.* Et ad Gallicanæ iterùm Ecclesiæ in Tricassina Synodo adunatos Episcopos scripsit & Adrianus secundus: *Apostolicæ recordationis Papam Nicolaum in Codicibus vel Dyptichis Ecclesiarum vestrarum scribi, & nomen ejus inter sacra Missarum solemnia imprætermissè celebrari faciatis, ita ut aliis quoque fratribus, & Diœcesium vestrarum Sacerdotibus id ipsum agere præcipiatis.* Epist. 1. Græcorum Photiana, Nicolaum Pontificem ausa damnare, factio Gallicanos, quorum quosdam castigare compulsus fuerat laudatus Pontifex, Episcopos tentabat suo schismati adjungere. Ne adjungantur, & Nicolai tamquam damnati nomen omittere præsumant, hortatur & mandat Successor Adrianus. Et hinc lucet non solùm vivum, sed omnes defunctos Pontifices mansisse olim in tabulis, & ad Missarum solemnia fuisse suo loco & tempore recitatos. Ita semper fecit non sola Occi-

dentalis Ecclesia, sed omnis etiam Orientalis. Etenim Honorium primum Pontificem in suum errorem seducere conatus olim fuit hac sui commendatione Sergius Patriarcha Constantinopolitanus: *Tam apud Alexandrinam magnam Civitatem, quàm per universas sub ipsa Provincias, quæ nullo tempore usque nunc acquieverant nomen saltem simplex Divini atque laudabilis Patris nostri Leonis* laudare, *nunc præclara & magna voce in Divinis Actum. 12. Missarum Arcanis prædicant*. Exstat epistola in sexta Synodo. A Cyro Patriarcha Alexandrino initam cum Theodosianis ac aliis Eutychianistis concordiam laudat, inveteratam totius Ægyptiacæ Diœceseos in Sancti Leonis nomen prævaricationem & odium gloriatur ab ipso esse correcta, ideoque dictam concordiam à Romana Ecclesia ex nullo fundamento posse refutari. Quotiescumque enim Romana Sedes cum Orientali Ecclesia post exstinctum schisma iniit pacem, prima conditio fuit, ut Pontificis nomen rescriberetur in sacras Tabulas, & ad Altare solemniter recitaretur. Ita pro exstinguendo Acaciano schismate ad Joannem Patriarcham suum publicè exclamavit populus Constantinopolitanus: *Leonem Episcopum Romanum Dyptichis*. Omnium item Archimandritarum & Monachorum ad ipsum libellus habuit: *Additum in sacris Libris & venerabile nomen Leonis Romanorum Archiepiscopi, quod omnium maximum est, ut quod omnes ad rectam fidem excitavit*. In Synodalibus ad eundem Joannem relatio: *Quantum auctoritatem in petitione Venerabilium Monachorum obtinebatur, ut nomen sanctæ memoriæ Præsulis Romanorum Leonis in sacris Libris prædicetur, juxta quod exclamationes populi suprà & sedulò factæ sunt*. Exstant hæc in Synodo Mennæ Patriarchæ Actum. 5. Constantinopolitani. Et pro impetranda sexta Synodo scripsit ad Donum Pontificem Constantinus quartus Imperator: *Multam nobis instantiam fecerunt tam sanctissimus ac beatissimus Regiæ civitatis Patriarcha Theodorus, quàm Macarius sanctissimus Patriarcha Theopolios, ut ejiceretur Vitalianus beatissimus de Dyptichis, asserentes Honorium memorari propter honorem Apostolicæ Sedis antiquæ nostræ Romæ. Nam non acquiescere, ut memorentur Patriarchæ, qui postmodum fuerunt in prædicta sancta Romana Ecclesia, donec conquisitio & satisfactio proveniat verborum, de quibus contenditur inter utrasque sedes, & ita vestra Beatitudo consequenter memoretur. Sed hoc nos non acquievimus, id est, ut ejiceretur idem Vitalianus de Dyptichis*. Theodorus & Macarius erant Monothelitæ factionis Principes, Vitalianum ac alios Romanos Pontifices sibi sensérant graviter adversos, Honorium autem jactabant sibi favisse, ideoque ipsum solum cum Antecessoribus, nullum autem Successorem volebant in Dyptichis retentum. Ex quibus lucet non solius viventis, sed omnium etiam defunctorum Pontificum nomina viguisse, & recitata fuisse in Dyptichis Constantinopolitanis. Porrò licet ipse ejici non permiserit ad tempus, tandem tamen compulsus permisit laudatus Imperator, ideoque pro inchoanda Ecclesiarum pace ad ipsum in sexta Synodo dixit Theodori Successor Georgius: *A Deo coronate Domine, jubete mitti in* Act. 8. *Dyptichis sanctarum Ecclesiarum nomen sanctæ memoriæ Vitaliani Papæ Romæ*. Et Princeps reposuit: *Quod postulatum est à sanctissimo Georgio Patriarcha hujus à Deo servatæ nostræ Regiæ civitatis, fiat*. Quod Edictum omnis Synodus solemni acclamatione confirmavit. Dum item Imperator Michael Paleologus univit Ecclesias, Papalis nominis recitationem fuisse primum ab Apostolica Sede postulatum articulum testantur Nicephorus Gregoras, Georgius Phranzes, & Georgius Pachymeres. Et de facta per Florentinum Concilium unione scribit Sylvester Sguropulus: *Dominica proxima unionem insequenti, voluit Imperator Papæ nomen Dyptichis insertum commemorari, quamvis nihil ea de re retulisset ad suam Synodum, nec Papa popposcisset*. Et ipsam oblationem addit ab Eugenio Pontifice fuisse contemptam. Nempè recitatio ista tunc apud nos Latinos desierat esse in usu. At morem antiquum sciens Princeps nomen istud inscribi jussit Constantinopolitanæ Ecclesiæ tabulis, ac etiam in suæ Capellæ Sacris solemniter recitari. Quin & de Eugenio ad eundem Imperatorem scripserunt post Synodum Philotheus Alexandrinus, Dorotheus Antiochenus, & Joachimus Patriarcha Hierosolymitanus: *Accepimus tres à Papa Eugenio de Ecclesiæ unione litteras, ut ipsam amplecteremur, facteremusque Papæ commemorationem*. Exstat Epistola apud Leonem Allatium in opere de concordia Occidentalis & Orientalis Ecclesiæ. Nempè Eugenius accommodavit se ad morem Orientalem. Revera erat res summi ponderis & factæ unionis character fundamentalis, ad cujus admissionem ut eos, qui domi remanserant, schismaticos suaviter induceret redux Imperator, esse dixit simplicem, à Diacono dumtaxat fieri consuetam, dictionem: Omni modo conatus est ritus dignitatem diminuere. Verùm quantos illi adversùs ipsum concitaverint motus, videre possis apud memoratum Sylvestrum. Excitarunt tantos, quantos olim adversùs Sancti Joannis Chrysostomi nomen factio Theophili Alexandrini Patriarchæ, aut adversùs Acacii Constantinopolitani memoriam Ecclesia Romana. Et certè scabiosi nominis recitatio est omninò prævaricatio quinti Nicæni Canonis. Papale nomen sine gravissima injuria ac rebellione nec intra secretum Canonem possit taceri aut omitti. Insigniter hoc tradit in opere adversùs Guibertinum schisma Cardinalis Deusdedit, scribens de Nicolao secundo Pontifice, & sectatoribus istius schismatis: *Cum Nicolaus Colonienſem Archiepiscopum pro suis excessibus corripuisset, graviter tulere, eumque hujus rei gratia, quantum in se erat, à Papatu deposuere, nomenque ejusdem in Canonem Consecrationis nominari vetuere, ideoque Decretum ejusdem*, utique factum in ipsorum gratiam, *irritum esse debebit, qui cum à toto orbe Papa haberetur, juxta eorundem sententiam ei sdem Papa non fuit, quasi non ex Dei, sed ex eorum tantùm penderet voluntate, quempiam quodlibet esse vel non esse. Romanus enim Pontifex, ut Sapientes norunt, non modò deponi non potest, sed etiam Christiano jure à quolibet non potest judicari*. Papale nomen

nomen radere est Papam degradare.

Duplex hic occurrit quæstio. Prima est, An sororum Superiorum, id est, Papæ, Patriarchæ, Metropolitæ, ac Episcopi nomina consueverint olim inscribi Dyptichis, & ad sacrificium recitari? Respondet Anonymus, eruditus tamen, Gregorii septimi Apologus: *Consuetudo erat* Sancti Gregorii *tempore, ut quilibet in aliqua Patriarchalium sedium noviter ordinatus se quatuor* generales *Synodos custodire reliquis sedibus transmissa Epistola profiteretur, antequam nomen ejus apud reliquas sedes in Dyptichis describi mereretur. Nomen videlicet Prædecessoris ejus, licet defuncti, reliquæ sedes computabant inter viventes, donec ipsius noviter inthronizati Præsulis Synodicam reciperent Epistolam*. Et hunc morem laudare videtur in Rescripto ad Ephesinam Synodum Sanctus Cælestinus Pontifex, agens de Nestorii, qui Sisinnio successerat, Successore: *Talem Successorem quærebat sanctæ memoriæ Sisinnii beata simplicitas, ut locum ejus nonnisi sui similis obtineret. Etenim melius agimus, si abstinentes jam ab illius* Epist. 20. *sacrilegi nomine, sedem vacasse dicamus*. Exstat Epistola post laudatam Synodum. Omnes igitur Patriarchales Ecclesiæ non solius proprii, sed omnium quinque Patriarcharum nomina habebant in tabulis, & ad sacrificium recitabant. Hinc de Sancto Ephremio Patriarcha Antiocheno ad sextam Synodum dixit Theophanes Abbas Monasterii apud Bajas: *Ephremius erat Patriarcha Antiochiæ, & recensetur in sacris Dyptichis sanctæ quæ hic est Ecclesiæ*. Utique Constantinopolitanæ. Et de Sancto Sophronio Patriarcha Hierosolymitano ipsa plena Synodus: *Nomen Sophronii inseri Sanctis Dyptichis sanctarum* Patriarcharum *Ecclesiarum, justum esse judicavimus*. Et Anatolium Constantinopolitanum Episcopum, quod Dioscori Alexandrini & Juvenalis Patriarchæ Hierosolymitani suspensa nomina recitare pergeret, durè increpavit Sanctus Leo Magnus. Epist. 40. 46. Ob Ephesini latrocinii Acta ipsos suæ solius Ecclesiæ communione usque ad novam Synodum esse contentos jusserat Pontifex, ideoque in sola propria, in nulla aliena Ecclesia poterant ipsorum nomina salutari. Et longum Antiochenæ Ecclesiæ schisma exstincturus Innocentius primus, Alexandrum Patriarcham confirmavit ea lege, ut non solùm Anteccessoris sui Evagrii, sed & Sancti Joannis Chrysostomi nomen reciperet in sacras defunctorum Episcoporum tabulas. Epist. 14. 17. Laudati Joannis nomen in omnibus Patriarchalibus Ecclesiis fuisse scriptum ac recitatum, lucet ex Sancti Cyrilli & Attici Constantinopolitani Episcopi mutuis Epistolis, quarum fragmenta Facundus Hermianensis Episcopus, integrum autem contextum adducit Nicephorus Calixtus. Quod etiam Petri Mogi, Pseudo-patriarchæ Alexandrini, damnatum nomen fuerit primum occultè, deinde palàm recitatum Constantinopoli, affirmat Evagrius Epiphanensis. Quinque Patriarchæ sunt quinque totius sub Cœlo Ecclesiæ Principes, ipsorum unitas est unitas totius Christianitatis, ideoque ipsam dictæ recitationis ac salutationis mutuo honore foveri, & subjectis ubique populis solemniter prædicari in Ecclesia, omninò conveniebat. Fiebat in solis Ecclesiis Patriarchalibus. Hinc enim Mopsuestena Ecclesia è suis Dyptichis rasit suum Episcopum Theodorum, ac ejus in locum scripsit Sanctum Cyrillum Patriarcham Alexandrinum. Ita apud quintam Synodum habes in relata istic Synodo Mopsuestena. Sanè si illic Alexandrini Patriarchæ habuissent tabulam sibi propriam, Sanctus Cyrillus insertus non fuisset in locum Theodori.

L. 5. c. 2.

Lib. 10. cap. 12.

L. 3. c. 14.

Act. 10.

Act. 13.

L. 4. c. 1.

Lib. 14. cap. 26.

Lib. 3. c. 20.

Infertus fuit ob magna sua in istam, & in omnem Ecclesiam merita. Etenim in Ephesino Concilio non solius Nestorii, sed & Theodori, licet suppresso nomine, errores Apostolicè expugnavit. Alienos non solùm Patriarchas, sed etiam Metropolitas, imò & Provinciales Episcopos, ob eximia merita aut fraternam amicitiam recipere in Dypticha, fuit mos antiquæ Christianitatis. Hinc enim non solos Dioscorum ac Juvenalem Patriarchas, sed & Eustatium Berytensem in prima Phœnicia Episcopum recitabat correptus à Sancto Leone Anatolius Constantinopolitanus. Nempè Anatolii Promotori Dioscoro Eustatius strenuè adstiterat in Ephesino Latrocinio. Quod Sanctus Epiphanius Salaminensis Episcopus ac Cypriorum Metropolita recitaret Joannem Hierosolymæ Episcopum, demonstrat illius ad hunc epistola. Et ad Constantium Mediolanensem Archiepiscopum scribit Sanctus Gregorius Magnus: *Quod scripsisti, quia scandalizantur plurimi, quia Fratrem & Coepiscopum nostrum Joannem Ravennatis inter Missarum solemnia nominatis, requirenda vobis consuetudo antiqua est. Et si consuetudo fuit, modò à stultis hominibus reprehendenda non est. Si verò consuetudo non fuit, fieri non debet: undè quibusdam scandalum moveri possit. Tamen sollicitè perquirere stude, si idem Joannes, Frater & Coepiscopus noster, vos ad Altare nominet. Quod minimè dicunt fieri. Etsi ille vestri* L. 3. Epist. 37. *nominis memoriam non facit, quæ necessitas cogat ignoro, ut vos illius faciatis. Quod quidem si sine aliquorum scandalo fieri non potest, vos tale aliquid facere valde laudabile est, quia charitatem, quam erga Fratres vestros habetis, ostenditis*. A Græcis Italiæ Exarchis inflati Ravennatum Episcopi Autocephaliam, & nescio quem Primatum somniare ex tunc cœperant, ideoque ad recitatum Joannis nomen offensus & scandalizatus fuit populus Mediolanensis. Putabat recitationem istam ab ipso non uti ab amico & Collega, sed dolosè ad fundanda sui istic Primatus exordia ambiri. Et eò etiam omninò respicit Sancti Gregorii Responsum. Recitationem istam non vult fieri nisi ultro citroque: Fundari vult, non in unius præeminentia, sed in utriusque Ecclesiæ sororia germanitate. Nam & Trevirensem & Remensem Belgarum Metropoles fuisse sorores frequenter inculcat Hincmarus Metropolita Remensis. Ista Ecclesiarum germanitas fuit olim usitata. Erat singularis quædam communio Sanctorum.

C. 2.

Altera quæstio est, Quomodo Gregorius septimus hìc edicat solius Romani Pontificis nomen posse in Ecclesiis recitari? An fortè avitam

illam, quæ omnium Patriarcharum nomina semper recitavit in omnibus Patriarchalibus Ecclesiis, consuetudinem damnat aut proscribit? Respondeo consuetudinem hanc nec damnari nec proscribi. Edicti sensum discès ex Rescripto Sancti Leonis noni ad Michaelem Cerularium Patriarcham Constantinopolitanum: *Scripsisti*
Epist. 6. *nobis, quoniam si una Ecclesia Romana per nos haberet nomen tuum, omnes Ecclesiæ in toto orbe terrarum haberent per te nomen nostrum.* A schismate recessurus Michael petiit nomen suum inscribi Romanis tabulis, spoponditque Pontificis nomen omnium suarum Ecclesiarum tabulis reddendum. Sed Leo noluit annuere. Mutua enim Patriarchalium nominum recitatio, viguit in solis æqualibus & consororibus orientalium Patriarcharum sedibus, numquam in Romana. Hæc enim Orientalium non tantùm soror, sed etiam caput est & mater, ideoque nullius, nisi sui solius Episcopi, nomen umquam recitavit. Quomodo nullus Metropolita suos Provinciales, nullusque umquam Primas aut Patriarcha subjectos sibi Metropolitas, ità Papa aut Romana Ecclesia nullum umquam recitavit Patriarcham. Præsens itaque Edictum procedit in memoratum præfati Michaelis inauditum factum, haberque hunc sensum: Solius Pontificis nomen debet ac potest in omnibus ubique, Romana præsertim, ac aliis ad ejus Patriarchicam potestatem spectantibus, Ecclesiis recitari.

Objici possit Theodorus Balsamon in Meditato de Patriarcharum juribus: *Statutum est, ut in quavis Ecclesia Dei, sive ad Eufratem, sive ad Tigrim, sive ad ipsum pertingat Oceanum, conjunctim Patriarcharum nomina referantur.* Et infrà in eodem opere: *Sanctissimi Patriarchæ pariter in omnibus Ecclesiis nominatim referuntur.* Et in Canonicis ad Marcum Alexandriæ Patriarcham Responsis affirmat omnem cum Papa Latinam Ecclesiam apostatasse, & prosequitur:
Q. 18. *Quam ob causam Papa in Divinis sanctificationibus communi Patriarchalium nominum relatione dignus non habetur.* Lucidè adfirmat non solius Papæ, sed omnium quinque Patriarcharum nomina in omnibus, etiam ad Oceanum sitis, id est, in Latinis Ecclesiis esse recitanda. Respondeo hæc non cohærere cum adsertionibus Georgii Pachymeræ, apud quem Imperator Michael Paleologus Constantinopolitanæ Ecclesiæ Clero suadens unionem cum Latinis, affirmat ad ipsam à nobis requiri tres dumtaxat articulos, nempè Papæ Primatum, commemorationem, & appellationem ad ipsum, atque pergit
L. 5. c. 18. de commemoratione: *Memorari Papam in nostro primario, & Patriarchali templo, in altero item, illo vestro magno Sacris operante Patriarcha, quid utique à recto exorbitans videri sapienter æstimantibus queat?* Adfirmat Papam non semper & ubique, sed semper dumtaxat in Palatino & Patriarchali, in aliis autem templis, non nisi dum Patriarcha illic Divina celebrarit, esse commemorandum. Quocirca etiam in istis solis Ecclesiis recitabantur nomina aliorum Patriarcharum. Quæ forma an generatim in aliis quoque civitatibus fuerit observata, ignoro. Quidquid sit,

Orientalium Patriarcharum nomina numquam recitavit Romana, immò nec ulla Latina Ecclesia: Nullo id possit ostendit testimonio vel exemplo. Et hinc ad Sanctum Leonem nonum Pontificem scripsit Patriarcha Michael Cerularius: *Si una Ecclesia Romana per te habeat nomen meum, omnes Ecclesiæ in toto orbe terrarum habebunt per me nomen tuum.* Magna spopondit, quod sciret à se postulari conditionem & novitatem impossibilem. Quare & Theodorus Balsamon aut juxta istius Michaelis ambitum loquitur, aut ex Latinorum rituum, uti Græci Schismatici frequenter, errore.

Recitationis ordinem & modum exponit in litteris ad Decentium Eugubinum Episcopum Sanctus Innocentius primus. Antequam preces Sacerdos faciat, affirmat non recitanda nomina, & priùs oblationes quam offerentium nomina Epist. 1. c. 2.
esse Deo commendanda, atque adjungit: *Priùs oblationes sunt commendandæ, quam eorum nomina, quorum sunt oblationes, edicenda, ut inter sacra Mysteria nominentur, non inter alia quæ ante præmittimus, ut ipsis Mysteriis viam futuris precibus aperiamus.* Romanum Missæ Canonem hinc lucet esse antiquissimum. Ad hæc ejus verba, *Et omnium circumstantium*, scribit in libro de Ecclesiasticis officiis apud Alcuinum Flaccum probatus & antiquus Auctor: *Manifestum est, quod quasi quidam locus sit, ubi aliquibus specialiter nominatis, etiam cæterorum, qui assistunt in Ecclesia, commemoratio adjungatur. In quo loco liberum est Sacerdoti, quos desideraverit, pecu-* C. 40.
liariter nominare, & nominatim Deo commendare. Aut certè illud ab antiquis est observatum, ut ibi offerentium nomina recitarentur. Priùs ergò oblationes sunt commendandæ, & tunc eorum nomina, quorum sunt, edicenda, ut inter sacra Mysteria nominentur. Prima ergò Canonis pars Oblata seu oblationes, altera Summi Pontificis, proprii Episcopi, Regnantis Principis, alia solemnia vivorum, ac singula denique offerentium nomina Divinæ Majestati semper commendavit. Uti olim consecranda elementa omnes aut plerique præsentes offerebant, ita & omnium offerentium nomina Diaconus recitabat è tabulis, & post completam recitationem pergebat Sacerdos: *Et omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis.* Vivorum igitur recitatio fiebat ante consecrationem. Pergit laudatus Scriptor de recitatione defunctorum: *Post illa verba, quibus dicitur*, In somno pacis, *usus fuit antiquorum, sicut etiam usque hodiè Romana agit Ecclesia, ut statim recitarentur è Dyptichis nomina defunctorum, atque ita post lectionem nominum subjungerentur verba sequentia: Ipsis & cæteris omnibus in Christo quiescentibus indulgeas locum refrigerii & pacis.* Hæc recitatio erat consecratione posterior. Auctori huic antiquus, prout modò exstat, Romanus ordo est & coætaneus & consentaneus. Etenim ad Missæ, quam pro primo baptizandorum scrutinio celebrat Ecclesia, hæc verba, *Memento Domine famulorum tuorum*, sic statuit: *Recitantur nomina virorum ac mulierum, qui ipsos susceperunt sunt infantes.* Et ad hæc verba, *Quam*

tibi offerimus pro famulis tuis, pergit: *Hoc expleto, recitantur nomina Electorum.* Quæ omnia etiam apud Græcos fuisse servata, lucet ex ipsorum Liturgiis. Et hinc dicunt Acta Synodalia sub Menna Patriarcha Constantinopolitano: *Post lectionem Sancti Evangelii, ex more Sacra Missa finita, & januis clausis, ac sancta le-*
Act. 5. *ctione juxta consuetudinem lecta, tempore Dyptichorum, cucurrit omnis multitudo cum magno silentio circumcirca Altare, & audiebat.* Dyptichorum itaque tempus erat post Evangelium, post dimissos Catechumenos, post clausas januas, post sanctam lectionem, id est, post commendata per Canonem oblata ante consecrationem.

Dico istius de Ecclesiasticis officiis libri auctorem non fuisse ipsum Beatum Alcuinum, sed quæmpiam illo juniorem. Etenim in Palmarum Dominica scribit solemniter cantari versum hunc: *Gloria, laus, & honor tibi sit Rex Christe Redemptor*, quem à Theodulpho Aurelianensi Episcopo esse compositum, lucet ex Sancti Lu-
Epist. 20. pi Ferrariensis Abbatis Epistola ad Alcuinum. Istius ergò Scriptoris tempore laudatus versus non solummodo exstabat, sed insuper in solemnem ritum ab omni, saltem Gallicana, Ecclesia erat receptus. Quod esse non potuit, nisi sub Regno Caroli Calvi, quod palam est ab Alcuino non fuisse visum. Præterea utitur voce, *Canoni-*
C. 36. *cus Regularis*, quam non, aut vix invenias ante celebratam sub Formosi Pontificatu Synodum Triburiensem. Et in suis ad Theodulphum no-
C. 13. 15. tis scribit vir eruditus Jacobus Sirmondus: *Librum illum de Divinis officiis non esse Alcuini jam alti observarunt.* Cujuscumque sit, notanda sunt hæc ejus verba: *Illud ab antiquis est observatum.* Et hæc: *Usus fuit antiquorum.* Edicunt Dyptichorum recitationem tunc pridem desiisse in omni Latina Ecclesia præter unicam, antiquitatis semper observantissimam, Romanam. Quod an planè verum sit, ignoro. Etenim lapsam Gallicanæ Ecclesiæ disciplinam reparans Carolus
C. 54. Magnus statuit in suo Capitulari Aquisgranensi: *Ut nomina publicè non recitentur ante preces Sacerdotales.* Confirmat istud ex laudata, quam verbo tenus adducit, Epistola Innocentii primi ad De-
C. 51. centium Episcopum Eugubinum. Etiam Francofordiensis Synodus habet hunc Canonem: *De non recitandis nominibus antequam oblatio offeratur.* Videtur eo usque viguisse publica recitatio, sed non suo loco: hunc solum videntur Carolus & Synodus ipsi restituisse. Et de pejerantibus sta-
C. 3. tuit secunda sub Caroli Calvi Regno celebrata Tullensis Synodus: *Neque oblatio eorum in Sacris, neque nomen inter fideles recitatur.* Et Ebbonis Remensis Episcopi ac ejus Antecessoris
Epist. 17. nomina consuevisse eodem tempore recitari solemniter in sua Ecclesia, testatur Successor Hincmarus. Attamen Amalarius Fortunatus, Walafridus Strabo, ac Rabanus Maurus, qui eodem ferè tempore docuerunt Gallicanam Ecclesiam, istius ritus nullam faciunt mentionem. Nec item septimo nostro Gregorio contemporalis Stephanus Eduensis Episcopus, ad Canonis
C. 13. verba, *Memento Domine famulorum tuorum*, hæc scribens: *Quos chariores habemus, hoc loco nomi-*

nare solemus. Ejusdem Ecclesiæ Monachus Honorius Augustodunensis in animæ Gemma exponit: *Hic poteris quosvis nominare, sed non in Dominica die. Nomina vivorum in libro scribebantur, quæ ad Altare infra Canonem recitabantur. Et hic liber viventium vocabatur. Similiter nomina defunctorum de libro recitabantur, sed hoc Dominicis diebus intermittebatur, quia à quibusdam animæ requiem ob Resurrectionem Dominicam tunc habere credebantur.* Ambo palam affirmant solemnem re- L. 1. c. 107.
citationem cessasse suo tempore, & solam superfuisse secretam, quàm solus apud semetipsum faciebat Sacerdos. Porrò in Lobbiensis Cœnobii sui Chronico scribit, qui floruit decimo sæculo, Abbas Folcuinus: *Dixit Adalbero Remensis Episcopus Prædecessorum suorum usque ad se ductam consuetudinem, ut inter Missarum solemnia in ea speciali commemoratione defunctorum, quæ suprà Dypticha dicitur, & in consecratione Dominici corporis solemniter agitur, quotidie in aurem Presbyteri recitante silenter Subdiacono, omnium ipsius sedis nomina scripto viritim recitentur Episcoporum.* Existimo Gallicanam sub Carolini generis Regno Ecclesiam ubique non fuisse uniformem, ideoque ipsius Scriptores variare. Antiqui ritus tenacissima semper fuit Remensis Ecclesia: Hinc solemnis per Diaconum fieri consueta ad populum recitatio in hanc secretam ad solas Sacerdotis aureas suggestionem est pedetentim istic transmutata. Istas saltem antiquitatis reliquitas voluit apud se permanere.

Quis & qualis Scriptor fuerit Micrologus, disputatur. Respondeo plures exstare libellos Micrologos. Etenim exstat Guidonis Aretini Mónachi ad Theobaldum ejusdem civitatis Episcopum Epistola, cui subjungitur liber Micrologus cum hac subnotatione: *Explicit Micrologus Guidonis, suæ ætatis anno trigesimo quarto, Joannis vigesimo Romanam gubernante Ecclesiam.* Hic est ille Monachus, de quo scribit ad undecimi sæculi annum vigesimum secundum Cardinalis Baronius: *Guido, maxima omnium admiratione, novam addiscendæ Musicæ rationem invenit, adeò ut puer paucis mensibus addisceret, quod pluribus annis vix homo quilibet pollens ingenio addiscere potuisset, magnoque miraculo accidere videretur, ut pueri senum & magistrorum magistri evaderent.* Erat res adeò mira, ut Benedictus octavus Pontifex Guidonem, uti de mala arte delatum, Romam evocarit, ejus disciplinam discusserit, ac tandem probarit. Quod ipsum fecit Pomposiani Cœnobii Abbas, suadens *à Monacho Monasteria esse Episcopatibus præferenda.* Quod nempè Pontifex Guidoni obtulisset Episcopatum. Et istum libellum Guido titulavit *Micrologum*, seu compendium. Idem posteà sub Gregorii septimi Papatu edidit Ecclesiasticorum Rituum compendium, ipsumque item titulavit *Micrologum*. Fuit tunc senex octogenarius. Etenim sub Joanne vigesimo, qui istius sæculi vigesimo quarto anno insedit Apostolicam Cathedram, testatur se fuisse annorum triginta quatuor.

Et de Romano sui temporis ordine sic scribit: *Ordo, ubi dicitur*, Memento Domine famulo-
rum famularumque tuarum, *nobis concedit*, Cap. 13.

ut omnium vivorum commemorevemus nomina, quoscumque voluerimus. Et infrà: *Sciendum est, quod Romana auctoritas vivorum fidelium nomina inter-numerare permittit, ubi dicitur*, Memento Domine famulorum. *Similiter & defunctorum.* Et in alio capite: *Nomina vivorum commemorentur,* Cap. 23. *si volueris, sed non in Dominica.* Et ad memento pro defunctis: *Nomina recitentur.* Quæ duo posteriora repetit antiqua, in Patrum Bibliotheca exstans, Missæ expositio, cujus Auctor Romanum etiam describit ritum, & videtur Micrologo fuisse contemporalis. Affirmant morem istum adhuc viguisse apud Romanos, verùm sine præcepto ad arbitrium Sacerdotis. Quod olim solis ferialibus diebus fieret recitatio, est falsum: Quod purgandæ animæ diebus Dominicis habeant requiem, caret fundamento. Ad eadem verò Canonis verba Innocentius tertius in libris de Missæ sacrificio adducit laudata apud L. 3. c. 6. Alcuinum verba, omissis tamen his: *Illud ab antiquis est observatum, ut ibi offerentium nomina recitarentur.* Etiam de defunctorum recitatione nullam facit memoriam, ideoque illa tunc omninò cessarat in Romana Ecclesia. Et hinc de sibi à Græcis oblata sui nominis recitatione parum aut nihil curavit Eugenius quartus. Hinc item Constantinopolim redux è Florentina Synodo, & ob Papalis nominis inscriptionem ac recitationem summos à schismaticis obices patiens Imperator Joannes Paleologus, dixit apud Sylvestrum Sguropulum: *Utinam hæc nobis prævisa* Lib. 12. c. 8. *fuissent ante constitutum iter in Italiam. Dypticha omninò è Liturgiis missa fecissemus.* Et apud Latinos penitùs abrogata viderat, ideoque doluit Constantinopoli adhuc vigere, & factæ Ecclesiarum unioni tantopere obesse. Pergit Sguropulus: *Patriarcha inchoat*, Memento Domine omnium Inspectorum gregis tui, & Episcoporum Orthodoxorum, qui rectè verba veritatis tuæ dividunt. *Adeò ut Patriarcha primum precetur pro rectè dividentibus. Cui statim succedens Diaconus elata voce enuntiat, qui sint hic rectè dividentes, & nostrum Patriarcham recenset, & aliquos Orientis.* Iste fuit ritus Græcæ recitationis, cujus caput non Patriarcha Constantinopolitanus, sed Papa debebat esse Romanus. Latini recitabant singula offerentium nomina, ideoque cessasse videtur recitatio, dum cessare cæpit consecrandorum Elementorum per populum oblatio. Suo loco id exponetur.

Omittere hic nolim verba Petri Blesensis. In exhortatorio ad nescio quam Synodum sermone asserit in Canone orandum pro Romano Pontifice, ejusque exprimendum nomen, & adjungit: *Quod verò quidam addunt de Rege & Antisti-* Ser. 46. *te suo, nova est traditio.* In Gallicana, Anglicana, Sicula, ac omni Italica Ecclesia ab Alexandro tertio usque ad tertium Innocentium floruit Blesensis, adeoque nominum recitatio tunc ubique adeò exoleverat, ut solus passim recitaretur Romanus Pontifex, & paucæ hinc inde, quæ proprium addebant cum Rege Episcopum, Ecclesiæ à viro doctissimo culpentur de novitate. At sine fundamento. Etenim non solius Papæ, sed & proprii Episcopi nomen recitandum, diserte ad centum Cellarum Episcopum scribit Pelagius primus. Quod ipsum suo Episcoporum Capitulari, dum lapsam Gallicanæ Ecclesiæ reparavit disciplinam, inseruit Carolus Magnus. Cap. 2. Laudatus apud Alcuinum auctor mandat illud Papali nomini statim adjungendum. Etiam Amalarius Fortunatus, Walafridus Strabo, Stephanus ac Honorius Eduenses. Exprimen- Cap. 1. dum Imperatoris nomen palàm jubent laudatum Capitulare, sexta Arelatensis Synodus, secunda Remensis, tertia Turonensis & secunda Cabilonensis. Exempti Græcorum Monachi, dum in Cap. 2. suis exemptis Ecclesiis celebrant, omittunt sui Cap. 4. c. 1. l. 6 Episcopi nomen, recitantque solum Patriarcham. Et hinc in jure Græco-Romano Michael Lymnensis Episcopus proposuit hanc quæstionem: *Mansiones quædam & Oratoria condita sunt* Lib. 2. Fol. 284. *ab initio sub Stauropegiis Patriarchalibus. Et ad ea pertinent possessiones quædam immobiles, sitæ in Episcopatus Sanctitatis meæ territorio. Et qui habitant ad ea Sacerdotes, nomen meum non referunt, cum Sacra peraguntur.* Et Georgius Xiphilinus Patriarcha Constantinopolitanus dedit hoc Synodale Responsum: *Licèt ipsæ possessiones immobiles sub aliorum Pontificum dominio sint, tamen eos, qui domicilium in eis habeant, sub Provinciæ Pontificis, veluti qui Pastoris jus habeat, gubernatione positos esse. Propterea videri Canonicæ subtilitati consentaneum, ut nominis ejus Pontificis, qui Provinciæ præest, relatio ab eis peragatur, qui in ipsius territorio domicilium habent.* Non ab exemptis Monachis, sed à solis spectantium ad ipsos Pagorum Presbyteris recitari suum nomen postulavit Michael: & ab his solis oportere fieri Patriarcha respondit. Et pro causa adduxit: Quod ita obligentur etiam Presbyteri pagorum spectantium ad alium Episcopum. Quod ipsum quidam etiam apud nos Latinos agunt exempti Clerici & Monachi. Existimo quod malè: Episcopis enim, licet non obedientiam & subjectionem, debemus tamen reverentiam, atque auxilia precum.

CANON

CANON XI.

QUod Papa est unicum nomen in mundo.

SCHOLION.

ESse dumtaxat tres legitimos Patriarchas, videlicet Romanum, Alexandrinum, & Antiochenum, in animæ Gemma rectè docet Honorius Augustodunensis, & adjungit: *Postquam Nicæna Synodus Romano Pontifici hoc contulit privilegium, ut sicut Augustus præ Regibus, ita & ipse præ omnibus Episcopis haberetur, & Papa vocaretur, jus Patriarchatus ad Constantinopolitanam* Lib. 1. c. 187. *Urbem, scilicet secundam Romam, est translatum.* L. 1. c. 42. Quod ipsum eisdem verbis tradit in libris de Sacramentis Hugo de Sancto Victore. Quod non ille ex hoc, sed hic ex illo verba transcripserit, suadent multa, atque ita lucet Honorium esse Hugone seniorem. Quod ipsum in Meditato de Patriarcharum privilegiis docet Theodorus Balsamon: *Quoniam verosimile est, quempiam interrogare, quæ vocabuli Papæ significatio sit, quæ Patriarchæ, quæ Archiepiscopi, & quamobrem horum quinque Capitum facultas atque privilegia sint eadem, cùm eorumdem nomina sint diversa, necessariò putavimus horum quoque velut apicem tangendum. Apud Latinos Papa dicitur Pater. Et apud Judæos Patriarcha dicitur Princeps seu Patriarcha Patriarum. Similiter Archiepiscorus erit Episcoporum Pater. Licèt ergò Papæ, Patriarchæ, & Archiepiscopi significata ratione linguæ diversa sint, nullo tamen modo potestate differunt. Quamobrem omnes etiam communi nomine Patriarchæ dicuntur. Sanctus quidem ille Sylvester, qui primus Romæ Pontificatum obtinuit, & qui primus Antiochiæ Pontifex fuit Evodius, non ab re Patres fuerunt appellati. Quippè necdum erant Patriarchæ, qui à Patribus instituuntur.*

Insigniter ac variè nugatur. Primò, garrit Patriarchas ac Patriarchalem potestatem non à Christo Domino aut Apostolis, sed esse à Synodis ac Imperatoribus, ideoque non fuisse ante Nicænum Concilium. Secundò, garrit primum Romæ Sanctum Sylvestrum, primum verò Antiochiæ Patriarcham fuisse Sanctum Evodium, & sic semetipsum lucidè evertit. Etenim Evodius in Antiochenam Cathedram proximus successit Sancto Petro Apostolo: Si Patriarcha fuerit, quomodo ista potestas non fuit ante Nicænum Concilium? Tertiò, Balsamon garrit & Sylvestrum & Evodium fuisse titulatum Patrem, seu Papam. Adserit titulum istum Antiochenis ab ipso Apostolorum tempore, Romanis autem Episcopis competiisse dumtaxat à sæculo Synodi Nicænæ. Et hic item sibi ipsi adversatur. Etenim eodem in opusculo adserit solùm cum Alexandrino Romanum titulari Papam, Antiochenum verò appellari Patriarcham.

Verùm quidquid sit de istius Schismatici Nugonis sensu, Romanus Primatus iste nequaquam à Nicæna, vel alia quavis Synodo, sed ab ipso JESU-Christo est, & Papæ titulus Romanis Episcopis dudum antea fuit attributus. Testem adduco Tertullianum, in libro de pudicitia scribentem de Sancto Zephyrino Pontifice: Cap. 13. *Bonus Pastor, & Benedictus Papa.* Et ex hoc avito more, non ex Nicæno Statuto in Chalcedonensi Synodo Sanctus Paschasinus Lilybeti Episcopus, ac Sedis Apostolicæ Legatus Sanctum Leonem vocavit *virum beatissimum, Papam urbis Romæ.* Quo titulo ipsum donarunt Legati item ac Episcopi alii, & ipsa plena Synodus in sermone acclamatorio ad Imperatorem Martianum. Aliis Patriarchis datur Archiepiscopi aut Exarchi titulus, nullus titulatur Papa. Quin immo in septima Synodo dixit Basilius Ancyræ Episcopus, primæ Galatiæ Metropolita: *Adrianus sanctissimus Papa, & Tharasius beatissimus* Constantinopoleos *Patriarcha.* Et in sua ad Romanam Ecclesiam appellatione Sanctus Patriarcha Ignatius se ipsum Archiepiscopum, Nicolaum Pontificem appellat Papam. Exstat in Synodo octava. Attamen sexta Synodus, licet Regiæ Civitatis Episcopos titulet tantummodo Patriarchas, non solùm Agathonem Pontificem, sed etiam Cyrum Alexandriæ Patriarcham appellat Papam. Rationem dat Nicephorus Calixtus, Sancti Cyrilli Patriarchæ Alexandrini Apostolicam in Ephesina Synodo Præsidentiam laudans, atque adjungens: *Ex quo tempore fama est Mitram illum & Papæ appel-* L. 8. c. 9. *lationem accepisse. Quæ deindè per successionem ad eos etiam pervenerunt, quibus forte Alexandrinæ Ecclesiæ Thronus legitimè obvenisset, Sacros Episcopos.* Idem scribit in adducto Meditato Theodorus Balsamon: *Alexandrinus propterea vocatus fuit Papa, quòd Sanctus ille Cyrillus in tertia Synodo privilegia Papæ Romani, Cælestini scilicet, acceperit.* Verùm longè aliter scribit Orientale Alexandrinorum Patriarcharum Chronicon: *Heraclas primus fuit, qui Papa cognominatus est.* Et- F. 250. iam Sanctum Dionysium Patriarcham Georgius Cedrenus titulat Papam. Sanctus item Epiphanius, Sanctus Hieronymus, aliique antiqui Magnum Athanasium assiduè vocant Papam Alexandrinum. Sanctus tamen Cælestinus possit Sancto Cyrillo titulum confirmasse. Eundem titulum laudatus Hieronymus impartit Chromatio Aquilejensi,

jensi, *Sancto* Augustino, & cunctis Episcopis. Et ad *Castorem* Aptensem Episcopum, cui suarum Institutionum libros inscribit, præfatur Joannes Cassianus: *Beatissime Papa Castor*. Vox Papa apud Græcos est parentibus dulcissima in-
L. 1. Ep. 17. fantum ac puellorum lingua, ideoque Papissare apud Comicos est innoxio eorundem more ab-blandiri parentibus. Hinc in litteris ad Alexandrum secundum Pontificem, & in litteris ad Go-
L. 7. Ep. 12. defridum Lotharingiæ Ducem, etiam Sanctus Petrus Damiani Regii pueri Pædagogum appellat Papam seu Pappatem. Primi fideles Episcopis suis tamquam infantes parentibus suberant, ideoque ipsos appellabant Papas. Plus dicit in libro de rebus Ecclesiasticis Walafridus Strabo:
Cap. 7. *Papa cujusdam paternitatis nomen est, & Clericorum congruit dignitati*. Hinc inter Constantinopolitanæ Ecclesiæ apud Georgium Codinum officia & dignitates est etiam Proto-Papa, quem nos Latini alia voce Græca vocamus Archipresbyterum. Græcorum Euchologion, & novellæ posteriorum Principum leges laudant etiam parvos seu simplices Papas, præscribuntque ritum ipsorum creandorum, id est modum faciendi Clerici, seu dandæ primæ tonsuræ. *Quando Episcopus*, inquit Isaacius Comnenus Imperator, *facit simplicem Papam sive Lectorem*. In litteris ad
L. 3. Ep. 60. Archiepiscopum Thebanum etiam Innocentius tertius Parochiales Græcorum Ecclesias vocat Papatus. Item in Constantinopolitana Sancti Flaviani Synodo Hæresiarcha Eutyches Archimandritam & Presbyterum Abrahamum titulavit Papam. Nobilis vir Florentius ibidem dixit de memorato Hæresiarcha ac Presbytero: *Papa Eutyches*. Et de Monacho ac Presbytero Isidoro Sylvester Sguropulus: *Venerabilis Papa Isidorus*.
Lib. 2. cap. 26. Apud Græcos ergo omnis, & Sæcularis & Regularis, Clericus appellatur Papa. Vocem tamen istam, dum Romanum Pontificem, & dum quemvis significat Clericum, aliter & aliter à Græcis scribi adnotat Jacobus Goar in eruditis Scholiis ad Euchologion.

Et hinc manet quæstio, An non simplicem omni Clerico communem, sed singularem & propriis sibi litteris scriptum Papæ titulum Sanctus Cælestinus donaverit, aut certè confirmaverit Sancto Cyrillo ac ejus Successoribus? Partem negativam suadet Theodori Balsamonis de hac re silentium. Etenim in suis ad Constantini donationem scholiis donatum Cyrillo Phrygium, seu mitræ usum extollit, de Papæ titulo totus silet. Partem verò affirmativam suadet in litteris ad Patriarcham Gradensem Petrus Patriarcha Antiochenus: *Quinque in universo orbe à Divina gratia dispositum est esse Patriarchas, Romanum, Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, Hierosolymitanum, sed neque ex his omnes propriè Patriarchæ nuncupantur, sed impropriè. Præsul namque Romanus Papa dicitur, Constantinopolitanus Archiepiscopus, Alexandrinus Papa, Hierosolymitanus Archiepiscopus, solus verò Antiochenus propriè sortitus est Patriarcha audire, dicique. Et hoc tua Charitas, si diligenter perquisierit, inveniet per omnes Scripturas confirmari.* Et Nilus Doxopatrius: *Ex usu antiquo id obtinuit, Romanum peculiariter dici Papam, similiter & Alexandrinum, Antiochenum Patriarcham*. Et iterùm: *Manserunt hæc quatuor ingentia capita, Romanus, Alexandrinus, Papa uterque dictus, postmodum Antiochenus & Hierosolymitanus, ambo Patriarchæ nuncupati*. Anteà tamen Hierosolymitanum, uti & Constantinopolitanum, dixerat non Patriarcham titulari, sed Archiepiscopum. Et in Meditationibus Theodorus Balsamon: *Sacræ litteræ, Patrumque traditiones Episcopum Romanum appellant Papam, itidemque Alexandrinum, & ipsum quoque Constantinopolitanum ac Hierosolymitanum Archiepiscopos, solum verò Antiochenum Patriarcham*. Omnes quinque affirmant esse & vocari posse Papas, & Patriarchas, & Archiepiscopos, sed non propriè, uti dixit Petrus Antiochenus.

Cur Constantinopolitanus ac Hierosolymitanus dicantur propriè Archiepiscopi, edicit ibidem memoratus Balsamon: *A sanctis Patribus est sancitum, ut eæ Diœceses, quę multas habent urbes sub Episcoporum gubernatione constitutas, à Metropolitanis administrentur, quos etiam ipsi Canones appellant Primos, quæ verò sub se non habent urbes aliquas Episcoporum regimini subditas, Archiepiscopos habent Pontifices, ut inferiores hæ quidem sint Metropolibus, at Episcopatibus superiores*. Distinguit veras, pluribus comprovincialibus Cathedris præfectas Metropoles, & Metropoles solo honore & nomine, nullius Provinciæ capita, nullis Suffraganeis præsidentes: Harum Episcopos dicit tantum Archiepiscopos, istarum verò Antistites titulari Metropolitas. Porrò Constantinopolitanus, dum Patriarchatum ambire cæpit, Provinciam Europam non divisit in duas, nec Heracleensi suo Metropolitæ subtraxit ullas subditas Cathedras, sed solus per se dumtaxat stetit tamquam Episcopus exemptus. Etiam ab illo tamquam à Provinciæ Metropolita consecrari semper perrexit, utpotè non habens Suffraganeos, à quibus Patriarchali more consecraretur. Eodem modo Hierosolymitanus divisit se à suo Metropolita Cæsareensi. Hinc eos Græci dicunt sic esse Patriarchas, ut tamen dumtaxat sint Archiepiscopi, non Metropolitæ. Cur ipsis solus Antiochenus sit Patriarcha, & cur Alexandrinus sit etiam Papa, usque huc ignoro. Posterioris videtur non esse alia ratio, quàm antiquus usus, aut certè laudatum Sancti Cælestini privilegium.

Respondeo hæc omnia esse recentiores Græcorum subtilitates. Olim enim Archiepiscopi titulo Metropolitæ fuisse digniorem, & omnes Patriarchas habuisse & Papæ & Archiepiscopi titulum, est nimis manifestum. Quod etiam Epist. 5. Latina Ecclesia, & Constantinopolitanum & 23. Hierosolymitanum Patriarchas olim titulaverit Papas, lucet ex litteris magni viri, Sancti Aviti Archiepiscopi Viennensis. Alexandrinam Ecclesiam per Marcum filium fundavit & rexit Sanctus Petrus Apostolus, ideoque illa Romanam, uti filia matrem, in ritibus & moribus fuit semper imitata. Ejus Patriarcham in Antistitum consecrationibus & cætero suæ Diœcesis regimine conformari ad Romani Episcopi consuetudinem jussit

jussit etiam sextus Canon Nicænus. Hinc forsan etiam fuerit à suis titulatus Papa. Quidquid sit, de præsenti Gregorii septimi Edicto scribit in suis ad Romanum Martyrologium notis Cardinalis Cæsar Baronius: *Quod ad Papæ nomen pertinet, cum futuris temporibus obtinuisset communis usus, ut tantummodò Romano tribueretur Pontifici, & schismatici illud sibi in odium ejusdem Romani Præsulis fastu superbo vindicarent, aliaque non concessa præsumerent, Gregorius septimus habuit Romæ Synodum adversùs schismaticos, ubi statuit inter alia plura, ut Papæ nomen unicum esset in universo orbe Christiano, nec liceret alicui seipsum vel alium eo nomine appellare*. Supremum ac universalem
10. Jan. Romanæ Ecclesiæ Primatum prima arietavit Eusebiana Arianorum factio, affirmans universalis Ecclesiæ regimen non Monarchicum esse, sed Aristocraticum, Christo Domino divisum æquo jure in tres, qui tunc soli erant, Patriarchas: Romanum, Alexandrinum, & Antiochenum. Eorum quemque in sua Diœcesi esse supremum. Constantinopolitanæ Ecclesiæ adulter Photius est aliam ingressus viam: Ecclesiæ Primatum, non à Sancti Petri meritis aut in ejus Episcopalem thronum successione, sed à Regia Romani Imperii civitate pendere voluit, ideoque cum Imperialibus privilegiis etiam Papalia privilegia jampridem Roma Constantinopolim migrasse. Hinc se dixit Patriarcham universalem non quovis sensu, sed caput & Principem omnium Patriarcharum. Quod ipsum Nilus Doxopatrius, Michael Anchialus, Anna Comnena, aliique istius schismatis fautores probant & firmare conantur. Alii tamen in capta per Gothos urbe, alii in Imperatoris Augustuli morte, alii alio tempore dixerunt migrationem istam eveniisse. Eandem audaciam nuper resuscitarat Patriarcha Michael Cerularius, asserens omnes Patriarchas sibi esse subjectos. Error etiamnum durabat hoc tempore, ideoque adversùs ipsum edixit Gregorius septimus Papale nomen esse unicum in mundo, nec posse esse aliud, quam Romanum. Pacis, quam Michael Ducas Imperator instanter urgebat, hoc esse voluit primum fundamentum. Quare per Papæ nomen non tam titulum intelligi existimo, quam virtutem & potestatem.

CANON XII.

QUod Papæ liceat Imperatores deponere.

SCHOLION.

SCabiosa est hæc quæstio, orta aut veriùs resuscitata ex facto Gregorii septimi, qui Henricum quartum Germaniæ Regem, ac Electum Imperatorem, excommunicarat, ac in excommunicatione & contumacia fœtentem tandem degradarat. Non solùm Germanicum Imperium, sed omnis Occidentalis Ecclesia fuit hinc divisa in partes, & quidam Gregorii actum adeò improbarunt, ut Henrici throno super impositum Rudolphum Sueviæ Ducem ironicè vocitarent *Regem Clericorum*. Eorum unus fuit
Fol. 5. Venericus Vercellensis Episcopus, in edito de conservanda Ecclesiæ unitate libro exclamans: *Quærit nunc aliquis Pontificum deponere populorum Principem, quod est excitare quasi incendium ad destructionem Ecclesiarum*. Asseverat esse inauditam novitatem: Reges esse Divino judicio reservatos, ideoque nec ob manifestam hæresim posse degradari. Etenim Zenonem, Anastasium, Leonem Isaurum, aliosque Ecclesiam & fidem Orthodoxam hostilissimè persequentes Imperatores dejicere, antiquis Pontificibus ne vel venit in mentem. Constanter vult Regiam potestatem esse immediatè à Deo, ideoque Reges ipsi soli subesse, & Regna ab ipso solo posse transferri. Esse hanc affirmat non tantùm Apostolicam doctrinam, sed & Evangelicam. Uti enim Apostoli Regem honorificandum, & pro ipso in Ecclesiis orandum; ita & Dominus præcepit reddenda Cæsari quæ sunt Cæsaris. Præsertim reddendum fidelitatis & obedientiæ Sacramentum, quod nulla humana potestate possit solvi. Domini ad Apostolos verbum, *Quodcumque solveritis erit solutum*, asserit de solis peccatorum reatibus, non de Sacramentis, aut professionibus accipiendum, & semper ab Ecclesia fuisse acceptum.

Factum suum Gregorius stabiliverat varia auctoritate: Auctoritate Innocentii primi, qui Arcadium Imperatorem ob commissas in Sanctum Joannem Chrysostomum violentias non Ecclesiastica tantùm communione spoliavit, sed etiam nomine Christiano. Epistola hæc apud Nicephorum Calixtum, humile Principis Rescriptum exstat apud Michaelem Glycam. Etiam auctoritate Magni Gregorii, qui Svessionensi ad Sanctum Medardum Monasterio datum privilegium ita concluserit: *Si quis Regum hujus Apostolicæ auctoritatis Decreta violaverit, honore suo privetur*. Et auctoritate Zachariæ Pontificis, qui Hildericum Francorum Regem degradavit uti inutilem, degradatumque in Monasterio totondit & clausit. Et exemplo Constantini

Ponti-

Pontificis, à quo Philippicus Græcorum Imperator scribitur fuisse dejectus. Hæc omnia Venericus asserit esse partim falsa, partim ficta & spuria, ideoque nullius ponderis. Et re vera adductæ Innocentii & Arcadii litteræ, ac etiam Sancti Medardi privilegium, habent aliquid dubii & caducitatis, ideoque nec ego adduxerim ipsorum auctoritatem. Hildericum non à Pontifice, sed à Regni Proceribus asserit degradatum; Pontificem illis dumtaxat rogatum consensisse.

Ejusdem ferè mentis fuit ille, qui Henrici quarti adversùs Gregorium septimum composuit Apologeticas Epistolas. Etenim ad hunc, quem non Papam Apostolicum, sed Apostaticum Monachum assiduè vocat, ex illius scribit nomine: *Tu humilitatem nostram timori fore intellexisti, ideoque in ipsam Regiam potestatem, nobis à Deo concessam, exsurgere non timuisti, quam à nobis auferre ausus es minari, quasi nos à te Regnum acceperimus, quasi in tua, non in Dei manu sit Regnum vel Imperium. Quia Dominus noster* JESUS *Christus nos ad Regnum, te autem vocavit ad Sacerdotium.* Et infrà: *Me, licet indignus inter Christianos sim ad Regnum vocatus, quem Sanctorum Patrum traditio soli Deo judicandum docuit, nec pro aliquo crimine, nisi à fide, quod absit, exorbitaverit, deponendum asseruit, cum etiam Julianum Apostatam prudentia Sanctorum Episcoporum non sibi, sed soli Deo deponendum commiserit.* Regnum & Sacerdotium ait esse duas ad mundi regimen à Deo ordinatas potestates, neutram alteri subesse, ideoque mutua invasione aut degradatione non posse confundi. Urget verbum Sancti Petri Apostoli: *Regem honorificate.* Nullam inhonorationem dicit posse esse majorem degradatione. Quæ omnia confirmat in litteris ad Sanctum Annonem Archiepiscopum Colonienſem. Fatetur tamen se ob hæresim, aut aliam quamvis à fide Apostasiam posse per Ecclesiam degradari. Quinimò ab Henrico filio postmodum crudeliter afflictus Romanam appellavit Ecclesiam, ejus per omnia judicio spondens parere. In aliis item, per Lucam Dacherium nuper publicatis, ad Hugonem Cluniacensem Abbatem litteris scripsit: *Cum videremus nobis violentiam & præjudicium fieri, tunc provoluti ad pedes eorum cæpimus supplicitèr implorare, cùm pro Deo, tum pro suo honore, ut hujusmodi quæstiones & objectiones differrent usque ad Apostolicam Sedem, concessa interim nobis dignitate propriæ libertatis usque ad locum præfatæ sedis, ubi præsenti Romano Clero & populo, remoto odio & invidia, & cæteris quæ justitiæ sunt contraria, liceret de objectis vel justè purgare, vel humiliter satisfacere.* Agit de Conventu Moguntino, ubi à Germaniæ Episcopis & Proceribus adjuta Papalis Legatio Gregorii nostri sententiam exsecuta, Imperium transtulit in filium Henricum quintum: Suæ ad Sedem Apostolicam appellationi, & promissæ obedientiæ lamentatur etiam hic non fuisse delatum. Etiam laudatum Cluniaci Abbatem supplicaverat sibi dari in Judicem. Quam duri in humiliatum tandem ac vetè conteritum Principem fuerint, non solum Romanus Pontifex, sed & ipsi Germanorum Epi-

Epist. 3.

Epist. 9.

scopi, ostendit & aggerat in Sclavorum Chronico Presbyter Hemboldus. Nempè Wormatiensis Conventus, in quo Gregorium horrendis calumniis incrustatum degradare attentarat, apud omnes pios manfit alta mente repostus. Ex Conventu isto miserat quasdam contumeliæ litteras, de quibus scribit in libro de bello Saxonico Bruno Merseburgensis: *Quæ litteræ cum Domino Papæ, in Basilica Lateranensi Sanctæ Synodo præsidenti, fuissent allatæ, & coram Synodo palàm recitatæ, tanta fit in Ecclesia commotio, ut Legatus, nisi inter Apostolici pedes defensionem invenisset, membratim laniatus interiisset miserabiliter.* Neque mireris hoc; Quales enim & quanti adversùm similes Eusebianæ factionis, Romanam appellationem & Monarchiam impugnantis, litteras fuerit Episcoporum motus in Lateranensi item Synodo, discere potes ex litteris Julii Pontificis.

Henrici causam strenuè tutatus est etiam Waltramus Magdeburgensis Archiepiscopus, apud Dodechinum Abbatem in Mariani Scoti Appendice hæc scribens ad Ludovicum Comitem: *Vas electionis Apostolus Paulus, Omnis, inquit, anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non enim est potestas nisi à Deo. Qui autem resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Sed amici nostri inter mulierculas & simplex vulgus somniant, Regiæ potestati subdi non oportere. Falsum ergo, quod omnem animam subdi oporteat.* Urget Apostolicam distributionem, *Omnem animam*: Ea etiam Episcopalem & Papalem vult comprehendi, ideoque Principis degradatorem Gregorium fuisse Divinæ ordinationis transversorem. Aliud à nemine asseverat somniari, nisi à mulierculis & simplici vulgo. Addit sibi suffragari Divinum etiam testimonium: *Hildebrandum enim, & Rudolphum, & innumeros Principes, qui Dei ordinationi in Henrico resistiterant*, adfirmat malè periisse. Hildebrandus seu Papa Gregorius obiit exul apud Salernum, Rudolphi autem per ipsum superimposita Imperatoris mortem exponit in sacri Belli Historia Guilielmus Tyriorum Archiepiscopus, dicens illum à Godefrido Lotharingiæ Duce, postmodum primo Hierosolymorum Rege, Henrici summo vindice, fuisse occisum. Etiam ipse Henrico videtur palàm patrocinari. De eodem Principe scribit laudatus Hemboldus: *Cum Henrico fuit sanctissimus ille Dux Godefridus, qui posteà liberavit Hierusalem, multique Potentum.*

A. 1084.

Lib. 9. c. 11.

Lib. 1. cap. 19.

Godefridum Gibbosum, suum avunculum & in Ducatu Antecessorem, quem ob hujus factionis tutelam Antverpiæ malè periisse affirmat laudatus Bruno Merseburgensis, secutus fuerat Hierosolymæ victor, tunc adhuc juvenis: Ambo interim fuerunt Principes prudentissimi, ideoque & ipsorum judicium Henrico multos conciliavit. Conciliavit non solum Sigebertum, doctissimum Gemblacensis Cœnobii Monachum, sed omnem etiam vastissimam tunc Lotharingiam, ac præsertim Ecclesiam Leodiensem, cujus ad Paschalem secundum Epistola sic habet: *Dicetis nos ideò habere excommunicatos, quia favemus Episcopo nostro* Oberto, *favenți partibus*

tibus Domini sui Imperatoris. In hac re sunt initia dolorum. Quia Sathanas solutus terram perambulans jam divisit Regnum & Sacerdotium. Et infrà: *Hildebrandus Papæ auctor est hujus novelli schismatis, & primus levavit Sacerdotalem lanceam contra diadema Regni.* Regiam degradationem affirmant esse novellas Hildebrandi traditiones, adversas naturalibus ac Evangelicis legibus, mandantibus non pejerari, reddi Cæsari quæ sunt Cæsaris, & Regem honorificari. Delinquentes Reges affirmant monendos, arguendos, & increpandos, verùm nullam esse ipsorum damnandorum potestatem: *Quia quos Christus Rex Regum in terris vice sua constituit, damnandos & solvendos suo judicio reliquit.* Henricum Regem constanter affirmant innocentem, falsoque accusatum ab Hildebrando, & adjungunt: *Nihil modò pro Imperatore nostro dicimus, sed hoc dicimus, quod etiamsi talis esset, tamen eum principari nobis pateremur. Quia ut talis nobis principetur, peccando meremur. Esto, concedimus vobis, illum talem esse, qualem dicitis. Nec talis à nobis repellendus esset armis contra eum sumptis, sed precibus ad Deum fusis.* Bonos in præmium ac solatium, pravos Reges dicunt populis dari in pœnam, ipsos contumaciter non esse degradandos, sed patienter tolerandos. Regi Henrico adversùs Romanam Ecclesiam adhæserunt adeò firmiter, ut Obertus Episcopus fuerit ab ipso etiam investitus. Etiam Guiberto Antipapæ, quem septimo Gregorio Henricus superintruserat, Obertus fuit fidelis. Ejusdem sententiæ fuit Cameracensis Ecclesia. Hinc enim Atrebatenſi, cui proprium Episcopum dedit, civitate ipsam privavit Urbanus secundus. Paschalis secundus usus est potentiori medicina: & in Cameracenses & in Leodienses immisit Robertum Flandriæ Comitem, ipsius armis conatus illos ad obedientiam revocare.

Easdem partes secutus fuit Waltramus Naumburgensis, seu Nurenbergensis Episcopus, ad quem Sanctus Anselmus Archiepiscopus Cantuarienſis scripsit hanc Epistolam: *Si certus essem Prudentiam vestram non favere successori Julii Cæsaris, & Neronis, & Juliani Apostatæ, contra Successorem & Vicarium Petri Apostoli, libentissimè vos ut amantissimum & reverendum Episcopum salutarem.* Henricum Imperatorem non Constantini, Valentiniani, aut Theodosii, sed Julii Cæsaris, Neronis ac Juliani vocat successorem, quòd nempè ille non istorum pietatem, sed horum impietatem æmularetur. Exstat Epistola in appendice Abbatis Dodechini ad Chronicon Mariani Scoti. Exstat & ejusdem Waltrami de laica Episcoporum Investitura libellus, quo Gregorii septimi adversùs istam etiam servitutem sanctissima Decreta hostiliter impugnat. Verùm Divina gratia tandem ejus mentem transmutavit. Exstat enim ejus ad laudatum Anselmum Responsoria de variis Ecclesiæ ritibus Epistola cum hoc Epilogo: *Glorificat Deum in me Catholica Ecclesia, quoniam in nostra mutatione Divinæ bonitatis apparet gratia. Gratia Dei sum id quod sum: Ex Saulo Paulus, ex Romanæ Ecclesiæ adversario, jutimus Paschali Papæ, acceptissimus*

Cardinalium Consecretarius, & in omnibus in hac parte prosperos spero successus. Exstat & Epistola, qua illi de tanta mutatione Sanctus Anselmus gratulatur.

Henrici causam tutatus est etiam quidam Cunibertus, Bambergensis Ecclesiæ Clericus, de quo Quintelburgensis Synodus: *Quidam Bambergensis Clericus, nomine Cunibertus, Romani Pontificis Primatui derogare volens, in medium Synodum se contulit, asserens Romanos Pontifices hunc sibi Primatum adscripsisse, non aliundè concessum hæreditasse, videlicet ut nullus de eorum judicio judicare debeat, nec illi alicujus judicio subjaceant.* Primatum hunc esse dixit juris dumtaxat humani, ideoque in supremos Reges nihil posse. Errorem latiùs exponit in suo Chronico Bertholdus Presbyter Constantiensis. Nec solum Cunibertum istum, sed insuper Wecilonem Moguntinum, Sigifridum Augustensem, & Norbertum Curiensem Episcopum, Simoniacos ac intrusos degradati Henrici defensores laudata Synodus damnavit. Hic est ille Wecilo, qui in Moguntino Conventu præsidens & Henricum defendere, & Apostolicæ Sedi adhærentes quindecim Orthodoxos Germaniæ Episcopos præsumpsit damnare de hæresi. Fundavit se in hoc Sancti Augustini loco, desumpto ex libris de Civitate Dei: *Deus unus & verus, quando voluit, & quantum voluit, Romanis Regnum dedit. Qui Mario, ipse Caio Cæsari, qui Augusto, ipse & Neroni, qui Vespasianis, vel patri vel filio, suavissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo, qui Constantino Christiano, ipse dedit Apostatæ Juliano.* Omne Regnum esse Dei ordinationem & donum Wecilo asseruit, ideoque Henrici degradationem sine hæresi ac in Deum rebellione non potuisse attentari. Synodalia Acta perierunt, ipsorum tamen sensus manet apud Venericum Episcopum Vercellensem: *Magna hæresis Dei ordinationi resistere, quod constat quindecim Pseudo-Episcopos fecisse, dum destruere nitebantur Regnum Henrici Regis, ei à Deo collatum.* Rectè Sancti Patres affirmant schisma esse hæresis exordium: Nam & hic vides Cunibertum istum à schismate in hæresim profecisse.

Lib. 5. cap. 12.

Omnium præcipuus ac Gregorio hostilissimè infensus Henrici Regis defensor fuit Cardinalis Benno: *Gregorius præter voluntatem & consilium Cardinalium, extra ordinem juris Sacris Canonibus determinatum, Imperatorem in nulla Synodo Canonicè accusatum præcipitanter excommunicavit, in qua excommunicatione nullus Cardinalium subscripsit.* Non quòd degradarit, sed quòd non servato juris ordine id fecerit, accusat Pontificem, adeoque à jam adductis defensoribus discordans admittit istam in Ecclesia potestatem. Et pergit: *Ut primùm ad excommunicandum Cæsarem de Sede Gregorius surrexit, Sedes ipsa noviter lignis fortissimis composita subitò Dei nutu terribiliter scissa est in plures partes.* Vult divino hoc ostento Gregorii factum fuisse improbatum. Verùm nemo alius meminit ostenti, ideoque cæteris Bennonis mendaciis est annumerandum. Brunonis Merseburgensis Clerici fides est authentica, ostenditque Udonem Trevirensem, Ep-

ponem Citizenſem, Guilielmum Ultrajectenſem Epiſcopum, necnon varios Germaniæ Proceres, dum Gregorii judicio adverſantur, malè periiſſe. Et quidem Guilielmus *in ipſo loco, in quo Romano Pontifici derogabat, ejuſque poteſtatem verboſus adnihilare laborabat*, lethali fuit morbo correptus publicè in Eccleſia, ubi cunctis magnæ ſuæ eloquentiæ viribus factam à Gregorio degradationem deridebat. Et ex mortis lecto Henrico Ex-Regi miſit hanc ſalutem: *Hoc ei mitto mandatum, quod ipſe, & ego, & omnes ejus iniquitati faventes, damnati ſumus in perpetuum.* Et Clericis ipſum ad meliora hortantibus reſpondit: *Quid aliud loquar, niſi quod verum eſſe viſibiliter intueor? Ecce enim Dæmones lectum meum circumſtant, quatenus mox ut exſpiravero, me rapiant. Itaque cùm fuero de corpore eductus, rogo vos & omnes fideles, ne ſe fatigent pro me faciendo ſupplicationes.* Et ita eſt defunctus. Et ex Sedis Apoſtolicæ mandato ſine commendationibus ſepultus. Etiam Abbati Cluniacenſi poſtmodum apparuit & dixit: *Non ſum vivus, ſed verè defunctus, & in inferno ſepultus.* Quæ omnia confirmant etiam Bertholdus Conſtantienſis, & Lambertus Schafnaburgenſis. A. 1076.

Henrico item, ſeu Imperiali potiùs Majeſtati, utcumque favit in opere de Geſtis Frederici primi Imperatoris Otho Friſingenſis Epiſcopus: *Cujus rei*, Gregorianæ in Henricum ſententiæ, *novitate eo vehementiori indignatione motum ſuſcepit Imperium, quod numquam ante hæc tempora hujuſmodi ſententiam in Principem Romanorum promulgatam cognoverat.* Et in univerſali hiſtoria: *Lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum Geſta, & numquam invenio quemquam eorum ante hunc à Romano Pontifice excommunicatum, vel Regno privatum, niſi fortè quis pro Anathemate habendum ducat, quod Philippus ad breve tempus à Romano Epiſcopo inter Pœnitentes collocatus, & Theodoſius à Beato Ambroſio propter cruentam cædem à liminibus Eccleſiæ ſit ſequeſtratus.* In ſeptimi libri Prologo Romani Imperii diminutionem & humilitatem deplorat admodum, & pergit: *Regnorum mutationes, & ad ultimum imminutiones quis fructus ſequatur, quia ſine gravi ſcandalo dicere non poſſumus, Deo relinquamus. Non deſunt tamen qui dicant Deum ad hoc Regnum imminui voluiſſe, ut Eccleſiam exaltaret. Regni quippè viribus ac Regum beneficentia exaltatam & ditatam nemo ambigit Eccleſiam, conſtatque non priùs eam in tantum humiliare Regnum potuiſſe, quàm ipſo ob Sacerdotii amorem eviſcerato, ac viribus exhauſto, non ejus tantùm, id eſt, ſpirituali, ſed ſuo proprio, materiali ſcilicet, gladio percuſſum deſtrueretur. Quod judicare, vel diſcutere, ſupra vires noſtras eſt. Videntur tamen culpandi Sacerdotes per omnia, qui Regnum ſuo gladio, quem ipſi ex Regum habent gratia, ferire conantur: Niſi fortè David imitari cogitent, qui Philiſtæum primo virtute Dei ſtravit, poſtmodum proprio gladio jugulavit.* Spiritualem degradandi Imperatoris poteſtatem videtur Eccleſiæ concedere, verùm quæ ſine materialis ab Imperio donati gladii adjutorio ſit inefficax. Hinc Pontifices illos, qui per Imperii dona impugnant Imperium, cenſet graviter L. 1. c. 2. L. 6. c. 35.

culpandos. Dubia eſt ejus mens. De evecto tamen per Henricum quartum noſtro Gregorio adjungit: *Gregorius Salerni manens, appropinquante vocationis ſuæ tempore, dixiſſe fertur, Dilexi juſtitiam, & odivi iniquitatem, propterea morior in exilio.* Eum inter omnes Romanos Pontifices affirmat fuiſſe *præcipui zeli & auctoritatis*. Loquitur cum Romano Martyrologio: *Salerni depoſitio beati Gregorii Papæ ſeptimi, Eccleſiaſticæ libertatis propugnatoris ac defenſoris acerrimi.* Quare inſigne mendacium continent hæc Auguſtenſis Chronici verba. *In Saxonia Clericus quidam, ut putabatur, defunctus, raptus ad inferos, poſt triduum reverſus, ſententiam, quam de tormentis Gregorii ſeptimi Papæ, Regulorumque Rudolphi & Hermanni, multorumque prætulerat, mortis ſuæ præſagio, aliarumque rerum indiciis affirmabat.* Quam piè Gregorius fuerit mortuus, authenticis documentis demonſtrat Hugo Flaviniacenſis. L. 6. c. 36. A. 1090.

Quod verò ſine Cardinalium conſilio atque ſuffragio Gregorius iſtam degradationem attentaverit, eſt aliud mendacium Cardinalis Bennonis. Longè aliter ſcribit Presbyter Hemboldus. Henrici publicam coram omni Romana, quo evocatus tandem iverat metuens degradari ob contumaciam, Civitate pœnitentiam deſcribit, & proſequitur: *Videntes Cardinales, & ii qui de Curia ſunt, quia præ timore Sedis Apoſtolicæ contremiſcunt Poteſtates, & curvantur ii qui portant orbem, ſuggerunt Apoſtolico, ut transferat Regnum ad alium virum, dicentes indignum eſſe, ut talis regnet, qui de publicis convictus eſt facinoribus.* Non ſolummodo Epiſcoporum atque Doctorum ſcholaſticis diſcordiis, ſed etiam armatis Principum pugnis, & horrendis populorum ſtragibus occaſionem dedit hæc degradatio, adeo ut Gregorius etiam à fidis Eccleſiæ & Apoſtolicæ dignitatis Zelatoribus fuerit præcipitii ac imprudentiæ redargutus. Poteſtatem illi agnoverunt, ſed ejus exercitium improbarunt uti importunum. Placet Hemboldi judicium: *Diſputaverint de his qui ſciverint, vel auſi fuerint. Unum hoc ſcire licet, quia Romana Sedes adhuc bodiè luit factum illud. A tempore enim illo, quotquot regnant de ſtirpe illa, omnibus modis nituntur humiliare Eccleſias, ne reſumant vires conſurgendi adversùm Reges, nec inferre quæ intulerunt Patribus eorum.* Qualiter Henricus quintus proximos Gregorii ſucceſſores Urbanum, Paſchalem, & Gelaſium vexaverit, tandemque cum Calixto talem pacem fecerit, ſuo loco oſtendetur. L. 1. c. 33.

Ejus veſtigia ſecutus eſt etiam Fredericus primus, de quo Alexandri tertii Pontificis, exſtantia apud Cardinalem Baronium, Acta: *Cùm beatus Alexander Papa Imperatorem benignè ac frequenter admonitum à ſua perfidia non poſſet ullatenus revocare, cum Epiſcopis & Cardinalibus in Cœna Domini apud Anagniam ipſum, tamquam principalem* ſchiſmatis & intruſi Anti-papæ Octaviani fautorem, *ac Eccleſiæ perſecutorem, excommunicationis vinculo ſolemniter innodavit, & omnes qui cum eo fidelitatis juramento tenebantur adſtricti, ſecundùm antiquam prædeceſſorum Patrum conſuetudinem, ab ipſo juramento abſolvit.* Actum hoc fuit duodecimi ſæculi anno ſexageſimo; A. 1160.

mo; at vero de Lateranenſis, poſt octo annos celebratæ per eundem Pontificem, Synodi Actis ſcribit ad Joannem Cantuarienſis Eccleſiæ Suppriorem Joannes Saresberienſis: *Reſloreſcit ſtatus univerſalis Eccleſiæ. Cùm enim Romanus Pontifex Theutonicum Tyrannum per patientiam diutiùs exſpectaſſet, ut vel ſic provocaretur ad pœnitentiam, & ſchiſmaticus abutens patientia ejus peccata peccatis adderet jugiter, ut error in amentiam verteretur, Vicarius Petri, à Domino conſtitutus ſuper gentes & ſuper Regna, Italos & omnes, qui ei ex cauſa Imperii religione jurisjurandi tenebantur adſtricti, à fidelitate ejus abſolvit, & Italiam ferè totam à facie furentis & præſentis tanta felicitate & celeritate excuſſit, ut in ea nihil habere videatur, niſi tortores, quos evitat interdum, & anguſtiarum, quas evitare non poteſt, juge ſupplicium. Abſtulit ei etiam Regiam dignitatem, ipſumque anathemate condemnavit, & inhibuit auctoritate Dei, ne vires ullas amodo in bellicis congreſſionibus habeat, aut de Chriſtiano aliquo victoriam conſequatur, aut ullibi quiete, & pace gaudeat, donec condignos pœnitentiæ fructus operetur.* Anti-Papam ab omni Imperio admitti edixerat ſub lædendæ Majeſtatis reatu Fredericus, ideoque ipſam Auguſtis & ſupremis, quibus Eccleſiam oportet defendi, armis Alexander cenſuit exuendum. Eum Hæreſiarcham, Teutonicum Tyrannum, ac Ex-Auguſtum paſſim vocat laudatus Joannes, & adjungit de Pontifice Alexandro: *Secutus eſt exemplum Gregorii ſeptimi Anteceſſoris ſui, qui noſtra ætate Henricum Imperatorem, Eccleſiæ privilegia convellentem, deponens in Concilio Romano, ſimili ſententia condemnavit.*

Etenim etiam Henricum priùs excommunicarat, nec niſi in excommunicatione ſordeſcentem cenſuit degradandum. Secutus hanc Regulam, quam apud Lambertum Schafnaburgenſem laudant Saxonum Epiſcopi & Proceres: *Quod ſi Henricus ante diem anniverſarium excommunicationis ſuæ, ſuo præſertim vitio, excommunicatione non abſolvatur, abſque retractatione in perpetuum cauſa ceciderit, nec legibus deinceps Regnum repetere poſſit, quod legibus ultra adminiſtrare, annuam paſſus excommunicationem, non poſſit.* Quam legem agnovit & ipſe Henricus. Hinc enim de ipſo per aſperrimæ hyemis medium ad obtinendam tempeſtivè abſolutionis gratiam tranſalpinante ſcribit præfatus Lambertus: *Dies anniverſarius, quo Rex in excommunicationem devenerat, è vicino imminens nullas accelerandi itineris moras patiebatur. Quia niſi ante eam diem anathemate abſolveretur, decretum noverat communi Principum ſententia, ut & cauſa in perpetuum cecidiſſet, & Regnum ſine ullo deinceps reſtitutionis remedio amiſiſſet.* Eruditus vir Lucas Dacherius nuper publicavit Belluacenſem Synodum, in qua Conon Prænestinus Epiſcopus, ac Paſchalis ſecundi per Galliam Cardinalis Legatus, publicavit hoc antiquum fragmentum Gregorii quarti: *Prædeceſſorum noſtrorum Statuta ſequentes, eos qui excommunicatis fidelitate aut Sacramento adſtricti ſunt, Apoſtolica auctoritate à Sacramento abſolvimus, quouſque ipſi ad ſatisfactionem veniant, & ne eis anteà fidelitatem obſervent, prohibemus.* Eſt A. 1076. Tom. 2.

revera antiquiſſimus Eccleſiæ Canon. Etenim de Joanne Patriarcha Antiocheno, & aliis cum ipſo excommunicatis Epiſcopis ſcripſit ad omnes ſub Cœlo Eccleſias Synodus Epheſina: *Synodus omnem Sacerdotii efficaciam illis ademit, per quam aliquibus vel nocere vel prodeſſe poterant.* Ita & percuſſis Regibus non Regnum, ſed ſolam, qua nocere aut prodeſſe poſſint, Regiæ Poteſtatis efficaciam eripit excommunicatio, adeoque profeſſam ſubditorum fidem omninò etiam ſuſpendit. At per totum annum producta inſordeſcentia eſt ſolemnis, qua ipſe Rex Eccleſiam, tamquam filius matrem, revereri & adversùs quoſvis rebelles adjuvare corporaliter juratus promiſit, profeſſionis contumaciſſima prævaricatio, ideoque Regia dignitate reddit patenter indignum. Hinc eandem ſine reſtitutionis ſpe olim auferebat. Et iſta lege, licet proprium ejus fontem nequeam producere, vivebat olim Romanum Imperium, ideoque Romani Pontifices, antequam ad Auguſti Principis procederent exauctorationem, excommunicationem præmittebant. Act. 1.

Et Alexandri factum à nullo tunc lego, niſi à quibuſdam Germaniæ ac Longobardiæ Epiſcopis, ipſum pro Anti-Papa habentibus, fuiſſe notatum aut reprehenſum. Epiſcopi iſti ſequebantur Pſeudo-ſynodum Papienſem, quæ Alexandri promotionem damnavit etiam ex hoc capite, quod ipſe adhuc Cardinalis Rolandus Adriano quarto Pontifici, eundem Fredericum degradare deliberanti, adhæſiſſet adversùm alios Cardinales. Doctrinam iſtam judicabant perverſam, ac diſcordiæ ſuſcitativam inter Sacerdotium ac Imperium, atque ita etiam in vero Pontifice poteſtatem iſtam dicta Pſeudo-ſynodus non agnovit. Pluribus hæc in Othonis Epiſcopi ſui ſupplemento refert Radevicus Presbyter Friſingenſis. Verùm doctrinam iſtam adeò conſtanter profecuta eſt Romana Eccleſia, ut etiam Urbanus tertius eundem à laudato Alexandro reparatum Principem denuò ob alias cauſas dejicere paratus, at partim per Germanorum Epiſcoporum ac Procerum, partim per Veronenſis Civitatis preces, ac tandem per mortem fuerit impeditus. At nihil adversùs poteſtatem, ſed multa dumtaxat adversùs cauſæ inſufficientiam allegaſſe Fredericum videre poſſis in Sclavorum Chronico apud Arnoldum Abbatem Lubecenſem. Et certè Urbanus erat civis Mediolanenſis, in ſua familia nuper multa paſſus à Frederici exercitu, ideoque aliquo animi ulcere in illum omninò laborabat. Filii ſui Henrici ſexti coronationem neque à laudato Urbano, neque ab ejus Anteceſſore Lucio tertio, impetrare potuerat idem Princeps. Et de Celeſtino tertio ſcribit Henricus Cnyghtonus: *Dominus Papa in Cathedra ſedens, coronam Imperialem pedibus inclinato capiti Imperiali demiſit, quam ſtatim pedibus in terram excuſſit. Deſignans per hoc, quod ipſe Papa habet poteſtatem creare Imperatorem ſi meruerit, & dejiciendi ſi demeruerit. Cardinales verò adſtantes coronam ſic excuſſam capiti repoſuerunt.* Apoſtolicam iſtam poteſtatem adeò tunc ipſi etiam coronandi Auguſti agnoſcebant. L. 3. c. 16. 17. 18. L. 2. A. 1189.

Eandem, adversùs quam per octodecim annos contumaciſſimè rebellarat, in Innocentio tertio poteſtatem in lecto tandem mortis agnovit Otho quartus. Teſtem adduco Godefridum Sancti Pantaleonis Monachum: *Ingraveſcente morbo, ubi ſibi diem mortis imminere cognovit Otho, Epiſcopum de Hildesheim, & alios Religioſos & ſapientes viros, ſcilicet Abbates & Sacerdotes convocat, & cum gemitu & lachrymis quid ſibi agendum foret, vel qualiter à nodo excommunicationis abſolvi poſſet, conſulit. Ad quorum conſilium cum mandato Apoſtolico parere juraſſet, ab Epiſcopo abſolvitur.* Et ita cum magna cordis contritione eſt defunctus. Quod ipſum ſcribit Chronicon Eccleſiæ Auguſtenſis. Et magnum Belgii Chronicon: *Innocentius Papa excommunicavit Othonem, & poſtea omnes ſubditos ab ipſius fidelitate ſub excommunicatione prohibuit. Et ita receſſerunt ab eo Lantgravius Thuringiæ, Moguntinus & Trevirenſis Archiepiſcopi, Dux Zeringiæ, Dux Bavariæ, Rex Bohemiæ, & multi alii, tam ſæculares quàm Eccleſiaſticæ perſonæ.* Ex quo vides omni tunc Germanico Imperio iſtum fuiſſe ſenſum. Hinc dum etiam Adolphum Naſſovium Imperatorem excutiendum decreverant Principes Electores, factas illi profeſſiones priùs ſolvi rogarunt à Bonifacio octavo, & non niſi ex ejus auctoritate ad Alberti Auſtriaci electionem attentarunt procedere. Et quia factum ſuum poſteà inficiatus fuit Bonifacius, omnis Imperii populus ab Alberto rediit ad Adolphum. Ita in ſuo Chronico ſcribunt Patres Prædicatores Colmarienſes. Etiam Wenceslai Auguſti deſtituendi auctoritatem dicti Electores poſtularunt à Romana Eccleſia. Lucet ex data in ipſum ſententia,

A. 1218. A. 1219. Fol. 218. A. 1298.

Omnium famoſiſſima fuit per Gregorium nonum inchoata, ac tandem per Innocentium quartum, & Lugdunenſe Concilium completa Frederici ſecundi degradatio: Adversùs quam non ſolùm omnes Imperii ſui vires, ſed & omnes Chriſtiani orbis Poteſtates ille movit, uti latè habes apud Matthæum Pariſienſem. Attamen citatus comparuit per Procuratores, Synodali judicio ſtetit, reſpondit, à ſententia appellavit ad majus Concilium, atque ita Eccleſiæ poteſtatem agnovit. Et quidem hanc Synodum, & afflictam à Frederico Romanam Eccleſiam ſtrenuè adjuvit Sanctus Galliæ Rex Ludovicus, de memorata tamen degradatione addit in Cœnobii ſui Chronico Richerius Monachus Senonienſis: *Hoc Rex Franciæ approbare noluit, quia Fredericus quondam juratus ſuus exſtiterat.* Ejuſdem ſententiæ fuit Henricus tertius Rex Anglorum. De Eccleſiæ tamen poteſtate nequaquam dubitarunt, ſed Fredericum crediderunt innoxium, & aut Innocentio aut ejus Synodo aliquid humani eveniſſe. Verùm ubi iſtius facinoroſas ad omnem Chriſtianum populum viderunt litteras, mutarunt mentem. Scribitque de ipſis laudatus Matthæus: *Reges memorati, quia muliebre videretur & inhoneſtum, ſtatim infeſtare quem priùs protexerant; non ſine murmure ſiluerunt adhuc diſſimulantes. At per hoc Domini Papæ conditio meliorata reſpiravit.* Frederico tandem facti ſunt capitales adverſarii. Eccleſiæ poteſtatem adeò agnoverunt.

L. 4. c. 9. A. 1245.

Frederici tamen partem fovere non deſiterunt alii, de quibus ſcribit Supplementum Conrardi Abbatis Uſpergenſis: *Hoc tempore fuerant in Suevia Prædicatores, qui in Pontificem Romanum & Cardinales magna dicendi libertate os aperirent, Frederici ſecundi & Conrardi filii ejus cauſam juſtificantes. Auſi dicere, apud Summum Pontificem, Cardinales & Epiſcopos nullam reſidere auctoritatem, quoniam omnes una labe Simoniæ maculati eſſent, nec quidquam à Chriſto tenere poteſtatis. Et quòd Sacerdotes in mortali conſtituti peccato neque ligarent, neque ſolverent, neque conſecrarent. Quòd nemo in orbe Chriſtiano interdicere poſſet Divinis Officiis, quodque ſine diſcrimine ea audirentur & celebrarentur impunè. Et in fine ſuæ prædicationis, indulgentiam, inquiunt, quam annuntiamus, non à Papa confectam, non à Prælatis compoſitam, ſed ex Deo Omnipotenti vobis annuntiamus.* Nempè degradandi Imperatoris Papalem poteſtatem tunc ubique omnes adeò confitebantur, ut fœdi etiam iſti blaterones ipſam Innocentio abjudicare non præſumpſerint, niſi ex turbulentis Donati & Circumcellionum principiis, garrientibus criminoſum Papam aut Episcopum nõ eſſe Episcopum aut Papam. Non poteſtatem, ſed ejus dumtaxat perſonam ſunt inficiati. Erronum originem ac Ducem prodit Chronicon Eccleſiæ Auguſtanæ. *Tunc ſupervenit quidam pauper ruſticellus, aſſerens ſe in nocte præterita feſtiva Michaelis raptum & ductum ad Tribunal Judicis cujuſdam, ubi audiſſet & vidiſſet, quod ad querimoniam Sanctorum ſententia mortis eſſet data in Othonem Ducem, & cæteros Principes pacis turbatores, & Eccleſiarum ac pauperum vexatores.* Otho Bavariæ Dux Frederici partes acerrimè tutabatur, ideoque ipſum & ejus ſequaces, nec non & Innocentium Pontificem, datæque per ipſum ſententiæ defenſores, auctor iſte vocat turbatores pacis, atque adjungit: *Cujus viſionis efficaciam Otho Dux, Innocentius Papa, Conrardus Rex, & alii Principes per mortem inſperatam ſunt experti.* Hæreticis his Blateronibus & Circumcellionibus Innocentius oppoſuit Fratres Mendicantes, primo tunc Divini Spiritus fervore plenos, præſertim Prædicatores ac Minores, de quibus ſcribit Albertus Argentinenſis: *Poſt Fredericum crevit potentia & ſuperbia Sedis Apoſtolicæ, ac Minorum & Prædicatorum, qui Fredericum & ſuos deteſtabantur. Tunc ipſa Sedes præ cunctis Ordinibus illos privilegiis exaltavit in tantum, quod nunc ipſa Sedes & Clerus vix defendantur ab illis.* Et huc reſpexit Germanus ille, qui gentis ſuæ adversùs Romanam Eccleſiam gravamina cum remediis congeſſit ad Maximilianum primum Imperatorem: *Provideat Cæſarea Majeſtas, ne Fratres mendicantes contra ipſam prædicent, qui Sedi Apoſtolicæ libenter deſerviunt, timentes perdere privilegia ſua.* Miſcent vera falſis, & Apoſtolicam Sedem, ejuſque fidos defenſores conſuetis calumniis infeſtant.

A. 1246. A. 1247. A. 1258.

Verùm in Ludovici quarti, per Joannem vigeſimum ſecundum degradati, cauſa Fratres mendicantes non fuiſſe concordes ſcribit Supplementum Abbatis Uſpergenſis: *Sub Ludovico*, cujus à laudato Joanne cœptam degradationem Clemens ſextus nuper in Cœna Domini confirmarat, *in civitatibus liberis & Imperialibus infra Sacerdotes erant graves diſſenſiones. Nam cùm civitates Ludovicum agnoſcerent, Sacerdotum quidam volebant Pontificiis litteris obedire, & interdicto uti, nec canere, nec legere: Ita ut Monachi Argentorati, maximè Auguſtinianæ familiæ, & in aliis urbibus, ſeptemdecim annis ſine cantu prorsùs eſſent. Minores & Prædicatores multis annis cantaverunt, tandem & ipſi ceſſant. Tunc illis dicebant Cives, ut canendo pergerent, aut ſolum vetarent.* Quàm conſtanter Ludovico, dum Joannem Pontificem degradare, & Petrum de Corbario intrudere attentaret, Fratres Auguſtinenſes Romani reſtiterint uſque ad Barbarica tormenta, docet manu-ſcripta apud Angelicam Bibliothecam hiſtoria Ægidii Cardinalis Viterbienſis. Nec tamen Ludovico fuerunt adverſati. Quòd enim Frater Ulricus Curienſis Epiſcopus, Moguntinæ Synodi ad Benedictum duodecimum Legatus, damnati Principis cauſam fideliter ac ſtrenuè peroraverit, in vita Sancti Bertholdi Conſtantienſis Epiſcopi oſtendit ejuſdem Eccleſiæ Preſbyter Bertholdus: & dictum Supplementum: Hi Moguntinæ Synodi Patres *rurſus mittunt Legatos, inſignes viros, Gerlacum Comitem de Naſſau, & Epiſcopum Curienſem. Eis Papa Benedictus benigniſſimè acceptis reſpondit ſe favere Ludovico, & quaſi flens conqueſtus eſt ſe non poſſe abſolvere Imperatorem metu Regis Franciæ, cum Bonifacii octavi exempla deterreretur.* Profunda enim & humillimè ſupplex Ludovici de juvenilibus ſuis inſolentiis pœnitentia omninò merebatur veniam. Quomodo ipſam & apud laudatum Benedictum, & apud Clementem ſextum violenter impedierint Francorum Reges, videre poſſis apud Albertum Argentinenſem. Ludovicus fuit adeò humilis, ut adversùs Pontificem Joannem, accuſantem de hæreſi, ſe purgaturus, publicè in Eccleſia Apoſtolicum Symbolum recitarit. Ita teſtatur magnum Belgii Chronicon. Et hæc forſan fuit una ex cauſis, ob quas Guilielmus Occham per octo de dignitate & poteſtate Papali quæſtiones, amplumque de eadem materia Dialogum, Marſilius Patavinus Defenſionem pacis, aliique alios vulgaverunt libros, quibus Ludovicum, tamquam à tribus ſucceſſivè Pontificibus oppreſſum, non tantum adversùs ipſorum perſonas & Acta perſonalia, ſed etiam adversùs ſedem & poteſtatem ſcandalosè atque erroneè defenderunt. Eos nuper novis typis donavit Melchior Goldaſtus, & ex rabida ipſorum medulla novum monſtrum protulit Joannes Barclajus. Verùm Sanctus Petrus Apoſtolus ſemper vicit. Quod enim etiam Ludovicus in contumaciæ ſuæ mercedem malè perierit in venatione, & quod ejus hæredes, civitates Imperiales, Germanici Imperii Proceres & Epiſcopi, contumaciam illius ſecuti, Sedi Apoſtolicæ tandem ſe ſubmiſerint, & cenſurarum ac aliorum Eccleſiaſticorum vinculorum abſolutionem ſupplices impetraverint, teſtatur & exponit in ſuis Annalibus Henricus Monachus Rebdorffienſis. Et de Rudolpho Conſtantienſi Epiſcopo ſcribit ejuſdem Eccleſiæ Chronicon: *Rudolphus cum*

Ludovico excommunicato, ob id quod Regalia ab eo acceperat, adhæſit decem annis, in maxima Summi Pontificis ingratitudine perſtitit. Quare dùm jam ſenio & corporis imbecillitate moleſtaretur, mirum in modum de eo doluit. Nec abs re. Quia ob eam cauſam, quamvis tunc tredecim annis præfeciſſet, & vita functus eſſet, in terram inconſecratam ſepultum eſt. Tandem autem cùm jam viginti circiter annos illic quieviſſet, ſuorum conſanguineorum, & aliorum benefactorum coram ſancta Sede Apoſtolica interceſſione, abſolutione obtenta, exhumatur, & Catholicæ traditur ſepulturæ. Nec deſunt alia ejuſmodi exempla. Epiſt. 35.

Etiam Philippum Pulchrum fuiſſe à Bonifacio octavo Pontifice degradatum affirmat ſupplementum Abbatis Uſpergenſis: *Bonifacius Regem Galliæ excommunicavit, & titulum Regni Gallici Alberto Imperatori Germanico dedit, ita ut Germaniam & Galliam committeret.* Audi cauſam: *Alberti auguſtam electionem comprobavit Bonifacius eo pacto, ſi Regem Franciæ impugnans, ſe Regem gereret & Romanorum & Francorum. Implacabiliter enim Rex Franciæ Pontificem offenderat, quod Pragmaticam ſanciens, Apoſtolicæ Sedi ſuum per Franciam diminuit honorem.* Regem ſuum acriter defendit Joannes de Pariſiis, Ordinis Prædicatorum Doctor Theologus, in libro de Papali & Regia poteſtate ſecutus ſententiam mediam: *Quod dicitur octavò, quod Papa deponit Imperatorem, reſpondeo, verum eſt illum quem ipſe poſuit, qui ab ipſo accepit feudum, & ex cauſa rationabili. Quod verò dicitur, quod Papa tranſtulit Imperium, poſſet ſolvi ſicut priùs. Poteſt nihilominus dici, quod Conſtantinum numquam dedit Imperium Eccleſiæ ſimpliciter, ſed dedit urbem, & quaſdam Provincias Occidentales, & ſigna Imperialia, ut de ipſis Provinciis diſponeret.* Conſtantini donationem exiſtimat veram, verùm de ſola urbe & Italia: Hujus Provincias vult eſſe Romanæ Eccleſiæ in Germanicos Imperatores feudale beneficium, ideoque ipſos his per Pontificem poſſe privari. Eandem donationem etiam laudat inferius, & pro ſuo Rege adjungit: *Ex quibus ſuppoſitis apparet, quod ex dicta donatione, & Imperii à Græcis in Carolum Magnum translatione Papa nihil poteſt ſuprà Regem Franciæ propter quatuor. Primò quidem, quia dicta donatio non fuit niſi de portione determinata, in qua Francia non includebatur.* Addit donationem ex vario capite fuiſſe irritam & nullam, Francoſque numquam ſubfuiſſe Romano Imperio, & proſequitur: *Ex dicta donatione, dato quod valuerit, & de toto Imperio fuerit facta, & dato quod Franci fuiſſent Imperio ſubjecti, quod non dicimus, adhuc Papa nihil poteſt ſuper Regem Franciæ, cùm non ſit Imperator.* Reges Imperio ſubjectos, non à Papa, ſed à ſolo Imperatore vult poſſe deponi. Excipit Romanæ Eccleſiæ feudales beneficiarios, quales ſunt Angliæ, Hungariæ, ac utriuſque Siciliæ. Eccleſiaſticam poteſtatem aſſeverat eſſe merè ſpiritualem, limitatam ad ſola ſpiritualia crimina & pœnas, ejus ſupremum flagellum eſſe excommunicationem, adeò ut Papa nec pecuniarias mulctas poſſit infligere. *Ultra excommunicationem*, inquit, *non poteſt aliquid* C. 16. C. 22. C. 14.

facere, nisi per accidens, quia si Rex esset Hæreticus, incorrigibilis, & contemptor Ecclesiasticæ Censuræ, posset Papa aliquid facere in populo, unde privaretur ille honore sæculari, & deponeretur à populo. Et infrà: *Ubi Rex peccaret in temporalibus, quorum cognitio ad Ecclesiam non pertinet, tunc Papa non habet ipsum corrigere primo, sed Barones & Pares de Regno, qui si non possint vel non audeant, possunt invocare auxilium Ecclesiæ, quæ requisita à Paribus in juris subsidium potest monere Principem, & procedere contra ipsum modo prædicto.* Existimat Papam aliud non posse in degradatione Regis, quam quod in Papæ degradatione possit Rex, cujus aliud non est munus, quam ad istum deponendum monere & movere Dominos Cardinales.

Eadem sententia Joannem Angliæ Regem, ab Innocentio tertio excommunicatum, & Papalis Censuræ observatores Clericos & Monachos horrendè persequentem, tutari olim tentaverat Alexander Cœmentarius, de quo Matthæus Parisiensis: *Ingessit se Consiliis Regis Pseudo Theologus quidam, Magister Alexander dictus Cœmentarius, qui suis iniquis prædicationibus Regem non mediocriter ad crudelitatem commovit.* Inter varios errores *affirmavit ad Papam non pertinere de Regum, sive quorumlibet Potentum Laica possessione, vel subditorum regimine. Et verisimilibus quibusdam probavit argumentis. Cum præcipuè Principi Apostolorum Petro nihil à Domino, nisi Ecclesiæ tantum ac rerum Ecclesiasticarum sit collata potestas. His & similibus fallaciis favorem Regis adeò promeruit, ut plurima à viris Religiosis beneficia per ejusdem Regis violentiam obtineret. Sed tandem ipsius perversitas cum ad Summi Pontificis aures pervolasset, ipso Papa procurante, bonis ac beneficiis omnibus spoliatus, ad tantam demum miseriam perductus est, ut in habitu pauperrimo & cultu, necessitate compulsus sit panem suum cum dolore ostiatim mendicare. Quem videndo multi subsannando dixerunt: Ecce homo, qui non posuit Dominum adjutorem suum.* Cunctas Judæ proditoris maledictiones in ipsum congesserunt. Et hinc tandem Innocentius à Joannis excommunicatione processit ad degradationem, Angliamque dedit Ludovico filio Regis Francorum. A. 1209.

Memoratam inter Germanicum Imperium & alia suprema Regna differentiam alii etiam Doctores probarunt. Et revera est aliquid differentiæ. Germanicum quippè Imperium à Romano Pontifice Leone tertio datum fuit Carolo Magno, hujus item Successoribus suo dudum arbitrio dederunt alii Pontifices, Principes Electores instituit Gregorius quintus, & Electi ac Electionis confirmationem Apostolica Sedes etiamnum obtinet, alia verò suprema Regna sine ejus adjutorio intrarunt in mundum. Et hinc de sola sua in Imperatores, utique Germanicos, potestate noster septimus Gregorius dictavit. Dixi, *Regna suprema*. Quin enim feudali jure subditos sibi Reges exauthorare possit Apostolica Cathedra, à nullo existimem dubitari. Isti debito omninò subjacebat Anglia, ideoque Innocentii tertii in Alexandrum Cœmentarium vindicta fuit longè justissima. Scabrosa atque odiosa est hæc quæstio. Ego neque Ecclesiasticam potestatem adulando ampliare, neque supremam fidelium Regum Majestatem arrodere volens, avitum Christiani dogmatis sensum producere sine fuco & dolo conabor.

Ante omnia laudandum, ac omnibus Episcopis strenuè inculcandum est laudati nostri Gregorii ad Hugonem Diensem Episcopum, suum in Gallia Legatum, qui Guilielmum primum Angliæ Regem ob quosdam in Normandia excessus tractarat durius, saluberrimum Rescriptum: *Præfatum Regem in talibus ulterius sine assensu nostro non exasperet. Videtur enim nobis multò melius atque facilius, lenitatis dulcedine ac rationis ostensione, quam austeritate vel rigore justitiæ, illum Deo lucrari, & ad perpetuum beati Petri amorem posse provocari.* Eandem Regulam Daimberto Senonensi Episcopo, suo Metropolitæ, commendat Sactus Ivo Carnutensis Episcopus: *Quia dispensationes rerum temporalium Regibus attributæ sunt, & fundamentum populi & caput existunt, si aliquando potestate sibi concessa abutuntur, non sunt à nobis graviter exasperandi, sed ubi Sacerdotum admonitionibus non acquieverint, Divino Judicio sunt reservandi, ubi tanto districtius sunt puniendi, quanto minus fuerint Divinis admonitionibus obnoxii.* Orationibus potius quam excommunicationibus in ipsos agendum docet item Sanctus Hildebertus Archiepiscopus Turonensis, & adjungit: *Deus est, in cujus manu Regum corda sunt cerea. Quocumque sibi placet, ea solus inclinat. Alterat in quam vult formam.* Et Alexandro tertio, ne Henricum secundum Angliæ Regem, de quibusdam Ecclesiasticæ libertatis quæstionibus contendentem cum Sancto Thoma Cantuariensi Archiepiscopo, interdicat aut ab Ecclesia separet, instantissimè per litteras apud Matthæum Parisiensem exstantes supplicat Gilbertus Londinensis Episcopus, & adjungit: *Ne Ecclesias innumeras subverti miserè doleatis, & tam Regem ipsum, quam innumeros cum eo populos à vestra obedientia irrevocabiliter avertatis. Sanguis Regius tum se demum permittit vinci, cum vicerit; Nec verecundatur cedere, cum superavit.* Antisiodorensem ac Aurelianensem Episcopos, cum Philippo Augusto Francorum Rege contendentes, ad pacificam transactionem exhortatus est etiam Innocentius tertius Pontifex, & adjecit causam: *Reges & Principes melius nonnunquam vincuntur mansuetudine, quam rigore.* Reges interioris hominis infirmitatem non plenè mortificatam & sanatam habent, ideoque Ecclesiarum Præfecti multam illis debent charitatem & dispensationem.

Porrò hæsitatio illa, qua de Ecclesiæ ad Reges excommunicandos potestate, ejusque ante Gregorium septimum exercitio fluctuat Otho Frisingensis Episcopus, caret fundamento. Ipsam didicit à nescio quibus Henrici quarti Imperatoris Palponibus, adversùm quos ad Herimannum Metensem Episcopum scripsit laudatus Gregorius: *Eis qui dicunt Regem non debere excommunicari, licet pro magna fatuitate nec respondere debeamus, tamen ne impatienter illorum insipientiam præterire videamur, ad Sanctorum Patrum dicta vel facta illos mittimus, ut eos ad sanam doctrinam revocemus.* Fideles Reges affirmat esse Christi Domini oves, ac Matris Ecclesiæ ex Deo Patre filios, ideoque ab illius potestate non posse esse exemptos. Loquitur ex Sancti Ambrosii de tradendis Basilicis sermone: *Quid honorificentius, quam ut Imperator Ecclesiæ filius esse dicatur? Imperator enim bonus intra Ecclesiam, non suprà Ecclesiam est. Bonus Imperator quærit auxilium Ecclesiæ, non refutat.* Facundus Hermianensis Episcopus elucidat: *Si Principes non alieni sunt à populo Dei, & pro ipsis quoque offertur sacrificium, Sacerdotes etiam ipsorum peccata portent necesse est. Et ideò nec temeritati, nec arrogantiæ deputetur, si Sacerdos etiam Principem peccare prohibeat.* Facundissimè doctrinam hanc demonstrat, & concludit: *Si Princeps quoque pro suis peccatis intercessorem vult habere Sacerdotem, etiam in suis peccatis castigatorem ferre non dedignetur, ut pro ipso intercedens possit audiri.* Quod ipsum in litteris ad Dardaniæ Episcopos docet Sanctus Papa Gelasius, confirmans exemplis Theodosii Magni, Theodosii secundi, Anthemii, Zenonis, ac Basilisci, Romanorum Imperatorum, nec non Hunnerici Wandalorum in Africa, & Odoacri Herulorum in Italia Regis, quos à Sancto Ambrosio, Sancto Leone, Sancto Hilario, Sancto Simplicio, ac etiam à se, nec non à Sancto Eugenio Carthaginensi Episcopo demonstrat fuisse correptos, compressos, ac etiam excommunicatos. Et in litteris ad Imperatorem Anastasium docet Sacerdotium ac Imperium esse duas in Ecclesia supremas Potestates, ita tamen ut hæc illi subsit, ac debeat colla submittere. Et hujusmodi Patrum testimonia possint adduci plurima.

L. 9. Epist. 5.

Lib. 12. c. 5.

Epist. 67. 68. 75.

Ep. 13a.

Nec desunt exempla. Etenim Magnum Theodosium fuisse à Sancto Ambrosio non publica tantum pœnitentia, sed & excommunicatione punitum, disertè in illius vita Paulinus Presbyter, in laudatis ad Dardaniæ Episcopos litteris Sanctus Gelasius, & in trium Capitulorum Apologeticis libris docet Facundus Hermianensis. Summi Principis & de Reipublicæ hostibus triumphos, & hanc humilitatem insigniter deprædicat, hanc istis præfert, & adjungit: *Piè admodum credidit, & sapienter intellexit Theodosius, quod non ex temporali potestate, qua fuerat etiam Sacerdotibus Dei præpositus, sed ex eo pervenire posse ad vitam, quod illis erat ipse subjectus.* Et infrà: *Non tale aliquid petimus corrigi, quale fuit quod excommunicatione ulciscebatur Ambrosius. Illud enim, quamvis fuerit malè gestum, creditum tamen erat Theodosii potestati.* Affirmat Theodosium non ob Christianæ legis Ecclesiasticum, sed ob Augusti officii civilem excessum fuisse ab Ambrosio excommunicatum, adeoque non solummodò Imperatorem Sacerdoti, sed & ipsum Augustum Imperium Sacerdotio, etiam coactivè, subesse. Et hinc ad Comites suos, ut ab laudati Ambrosii persecutione cessans procederet ad Ecclesiam, obsecrantes respondit Valentinianus secundus: *Si vobis jusserit Ambrosius, vinctum me tradetis.* Et hanc non solius Ambrosii reverentiam, sed omnibus Episcopis esse authenticam & communem potestatem, ostendit laudatus Facundus: *Credendum est, si nunc Deus aliquem Ambrosium suscitaret, etiam Theodosius non deesset. Sed cum minor est exigendi fiducia, minor est reddendi devotio.*

Lib. 12. cap. 5.

De eodem Ambrosio pergit laudatus Presbyter Paulinus: *Maximum*, Gratiani Augusti trucidatorem, atque invasorem Imperii, *à communionis consortio segregavit, admonens ut effusi sanguinis Domini sui, & quod est gravius, innocentis, ageret pœnitentiam, si sibi apud Deum vellet esse consultum. Sed ille cum pœnitentiam declinat superbo spiritu, non solum futuram, sed etiam præsentem salutem amisit, Regnumque quod malè arripuerat, fœmineo quodam timore deposuit, ut Procuratorem se Reipublicæ nomine præfuisse confiteretur.* Etiam hic vides Augustum Principem ob civilem excessum fuisse excommunicatum. Quod item Calendion Patriarcha Antiochenus Zenonis Augusti, in Chalcedonensem Synodum prævaricantis, nomen è sacris Dyptichis raserit, atque ita excommunicaverit, laudatus Gelasius in laudatis ad Dardaniæ Episcopos litteris affirmat. Etiam illius Successori Anastasio, se à Felice tertio Pontifice ac omni Latina Ecclesia damnatum conquerenti, respondent in Commonitorio ad Faustum Magistrum idem Gelasius, & in Apologetica Epistola Symmachus Pontifex ipsum à nullo penitùs, sed à variis successivè Pontificibus damnatum fuisse Acacium Constantinopolitanum Episcopum, cui ille communicando excommunicarit semetipsum. Quisquis enim excommunicato communicabat olim, incurrebat contagium ejusdem per omnia excommunicationis. Ex quo vides Augustum Principem non solum ab homine, sed etiam à Canone posse excommunicari. Et est penitùs necesse. Alioquin Patrum Canones, quod suo tempore questus est Sanctus Thomas Cantuariensis Episcopus, erunt similes aranearum telis, quæ solas muscas capiunt, & ab avibus disrumpuntur. Si orbis totius Princeps Augustus ita possit ab Ecclesia percuti, quidni possint & privatarum gentium Reges? Et quidem Augustum Principem non à solo Romano Pontifice, sed etiam ab Antiocheno, Mediolanensi, ac aliis etiam Episcopis vides olim fuisse punitum. Antiqua enim Regula ipsum illius, in quo degebat pro tempore, loci Episcopo subjiciebat. Quæ Regula dudum etiam in Regnis viguit. Adeò viguit olim in Gallicana Ecclesia, ut ad Alexandri tertii Pontificis Rescriptum, quo Henricum secundum Angliæ Regem vetuerat excommunicari per laudatum Thomam Cantuariensem, & ab ejus potestate ad tempus exemerat, Ludovicus septimus Francorum Rex fuerit graviter scandalizatus. Ajebat Sanctum virum sua potestate non fuisse sine culpa mutilandum. Exstant authentica horum Acta apud Cæsarem Cardinalem Baronium. Postea tamen cuncti Latinæ Ecclesiæ Reges privilegia, per quæ nonnisi à Romano Pontifice possint excommunicari, ab Apostolica Sede obtinuerunt. Ea suo loco producentur.

Omnis quæstio est, An Romani Imperii, ac aliorum à feudali vel quovis quoad erectionem vel electionem alio Ecclesiæ jure independentium Regnorum, Augustos ac supremos Principes possint Romani Pontifices, vel alii Episcopi etiam degradare? Distinguenda est duplex degradatio: Directa, ac indirecta. Directa est superioris in inferiorem per judiciale examen sententia: & hujus Ecclesia nullam habet potestatem. Rectè enim in suorum adversùs Petrum Mogum Pseudo-Patriarcham Alexandrinum Actorum Apologetico libro, ac in litteris ad Imperatorem Anastasium Sanctus Pontifex Gelasius affirmat solum Christum Dominum, ac ejus quosdam in antiquo Dei populo gerentes prænunciam figuram, fuisse Reges simul ac Sacerdotes, in novo autem Testamento divisas penitùs ac disparatas esse istas potestates, invicem ultrò citroque & exemptas & subjectas. *Quantum*, inquit ad dictum Principem, *ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ, cognoscentes Imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis Antistites, ne vel in rebus mundanis excluſæ videantur obviare sententiæ.* Quod ipsum in litteris ad Solitarios Sanctus Athanasius, & in Epistola adversùs Andronicum suæ Provinciæ Præfectum Sanctus Synesius Ep. 57. Ptolomaidis in Pentapoli Episcopus, ac in variis locis tradit Isidorus Peluſiotes. Romanum Imperatorem ex temporali potestate esse Dei Sacerdotibus præpositum scribit etiam Facundus Lib. 22. cap. 5. Episcopus Hermianensis. Et in litteris ad Leonem Isaurum Imperatorem Gregorius secundus Pontifex: *Ecclesiis præpositi sunt Pontifices à Reipublicæ negotiis abstinentes. Et Imperatores ergò similiter ab Ecclesiasticis abstineant.* Et in sequenti Epistola: *Quemadmodum Pontifex introspiciendi in Palatium potestatem non habet, ac dignitates Regias conferendi, sic neque Imperator Ecclesias introspiciendi, & electiones in Clero peragendi.* Supremum ergo Regem nequit Ecclesia evocare ad directum super Regiæ potestatis usu judicium, aut directè degradare.

Degradatio indirecta fit per injectionem pœnæ aut pœnitentiæ alicujus Ecclesiasticæ, cujus humilitas inducat incapacitatem ad Regnum. Qua via possint etiam Clerici & Episcopi degradari. Plerisque enim olim Orthodoxis Africæ Episcopis fuisse à Donato in Casis nigris Episcopo, aliisque Donatistis impositam pœnitentialem manum, atque ita illos factos esse irreparabiliter irregulares ac exauctoratos, testatur & queritur Sanctus Optatus Episcopus Milevitanus. Pœnitentialis manus tanta erat humilitas, ut etiam lapsis ac degradari dignis Sacerdotibus ac Diaconis imponi non posset ob Hierarchici Sacramenti reverentiam. Et quisquis ipsam, etiam innoxius, ac per violentiam acceperat, deinceps per nullam dispensationis gratiam poterat esse Hierarcha. Præfatus Donatus, nullius Provinciæ Primas, sed modici in Numidia Oppidi Episcopus, licet non directo judicio, ista tamen indirecta via potuit Collegas degradare. Potuit validè, sed non legitimè. Quòd humilem istam manum non solùm integris, sed etiam lapsis Hierarchis imponi Apostolica traditio non permittat. Et hinc ipsum, quod lapsis licet Episcopis eam à se impositam confiteretur, Melchiades Pontifex Synodaliter damavit. Percussos à se Episcopos ille lapsos & traditores, alii adfirmabant fuisse stantes & integros. Varii facti operosam quæstionem discutere, & tempus absumere Pontifex noluit, sed turbulentum hominem ex dicta confessione damnavit.

Ejusmodi indirectam Imperatorum ac Regum degradandorum viam mater Ecclesia habet non solummodò validam, sed & legitimam. Eam apud Lambertum Schafnaburgensem adduxerunt Saxoniæ Episcopi & Proceres, asserentes Henricum quartum Imperatorem tanta *facinora patrasse, quæ si secundùm Ecclesiasticas leges judicarentur, & conjugium, & militiæ cingulum, & omnem prorsùs sæculi usum, quantò magis Regnum abdicare conferetur.* Locuti sunt ex Siricio Pontifice, qui Himerio Tarraconensi Episcopo rescripsit militiæ cingulum post actam publicam pœnitentiam nullatenus posse resumi, resumptionem esse relapsum, ideoque resumptoribus secundam pœnitentiam non esse credendam. Et ex litteris Sancti Leonis Magni ad Rusticum Metropolitam Narbonensem: *Contrarium omninò est Ecclesiasticis regulis, post pœnitentiæ actionem redire ad militiam sæcularem.* Et de nescio quo ad publicam pœnitentiam damnato Wimaro scripsit ad Rivoladrum Episcopum Nicolaus primus Pontifex: *Arma*, utique post peractam pœnitentiam, *non ferat, nisi contra Paganos.* Exceptio ista erat gratiosa dispensatio: Quod nempè avitus Ecclesiasticæ disciplinæ rigor tunc solvi cœpisset. Hinc & Rudolpho Bituricensi Archiepiscopo, de talibus, quos non nisi cum gravioris lapsus, & desperationis periculo poterat compescere, militiæ resumptoribus consulenti, idem Pontifex respondit crimina esse varia, varias personarum & locorum circumstantias, indulgetque facultatem dissimulandi. Cujus pietatis quasdam adhuc reliquias superfuisse nostri septimi Gregorii tempore, lucet ex Epistola ad Britonum Episcopos ac Proceres, ex ejusdem quinta Romana Synodo, & ex Melphitana Urbani secundi. Publica pœnitentia erat sanctioris deinceps viræ professio solemnis, item publicum in cilicio saccum, pulverem, geniculationem ad fratrum pedes, aliamque multam publicam humilitatem includebat, ac proindè à conjugio, negotiatione, publicis judiciis, quavis militia, aliisque peccati pericula comportantibus functionibus jubebat cessare, & militaris balthei dignitate reddebat indignum. Hæc dignitas præsertim resident in Regio diademate, ideoque longè magis ipso humilitas ista privabat. Ita in chartula, quam Imperatori Lothario porrexit in Compendiensi Conventu, docet etiam Sanctus Agobardus Metropolita Lugdunensis. Erudita charta est videnda. Idipsum demonstrat duodecima Toletana Synodus: Hac de causa Wambam Regem jussit Regno cedere, Cap. 1. & Eringii exaltationem comprobavit.

Adducta Nicolai Pontificis & Agobardi testimonia ostendunt hanc disciplinam viguisse etiam in Gallicana Ecclesia. Agit namque Agobardus

dus de ista Synodo, in qua & ipse, & Ebbo Remensis, & alii Galliarum Episcopi Ludovicum Pium Imperatorem ac Regem coegerunt ad publicam pœnitentiam, armis & baltheo discinxerunt, atque ita degradarunt. Et quidem non ob causam Ecclesiasticam, sed ob varios in Regni administratione excessus, & Judithæ Imperatricis cum Bernardo Tholosano Comite suspectam consuetudinem, de qua apud Stephani Baluzii in Agobardum notas scribit Odo Aribertus: *Filius Bernardi vulgò credebatur Carolus Calvus*, Francorum Rex, *& os ejus mirè ferebat, natura adulterium maternum prodente.* Quam infamiam exstinguere sperans Carolus, Bernardum propria manu dolosè contra datam fidem Tholosæ obtruncavit. Aliis etiam excessibus Bernardus fœdabat Palatium. Ludovici crimen erat, quòd nimium mollis ista non crederet, aut certè dissimularet, & istis sordibus non expurgaret Regiam domum. Hinc ejus ex priori thoro filii Lotharius ac Ludovicus detulerunt ad Episcopos, hi ipsum ac simul adulteram tractaverunt jam dicto modo, & hanc in Sanctæ Radegundis Pictavensi, illum in Sancti Medardi Svessionensi Monasterio ad perpetuam pœnitentiam clauserunt. Largè hæc videre possis apud varios Francicarum rerum Scriptores. De dictis filiis & conspirantibus Episcopis scribit Ludovi- A. 833. ci Astrologus: *Damnatum & absentem & inauditum, neque confitentem, neque convictum, ante corpus Sancti Medardi Confessoris arma deponere cogunt, pullaque veste indutum, adhibita magna cusſodia, sub tectum quoddam detrudunt.* Utique ad perpetuam ac irrevocabilem pœnitentiam. Episcopale exauctorationis Decretum sic habet: *Post criminum confessionem, chartulam suorum reatuum & confessionis, ob futuram memoriam, Sacerdotibus Ludovicus tradidit, quam ipsi super Altare posuerunt, ac deindè cingulum militiæ deposuit, & super Altare collocavit, & habitu sæculi se exuens, habitum Pœnitentis per impositionem manuum Episcoporum suscepit, ut post tantam talemque pœnitentiam nemo ultra ad militiam sæcularem redeat.* Istos Episcopos nullus umquam notavit, quod sibi potestatem usurpassent, sed dumtaxat quòd ipsam sine legitima causa exercuissent in innoxium. Ludovicus enim de cunctis suis excessibus egerat secretam pœnitentiam, ideoque ad publicam non poterat cogi: *Quoniam Forenses leges contra unam culpam bis non invebunt, & nostra lex habet bis non judicari delictum.* Et ad Nicolaum Pontificem de Lothario ac Ludovico filiis scripsit Tricassina Synodus: *Ut populo credibile posset fieri, quod meritò fuerat à Regno expulsus, in Imperatorem quædam crimina conficta fuerunt*, atque ità ad publicam pœnitentiam fuit addictus. Iniquissimæ sententiæ etiam ipse Ludovicus fuit adeò reverens, ut Regni Proceribus, ipsam non Episcopale judicium, sed latrocinale convitium asseverantibus, ideoque armorum ac diadematis resumptionem suadentibus, acquiescere non præsumpserit. *Imperator*, A. 834. inquit laudatus Apologus, *quamquam modo dicto Ecclesiæ communione ejectus esset, tamen præproperæ acquiescere sententiæ, & in Ecclesia Episcopali Ministerio reconciliari, & ab Episcopis rursum armis accingi voluit.* Et materiæ & formæ causa iniquam atque nullam sententiam ab ipsis istis Episcopis, aut certè à majori Synodo cassari voluit, atque ita cum sua tandem uxore reparari in Regnum. Et ità omninò fuit reparatus. De cassanda justa sententia nemo vel cogitasset.

Cæsariem, cincinnos, & cirros alere atque ornare cuncti plerarumque olim gentium nobiles præsertim ac milites consueverunt. Hinc in Canticorum Cantico etiam sponsus laudat suos cincinnos. Et de summa Hanonis Regis Ammunitarum in Sancti Regis David Legatos injuria habet primus liber Paralipomenon: *Ha-* Cap. 20. *non pueros David decalvavit & rasit.* Et de Assyriorum Rege Sennacherib: *Reversus est cum ignominia in terram suam.* Exponunt Hebraicæ apud Sanctum Hieronymum traditiones: *Tradunt* Cap. 32. *Hebræi illi caput & barbam rasam ab Angelo in ignominiam.* Et in libro de velandis Virginibus Tertullianus memorat Germanorum cirros, de quibus in libello de ipsorum moribus etiam Cornelius Tacitus: *Insigne gentis est obliquare crinem, nodoque substringere.* Cirri enim sunt cincinni in nodum torti. Et in Ezechielis Prophetæ Commentariis Sanctus Hieronymus scribit rasa capita Isidis ac Serapidis Sacerdotibus, dimissam verò comam esse propriam militantibus, Barbaris, atque luxuriosis. Et in alio C. 10. ibidem loco: *Calvicium capitis luctus est signum, quandò perdit decorem cæsaries, & pulchritudinem comarum amittimus.* Et hinc gentis suæ captivi- C. 44. tatem prænuncians ac deplorans Propheta ait *in universis capitibus* futurum *calvitium.* Eadem C. 7. de causa clamat Jeremias Propheta: *Tonde ca-* C. 7. *pillum tuum.* Exponit laudatus Hieronymus: *Apud veteres hæc erat omnium consuetudo lugentium, tondere cæsariem.* Hinc & percussus à Domino Propheta Job seipsum totondit. Quod comam circumtotonderit, affirmat in Encomiasticis ejus sermonibus Sanctus Joannes Chrisostomus, & adjungit: *Nunc inter nos multi flentes* Serm. 3. *nutriunt comam, ille autem abscidit. Quare? Id nimirum est propositum ei qui flet, ut contrariam in formam constituat habitum. Ubi honoratur coma, signum est fletus tonderi. Ubi verò tondetur, fletus signum est non tonderi.* Quod ipsum in laudato Sancti Jeremiæ Commentario adjungit Sanctus Hieronymus. Respiciunt ad datum Corinthiis ab Apostolo Canonem: *Vir si comam* C. 11. *nutriat, ignominia est illi.* Exponit in suorum ad istam Epistolam Commentariorum præfatione laudatus Chrysostomus: *Multi inter Corinthios circumibant & vagabantur comati, quos jubet Apostolus tonderi.* Et in vigesima sexta Homilia: *Viri comam alebant, ut qui versarentur in Philosophia, quod quidem erat legis Græcorum.* Et infrà: *Etiamsi tunc contendebant Corinthii, nunc universus orbis terræ hanc legem admisit & custodit. Tanta est potentia Crucifixi.* Orbis admisit ab Apostolo prædicatum Judaicorum Sacerdotum morem, de quo Propheta Ezechiel: *Caput suum non radent,* C. 44. *neque comam nutrient, sed tondentes attondebunt capita sua.* Ex eadem lege Sanctus Synesius laudat hunc versum: *Nullus capillum, quin Cinædus* Epist. 104. *sit,*

.sit, fovet. Et de Sancto Abbate Apollo scribit in Lausiaca historia Palladius Episcopus Helenopolitanus: *Multum reprehendebat eos, qui comam*
C. 52. *nutriebant*. Et hinc vides Apostolicam legem in Antiocheno, ubi Sanctus Joannes Chrysostomus docuit, Patriarchatu fuisse quidem receptam, non tamen in aliis ubique regionibus. Et in suis super Apostolicam ad Galatas Epistolam commentariis scribit Sanctus Hieronymus:
Præf. l. 2. *Corinthios notat Apostolus, quod viri comam nutriant. Hoc ex parte usque hodie permanere, non potest dubitare qui Achajam viderit*. Quem morem etiam in Mesopotamiæ Monachis permansisse no-
L. 80. 81. tat in Panario Sanctus Epiphanius, & in libro de Monachorum Opere Sanctus Augustinus. Quin & Sanctus Jacobus Domini frater numquam fuit ferro detonsus.

Avitum morem Pagani pertinacissimè retinuerunt. Etenim in quæstionibus supra Levi-
Quæst. 28. tici librum scribit Theodoretus: *Moris est apud Græcos capita puerorum non attondere, sed sinere capillos promitti, & hos posteà Dæmonibus dedicare*. Et Diodorum Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyterum, quod puerorum cirros liberiùs detonderet, fuisse à Gentilibus crudelissimè trucidatum testatur Ammianus Marcellinus. Et rarò sese, contra fidelium Antiochenorum morem, tonderi affirmat etiam in Misopogone Julianus Augustus. Et Persas, cùm exploraturi atque incogniti intrarent Romani Imperii fines, caput totondisse scribit Sanctus Joannes Chrysostomus, ut nempè Romani viderentur. Et in libro de velandis Virginibus Tertullianus:
C. 7. *Sæculum, æmulum Dei, ita Virgini cæsum capillum decori mentitur, quemadmodum & puero permissum.* Verè Dei æmulum: Nam juxta Dei Apostolum permissus capillus Virginem, puerum decet cæsus. Et hinc Saracenos hac periphrasi expressit
C. 9. Propheta Jeremias: *Attonsi sunt in comam*. Quod contra omnium Orientalium morem attonderent cæsariem. Hinc item in luctus, dimissi capitis, damnationis, aut alterius ignominiæ characterem comati Gentiles se ipsos, suos servos, capitales reos, aliasque viles personas aut decalvabant aut detondebant. Nostros ad metalla damnatos Confessores ac Martyres frequenter ita tractarunt. Plures enim habemus epistolas, quibus Sanctus Cyprianus, & Patres alii ipsos ad patienter sufferendam semi-tonsi capitis ignominiam strenuè hortantur. Eam primus fuisse passus dicitur Sanctus Petrus Apostolus, atque ita ipsam esse unam ex causis & originibus Clericalis tonsuræ.

Permissi capilli morem constantissimè retinuerunt etiam Christiani Francorum Proceres, ac præsertim Reges. Etenim de Clodomiro Rege per Burgundiones occiso scribit Agathias Smyrnensis: *Eo cadente, mox Burgundiones, animadversa coma profusiore, quæ illi ad tergum protendebatur, senserunt hostium Ducem se occidisse. Neque enim fas erat Francorum Imperatoribus comam tondere, sed à puero intonsi manent, atque adeò ut à tergo his defluant crines. Nam à fronte discriminatutcumque feruntur. Nec sanè Turcarum more Barbarumque impexi & squallidi, sordidioresque capilli his sunt, vel aliàs calamistrati, & indecenter perplexi, sed varia his superinfundunt unguenta, & diligenter pectendo expoliunt. Idque perindè præcipuum ac Regium decus constitutum est, solis ut Regibus permittatur. Nam subditi circumtonsi sunt omnes, nec prolixior his coma conceditur*. L. 1.

Quòd ipsum tradit Sanctus Gregorius Turonen- L. 2. c. 9.
sis Episcopus, asserens Francis esse Reges crinitos. Et hinc apud ipsum de Clodoveo Childerici Regis filio, in Matronam flumen demerso, dicit homo plebejus, fortuitus illius piscator: *Cùm* L. 8. c. 10.
ignorarem quisnam esset, à prolixa cæsarie cognovi esse Clodoveum. Quòd nempè soli Regii pueri gestarent cæsariem. Etiam de Gundebaldo adolescente, ac ejus patre Rege Clotario, ipsum suppositititium asserente, scribit laudatus Gregorius: L. 6. c. 24.
Viso Gundebaldo, Clotarius jussit tonderi comam capitis ejus, dicens, Hunc ego non generavi. Cæsariem fuisse Regium ornamentum affirmat item in Magni Caroli vita Eginardus. Rex clarior est, quàm ut demonstretur. Ejus auctorem alii Pharamondum ipsum, alii asseverant fuisse Regem Clodionem.

Quòd tamen soli Reges gestarent ornamentum istud, Agathias omninò errat. Etenim non soli Theodorico Regi, sed etiam ejus domus Majori Eborino fuisse detonsam cæsariem, atque ita utrumque recipiendæ suæ dignitatis factum inhabilem, Sancti Leodegarii Augustodunensis Episcopi vita, aliique Francorum Scriptores antiqui testantur. Et de Droctulpho, Regiorum filiorum Præfecto, scribit laudatus Gregorius: *Childebertus Rex Droctulphum, incisis capillis & auribus, ad vineam excolendam delegavit*. Etiam L. 9. c. 38.
Thassilonem Bavariæ Ducem à Carolo Magno fuisse cæsarie mulctatum norunt omnes Francicarum rerum periti. Quod capillis vitam redemerit, testatur in Annalibus Eginardus. Et à Ludo- A. 788.
vici Pii filiis non solùm Patrem & Novercam Juditham, sed etiam hujus fratres Conrardum & Rudolphum fuisse detonsos, habes apud Annalistam Astrologum, ac Marianum Scotum. De A. 831.
restituto Ludovico, & in ipsum conspiratoribus ille addit: *Imperator Laicos præcepit locis opportunis attonderi, Clericos verò in convenientibus Monasteriis custodiri*. Isti Laici erant varii Francorum Proceres. Et Childebertus atque Clotarius Francorum Reges, duos nepotes suos Regno ineptos reddituri, de modo consultant apud laudatum Gregorium, ipsorumque aviæ, suæ matri, Reginæ Crothildi dant hanc optionem: *Utrùm incisa cæsarie ut reliqua plebs habeantur, an certè his interfectis Regnum Germani nostri inter nosmetipsos æqualitate habita dividatur*. Verba ista, *Ut reli-* L. 3. c. 8.
qua plebs, demonstrat cæsariem soli plebi fuisse interdictam.

Istius Barbariei administer fuit nescio quis Arcadius, altera evaginatum gladium, altera manu portans forcipem, respondítque præfata Crothildis: *Satius mihi est, si ad Regnum non eriguntur, mortuos eos videre quam tonsos*. Tonsura quippè reddebat Regni incapacem. Etiam de Godefrido Lotharingiæ Duce, in Conrardum secundum Imperatorem rebellante scribit Lambertus Schafnaburgensis: *Post modicum fa-* A. 1046.
ctum in tantum pœnituit, ut publicè se verberari faceret, & capillos suos, ne tonderentur, multa pecunia redimeret, sumptus ad reædificandam, quam exusserat, Virdunensem Ecclesiam daret, & in opere cœmentario per seipsum plerumque, vilis mancipii ministerio functus, deserviret. Nempè neque publica fustigatio, neque cœmentaria humilitas, sed sola tonsura reddebat inhabilem ad retinendum Ducatum. Et Hildericum, ultimum è Merovingia familia Regem, ne ad Regnum respirare posset, quis nescíat fuisse detonsum?
C. 13. Fuisse in Audomarensi Cœnobio detonsum affirmat Chronicon Monasterii Fontanellensis. Et de ultimo Longobardorum Rege Desiderio, ac ejus triumphatore Carolo Magno habet magnum Belgii Chronicon: *Carolus Desiderium in Franciam misit, eumque jussit in Ecclesia Sancti Dionysii*
Fol. 38. *tonderi*. Et de Ludovico Pio Imperatore, Pippinum filium suum per Drogonem Metensem Episcopum parante tonderi, scribit Abbas Regi-
A. 853. no: *Paternis votis Lotharius, frater ejusdem pueri, nequaquam permisit eum attonderi, sed abstraxit de manu patris. Erat enim puer ingentis pulchritudinis*. Hinc ipsum nolúit fieri Regno ineptum. Et tribus suis filiis Regna dividens Carolus Magnus, nepotes à patruis non solùm occidi aut mutilari, sed etiam tonderi vetuerat, nisi ex judiciali ordine. Imò nec filios à patre. Innumera sunt hujusmodi apud antiquos Francorum Annales exempla.

Etiam apud Gothos, quorum factiosa plebs Regem frequenter invasit ac violenter totondit, ejusmodi hæc disciplina. Quare abusum istum fuisse Gothicæ gentis gravissimum morbum, rectè
C. 82. advertit Appendix Sancti Gregorii Turonensis. Apud Longobardos item, Burgundos, Anglos, aliósque Barbaros idem mos fuit grassatus. Etiam in Imperio Constantinopolitano: Byzantina historia est plenissima exemplorum. Ipsum hausit ex Romano Imperio. Etenim de Imperatore Juliano, adhuc adolescente, & affectati Imperii apud Constantium consobrinum suspecto, scribit Socrates: *Julianus, quo suspicionem*
L. 3. c. 1. *vitaret, abrasa cuta vitam Monasticam simulavit*. Alii volunt ipsum Constantii jussu fuisse detonsum in Clericum Ecclesiæ Nicomediensis. Et de Basilisco Cæsare, Armati Ducis filio sub Imperio Zenonis, in Photii Bibliotheca habet Candidus Historicus: *Puer ex Cæsare inter Lectores*
L. 79. *profiteri cœpit*. Utique post Patris crimen & cædem ita profiteri jussus à Principe. Et de Martiano Tyranno, Anthemii Imperatoris filio, *Martianus ordinatus est Presbyter*. Quæ latiùs exponit Evagrius Epiphanensis. Dejectos & captos, ac vita gratiosè donatos Imperii invasores, quo ad Majestatem nulla ipsis deinceps vel rima hiaret, Augusti Principes, quandoque simpliciter decalvari, quandoque in Monachos, quandoque in Clericos aut Episcopos jubebant detonderi. Et posterior hæc tonsura erat honorifica, & singularis gratia, non servilis aut ignominiosa. Qui mos à Constantini Imperio & Christiana pietate videtur exortus. Et de ipso in suis ad Canonicas Sancti Basilii Epistolas Commentariis scribit
C. 49. Theodorus Balsamon: *Qui Imperatoria auctorita-*

te tondentur, transformari non possunt aut habitum mutare, sed erunt necessariò Monachi, etiamsi vi tonsi fuerunt. Violenter injectum hujusmodi Monachatum aut Clericatum non nisi ex Synodalis judicii auctoritate posse excuti, pluribus ostendit in Commentario tertii Canonis Ancyrani. Uti pœnitentialis manus ad Clerum, ita hæc, licet violenta, tonsura ad Laicum Principatum reddebat ineptum. Regiæ in Francia domus Præfectus Ebroinus ob ipsam proprio motu excussam passim titulatur alter Julianus Apostata.

Porrò & Monastica, & Clericalis tonsura sunt palàm pœna Ecclesiastica, ideoque à Regibus ac populis peti quidem consuevit, infligi tamen numquam potuit, nisi per auctoritatem ac manum Episcopalem. Quòd Francorum Rex Hildericus per Apostolicam Zachariæ potestatem detonsus fuerit, Regino Abbas in Annalibus, in Caroli Magni vita Eginardus, aliique Fran- A. 749.
corum Annales testantur. Et de Pippino Aquitaniæ Rege, Ludovici Pii nepote ex Pippino filio, Regnum malè administrante, habet secunda Synodus Svessionensis: *Concilio Reveren-* C. 5.
dissimorum Episcoporum & Procerum attonsus, & in habitu Monastico ad Sancti Medardi Monasterium custodiendus & docendus deductus est. Ad preces patrui Caroli Calvi Regis, & juxta Magni Caroli Decretum, qui nepotes suos non nisi servato judiciali ordine sanxerat tondendos. Ejusdem Pippini patrem Pippinum à patre Ludovico Pio tondendum fuisse traditum Drogoni Metensi Episcopo, & à Lothario fratre liberatum, suprà audivimus ab Abbate Regione. Et Michaeli Augusto, matrem Theodoram & sorores tondéri jubenti, apud Nicetam Paphlagonem respondit Sanctus Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus: *Hoc à me fieri nefas est. Nam Ecclesiæ gubernacula, sacramque Sedem cùm susciperem, fidem jurejurando meam per scriptum adstruxi, numquam me Imperio vestro positurum insidias, vel consilium ejusmodi agitaturum. Et verò nunc quod Reginarum est facinus, quæque in illis causa, ut Majestas vestra adversùm eas talia machinetur?* Hinc primum, ex quo miseranda Photiani schismatis calamitas tandem erupit, Bardæ Cæsaris in Sanctum Ignatium fuisse natum odium, testantur laudatus Nicetas, Michael Monachus atque Syncellus, & ipse Ignatius in sua appellatione ad Sanctum Pontificem Nicolaum. Errant enim qui Episcopos quoad tonsuram hanc existimant fuisse datæ per Principem sententiæ meros executores: Erant ipsi Judices, & cum plena causæ notitia dabant sententiam. Hinc eandem tonsuram non potuisse sine Synodali judicio excuti dixit Theodorus Balsamon: Quod nempè Episcopale judicium non nisi per Synodum possit solvi. Igitur hac etiam via Episcopi supremos Reges ac Imperatores frequenter degradarunt.

Verùm & tonsura hæc, & publica item pœnitentia jam pridem abierunt in desuetudinem, atque ità oritur quæstio, An ista Episcoporum potestas sit cum ipsis extincta? Respondeo non esse. Publica enim pœnitentia aliud non fuit quàm aggregatum variarum Canonicarum pœnarum, quæ uti olim conjunctim, ità hodiè dis-

sim

sim omninò possint enormibus præsertim criminibus infligi. Laxata disciplina Matrem Ecclesiam sua potestate non spoliavit. Ita post interpolatam publicam pœnitentiam fœdiores quidam incœstuosi dudum adhuc fuerunt privati omni jure ineundi matrimonii. Et quidam rapaces jure negotiandi. Et nostri septimi Gregorii tempore vigebat Regula, quæ Regem anno integro in Papali excommunicatione sordescentem exuebat omni jure Regni. Nemo tunc Christianus de ipsa dubitabat. Et etiamnum in Gallia vigere legem, quæ nullum Hæreticum regnare permittat, adfirmat Jacobus Augustus Thuanus. Ex hac Henricus quartus nuper non nisi facta solemni fidei professione admissus fuit ad Regnum. Et de Imperatore, Regibus, Ducibus, Principibus, Marchionibus, Comitibus, cunctisque aliis Laicis Potestatibus, duellis in sua terra locum permittentibus, statuit Sacrosancta Tridentina Synodus: *Eo ipso sint excommunicati, & jurisdictione ac dominio civitatis, cafiri, aut loci, in quo vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligantur, & si feudalia sint, directis dominis statim acquirantur.* Et de ipsis duellantibus ac eorum patrinis: *Excommunicationis, ac omnium suorum bonorum proscriptionis, & perpetuæ infamiæ pœnam incurrant.* Non minorem in totum Regnum, quàm in unam ejus Civitatem, non item minorem in directum, quàm in utile ipsorum dominium Ecclesia habet potestatem. Uti ergò utili ac feudali, ita directo unius civitatis, adeoque & totius Regni dominio potest omninò privare. Hinc enim utroque ipsos, si quidem Reges forent, exuit cum suis patrinis duellantes. Generalis est enim iste Canon, adeoque non solam plebem, sed & ipsos Reges comprehendit. Nisi quis dicat ipsum similem aranearum telis, solas muscas capientibus, & per aves consuetas lacerari. Attamen non de Regibus, sed de solo Germanico Imperatore Gregorius noster dictavit.

Sess. 25. cap. 19.

CANON XIII.

Quòd Papæ liceat de Sede ad Sedem, necessitate cogente, Episcopos transmutare.

SCHOLION.

EPiscoporum non solam transmigrationem, sed & translationem, uti & Apostolicis Canonibus adversam, rigidissimè olim damnavit Nicæna Synodus. Damnavit adversùm Arianos, Patriarchales omnes atque alias eminentiores Cathedras hac arte conatos invadere. Eandem ab Eusebiana ipsorum factione non derelictam, variaque fraude fucatam laica communione etiam in fine privavit Synodus Sardicensis. Nec sine fundamento. Episcopi enim sine competenti causa translatio est spirituale adulterium, nequaquam minus carnali, cui eandem pœnam antiqua Ecclesiæ disciplina inflixit. A vitio isto alienissima semper fuit omnis olim Latina Ecclesia, præsertim Romana. Et hinc Imperator Basilius, quo octavam Synodum, à Venerabili Marino Romanæ Ecclesiæ Diacono, Adriani secundi Pontificis Legato, ac ejus posteà successore, celebratam ac rigidissimè confirmatam exsufflaret, dixit laudatum Marinum fuisse translatum, ideoque illegitimum Pontificem atque intrusum. Respondit verò Stephanus sextus Pontifex: *Qui dicunt Marinum antea fuisse Episcopum, ideoque ad aliam Sedem non potuisse transferri, offendant hoc.* Et in litteris ad laudatum Stephanum Stylianus Neocæsareæ Metropolita: *Illa quæ contra integerrimum ac revera sanctissimum Papam Marinum confinxit Photius, quo loco ponis? Quæ te non ignorare certò scimus, quemadmodum & litteræ tuæ ad Basilium Imperatorem nostrum declarant.* Affirmat translationem ex causis posse fieri, attamen Marinum nullatenus fuisse translatum: Photii id esse figmentum. Primus enim translatus Pontifex fuit Formosus, Portuensis antea Episcopus, istaque novitas tot horrendis scandalis dedit ansam. Palmare defuncto Formoso à Sergio tertio impositum crimen audi à Luitprando Diacono Ticinensi: *Cùm Portuensis esses Episcopus, cum ambitionis spiritu Romanam universalem Sedem occupasti.* Quin & illum adhuc vivum ob attentatum istum ambitum damnarat in sua Romana Synodo Joannes Octavus. Et Sergius tertius & Stephanus septimus voluerunt omnem translationem esse adulterinam atque damnatam intrusionem. Et in Romana sua Synodo statuit Joannes nonus: *Quia necessitatis causa de Portuensi Ecclesia Formosus pro vitæ merito ad Apostolicam Sedem provectus est, statuimus & omninò decernimus, ut id in exemplum nullus assumat, præsertim cùm Sacri Canones hoc penitus interdicant, & præsumentes tanta feriant ultione, ut etiam in fine Laicam eis prohibeant communionem.* Laudat Canonem Sardicensem. Etiam Joannis decimi & Joannis decimi tertii translationem notant gravissimi Scriptores.

L. 1. c. 6.

res. Maculosos Pontifices per Laicam Principum violentiam sustinuit tunc Apostolica Sedes, ideoque & increvit istud malum. Nam & Clemens secundus, ad ipsam repurgandam datus ab Henrico tertio Imperatore, antea fuerat Suigderus Episcopus Bambergensis. Ipse interim ad Joannem Pæstanum Episcopum Salernitanæ Metropoli incardinandum potuit ægerrimè induci, nullamque deinceps translationem voluit fieri, nisi ob causam necessariam, *ex qua oriatur major utilitas, sicut major assumitur Sedes.* Attamen ejus usque ad septimum Gregorium plerique successores fuerunt translati, atque ita malum adeò crevit, ut quasi non potuerit eradicari. Gregorius potestate ista est parcissimè usus: Nullum umquam transtulisse legitur, nisi Hugonem suum in Gallia Legatum ex Diensi Ecclesia ad Lugdunensem. Nequidem à Cardinali Bennone fuit hac in parte notatus. Quare videns morem auferri non posse, reduxit ad antiquos Canones, sanciens posse fieri, verùm ex sola necessitate, & per solam Apostolicam Sedem. Et hinc Henrico primo Anglorum Regi, volenti Herveum Bancorensem Episcopum transferri ad Ecclesiam Lexoviensem, respondit Sanctus Anselmus: *Hoc facilè fieri non intelligo.* Ait opus esse magna causa, utriusque Metropolitæ & omnium Provincialium assensu, & *Apostolica auctoritate.* Faciles nimium, licet ad preces Regias, Polonorum translationes graviter arguit item Paschalis secundus. Etiam Guitberto Anti-Papæ fuit inter alia objectum, quod anteà fuisset Ravennatum Episcopus. Translationes graviter apud Othonem Frisingensem Episcopum arguit etiam Eugenius tertius, asseverans fieri non posse sine gravissimis causis, & suo assensu.

L. 3. Epist. 126. Epist. 6. L. 2. c. 6. 9.

Quocirca Papalis consensus necessitatem esse novum ab Innocentio tertio inductum jus, malè scripsit Parisiensium Archiepiscopus Dominus Petrus de Marca. Non solùm laudato Innocentio, sed etiam nostro Gregorio jus istud est longè antiquius: Ambo ipsum adversùs Metropolitarum Attentata dumtaxat innovarunt. Etenim Ebbonem Remensem Archiepiscopum fuisse à Gregorio quarto translatum ad Hildeshemensem Ecclesiam, testatur in litteris ad Nicolaum primum Pontificem Synodus Tricassina. Quis nesciat durissimos obices, quos passa est Sancti Artari Namnetensis Episcopi translatio ad Metropolim Turonensem? Eam tentare nequaquam præsumpsit Gallicana Synodus, sed faciendam supplicavit, tandemque per Regias preces impetravit ab Adriano secundo. Causa erat Namnetensis civitatis per paganos Nortmannos occupatio atque destructio: Eam tamen ut minùs sufficientem acerrimè impugnavit Hincmarus Metropolita Remensis. Pares obices passa fuit Frotharii Burdigalensis Episcopi translatio ad Bituricensem Cathedram: Eam à Joanne octavo fieri, & à Marino primo confirmari obtinuit laudata Synodus, & tamen postmodum ob causas excussit Stephanus sextus. Habes hæc apud Flodoardum in historia Ecclesiæ Remensis. Ut Herilandum, à dictis Nortmannis eversæ Morinensis civitatis Episcopum, ad aliam Sedem transferre posset, Formoso Pontifici ibidem supplicat Sanctus Fulco Archiepiscopus Remensis. Nempè Gallicana Ecclesia jam à Riculphi Moguntini Episcopi temporibus admiserat famosas antiquorum Pontificum Decretales Epistolas, in quibus Sanctus Evaristus disertè affirmat Episcoporum translationes fieri non posse sine necessitate inevitabili, ac Apostolica authoritate. Assertionem hanc, uti & Innocentius tertius, fundat in spirituali inter Episcopum atque Ecclesiam matrimonio, quòd Divini sit juris, ideoque non nisi Divina potestate possit solvi.

Epist. 45. L. 4. c. 1.

Epist. 2.

Suppositiliæ sunt istæ Decretales Epistolæ, hac tamen in parte non deviant à Canone antiquo. Etenim Euphronio, olim Colonienſi apud Armenios Episcopo, ad Nicopolitanam Ecclesiam transferendo sola non sufficit Provinciæ Synodus, sed accedere debuit auctoritas magni Basilii Cæsarienſis Episcopi, ac per Ponticam Diœcesim Primatis. Ita habes ex ejus litteris ad Senatum & Clerum Colonienſem. Et Sidorium Palebiscæ Episcopum in Pentapoli fuisse, non Synodi, sed Sancti Athanasii Patriarchæ Alexandrini auctoritate translatum ad Sedem Metropolitanam, adfirmat in litteris ad Theophilum Patriarcham Sanctus Synesius Ptolomaidis Episcopus, dictæ Provinciæ Metropolita. Sine prævia Patriarchæ confirmatione nullus per omnem Ægyptum poterat creari Episcopus, longè minus transferri. Et Sylvanum Tarsensem Episcopum, primæ Ciliciæ Metropolitam, quod Theophilum Eleutheropolitanum in Palestina Episcopum transtulisset ad Castabalensem suæ gentis Ecclesiam, hoc est, quod Antiochenis Patriarchæ jus usurpasset, apud Hermiam Zozomenum damnavit Synodus Seleucienſis. Et Acacium Constantinopolitanum Episcopum ob dolosè translatos orthodoxos Episcopos damnavit Felicis tertii Pontificis secunda Romana Synodus. Nempè trium olim Autocephalarum Diœcesium Patriarchatum usurpabat tunc Regiæ civitatis Antistes, adeoque & in ipsis solus Episcopos transferebat. Et de Sancto Proclo è Cyzicena Metropoli ad Constantinopolitanam Ecclesiam translato scribit Socrates: *Huic negotio suffragabantur Epistolæ Cælestini Romani Episcopi, quas ad Cyrillum Episcopum Alexandriæ, & ad Joannem Episcopum Antiochiæ, & ad Rufum Thessalonicæ Episcopum misit, quo eos doceret nihil obstare, quo minus qui unius jam civitatis vel nominatus fuisset, vel jam esset Episcopus, ad alteram civitatem transferretur.* Bis tentata fuit Procli translatio. Primò post Nestorii degradationem: & tunc per objectum decimum octavum Antiochenum Canonem fuit impedita, promotusque fuit Maximianus. Post hujus mortem Cælestinus Pontifex favit Proclo, atque ita translatio successit. Latiùs hæc refert Nicephorus Calixtus, multis ostendens translationem ex legitima auctoritate & causa omninò licere. Ejus porrò legitima auctoritas est auctoritas Patriarchalis: Uti sine ejus prævio assensu nullus etiam Provincialis Episcopus potest ordinari, ita longè minùs transferri. Aliquo enim Canonis vulnere hic fuit opus. Patriarchæ omnes & dignitatis hujus fi-

Epist. 290. 292. Epist. 67. L. 4. c. 23. L. 1. c. 7. 39. L. 14. c. 37. 39.

mitatem, & cunctam de ipsa dispensatoriam gratiam accipere semper debuerunt à Sede Apostolica. Hinc sine Sancti Cœlestini consensu Sanctus Proclus nequiit in Regiæ civitatis Cathedram transportari. Uti item quidam, per Romanum præsertim ac Antiochenum Patriarchatum, Metropolitæ præviæ confirmationis jus sibi frequenter arrogaverunt, ita & jus faciendæ translationis. Et hoc per præsentem Dictatum Gregorius septimus Sedi suæ reparavit. Dictavit pro solo Romano Patriarchatu: Aliis Patriarchis in nullo voluit præjudicatum.

Notanda sunt ejus verba, *Necessitate cogente*. Ab ipso etiam Pontifice faciendam translationem non solùm ad utilem, sed etiam ad necessariam causam adstringunt. Qua in re excedere cœpit Bonifacius nonus, de quo Theodoricus à Niem: *Bonifacius prætextu structurarum, quas fecit fieri, & gentium armigerarum quas tenuit, ut multas pecunias posset exigere, pleroſque Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & alios Ecclesiasticos Prælatos, præsentes in ejus Curia vel absentes, insciis & invitos, vel simpliciter absolvit à Prælaturis suis, & aliquando ad titulares Ecclesias transtulit seu promovit, dummodo pactæ essent pecuniarum summæ, quantùm volebat.* Quod ipsum queritur Thomas Walsingamensis, addens Joannem, quem invitum Lincolnia Cestram transtulerat, maluisse Cantuariæ Monachum vivere & mori, quàm ita fieri Episcopum Cestrensem. Et hinc inter varia, quæ Pisano Concilio spopondit Alexander quintus, fuit & hic articulus: *Dominus noster, Sacro approbante Concilio, disponit non facere translationes de invitis, nisi parte vocata & audita, & de consensu majoris partis Cardinalium. Nisi ex causis justis & rationabilibus.* Excedere rursùm cœpit Joannes vigesimus tertius, in quem Joannes de Scribanis Constantiensis Synodi Promotor produxit hunc decimum octavum articulum: *Joannes Papa pleroſque invitos de suis Ecclesiis transtulit, ut viduatas cariùs vendere posset.* Et hinc laudata Synodus edidit insignem Canonem, cui hæc Epigraphe: *Ne Prælati transferantur inviti.* Et hoc Decretum laudavit in Mantuana Synodo Pius secundus Pontifex, Regis Christianissimi Legatis respondens: *Commendastis nobis nobilem populum Januæ, qui commendatissimus nobis erit, & suis meritis, & Regia commendatione. Petivistis Archi-Præsulem ejus urbis, tamquam læsæ Majestatis reum, ad aliam Ecclesiam transferri. Obstant desiderio vestro Decreta Summorum Pontificum, quæ Prælatos invitos non cognita causa transferri prohibent: Quod etiam in Constantiensi Concilio exstitit repetitum. Placeat tamen vobis requirentibus causam adversùs eum committere, & juxta Canonicas Sanctiones procedere.* Exstant hæc apud Lucam Dacherium. Quod Sanctissimum Decretum confirmavit Synodus Basileensis. Et certè inviti Episcopi translatio rigidissimè damnata est per Felicis tertii Romanam Synodum. Translationes omnes aboleri, aut certè intra necessariam causam juxta præsentem Dictatum circumscribi urserunt apud Tridentinam Synodum per litteras etiam Sanctus Thomas de Villa-Nova, Valentinus apud Hispanos Archiepiscopus, & viva voce Hieronymus Seripandus, Archiepiscopus Salernitanus, sanctæque Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & dictæ Synodo Præsidens Legatus. Verùm istius disciplinæ tempus necdum advenerat.

L. 2. c. 14. A. 1398.

Sess. 39.

Tom. 8. f. 296.

Sess. 23.

Quam Græci etiam schismatici Episcoporum translationes fuerint aversati, lucet ex Constantino Harmenopulo, qui ipsas vetantem Antiochenum Canonem inseruit suo Codici, & addidit hoc Scholion: *Synodica Michaelis Patriarchæ sententia permittit translationes Episcoporum fieri ex judicio illius, qui Primas inter eos est, usu sic poscente ad majorem fructum.* Requirit duas conditiones: Majorem Ecclesiæ fructum, & adsensum Primatis, seu Patriarchæ. Et supponit usque ad istum, utique Cerularium, Michaelem nec ex istis causis licuisse. Et Constantinus Cabasilas Dyrrachiensium in vetere Epiro Metropolitanus in jure Græco-Romano proposuit hanc quæstionem: *An oportet eum, qui electus est, & suscepit dignitatem, amplexusque est, transferri?* Consecratum transferri non posse habet pro certo, ambigitque de solo Electo, qui electionem admiserit. Qui enim ipsam non admisit, non est Electus. Et Demetrius Chomatenus Bulgarorum Archiepiscopus respondit: *Hoc Canonicum quidem non est, neque scriptæ aut non scriptæ Ecclesiasticæ traditionis. Fit autem sæpè jubente Principe, per aliquam dispensationem publicè conducentem. Et factum est tempore inclyti Imperatoris Domini Manuelis Comneni Porphyrogeniti. Cùm enim sapientissimus ille Eustatius, magnæ Ecclesiæ Diaconus, & Rhetorum Magister, in Ecclesiam Lyciorum Myrorum electus esset, & electionem admisisset, amplexatusque fuisset, jamque ad ordinationem paratus, jussio beati Principis illius ad Synodum prodiit, qua præcipiebatur, ut Eustatius ad inclytam Thessalonicensium Metropolim, quam suscipere recusabat, accederet, utpotè tunc vacantem. Sola igitur Imperatoria jussio mutandi hæc innovandique potestatem habet. Imperator enim, ut communis Ecclesiarum Epistemonarches existens & nominatus, Synodalibus præest sententiis, & robur tribuit.* Sacra & profana omnia ponit in Laici Principis arbitrio: Hisce enim schismaticis Augustus Princeps est plus quàm Papa. Hinc etiam Electi translationem adfirmat non posse fieri, nisi ex dispensatorio illius consensu, & non nisi ob publicam utilitatem. Et sic ab Imperatore Andronico secundo Palæologo, qui Joannis Cantacuzeni domesticum Presbyterum primò fecit dolosè eligi in Thessalonicensem Episcopum, Electumque statim transtulit in Patriarchalem Sedem, fuisse actum perperam, Episcopi non sine fundamento sunt conquesti. Ita habes apud dictum Cantacuzenum. Et de Imperatore Isaacio Angelo, Dositheum Hierosolymæ Patriarcham conante transferre Constantinopolim, scribit Nicetas Choniates: *Quod cùm Canones non permittere sciret Isaacius, Theodorum Balsamonem, magnæ Antiochiæ Episcopum, virum ea ætate Juris consultissimum, astu circumvenit.* Regiæ civitatis Patriarchatum promisit Theodoro, atque ita in suam cupiditatem circumscripsit. *At primarii Sacerdotes, cæterique facundia insignes, qui se Canonibus*

L. 8. f. 317.

L. 2. c. 21.

L. 3. c. 4.

bus temerè violatis deceptos videbant, obstupefacti moverunt poulum, Dositheum ejecerunt, atque ita promotus fuit Georgius Xiphilinus. Et de Patriarcha Germano tertio, ac per ejus Antecessorem Arsenium excommunicato Imperatore Michaele Palæologo habet Georgius Pachymeres: *Cogitationum Imperatoris summa in id conferebatur, ut curandum existimaret solvi sese ab anathematis vinculo per Patriarcham & per Synodum. De Patriarcha verebatur, ne parùm eo exorando proficeret: Ipso quidem libenter adsensuro, sed quoniam exigua ejus apud populum & gratia erat & auctoritas, timendum videretur, ne auctoris invidia actum infirmaret, & talem absolutionem pro nulla plerique irritaque haberent, tamquam latam ab homine, cujus auctoritati parum fiderent, & de quo an legitimè promotus esset, propter vetitam de throno in thronum translationem, ambigeretur.* Germanus enim ex Adrianopolitana Metropoli erat translatus in Patriarchatum. Et istam translationem omnis Clerus & populus adeò detestabatur, ut manifestam & nullo titulo coloratam intrusionem adsereret, ideoque omnia Germani Acta censeret inania Attentata. Translationem istam unicus ex Episcopis probavit Jacobus Chalatza, Sardensium in Lydia Metropolitanus: verùm ex proprii commodi libidine. Etenim ipse per Nicephorum, ex Ephesina Cathedra translatum Patriarcham, consecratus fuerat, ideoque ab Arsenio Patriarcha damnatus. Et hinc infamiter degradari, & durè puniri metuens Germanus, propria sponte Patriarchatum depositi, successitque Josephus primus, Galesii Abbas, & Pneumaticus Imperatoris. Rem hanc aliter narrat Georgius Phranzes: *In Arsenii locum, qui Sedem reliquerat, Germanus Andrianopolis Archiepiscopus est surrogatus. Rursùm Germanus auditione accipiens se maledictis conscindi, ut qui Arsenio etiamnum vivo thronum ejus invalasset, eum volentibus reliquit. Successit Josephus.* Non translationis, sed super ordinationis causa censet Germanum fuisse intrusum. Nempè loquitur juxta mores sui temporis, quo invaluerat translationis nimia licentia, præsertim in Patriarchis Constantinopolitanis. Etenim adfirmat etiam Josephum secundum, qui in Florentina Synodo Sanctissimè obiit, fuisse Ephesо translatum. Addit ejus in locum fuisse electum Cardinalem Bessarionem, Archiepiscopum Nicænum in Bithynia, ac illo Romam & Larinos nolente deferre, suffectum fuisse Metrophanem, Cyzici Episcopum, Metropolitam Hellesponti. Quod ipsum in ejusdem Synodi historia scribit Sylvester Sguropulus. Proindè qui Josepho secundo proximè successisse putant ejus Proto-Syncellum Gregorium Melissenum, lucidè falluntur. Et post Turcicam captivitatem omnes ferè Patriarchæ fuerunt translati.

L. 4. c. 17.

L. 1. c. 6.

L. 2. c. 9.

C. 20.

CANON XIV.

QUòd Papa de omni Ecclesia, quacumque voluerit, Clericum valeat ordinare.

SCHOLION.

HUgo Lugdunensis Ecclesiæ Canonicus & Camerarius, quod à grassantibus tunc in Gallia Simoniacis Episcopis nollet ordinari, dudum permansit primæ tonsuræ Clericus, ideoque & in Diensem Episcopum electus Romam accessit, estque illic omnibus Ecclesiasticis ordinibus per nostrum Gregorium initiatus. Et in Virdunensi Chronico scribit Hugo Abbas Flaviniacensis: *Hoc aliqui calumniabantur Romanorum, & promebant morem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, neminem licet electum Antistitem à Papa ordinandum, nisi in eadem deserviret Ecclesia. Quod tamen in ipso Domnus Papa authentica sua potestate fecit: Complacuerat enim sibi in illo anima ejus.* Papalis manus impositionem volebant esse singulare privilegium, ideoque nulli extraneo impendendum. Item adversùs nostrum Gregorium, ac ejus successorem Urbanum secundum scribit in libro de Ecclesiæ unitate Venericus Vercellensis Episcopus: *Furatus est Ecclesiarum privilegia, ordinationes faciens in alienis Parochiis, contra sanctorum Canonum Decreta.* Est ex Glabro Rudolpho mutuata ab Henricianis calumnia, quam præsenti Dictatu Gregorius meritò damnat & proscribit.

A. 1074.

Etenim de Vigilio Pontifice, proficiscente Constantinopolim, scribit liber Pontificalis: *Ingressus Siciliam, in civitatem Catanensem, permissus est facere ordinationes per mensem Decembrem, Presbyteros & Diaconos.* Non ex gratia, sed ex suo jure fuit permissus. Hinc Ruffinum Monachum, quem ad regendam S. Laurentii, in suo Savitatis Diœcesis fundo exstructam, Parochialem Ecclesiam elegerat, non à Bono Episcopo, sed à Pelagio II. Pontifice consecrari postulavit nobilis vir Theodorus: Et ipsum à dicto Episcopo consecrari Diaconum jussit laudatus Pontifex, spondens tunc in Presbyterum promovere. Exstat Epistola apud Gratianum. Et antiquus ille antiquarum Decretalium Epistolarum confictor Julii primi Pontificis ad Orientales Antistites litteris inseruit hunc Canonem: *Nullus Episcopus alterius Parochianum præsumat ordinare absque Episcopi voluntate, salva tamen in omnibus Apostolica auctoritate.* Et Epiphanium, Isauriæ in Antiocheno Patriarchatu Mo-

16. Qu. 1. c. 31.

L. 4. Epist. 30.

nachum, ad Eliæ Abbatis preces in Diaconum consecravit Magnus Gregorius. Sancti Martini primi tempore omnis fermè Antiochenus ac Hierosolymitanus Patriarchatus gemebat sub Saracenorum Tyrannide, miseraque laborabat Episcoporum & Clericorum inopia. Hinc Joanni Philadelphiæ apud Arabes Episcopo suas istic vices delegavit laudatus Pontifex, fecitque plenam potestatem non solùm Clericos, sed & Episcopos ubique ordinandi. Istam sibi auctoritatem ex Apostolico Sancti Petri privilegio competere, multis adversùm quosdam adversantes ostendit. Et de Constantino Pontifice, Constantinopolim profecto, scribit item liber Pontificalis: *Hic fecit ordinationes Episcoporum in eundo, & redeundo, per diversa loca Episcopos duodecim.* Eodem jure potuit & Clericos ordinare. Et Decreto suo Sanctus Ivo Carnutensis Episcopus inseruit Epistolam, qua Walberto Patriarchæ Aquilejensi, ut Cumanæ Ecclesiæ Episcopum ordinet, mandat Stephanus quartus, & adjungit: *Nolumus alicujus Ecclesiæ privilegium infringere, licet Apostolica Prærogativa possimus, de qualibet Ecclesia Clericum ordinare.* Et trigesimus octavus Arabum Canon habet: *Nullus Episcoporum in Parœcia alterius ordinationes Presbyterorum vel Diaconorum faciat, exceptis Patriarcha & Archiepiscopo in locis, quæ sub potestate eorum sunt.* Ubi per Archiepiscopum non quivis Metropolita intelligitur, sed solus Autocephalus Primas: Ea enim est antiqua istius vocis significatio. Quinimò in tertia Carthaginensi Synodo, ad Aurelium, licet nequaquam Autocephalum, suum Primatem dixit Numidicus Episcopus: *Fuit semper hæc licentia Sedi Carthaginensi, unde vellet, & de cujus nomine fuisset conventus, pro desiderio cujuscumque Ecclesiæ ordinare Episcopum.* Hoc est, non dumtaxat Clericos, sed etiam Episcopos. Ita lucet ex totius istius collationis contextu. Et infrà: *Non tibi potestatem damus, sed tuum assignamus.* Ex quo aliqui volunt amplam istam ordinandorum ubique Clericorum facultatem esse communem omni Patriarchæ, omnique Autocephalo Primati. Ita ad sextum decimum & trigesimum primum Apostolicum Canonem docere videtur Theodorus Balsamon. Verùm ad decimum octavum Trullanum, & ad octogesimum tertium Africanum affirmat id licere soli Constantinopolitano, Antiocheno ac Hierosolymitano disertè negat hanc potestatem. Longa est hæc quæstio. Romano Pontifici potestatem istam esse per omnem Ecclesiam, non est dubitandum.

Epist. 5. 9. 11.

Part. 5. c. 13.

C. 45.

CANON XV.

Quòd à Papa ordinatus alii Ecclesiæ præesse potest, sed non militare: Et quod ab aliquo Episcopo non debet superiorem gradum accipere.

SCHOLION.

Dictatum hunc Gregorius noster desumpsit ex Magni Gregorii litteris ad Eliam in Isauria Presbyterum & Abbatem: *Filium nostrum Epiphanium mandastis, ut ad sacrum Ordinem provehere deberemus, vobisque retransmittere. Sed in uno vos audivimus, in alio autem audire minimè potuimus. Diaconus quidem factus est, sed quisquis semel in hac Ecclesia ordinem sacrum acceperit, egrediendi ex ea ulteriùs licentiam non habet.* Et infrà: *Dilectissimum filium meum Epiphanium Diaconum quia huic Ecclesiæ Diaconatu interveniente ligavimus, Sanctitatem tuam non debet contristare.* Notanda sunt repetita verba, *Sacrum Ordinem*. Etenim ad Petrum Corsicæ Episcopum scribit idem Gregorius: *Latorem præsentium per intercessionem sanctitatis vestræ Acolythum fecimus, quem ad obsequia vestra transmisimus, ut si in lucrandis animabus amplius servierit, proficere amplius possit.* Hinc aliqui volunt præsentem Dictatus Regulam de solis sacris Ordinibus sancire. Firmior ratio est antiqua ac per Chalcedonensem Synodum innovata lex, mandans nullum absolutè, sed ad certum cujuspiam Ecclesiæ vel Monasterii titulum ordinari, atque ita de aliarum Ecclesiarum titulis disponere nolens Pontifex, non nisi ad Romanæ Ecclesiæ matriculam passim ordinabat. Hinc ex illis, quos Catanæ ordinaverat, Presbyteris ac Diaconibus etiam Vigilius Pontifex Ampliatum Presbyterum retransmisit Romam, reliquos ad suum Ministerium videtur secum duxisse Constantinopolim: Quia nempè omnes ordinaverat ad tabulam Romanæ Ecclesiæ. Hinc item ex ejusmodi ordinatis nullus poterat ab alio Episcopo promoveri ad altiorem gradum: Quia nempè alieni cardinis Clerico nemo potest manum imponere.

Lib. 4. Epist. 30.

Lib. 7. Epist. 2.

Quod adeò verum est, ut ejusmodi Romanos ordinatos nullus Metropolita, licet Canonicè electos, possit in cujusvis Ecclesiæ Episcopos consecrare. Quin & eligi non possunt, sed dumtaxat postulari. Quomodo illustrem adolescentem

scentem Guidonem, à Ravennate Ecclesia electum Episcopum, etiam Frederici primi Augusti precibus denegaverit Adrianus quartus, videre possis apud Radevicum Frisingensem. Romanorum Clericorum ad aliarum Ecclesiarum Præfecturas electionem esse omni modo commendandam rectè ex præsenti Dictatu asseverabat Princeps; perstitit tamen Pontifex, atque ita novis & longis inter Sacerdotium ac Imperium contentionibus januam patefecit. Ejus fundamentum exponit in litteris ad Cyprianum Diaconum, Apostolici in Sicilia Patrimonii Rectorem, de Joanne Catanensis Ecclesiæ Archidiacono in Syracusanum Episcopum eligendo agens, Sanctus Gregorius: *Quod si factum fuerit, etiam Frater & Coepiscopus noster Leo ei cessionem præstare debebit, ut liber ad ordinandum possit inveniri.* Et in litteris ad Joannem nescio cujus civitatis Episcopum: *Florentio Diacono Ravennati*, & Anconitanæ Ecclesiæ Electo, *si nullum crimen est quod obsistat, apud Episcopum ejus agi necesse est; ut ei debeat cessionem concedere, non tamen ex nostro mandato vel Edicto, ne contra suam voluntatem eum cedere videatur.* Quicumque Clericus in alienæ Ecclesiæ Episcopum electus postulari debebat à suo Episcopo, & sine ejus consensu atque donatione consentire nequibat in electionem, longè minus consecrari. Donatio seu cessio debebat esse plene libera. Hinc ipsam ex suo nomine postulari nolebat Gregorius. Isto semper jure Romana Ecclesia est singulariter gravisa.

L. 2. c. 15. 16. 17.

L. 4. Epist. 19.

L. 12. c. 6.

Aliam antiquæ disciplinæ Regulam habes in ejusdem Gregorii litteris ad Joannem Episcopum Syracusanum. Cosmam Monachum, à Sancto Maximiano Syracusæ Episcopo extractum è Monasterio, factumque Cathedralis Ecclesiæ Subdiaconum, successor Joannes ordinaverat Presbyterum Ecclesiæ in possessione Juliana. Hoc est, ex Cathedralis Ecclesiæ Canonico fecerat rusticanum Parochum, atque ita virum adeò afflixerat, ut vitam sibi existimaret pœnam. Hinc ille Gregorio questus est, meruitque has ad suum Episcopum litteras: *Quia tales erga subjectos nostros debemus existere, quales nobis, si subjecti fuissemus, nostros volueramus esse Præpositos, magnæ benignitatis est, si eum in Ecclesiam, ubi Subdiaconi est functus officio, Sanctitas vestra reducere, atque illic Presbyterum voluerit constituere Cardinalem. Quod & facere, quantum arbitramur, debetis, si tamen nihil est quod justè contra ipsum animos vestros exasperet.* Exponit in laudati Pontificis vita Joannes Diaconus: *Cardinales*, seu Cathedralium Ecclesiarum Canonicos, *violenter in Parochiis ordinatos Forensibus, in pristinum gradum Gregorius revocabat.* Neminem sub honoris fuco permittebat invitum quasi degradari. Hinc Sanctum Leonem imitatus, etiam nullum Archidiaconum permittebat invitum promoveri in Presbyterum: Archidiaconatus enim, licet gradu & consecratione esset inferior, honore tamen & administratione superabat Presbyteratum. Porrò Romana Ecclesia est omnium Ecclesiarum Mater & Caput, & ad ejus splendorem nulla etiam Patriarchalis Ecclesia possit vel adspicere: Hinc ex ejus matricula nemo possit ad aliam transferri, nisi degradatus. Quin imo de Gregorio pergit Joannes Diaconus: *Cum Gregorius, percepta occasione, Ecclesiæ suæ Cardinales*, seu Romano Cardini inscriptos Clericos, *si tamen consentirent, satis voluntariè proveheret, neminem prorsùs, quantacumque necessitate coactus, violenter promovere certabat, ne sub ejusmodi occasione quemquam eliminando deponere videretur.* Plures enim malebant Romæ esse Clerici, quàm in alia Civitate Episcopi, & per talem etiam promotionem existimabant se mitti in exilium, ac degradari. Quem sensum esse antiquissimum lucet ex prima Synodo Arelatensi, Hilaro Diacono in quæstionibus novi Testamenti, Sancti Hieronymi ad Evagrium litteris, arguentibus Romani Cleri fastum ob Ecclesiæ splendorem. Ab illo etiam Tertullianus nescio quam passus injuriam, præ impatientia defecit ad Montanum. Hinc igitur Romanæ Ecclesiæ Clerus alteri Ecclesiæ numquam militare potuit aut voluit, sed dumtaxat præesse. Et hinc dum per Donatistas devastatæ, ac ad miserandam Cleri inopiam redactæ Africanæ Ecclesiæ subsidia transmisit rogata Italia, nullus fuisse transmissus legitur Clericus Romanus.

L. 3. c. 8.

Qu. 101.

Quæ omnia locum non habent in illis, quos non ad suæ Ecclesiæ Cardinem, sed solius honoris causa Romanus Pontifex propriis manibus ordinarit. Attamen & hi habent suas Prærogativas. Etenim ad Mutinensem Episcopum scribit apud Gregorium nonum Innocentius tertius: *Meminimus à nobis fuisse suppliciter postulatum, ut quia* Clericus ille *erat Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus, mandaremus ipsum per Bononiensem Episcopum promoveri.* Voces, *Erat Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus*, evincunt illum fuisse Romano Cardini inscriptum; verùm Capituli Epigraphe facit sensum ampliorem: *Ordinatus à Papa sine licentia Papæ ad superiores ordines non promovetur.* Glossa dat rationem: *Hoc speciale est propter excellentiam Superioris, qui manum imposuit.* Et confirmat auctoritate & exemplo hujus Canonis Antisiodorensis: *In Altari, in quo Episcopus Missam cantavit, Presbyter eadem die aliam celebrare non præsumat.* Et ex hac Regula Ruffinum Monachum, quem Presbyterum consecrare promittebat, in Diaconum ac alios inferiores gradus consecrari juffit à Bono ejus Episcopo Pelagius secundus: Quod nempè à Papa initiatus ab alio posteà Episcopo non potuisset perfici, atque ita vacans Ecclesia non accipiendi Presbyteri periculum subjisset.

L. 1. Tit. 11. c. 12.

De istiusmodi à Papa ordinatorum alia Prærogativa scribit laudatus Innocentius ad Florentinum Episcopum: *Postulasti per Sedis Apostolicæ oraculum edoceri, utrùm quis per ordinem Subdiaconatus à Romano Pontifice susceptum à debita tibi reverentia subtrahatur. Ad quod breviter respondemus, quod etsi decens sit, ut illis quantum convenit, à te inter alios tibi subditos deferatur, quos benignitas Apostolica collatione ipsius ordinis honoravit, per eam tamen ab obedientia,*

L. 1. Tit. 33. c. 7.

quam aliàs tibi debent, minimè absolvuntur. Glossa de Subdiaconis ad Romanam Ecclesiam ordinatis, ac à Florentino Episcopo beneficium habentibus intelligit. Verùm Papa palàm loquitur de ordinatis ad Ecclesiam Florentinam. Exempti volebant hi esse à potestate sui Episcopi, Papa autem respondet esse dumtaxat competenter honorandos. Glossa adfirmat primum illis inter ejusdem ordinis collegas locum attribuendum.

CANON XVI.

QUòd nulla Synodus absque Papæ Præcepto debet generalis vocari.

SCHOLION.

REmensium Metropolita Hincmarus distinguit duplex generale Concilium: Aliud Conventu, aliud objecto. *Omne istud*, quod universalem Ecclesiæ fidem tractat & firmat, licet paucis duarum dumtaxat aut trium Provinciarum Episcopis constet, vult posteriori ac vero modo esse generale. Quam doctrinam in libris de Concordantia Catholica probat etiam Nicolaus Cardinalis Cusanus. Verùm & antiquis & modernis Hæreticis, Ecclesiam non à plena per omnem mundum diffusione, sed à solo vero dogmate universalem dici volentibus, nimium favet iste loquendi modus. Nec ullus Ecclesiæ Pater ipso umquam est usus. Quocirca vera, quam *totius Christianitatis repræsentationem* rectè vocat in libro de jejuniis Tertullianus, generalis Synodus requirit duas conditiones, quas in octavæ Synodi ad Adrianum secundum Pontificem præfatione laudat Anastasius Cardinalis Bibliothecarius: *Universalis est octava Synodus, primò quia Catholica fides in ea, & sanctæ leges, quæ non solùm à Sacerdotibus, sed & ab universis Christianis coli debent & venerari, contra hostes eorum consona voce defenduntur. Deindè quia cùm Christus in corpore suo, quod est Ecclesia, tot Patriarchales Sedes, quot in cujusque mortalis corpore sensus locaverit, profectò nihil generalitatis deest Ecclesiæ, si omnes illæ Sedes unius fuerint voluntatis: Sicut nihil deest motui corporis, si omnes quinque sensus integræ communisque fuerint sanitatis. Inter quas videlicet Sedes quia Romana præcellit, non immeritò visui comparatur, qui profectò cunctis sensibus præeminet, acutior illis existens, & communionem, sicut nullus eorum, cum omnibus habens.* Quod ipsum ad Photianos Episcopos in laudata octava Synodo dixit Imperator Basilius: *Nostis quia quinque Patriarchia orbis terrarum recta sentiunt, & non est læsa fides, & ideo quidquid judicant, necessariò debetis recipere.* Octavam Synodum affirmant ob duas causas esse generalem: Primò, quòd fidem ac alias universales Ecclesiæ causas tractaverit ac firmaverit; deindè quòd quinque Patriarchæ cum subjectis sibi Episcopis adessent, præsertim Romanus. Omnem enim sub cœlo Ecclesiam Apostoli in tres, posteriores Patres diviserunt in quinque Patriarchas, ac Patriarchales Diœceses: Horum omnium ad universalem Ecclesiæ causam legitima congregatio est Synodus generalis. Hinc ad Photianos Episcopos dixit etiam Magnificentissimus Patritius Bahanes: *Hodiè quatuor Patriarchia, imò quinque condemnatione condemnant vos, quid vobis videtur ad hæc? Est qui adjuvet vos, dicite.* Hoc est, præsens Synodus est plenè generalis, ideoque vobis nullus superest appellandi locus. Et rursùm Imperator Basilius: *Posuit Deus Ecclesiam suam in quinque Patriarchiis, & definivit in Evangeliis suis, ut numquam aliquando penitùs deficiant, eo quod sunt capita Ecclesiæ. Etenim illud quod dicitur,* ET PORTÆ INFERI NON PRÆVALEBUNT ADVERSUS EAM, *hoc denunciat. Quando duo ceciderint, currunt ad tria, cùm tria ceciderint, currunt ad duo, cùm verò quatuor fortè ceciderint, unum quod permanet in omnium capite Christo Deo nostro, revocat iterùm reliquum corpus Ecclesiæ.* Alexandrinus, Antiochenus, ac Hierosolymitanus Patriarchatus gemebant tunc sub Saracenis, plurimæque ipsorum Cathedræ carebant Episcopis. Hinc ait Basilius omnia & tota quinque Patriarchia non posse perire, & Ecclesiam salvari posse non solùm in tribu aut duobus, sed etiam in unico, utique principali Romano. Et quia generalis Synodus est Christianæ Ecclesiæ supremum ac necessarium Tribunal, ideò & ipsa in unico Romano Patriarchatu potest servari. Etenim adversùs Constantinopolitanum, quod se septimam generalem Synodum titulabat, Iconoclastarum conciliabolum legit in vera septima Synodo Joannes Diaconus: *Quomodo magna & universalis Synodus, quam neque receperunt neque concordaverunt reliquarum Præsules Ecclesiarum, sed anathemati hanc transmiserunt? Non enim habuit adjutorem illius temporis Romanorum Papam, vel eos, qui circa ipsum sunt Sacerdotes, nec etiam per Vicarios ejus, neque per Encyclicam epistolam, quemadmodum lex dictat Conciliorum. Sed nec consentientes sibi Orientis Patriarchas, Alexandriæ sci-*

Epist. 33. cap. 20. L. 2. c. 1

C. 11.

Act. 6.

Act. 7.

Act. 6.

licet, & Antiochiæ, ac sanctæ Civitatis, vel Comministros & Summos Sacerdotes qui cum ipsis existunt. Eruditissimæ ac numquam satis laudandæ refutationis istius auctorem, à multis seriò quæsitum, fuisse Stephanum in Sancti Auxentii Monte Monachum ac Martyrem, insigni encomio prædicatum à Sancto Joanne Damasceno, asserere videtur in Florentina Synodo Andreas Rhodiorum Latinus Episcopus, dicens ad Græcos: *Doctor vester Stephanus, quem & novum Martyrem vocatis, Patres Constantinopoli congregatos incusavit, quod à Romano Episcopo non convocati Synodum attentarent. Cumque vellent Hæretici Synodum celebrare, prodiit in medium ille dicens, Quomodo vos Synodum convocare audetis, & illegitimum vestrum habere conventum non præsente Romanorum Summo Pontifice, aut alio quopiam illius vicem agente?* Etiam tunc Alexandrina, Antiochena, ac Hierosolymitana Ecclesiæ gemebant sub Saracenis, & ne vel unum poterant ad Synodum mittere Episcopum; legaverunt tamen Joannem Presbyterum cum hisce litteris: *Si voluerit is celebrare Synodum, ne molesta vobis appareat trium Apostolicarum Sedium Summorum Patriarcharum, & sanctissimorum qui sub ipsis degunt Episcoporum absentia, non ex proprio eorum accidens proposito, sed ex tenentium seu dominantium illis terribilibus minis & mortiferis pœnis.* Eis Synodi accessum Saraceni sub mortis reatu interdixerant. Addunt eandem ex eadem causa absentiam contigisse sextæ Synodo, & concludunt: *Nullum ex hoc sanctæ Synodo adhæsit præjudicium, neque vires habuit prohibitio statuendi aliqua, & manifesta faciendi recta dogmata pietatis, præcipuè cùm sanctissimus & Apostolicus Papa Romanus concordaverit, & in ea inventus fuerit per Apocrisarios suos.* Omnium quinque Patriarcharum præsentiam affirmant Synodo necessariam, ipsorum tamen ex causa absentiam non officere, dummodo adsit Romanus: & hujusmodi Synodo esse plenam quælibet definiendi potestatem.

Sess. 9.

Act. 3.

Verùm sextæ, septimæ, atque octavæ Synodis, licet quorumdam Patriarcharum personæ defuerint, adfuerunt tamen Legati atque dogmaticæ Epistolæ, quibus se & suas Patriarchales Synodos omnibus actis & agendis communicare & consentire profitebantur. Et quidem sextæ Synodo adfuit etiam Patriarcha Antiochenus. Et Vigilio Pontifici, quòd Latinos suos Episcopos secum non haberet in competenti numero, quintam Synodum accedere recusanti, responderunt Græcorum Patriarchæ: *Nec in sanctis quatuor Synodis multitudo Occidentalium Episcoporum inventa est umquam, sed duo vel tres Episcopi, & certi Clerici.* Ut enim Patriarcha & omnis ejus Diœcesis censeatur adesse Synodo, satis est adesse ipsorum litteras & Legatos. At verò nunc adeò excreverunt iniquitates nostræ, ut quatuor Patriarchatus non solùm sub Turcica servitute, sed etiam sub schismate & variis erroribus gemant, adeoque jam sint Ecclesiæ apud ipsos, sicut favi apud vespas. Restat nobis Romanus Patriarchatus, & quidem etiam laceratus in varias hæreses. Sacrosancto Tridentino Concilio nullus adfuit Patriarcha, nullus Græcus Episcopus, nisi pauci ex Illyriciana Diœcesi, spectante ad Romanum Patriarchatum. Proindè ipsum videtur non generale fuisse aut Œcumenicum, sed dumtaxat Patriarchale.

Eandem quæstionem movet in libris de Concordantia Catholica Nicolaus Cardinalis Cusanus: *Hodiè quia universalis Ecclesia, heu, ad solum Patriarchatum Romanum redacta est, & quod quondam Patriarchale generale tantum, & subjectum Romano Pontifici fuit, hodiè est Concilium universale, universam Ecclesiam repræsentans. Hinc cùm hoc novum sit, dubitatio exorta est. Quare hoc Sacrum Basileense Concilium absque passione cum summa mansuetudine se habere debet in ordine ad Romanum Pontificem. Non se ex privilegio universalis Concilii in tantum erigat, de quo potius dolendum esset, quod obliviscatur subjectionis Patriarchalis, in qua semper fuit, secundùm quam in Papam fidelem nihil possit.* Totius Ecclesiæ universale, ac Patriarchale Concilium distinguit. Et hoc dicit quandoque esse, quandoque non esse generale. Romanus enim Patriarchatus plures non dumtaxat Provincias, sed etiam vastissimas Diœceses habet, quarum quandoque omnium, quandoque dumtaxat unius aut aliquarum Episcopos Papa evocat ad suam Synodum: Et hæc est Patriarchalis, non generalis. Totius Ecclesiæ universale, seu ex quinque Patriarchatibus adunatum Concilium, docet esse supra Papam, & hunc ab illo judicari posse, ac etiam deponi; Patriarchale autem, etiam generale, fatetur Pontifici subesse. Et de hac posteriori veritate nemo umquam dubitavit. Et quia universalis Ecclesia ad unicum Patriarchatum, ac Œcumenica illius Synodus ad unicum Patriarchale Concilium jam contracta sunt famosam de universalis Concilii supra Papam superioritate quæstionem laudatus Cardinalis rectè adfirmat jam cessare. Universale quippè Concilium jam aliud non est quàm generale Patriarchale, supra quod avita sua potestate Pontifex propter reliquorum Patriarcharum hæreticam aut schismaticam Apostasiam non potest esse exutus, nec à quopiam spoliari. Hinc Basileensem Synodum adfirmat palàm subesse Pontifici, ejusque in Eugenium quartum ac Apostolicam Sedem varia definitionum ac judiciorum Attentata improbat optimo jure, atque damnat.

L. 2. c. 20.

Act. 1.

Eadem lamentanda Ecclesiæ contractio firmat præsentem nostri Gregorii Dictatum. Etenim Patriarchalem, generalem præsertim, Synodum sine Patriarchæ Præcepto fieri non posse, nemo umquam vocavit in dubium. Quare nec de hodierna nostra universali possit dubitari. Verùm non de hac sola, sed etiam de plenè ex quinque Patriarchatibus universali Synodo Gregorius dictavit. Dictavit ex Lucentio Esculano Episcopo, Sancti Leonis Papæ ad Chalcedonensem Synodum Legato, adversùs Dioscorum Patriarcham Alexandrinum pronunciante: *Judicii sui necesse est Dioscorum dare rationem. Quia cum judicandi personam non haberet, præsumpsit, & Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod numquam licuit, numquam factum est.* Secundam Ephesinam Synodum ad sacras

Theodosii Augusti jussiones fieri quidem consenserat atque indixerat Sanctus Leo, verùm ejus exordiis contradixerant, ac Papalem consensum subtraxerant ejus Legati. Perrexit autem cum Domno Antiocheno & Juvenali Patriarcha Hierosolymitano Dioscorus, atque hoc est ipsius attentatum & inauditum facinus, quo legitima Synodi primordia transformavit in acephalum latrocinium. Etiam prima Constantinopolitana Synodus, quod nec Apostolicæ Sedis Præcepto cojisset, nec ejus legationem habuisset præsidentem, Œcumenica non fuit, aut Authentica, nisi postquam ejus Symbolum ac in ipso facta adversùs Macedonium atque Apollinarium additamenta probavit Romana Ecclesia, atque ita ipsam ex causis dispensatoriè legitimavit, ac fecit universalem. Et ad quintam Synodum se invitantibus Græcorum Patriarchis atque Episcopis omnem Synodalem progressum rigidissimè interdixit Vigilius Pontifex: *Nostrum debent definitum de tribus capitulis sustinere Responsum, antiquum & Regularem custodientes ordinem, ne ante nostræ, hoc est, Sedis Apostolicæ, cui per Dei gratiam præsidemus, promulgationem sententiæ quidquam proferre tentarent, undè scandali posset oriri occasio.* Asserit Romano Pontifici in universali Synodo competere relationem seu propositionem omnium tractandorum, nec non primùm cum prærogativa suffragium, ideoque sine ejus assensu nullam posse fieri istiusmodi Synodum, imò nec inchoari. Hunc esse ordinem antiquum & regularem. Ipsum enim in Chalcedonensi Synodo laudavit etiam Sanctus Paschasinus, Sancti Leonis Pontificis Legatus. Et dicta quinta Synodus, quousque suppletis & dispensatis ejus omnibus, quorum unum erat Papalis absentia & contradictio, vitiis confirmaretur à Vigilio Pontifice, nullius ponderis æstimata fuit ab ipsis etiam Græcis. Hinc ipsum ad istam suppletionem per multorum annorum exilium & multas in illo calamitates compulit Imperator Justinianus. Et adversùs Joannem quartum Constantinopolitanum Patriarcham, qui assumpto universalis Episcopi nomine etiam totius Orientis generalem Synodum convocare præsumpserat, scripsit ad convocatos Episcopos Pelagius secundus: *Relatum est ad Apostolicam Sedem, Joannem Constantinopolitanum Episcopum, universalem se scribere, vosque ex hac sua præsumptione ad Synodum convocare generalem, cùm generalium Synodorum convocandi auctoritas sit Apostolicæ Sedi Beati Petri tradita.* Nequaquam totius sub cœlo Ecclesiæ, sed Orientalium dumtaxat Patriarchatuum, ac Illyricianæ Diœcesis Episcopos ad Gregorii Patriarchæ Antiocheni criminalem causam judicandam convocaverat, atque etiam tale Concilium Pelagius dixit sine Apostolicæ Sedis assensu non licere. Et adjunxit: *Multis Apostolicis & Canonicis atque Ecclesiasticis instruimur Regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari.*

Epist. 8.

Et istarum Regularum authentica nobis non desunt testimonia. Etenim post Antiochenam Encæniorum Synodum non solùm Sanctus Athanasius istic damnatus, sed & ipsa damnatrix Eusebiana factio suos ad Julium Pontificem destinavere Legatos cum mandatis, ut si causam suam coram ipso ac ejus Synodo non possent evincere, postularent Synodum generalem. *Martyrius* factionis Legatus, inquit in suis ad ipsam litteris laudatus Julius, *cum* Collegis *suis ubique* ab Athanasii Legatis *profligabatur, ac proindè Concilium generale postulavit.* Postulationis causam edicit Socrates: *Julius Romanus Episcopus neutiquam aderat, neque quemquam, qui ejus locum suppleret, eo misit. Idque cum Canon Ecclesiasticus jubeat non oportere absque sententia Romani Episcopi Decreta Ecclesiæ sancire.* Agit de dicta Antiochena Synodo, ac de Julii ad ejus relationem & litteras Responso pergit: *Julius docuit eos contra Ecclesiæ Canones egisse, quod ipsum ad Concilium non vocassent. Quippè cùm Canon Ecclesiasticus vetet, ne Decreta absque sententia Romani Episcopi Ecclesiis sanciantur.* Et Hermias Zozomenus: *Ad illos, qui Antiochiæ convenerant, scripsit Julius, quod contra leges Ecclesiæ ipsum ad Concilium non vocassent. Nam legem esse spectantem ad Sacerdotii dignitatem, quæ pronunciat Acta illa esse irrita, quæ præter sententiam Romani Episcopi constituuntur.* Omnem Orientalem Ecclesiam traxerat Antiochiam, res ad universalem Ecclesiam spectantes attentarat, atque ita Julium Pontificem meritò offensum iri præviderat memorata factio. Hinc suis injunxit Legatis, ut si illum ad Actorum suorum confirmationem non possent inducere, novam illa retractaturam Synodum ab ejus gratia secundùm Canones postularent. Nisi manifestus & Apostolicus fuisset istiusmodi Canon, Eusebiana superbia numquam ita, licet solo verbo tenus, sese humiliasset. Et hinc in laudatis indictæ à se istius Synodi Apologeticis litteris Julius assiduè protestatur se in omnibus secundùm Apostolicos Canones egisse. Ita egisse affirmat etiam in Ecclesiastica historia Theodoretus.

L. 2. C. 4.

Etiam adversùs Ariminense Concilium scripsit ad Illyricianæ Diœcesis Episcopos Romana Sancti Damasi Pontificis Synodus: *Neque præjudicium aliquod nasci potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum convenerunt, cùm constet Romanum Episcopum, cujus ante omnes fuit expetenda sententia, hujusmodi Statutis consensum aliquem non accomodasse.* Exstat Epistola apud Theodoretum & Hermiam Zozomenum, ipsamque originalem & correctam nuper ex Romanis Archivis publicavit Illustrissimus Lucas Holstenius. Affirmat Epistola in cunctis istius Synodi statutis fuisse ante omnia expetendam Romani Episcopi sententiam. Quod Romanus Episcopus in generali Synodo habeat jus relationis, ac suffragii prærogativam, Theodoretus, Socrates, ac Zozomenus sententiam istam vocant νομον, id est, sententiam auctoritativam, cui nullus sine gravissimis fundamentis possit refragari. Sine ipsa affirmant non posse condi universales Ecclesiæ Canones, & irrita esse quævis generalium Synodorum Acta. Hinc enim vigesimum octavum Chalcedonensem Canonem Sanctus Leo Pontifex nec audire voluit: Quòd nempè Legatis ejus absentibus, & posteà reclamantibus fuisset formatus, adeoque non solùm

lùm Alexandrinæ ac Antiochenæ, sed etiam Romanæ Ecclesiæ insignem injuriam intulisset. Quod insigniter professus fuit Macedonius secundus Episcopus Constantinopolitanus. Etenim Imperatori Anastasio, Chalcedonensem Synodum retractari & damnari jubenti, respondit *absque universali Synodo, quæ Præsulem haberet Romanum Episcopum, impossibile fore hoc se facere.* Ita testatur in Ecclesiastica historia Anastasius Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, Consonat Sanctus Martyr Theophanes: *Imperator Macedonium Constantinopolitanum Episcopum, habitam olim Chalcedone Synodum reprobare cogebat. Ad hæc Macedonius: Citra universalem Synodum, cui primus adsideret Romanus Episcopus, id se exsequi non posse referebat.* Ambo loquuntur ex Collectaneis Theodori Lectoris: *Macedonius sine universali Synodo, cui magnæ Romæ præsideret Episcopus, nihil se facturum dixit.* Pergit de eodem Imperatore idem Bibliothecarius: *Vitalianus addidit, ut Macedonius & Flavianus, qui nequiter pulsi fuerant, suos reciperent thronos. Similiter & reliqui Episcopi. Et ita celebraretur Synodus, Romano & cunctis Episcopis convenientibus, & communi judicio probarentur, quæ adversùm Orthodoxos sunt præsumpta.* Quod ipsum eisdem ferè verbis scribunt Martyr Theophanes, ac Georgius Cedrenus. Hæreticum Orthodoxorum Episcoporum persecutorem Vitalianus Comes mota rebellione compescuit, compulitque ad postulandam & concedendam, quæ pacaret omnia, generalem Synodum: Et prima hujus conditio fuit, ut adesset Episcopus Romanus. Et Hormisda Pontifex consensit in Synodum Heraeleensem. At ipsam impedivit & frustravit dolosum Principis ingenium. Ex ipsa interim eandem processit quinta Synodus. Et ut huic adesset ac præesset Vigilius Pontifex, quantas machinas adhibuit Imperator Justinianus? Et ad ipsam probandam & subscriptione firmandam compulit Barbaricis persecutionibus. Nempè norat sine Romano Episcopo Synodum non esse Synodum. Nam & prima, sine Romani Episcopi Præcepto acta, Constantinopolitana Synodus non nisi per ejus ratificationem meruit esse Œcumenica. Et de Constantinopolitana in Hieriæ Palatio per Imperatorem Constantinum Caballinum contra sacras imagines celebrata Synodo declamavit in dicta adversùs eundem Principem oratione Sanctus Joannes Damascenus: *Planè acephalum est istud Concilium, & Deo odibile. Nam, quæso te, quis ei Patriarcharum inventus est interesse? Romanus ire noluit. Alexandrinus nullo modo sustinuit interesse. Nec planè Antiochenus. Ac nec omninò Hierosolymitanus. Jamqualis est ista Synodus, nullum habens Patriarcham? Ea Synodus sit, cùm quinque Sedes Patriarchales unam sanxerint fidem & confessionem. Sin autem vel unus Patriarcha defuerit, vel non se submiserit Synodo, hujusmodi nec Synodus sit, sed perversa congregatio, vanitatisque Concilium, & arrogantiæ.* Quod ipsum scribunt Anastasius Bibliothecarius, Martyr Theophanes, & Georgius Cedrenus. Volunt cunctos quinque Patriarchas debere invitari. Etenim & hic locum obtinet famosa Regula: *Plus obest unius excluso, quàm contradicto multorum.* Verùm Romanus Patriarcha Prærogativam habet, laudatam à Sancto Stephano, Martyre, & Monacho Auxentiano: *Citra* Romani auctoritatem nullo modo fieri potest, ut res *Ecclesiasticæ ad normam redigantur.* Et de novis adversùm sacras imagines per Imperatorem Leonem Armenium motis quæstionibus, de ejecto per ipsum Sancto Constantinopolitano Patriarcha Nicephoro, & Ecclesiis reddenda pace scripsit ad Leonem Constantinopolitanæ Ecclesiæ Sacellarium venerandus Studiani Monasterii Abbas Theodorus: *Quod si quis roget, quo pacto* Ecclesiarum pax *fieri possit? Si excedant, inquam, Ecclesiis Heterodoxi, & propriam Sedem recipiat Nicephorus sacer Patriarcha, qui coacto eorum Conventu, cum quibus certamen sustinuit, si fieri non possit, ut ab aliis Patriarchis adsint Vicarii. Quod certè fieri potest, si velit Imperator Occidentalem interesse, cui & potestas defertur Œcumenicæ Synodi.* Occidentali, seu Romano Patriarchæ adfirmat esse tantam Œcumenicæ Synodi auctoritatem, ut sine ipso alii Patriarchæ nec adesse velint, nec legare Vicarios. Quod nempe norint se sine ipso non esse Synodum, sed *acephalas locustas.* Ita enim de Basileensi Conventiculo pronuntiavit quartus Eugenius. Et in libro de inculpata Christianorum Religione scribit, de secundæ Nicænæ Synodi Actis differens, laudatus Patriarcha Nicephorus: *Decisum est hoc potissimùm jurium & Canonum Præscripto, quando juxtà ab antiquitus divina Decreta, in ea primas obtinebat & præsidebat, quod ex Occidentalibus locis advenerat, sive senioris Romæ pars non contemnenda, quorum absque consensu dogma, quod in Ecclesia movetur, uti legibus, Canonibus, & sacris consuetudinibus præscriptum ab antiquo est, probationem non habebit, vel finem unquam aliquem sortietur. Illis enim in rebus sacris Principatum obtinere concessum est, & Principum inter Apostolos dignitatem sortiti sunt.* Lucidè profitetur Romani Episcopi in generali Synodo Præsidentiam ac supremam auctoritatem esse de Synodi substantia, & ita præscribi à legibus, Canonibus, sacris consuetudinibus, & Divinis Decretis. Loquitur cum Imperatore Valentiniano tertio, scribente ad Theodosium secundum pro magno Papa Leone adversùs Ephesinum latrocinium: *Debemus cum omni competenti devotione dignitatem propriæ venerationis beato Apostolo Petro intemeratam & in nostris temporibus conservare, quatenus beatissimus Romanæ civitatis Episcopus, cui Principatum Sacerdotii super omnes contulit antiquitas, locum habeat ac facultatem de fide & Sacerdotibus* in postulata per Flavianum Constantinopolitanum Episcopum generali Synodo *judicare.* In generali enim Synodo Romanus Episcopus, licet non potestatem, solus tamen habet auctoritatem de fide & Sacerdotibus judicandi. Hinc ad eundem Pontificem scripsit Imperator Marcianus: *Supereſt, ut si placuerit tuæ Beatitudini in has partes advenire, & Synodum celebrare, hoc facere religionis adfectu dignetur.* Et infrà in eisdem litteris: *Omnes sanctissimi Episcopi debeant convenire, & quæ Christianorum religioni atque Catholicæ fidei prosint, sicut Sanctitas tua secundum*

Ec-

F. 61.

F. 130.

L. 2.

F. 54.

Ecclesiasticas regulas definiverit, sua dispositione declarent. Non solus Pontifex, sed & alii Episcopi Synodum celebrant, ac de fide definiunt: Verùm celebrandi ac definiendi auctoritas est penes solum Episcopum Romanorum. Exstant ista in prima parte Synodi Chalcedonensis. Plurima habemus similia irrefragabilia antiquitatis testimonia. Nam & in vita Sancti Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani Nicetas Paphlago advertit octavam Synodum fuisse in quibusdam usam nimiùm laxa dispensatione, atque adjungit: *Hæc Patriarchæ Ignatii gloriæ labem nullam adspergunt, quod non esset illi auctoritas agendi quæ vellet. Romanis enim pro Ecclesiastica traditione judicandi Potestatem permittebat*. Nicetas scripsit: τῆς κρίσεως ἐκπεσεῖν. Hoc est, non quamvis, sed auctoritativam judicii potestatem. Et dum Imperator Manuel Comnenus cum Theodosio Patriarcha ac ejus Constantinopolitana Synodo disceptaret de anathematizando Mahometis Deo, nec sua sensa posset evincere, addebat minas: *Minabatur majoris Concilii celebrationem, & res propositas ipso veteris Romæ Episcopo adhibito dijudicaturum, jure jurando adfirmabat*. Nempe ipsi etiam Schismatici norant Romano Episcopo semper in generali Synodo fuisse supremam judicii auctoritatem. Aversus à Schismate, ac in unionem propensus fuit iste Princeps. Hinc istis, quod vanæ non crederentur, minis schismaticos Episcopos ad multa inflexit. Hinc & eidem Schismatici, ut suam erraticam in Palatii Trullo celebratam Synodum suadeant esse Œcumenicam, fingunt & mentiuntur Romani Episcopi Legationem adfuisse ac præsedisse. Ita in libris de Papæ Primatu scribit Nilus Archiepiscopus Thessalonicensis: *Quod autem etiam Œcumenica fuerit Trullana Synodus, manifestum est ex Historia, cum Basilium habuerit Gortynes, quæ est in Creta, Episcopum, universæ Romanæ Ecclesiæ locum tenentem*. Quod ipsum scribunt Macarius Ancyræ Metropolita, Theodorus Balsamon, & alii Græci. Et ipsa Synodus in summo Episcopalium subscriptionum capite posuit: *Locus sanctissimi Papæ Romani*. Speravit se à Papa probandam, firmandam, subscribendam, atque ita futuram Œcumenicam: Sciens se sine illo esse acephalum gregem locustarum. Hinc & ipse schismatis Auctor Photius Synodo, in qua suas adversùs Romanam Ecclesiam iniquitates complevit, Petrum Presbyterum & Cardinalem, Eugenium Ostiensem, & Paulum Anconitanum Episcopos, Joannis octavi Legatos, aut compulit, aut finxit adfidere ac præsidere. Et hanc Sedis suæ in Synodo Prærogativam noster Gregorius hic vocat *Præceptum*. Datis Augilramno Metensi Episcopo capitulis etiam Adrianus primus inferuit hunc articulum: *Sedi Apostolicæ, jussione Domini, & meritis beati Petri Apostoli, singularis congregandorum Conciliorum auctoritas, & sanctorum Canonum ac venerandorum Patrum Decretis multipliciter privata tradita est potestas*. Loquitur ex famosis antiquorum Pontificum apud Isidorum Mercatorem Epistolis, istud Romanæ Ecclesiæ privilegium strenuè inculcantibus. Quam doctrinam, dum de generalibus Synodis intelligitur, esse veram affirmat ac demonstrat in Epistola adversùs suum nepotem etiam Hincmarus Metropolita Remensis. Ep. 33. c. 20.

Quæstio est, An in voce, *Præceptum*, non solam Romani Pontificis in Synodo præsentiam ac præsidentiam, sed etiam ejus convocationem Gregorius septimus intellexerit? Rationem dubitandi adducit Nicolaus Cardinalis Cusanus, asserens Synodi legitimitatem à convocantis auctoritate non pendere, sed illam, licet à Laico Principe, aut ipsis in unum conspirantibus totius Ecclesiæ Episcopis, aut alio quovis modo convocetur, esse Canonicam atque Authenticam. *Alioquin*, inquit, *non fuissent omnia octo universalia Concilia firma, quoniam per Imperatores congregata leguntur, & Romanus Pontifex ad instar aliorum Patriarcharum Divales Sacras jussiones pro veniendo aut mittendo ad Concilium recepisse*. Lib. 2. c. 26. Respicit ad Julium Puteolensem Episcopum, Sancti Leonis Pontificis in secundo Ephesino Concilio Legatum, qui illic Præsidentiam invadenti Dioscoro repositi: *A piissimis & Christianissimis Imperatoribus sanctissimus noster Papa Romanæ Ecclesiæ Præpositus Leo eodem tenore vocatus est*. Non dicit Synodum à Papa convocatam aut convocandam, sed dumtaxat ipsum non minùs quàm Dioscorum, & quidem per ejusdem tenoris litteras, ad illam à Principe fuisse advocatum. Eandem quæstionem in Basileensis Concilii historia movet Æneas Sylvius, multa conglomerat, versat se ipsum in omne latus, ac tandem concludit: *In hac re distinguendum putarem, nec absolutè negarem Papæ consensum necessarium, nec absolutè requirerem. Immò numquam eo volente refutarem. Dicerem tamen quia ad congreganda Concilia requirendus sit Papæ consensus, ne summa illius Sedis auctoritas & dignitas videatur contemni. Si tamen ille resistat, congregarique Concilium omninò nolit, & major pars Prælatorum judicet necessarium esse Concilium, etiamsi Papa nolit, congregari posse puto*. Qua in opinione perstiterunt ferè omnes defensores Basileensis Concilii. Constantiensis Synodus jusserat deinceps de decennio in decennium celebrari generale Concilium: Hinc intulerunt isti diem interpellare pro Papa, ideoque ipso etiam invito posse tunc Synodum adunari. Schismaticorum Græcorum pro suo Imperatore opinio est longè amplior. Etenim quibusdam Episcopis, de suæ ad eligendum novum Patriarcham, & alias quasdam quæstiones decidendas Synodi facta per Imperatorem Joannem Paleologum convocatione ac legitimitate dubitantibus, alii Episcopi cum Proceribus apud Sylvestrum Sguropulum responderunt *Imperatorem sibi summam semper potestatem vindicasse convocandi Synodos, ac stabiliendi cuncta prout sibi visum*. Etiam Martino quinto Pontifici, ad Ecclesiarum unionem exhortanti, & Imperator & Patriarcha reposuerunt fore opus generali Synodo, & addiderunt *ipsam non alibi gentium quàm Constantinopoli convenire oportere, & quòd solus Imperator Romanorum, & præter eum nemo inter mortales, auctoritatem habeat convocandi Synodum ex veteri ritu, consuetudine, ac privilegio Imperatoriæ Majestati adjuncto*. L. 2. c. 3. Cap. 8. Hujus moris ac

ac privilegii vigore ante Papam Florentinæ Synodo etiam subscribere Imperator prætendit. Papæ & Patriarchis voluit aliud non competere, quàm ut Sacra Tractoria convocati suos ipsi Episcopos convocarent. Lib. 10. cap. 2. Lib. 2. c. 10.

Eandem sententiam tenent jam dudum plerique Græci. Etenim Georgius Cedrenus distinguit particularia ac generalia Concilia, & pergit de particularibus: *Hæc coacta sunt ob quæstiones certis locis obortas, neque jussu Imperatorum, neque iis præsentibus. Quin etiam horum quædam habita sunt, priusquam Christiani existerent Imperatores. Cæterum illa Œcumenica fuerunt, sic dicta, quia Imperatorum jussu Summi Pontifices, quotquot erant per Romanum Imperium, convocarentur*. Fol 439. Videtur hujus convocationis jus adeò adligare Augustis Principibus, ut ante adsumptam ab ipsis fidem censeat non potuisse fieri generalia Concilia. Et in opere adversùs Barlaamum Gyracensem Episcopum Macarius Metropolita Ancyranus notat Papam de variis excessibus, & prosequitur: *Papa non vult coacta Synodo secundùm antiquam consuetudinem ab Imperatore Romanorum in nostris regionibus, unum seipsum ex his, qui judicantur, constituere, & res ipsius Synodali judicio proponi & tractari; immò oppositum omne per vim innovat, ipse per seipsum Synodum convocans*. Cap. 40. Et in opere de Papæ Primatu Nilus Thessalonicensis Archiepiscopus: *Quod Latini ajunt soli Papæ licere Œcumenicum Concilium convocare, quo pacto id manifestæ veritati non repugnare censeamus? immò verò quo pacto non sit turpe, Episcopum ea ambitiosè adfectare, quibus par est Regem ipsum gloriari?* Lib. 2. Et id demonstrare conatur exemplo quatuor primarum generalium Synodorum. Quin & de Imperatrice Anna, Andronici secundi Paleologi Vidua, offensa in Joannem Patriarcham Constantinopolitanum, scribit Imperator Joannes Cantacuzenus: *Anna Synodum e præsentibus Episcopis congregandam, & Patriarcham ad sui defensionem duxit advocandum. Conveniunt igitur ab Augusta vocati in Palatium Episcopi*. Lib. 3. c. 99. Anna, licet Latina & Sabauda, isto Augusto jure fuit usa. Et ad Imperatorem Joannem secundum Paleologum varii Græci dixerunt de Florentina Synodo: *Ad Synodum Œcumenicam jam coactam accitus est Imperator? Quis hoc aliquando audivit? Idque cum Synodi Œcumenicæ complures sint celebratæ, quarum primæ partes post Romanum Pontificem semper penes Romanum Imperatorem fuerunt? Numera mihi Synodos, & percurre omnes, unicam dumtaxat profer Œcumenicam, cui Romanorum Imperator initium non fecerit*. Florentinam Synodum dixerunt non esse Synodum: *Quoniam Imperator Romanorum, cui hæc desuper mandata sint, non ipse convocavit, sed ad priùs convocatam velut quispiam idiota & privatus accersitur*. Ita habes in litteris Georgii Trapezuntii ad dictum Imperatorem.

Respondeo tamen crassum esse hunc errorem. Etenim adductam Julii Puteolensis Episcopi intercessionem Hilarus Romanæ Ecclesiæ Diaconus ac Legatus statim elucidavit: *Gloriosissimi & Christianissimi Imperatores charitatem circa fidem Catholicam, & affectum tenentes, beatissimum Episcopum nostrum Leonem, Apostolicæ Sedis Præsulem, ut huic venerabili & Sancto Concilio adesset, dirigentes venerabiles Epistolas, supplicarunt*. Quales plures Augustorum Principum litteras Michaeli Augusto insolenter imperanti opposuit Nicolaus primus Pontifex, ostendens omnes olim necdum lacerati, sed integri adhuc Imperii Augustos supplicasse semper Sedi Apostolicæ, numquam imperasse. Unicus Eutychianistarum fautor Anastasius erumpere tunc præsumpsit in hanc ab omnibus damnatam vocem: *Nos jubere volumus, non nobis juberi*. Norant orthodoxi Principes generalem Synodum esse supremum Ecclesiæ Senatum, ideoque non sua, sed suprema Ecclesiastici capitis auctoritate adunandum. Omnes generales Synodos & à Papa & ab Augusto Principe fuisse olim convocatas ostendi suis locis, ac etiam in acclamatorio ad Constantinum quartum sermone sexta Synodus insigniter ostendit. Fateor tunc à Pontifice non emanasse Bullas seu litteras Convocatorias. Synodi faciendæ facultatem aut Papa à Principe, aut Princeps postulabat à Papa: Concessam aut admissam Princeps publicabat, & omnes Imperii Episcopos ad ipsam compellebat, Pontifici illic, aut ejus Legatis obedituros. Nec solum per ejusdem tenoris litteras cum aliis Patriarchis Papa fuit invitatus. Hasce Diuales Tractorias præcedebant aliæ supplices, quibus ejus in Synodum authenticus consensus postulabatur. Nec illum postulari suffecerat, oportebat & impetrasse. Egregiè id lucet ex dicta Ephesina Synodo. Pro retractanda Eutychetis appellatione postulatam, quousque Sanctus Leo duxit lucidæ quæstioni non esse necessariam, Imperator Theodosius non præsumpsit inchoare. An autem nullus sit casus, qui invito Pontifice permittat Synodum, est quæstio alterius loci. Existimo esse solum schisma, in quo duo Pontifices colludant, aut confligant, atque ita Ecclesiam lacerent & scandalizent. Græci schismatici sacram Augusti Principis unctionem errant esse quasi octavum Ecclesiasticæ potestatis Sacramentum. Verùm istæ nugæ fundantur in arena.

Notanda tamen sunt verba Græcorum adducta ex Georgio Trapezuntio: *Generalium Synodorum primæ partes post Romanum Pontificem semper penes Romanum Imperatorem fuerunt*. Adfirmant Romanos olim Principes non ex sua Augusta potestate, sed ex Romani Episcopi jussu, consensu, aut rogatu fuisse convocandis Synodis admixtos. Has ab istis non fuisse indictas, sed ad ipsas à Romanis Episcopis indictas Romanarum Provinciarum Antistites fuisse dumtaxat convocatos & compulsos. Loquuntur cum Nicolao Hydruntino, qui in opere de Spiritus Sancti processione distinguit particulares & generales Synodos, & prosequitur: *Universales Synodi coactæ sunt Decreto magni Archi-Præsulis Romæ, & illius Imperatorum*. Rem insigniter elucidat laudatus Georgius Trapezuntinus: *Tu verò, Imperator optime, leges à Patribus tuis latas, Divinoque jure consecratas considera & admirare. Illi cum gentibus imperitarent, Romani Episcopi auctoritate Synodos cogebant. Fortuna postmodum commutata, eadem nihilominùs dignitate tua, & antiquorum permanente,*

te, cum ad emendationem Ecclesiæ agitandus est conventus, & nemo jure præter Romanum Imperatorem tempus & locum & modum definire possit, quia opes tuæ infirmæ sunt, Deus judicio, quod ipse novit, in hoc necessitatis rem concluſit, tu solus non sis, sicut oportebat, & loci, & temporis, & modi, & unionis ipsius Dominus. Quod ipsum Clementi sexto Pontifici, fortissimè ad unionem hortato, rescripsit Joannes Imperator Cantacuzenus, adfirmans unionem sine Generali Synodo non posse stabiliri, & adjungens: *Si Asia & Europa, quemadmodum olim, in Romanorum Imperio censerentur, apud nos Synodus cogenda esset. Quod cùm fieri jam nequeat, si & Patri Papæ videbitur, ad locum aliquem maritimum, in medio utrorumque situm, consensu deveniemus, ille cum occidentis Episcopis, ego cum Patriarchis, eorumque Episcopis.* Palam profitetur generalis Synodi convocationem jam non amplius ad Imperatorem, sed pertinere ad solum Papam. Nam & olim Imperator non erat nisi Pontificis in convocanda Synodo adjutor, indictæ exsecutor, & Episcoporum ad ipsam compulsor. Hac potestate propter accisum & excisum Constantinopolitanum Imperium jam caret, atque ita non possit Synodum convocare. Etiam olim convocare non potuit Persarum Episcopos, aut aliorum Barbarorum. Et certè primus sine Romani Episcopi auctoritate Synodum convocare præsumpsit Justinianus secundus: Utique Trullanam Synodum. Quæ cujus ponderis sit, est nimis manifestum. Et de ista audacia adeò erubescunt etiam Schismatici hodiè Græci, ut fingant & mentiantur Romanæ Cathedræ ac Synodi Legatos ipsi adfuisse: ut ipsam confundant cum sexta generali.

L. 4. c. 9.

Alia quæstio est, An ad universalis Synodi indictionem sufficiat solius Pontificis, & aliorum Patriarcharum assensus non requiratur? Rationem dubitandi producit Sanctus Martyr & Abbas Maximus, Pyrrho Constantinopolitano Episcopo, suam Monotheliticam Synodum jactanti, in erudita sua disputatione respondens: *Subit me admiratio, quomodo Synodum vocas, quæ non est habita ut leges & Canones Synodici, & jura Ecclesiastica jubent. Nec enim epistola Encyclica ex consensu Patriarcharum edita est, neque locus neque dies conveniendi decretus.* Encyclicam, quæ Synodo locum præfigat & diem, Tractoriam, id est, Indictivam Synodi Epistolam apertè adfirmat ex omnium Patriarcharum consensu edendam. Respondeo solius Papæ consensum requiri. Etenim ad Dardaniæ Episcopos scribit Sanctus Gelasius: *Apostolica Sedes, ut Synodus Chalcedonensis fieret, sola decrevit.* Etiam alias omnes ejus solius Decreto convenisse, est suo loco ostensum. Et hinc in Florentina Synodo Græci post multas examinis & disputationis ambages tandem admiserunt Romani Episcopi privilegia, duobus articulis exceptis, quorum alter erat hic: *Ut Papa convocet Synodum Œcumenicam sine Patriarchis, si conveniant; quod si advocentur, & non veniant, ne propterea impedimento sint, quo minus Synodus fiat.* Et Synodalem fidei definitionem permiserunt quidem formari in Eugenii Pontificis nomen, voluerunt tamen addi: *De consensu Constantinopolitani, & cæterorum Patriarcharum.* Non ad convocandam Synodum, sed dumtaxat ad publicandam definitionem censuerunt necessarium istum consensum. Dixerunt Patriarchas omnes ad Synodum à Papa invitandos. Quocirca etiam Sanctus Maximus per Encyclicam epistolam nequaquam intelligit Tractoriam, sed Synodalem definitionem. Notanda sunt Græcorum verba: *Quod si advocentur, & non veniant, ne propterea impedimento sint, quo minùs Synodus fiat.* Quod si nec veniant, nec Legatum aut Epistolam mittant, ex solis Romani Patriarchatus Episcopis adunata Synodus erit plenè Œcumenica, penitus nulla illius dignitate aut privilegio orbata. Quod ipsum in eruditis ad suos in Oriente Collegas litteris insigniter demonstrat Barlaamus Episcopus Gyracensis. Et sic de Tridentinæ Synodi Œcumenica auctoritate non est dubitandum.

Sess. 24.

Expenditur novissimum quoddam Dogma.

ADversùs hæc omnia potenter intercedit Dominus Joannes Launojus. Capuanæ Synodo, quam quandoque generalem existimat, credit Siricium Pontificem non præsedisse. Eustatianum Antiochenæ Ecclesiæ schisma per Paulini ac Meletii mortem exstinguendum Ecclesia sperabat, at ipsum Evagrius & Flavianus Successores cum fœnore continuarunt. Et quidem Apostolica Sedes semper ob rationes faverat Paulino, ejus autem Successori Evagrio non ita. Attamen Meletii Successorem Flavianum uti perjurum aversabatur. Ipsum interim fovebant magni per Orientem Episcopi, & propter ipsos magnus Imperator Theodosius, qui Damasi ac Siricii Pontificum precibus ac monitis inflexus tandem promisit Flavianum Apostolico intra Italiam judicio sistere, & ita Ecclesiis reddere pacem. Hinc ergo Capuanam ex omni Romano Imperio Synodum convocavit Siricius: Ejus Acta perierunt, aut latent. Exstant tamen Siricii ad Acholium Thessalonicensem ac alios Illyrici Antistites Epistola, Epistola Sancti Ambrosii ad Theophilum Alexandriæ Patriarcham, in Theodoreti, Socratis, ac Hermiæ Zozomeni Historia, nec non in Africanis Synodis varia memoria, ex quibus nostram ignorantiam consolemur. Quod mala conscientia Romanæ Civitatis muros plus timeat quàm Barbaricam obsidionem, adversus Ruffinum scripsit Sanctus Hieronymus. Et hinc etiam Flavianus Capuæ non comparuit, atque ita omnem Synodum graviter offendit. Factum igitur est quod in laudata Epistola scribit Sanctus Ambrosius: *Et Evagrium & Flavianum in meliorem vocamus viam, ut malimus eos propriis potius bonis, quam alieno vitio defendi. Qua de re quoniam propriis texuisti litteris posse typum reperiri aliquem, quo possit auferri fratrum discordia, cum sancta Synodus cognitionis jus Unanimitati vestræ, cæterisque ex Ægypto Consacerdotibus*

nostris commiserit, iterum oportet fratrem nostrum Flavianum convenias, ut si in eo perseveraverit quo veniendum non putet, salvis Concilii Nicæni, sed etiam Synodi Capuensis Statutis, illibata pace universorum ita consulas, ut non videamur destruere quod ædificatum est. Et suprà: *Bonæ pacis naufragio sancta Synodus Capuensis tandem obtulerat portum tranquillitatis, ut omnibus per totum Orientem daretur communio Catholicam conficentibus fidem, & duobus istis*, utique Evagrio & Flaviano, *tuæ Sanctitatis examen impertiretur, Fratribus & Consacerdotibus nostris Ægyptiis pariter considentibus, quia hoc verum judicium futurum arbitrati sumus, quod neutri parti sociata communione aliquo favore propenderet.* Magnæ per omne Romanum Imperium potentiæ, ac versatilis ingenii Episcopus erat Theophilus, atque ita neutralem se gesserat, nec Evagrio favens, aut communicans, nec Flaviano. Hinc ipsi potiùs quàm Capuano Concilio se credendum Flavianus censuit, ac illum induxit ad scribendum Synodo notum sibi esse modum componendi hujus schismatis cum utriusque partis gratia. Et Synodus hoc gratum habuit, ideoque causam ejus Synodo delegavit, ea tamen lege, ut nihil contra sua Decreta aut Nicænos Canones attentaretur. Et ex his Dominus Joannes Launojus infert & conjecturat Capuanæ Synodo non Siricium, sed Sanctum Ambrosium præsedisse. Ex his præsertim verbis: *Verum judicium futurum arbitrati sumus, quòd neutri parti sociata communione aliquo favore propenderet.* Existimat Siricium Flaviano fuisse suspectum, ideoque à Judicis & Præsidis throno exclusum. Addit Theophilum sua hic Acta non ad Siricium, sed ad Ambrosium debuisse referre, ac retulisse: Quòd nempè hic, non ille præsedisset.

Epist. 9.

Et quidem Romanum Pontificem, & omnes Occidentis Episcopos fuisse Flaviano suspectos, lucet ex illis, quæ vivo adhuc Meletio Magnus Basilius de hac quæstione scripsit ad Comitem Terentium: *Dicebantur Fratres, qui Paulino favebant, in colloquium cum tua Rectitudine descendere de sua nobiscum unione. Nobiscum, inquam, qui à partibus stamus Meletii, illius viri Dei, Episcopi Antiocheni. Quos audio circumferre Occidentalium litteras, quibus Sedes Antiochiæ Episcopalis ipsorum parti addicitur; vir autem admirabilis Meletius ab Ecclesia Dei Episcopatu abdicatur. Neque sanè miror. Illi enim penitus ignorant nostrarum rerum conditionem. Et illi qui videri volunt cognoscere, contentiosè magis quàm conjunctim cum veritate referunt. Nihil equidem magis vero simile est, quam veritatem illos ignorare, vel occultare causam:* Epist. 349. *Unde inductus est Athanasius beatissimus Episcopus, litteras ad Paulinum dare.* Eadem acrimonia scripsit & alias de hac re litteras, ideoque Joannis Launoii conjectura videtur non carere fundamento. Et tres dumtaxat Metropolitas habebat tunc Italia, Romanum, Mediolanensem, & Aquilejensem, atque ita excluſi Siricii thronus devolvebatur in Ambrosium. Videatur Doctoris epistola ad Hieronymum Samboeuvium.

Respondeo hæc omnia carere fundamento. Etenim Capuana Ecclesia erat tunc Romanæ suburbicaria seu suffraganea, adeoque tantam suæ Sedis injuriam quomodo in propria Provincia sustinuisset Siricius, quomodo Ambrosius præsumpsisset? An Siricius per se, an per Legatos præsederit, ignoro. Certum est præsedisse. Et licet Ambrosius de ejus non fuerit Provincia, possit tamen fuisse Legatus. Nam & posteà Sanctus Cælestinus suas in Ephesino Concilio vices detulit Sancto Alexandrinorum Patriarchæ Cyrillo. Siricium præsedisse demonstrant varia. Primò, hæc ejus in laudatis litteris ad Sanctum Anysium Thessalonicensem, qui sibi à Capuana Synodo delegatam Bonosi causam conabatur excutere, ac rejicere ad Papale tribunal, Responsio: *Si integra esset hodie Synodus, rectè de iis, quæ comprehendit vestrorum Scriptorum series, decernere mus.* Etenim à Synodo excluſus Pontifex non potuisset decernere. Et adesse non potuit, quin præsideret. Secundò idem demonstrant hæc Sancti Ambrosii ad Theophilum Patriarcham, cui Evagrii & Flaviani causam delegarat Synodus, verba: *Sanè referendum arbitramur ad sanctum Fratrem nostrum Romanæ Sacerdotem Ecclesiæ, quoniam præsumimus ea te judicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant. Ita enim utile erit consultum sententiæ, ita pacis & quietis securitas, si id vestra statuatur Concilio, quod communioni nostræ dissensionem non adferat, ut nos quoque accepta vestrorum serie Statutorum, cùm id gestum esse cognoverimus; quòd Ecclesia Romana haud dubiè probaverit, læti fructum hujusmodi examinis adipiscamur.* Etenim si Siricius non præsederit, quod ipse jus, quod debitum Theophilus habuit faciendæ ad ipsum relationis, ac accipiendæ ab ipso confirmationis? Quòd relatio habeat appellationis effectum, hoc est, quòd relata Acta & devolvat & suspendat, adeoque non nisi ad Præsidentem seu Superiorem fiat; omni legum & canonum perito est manifestum.

Assertionem nostram demonstrat etiam antiqua Ecclesiæ Regula, quæ Romanum Episcopum ex nulla partium suspicione, & ex nulla penitus causa permisit ab isto jure suspendi. Insigniter hoc claruit in secundo Ephesino Concilio. Etenim Hæresiarcha Eutyches à Sancti Leonis, quòd datam in ipsum à Sancto Flaviano Constantinopolitano Episcopo damnationis sententiam confirmaverat, judicio appellarat ad universalem Ecclesiæ Synodum, necnon ejus Legatos, quòd à laudato Flaviano fuissent convivio excepti, & cum ipso colluderent, accusarat & suspectarat, atque ita ipsos à Præsidentia excludi curarat per Imperatorem Theodosium, ac ipsam traduci in Dioscorum Alexandriæ Episcopum, secundum Catholicæ Ecclesiæ Patriarcham. Verùm hac via bene conceptam Synodum demutavit in Latrocinale conciliabulum. Et hinc prima adversùs ipsum per Apostolicæ Sedis Legatos apud Chalcedonensem Synodum exceptio fuit hæc: *Necesse est Dioscorum judicii sui dare rationem, quia cum personam judicandi non haberet, præsumpsit, & Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod numquam licuit, nunquam factum est.* Eum non de male cassata Sancti Leonis in Eutychetem sententia, aut recepto in communionem Eutychete, non de firmata ejus hæ-

resi, nec de trucidato Sancto Flaviano accusarunt, sed pro palmari adduxerunt crimine, quod sine Apostolicæ Sedis auctoritate se in generalis Synodi Præsidem intrusisset. Et addiderunt: *Quod numquam licuit, numquam factum est.* Absit ergo ut Sanctus Ambrosius id fecerit in Synodo Capuana. Quod ipsum claruit in Sardicensi Synodo, indicta ad retractandum Julii Pontificis judicium, quo Sanctum Athanasium & alios ab Eusebiana factione degradatos Episcopos in gradum reparârat. Non solummodò suspectus, sed manifestè adversarius erat factioni Julius: Item ejus Legatus Hosius erat eidem insigniter odiosus. Et illa, non minus quam Dioscorus & Eutyches, solemnem Romani Imperii, quæ appellatum Judicem transformat in accusatorem aut reum, legem invocare potuerat, verùm Apostolica lex factis à Romano Episcopo ad generalem Synodum provocationibus, non appellationis, sed solius revisionis effectum tribuit, ejus sententias dumtaxat sine suspensione devolvit, sine ejus assensu non permittit retractari, & retractatorio judicio mandat ipsum adesse & præsidere. Et ita nuper factum fuerat in prima Synodo Arelatensi. Monarchicum Sancti Petri Apostoli jus hostilissimè in suo Philippopolitano Conventu factio momordit, conata absumere, verùm adversùs Hosii & Collegarum Apostolicam Præsidentiam nullus excepit, nullus intercessit. Nec item in Ephesina Synodo Nestorius. Nam & illa hujus appellationem retractabat. Et quidem Flavianus Antiochiæ Patriarcha à Romano judicio numquam provocaverat. Quare quisquis Capuano Concilio adfirmat non Siricium, sed Ambrosium præsedisse, Romanos in Chalcedonensi Synodo Legatos arguit erroris, Sanctumque Ambrosium demutat in Dioscorum, & laudatissimam Synodum in acephalam factionem.

Hæc Romani Episcopi dignitas fulcitur insuper aliis antiquis exemplis ac testimoniis. Etenim primam Constantinopolitanam, quæ hodie est secunda Œcumenica, Synodum quis nesciat inniti infirmis & caducis exordiis? Adversùs ipsius tertium, ex quo suum vigesimum octavum deducere conati sunt Patres Chalcedonenses, Canonem scribit ad Anatolium Constantinopo-
Ep. 53. c. 5. litanum Episcopum Sanctus Leo Magnus: *Persuasioni tuæ in nullo penitus suffragatur quorundam Episcoporum ante sexaginta annos facta subscriptio.* Esse dicit non Synodalem Canonem, sed quorundam Episcoporum subscriptionem. Unde & ad Chalcedonensem Synodum dixit de ipso Lucentius Esculanus Episcopus, laudati Pontificis
Act. 16. Legatus: *In Synodicis Canonibus non habetur.* Congregatos Constantinopoli Episcopos non pro generali habuerunt, sed dumtaxat pro particulari Synodo Orientalis Ecclesiæ. Et adversùs quartum Canonem Maximus Cynicus Romam appellavit, ejusque appellationem admisit Damasus Pontifex, & ex sua, cui Sanctus Ambrosius adfuit, Romana Synodo scripsit ad Imperatorem Theodosium: *Nos in Synodo ea, quæ totius orbis Episcopis videbatur esse præscripta, nihil temerè statuendum esse censuimus. Adeò ipso tempore, qui generale Concilium declinaverunt, Constantinopolique gessisse dicuntur. Nam cum cognovissent ad hoc partium venisse Maximum, ut causam in Synodo ageret suam, quod, etiamsi indictum Concilium non fuisset, jure & more Majorum ut ad Ecclesiæ Romanæ, Italiæ, & totius Occidentis confugisse judicium videretur.* Pro exstinguendo, quod variis erroribus Orientem fœdaverat, Eusebiano Schismate Œcumenicam Synodum ad Romanam urbem convocaverat Damasus. Et hanc vocat generale Concilium, ac Synodum totius mundi Episcopis præscriptam. Verùm Orientalium Episcoporum plures Romanum iter non probarunt, multis rationibus Imperatorem Theodosium traxerunt in suam sententiam, atque ita Synodum Constantinopoli celebrarunt. Et ipsam Pontifex lucidè & graviter improbat. Quod nempè sine Apostolicæ Sedis Præcepto ac Præsidentia convenissent. Verùm quod Nicænam fidem, & ejus symbolo necessaria adversùm Apollinaristas, Macedonianos, ac Marcellinos additamenta firmasset, ipsam pacis causa tandem confirmavit Apostolica Sedes, atque ita facta est una è quatuor generalibus, quas tamquam quatuor sancta Dei Evangelia venerandas scripsit Magnus Gregorius. Nullum umquam Ecclesiæ Decretum sustinuit tot contradictionum impetus, quot dogmatica Magni Leonis ad Sanctum Flavianum Constantinopolitanum Episcopum adversùs Hæresiarcham Eutychetem Epistola, posteà uti Apostolicum suffragium missa etiam ad Chalcedonense Synodum. Eam de Nestoriana lue accusavit omnis Eutychiana factio, ac propter ipsam aversata est laudatam Synodum, atque à Zenone & Anastasio Imperatoribus flagitavit atque impetravit damnandam. Verùm damnationem jubenti Anastasio respondit apud Anastasii Bibliothecarii Ecclesiasticam Historiam Macedonius secundus Constantinopolitanus Episcopus: *Absque generali Synodo, quæ Præsulem haberet Romanum Episcopum, hoc est impossibile.* Consonat Martyr Theophanes: *Macedonius citra universalem Synodum, cui primus assideret Romanus Episcopus, id se exequi non posse referebat.* Interea Vitalianus Equitum Magister, vir insigniter Catholicus, Hæreticum Principem ac pessimum Catholicorum Episcoporum persecutorem publico motu compescuit, compulitque ad consentiendum in generalem Synodum, quæ indicta fuit in civitatem Heracleensem, Thracicæ Europæ Metropolim, ac de ipsa pergit laudatus Mar-
tyr: *His* enumeratis pacis conditionibus *additum* Fol. 137.
Vitalianus voluit, ut convocaretur Synodus, ad quam Romanus Pontifex & cuncti accederent Episcopi, ut hoc pacto, quæ adversùm Orthodoxos perperam decreta fuissent, communis judicii subjicerentur examini. Quomodo omnia hæc juramento firmaverit Anastasius, ideoque Hormisdas Pontifex Legatos miserit, & plurimi Heracleam accesserint Episcopi, exponit idem Scriptor, & de iisdem prosequitur: *Re infecta recesserunt. Impius siquidem Imperator, pactis violatis, ad Papam Romæ, ne veniret, clam significavit, aliunde verò Vitaliano Sacram Romæ mittendam dederat, qua Papam ad Concilium*

Heracleæ celebrandum ut accederet, dolosè invitabat. Nempè noverat sine Præsidente Romani Episcopi persona aut Legato generalem Synodum non posse celebrari. Quæ omnia iisdem ferè verbis scribit laudatus Bibliothecarius. Acaciani schismatis extrema cauda fuit schisma trium Capitulorum: Et adversùs ipsum Imperator Justinianus coegit quintum generale Concilium. Ut ipsi præsideret, tractanda referret, & suffragii Prærogativa fungeretur Vigilius Pontifex, quantis precibus & minis institerint & Princeps & Primates Episcopi, demonstrant Acta Synodalia. Et quia induci Pontifex non potuit, factum est quod in Chronico scribit ad decimum septimum à Basilii Consulatu annum Victor Tonnonensis Episcopus: *Vigilius Romanus in insula Sicilia moritur.* Quinta Synodus facta fuit tertio decimo post dictum Consulatum anno, per tot annos Justinianus Vigilium in calamitoso exilio detinuit, atque ita caducæ Synodi supplementa & ratificationem extorsit. Sciebat omnes suas machinas esse aliter frivolas & nullas. Trullanæ item Synodo Romanus Episcopus non præsedit. Hinc Subscriptores Episcopi primum locum reliquerunt apertum cum hac Epigraphe: *Locus Sanctissimi Papæ Romani.* Sperabant fore, & omnibus posteà viribus egerunt, ut ratificaret Romanus Episcopus, & Præsidentiæ defectum, uti in secundo & quinto Concilio fecerat, suppleret. Quod quia usque huc nullus facere voluit Pontifex, ista Synodus semper titulatur erratica. Etiam Iconoclasticum Constantini Caballini conventum ex eodem capite fuisse nullius ponderis, suprà audivimus à Sancto Stephano Martyre. Et confirmant Martyr Theophanes, Anastasius Bibliothecarius, ac Georgius Cedrenus. Et de Imperatore Manuele Comneno, dum de quibusdam dogmatibus disputaret cum Theodosio Patriarcha Constantinopolitano, scribit Nicetas Choniates: *Manuel Theodosio &*
L. 7. c. 6. *Pontificibus ob præpositeram adversationem majus Concilium minabatur, & controversiæ disceptationem ipso veteris Romæ Papa adhibito, jurejurando testificabatur.* Et ad omnes per Orientem Patriarchas atque Episcopos scripsit de Sancti Ignatii Constantinopolitani Patriarchæ causa Nicolaus primus: *Vos ut antiquum morem servetis, neque judicetis, neque approbetis quidquam sine nostra auctoritate: Hæc autem eo scripsi vobis, quòd non ita pridem venerit ad nos Palatinus Spatharius cum Imperatoris epistola, qui gloriabatur ab Imperatore Synodum adornari, eo quod nos jam perscriptam injuriam, Ignatio factam, noluerimus approbare.* Adfirmat antiquam Synodorum legem esse, ut sine Romano Episcopo nulla fiat, nec sine illius, quæ cuncta tractanda referat & suffragii Prærogativam de ipsis dicat, auctoritate seu præsidentia, nullus Episcopus, Metropolita, aut etiam Patriarcha quidquam judicare, approbare, vel etiam quasi synodaliter tractare attentet. Exstat epistolæ compendium in Actis Synodi octavæ. Et hinc omnia post Apostolicorum Legatorum revocationem Basileensia Gesta rectè cassavit Eugenius
Sess. 16. quartus, affirmans gesta non à legitimo Concilio, sed ab acephalis locustis. Perdo tempus in re clara.

Joannis Saraceni Articulum, *Quandocumque in aliquo Concilio aliqua instituuntur, tota auctoritas dans vigorem Statutis in solo residet Romano Pontifice*, fuisse à sacra Parisiensi Facultate legitimè circumscriptum, libenter & constanter profiteor. Licet enim Synodalia Decreta in solum Romani Episcopi nomen conceperit atque vulgaverit etiam quandoque antiquitas, de decisivo tamen Episcoporum suffragio non dubitavit. Et certè Apostolica Synodus non dixit, *Visum est Spiritui Sancto ac Petro*, sed *Spiritui Sancto ac nobis*: Utique omnibus Apostolis. Est una ex motis inter Eugenium quartum & Basileensem Synodum quæstionibus, alibi elucidanda. Interim summa est Pontificis in generali etiam Synodo auctoritas. Reverà illic habet suffragii Prærogativam. De Apostolici per Illyricum Vicarii in generalibus istius Diœcesios Synodis auctoritate scripsit ad Anastasium Thessalonicensem Epi-
scopum magnus Leo: *Si in eo, quod cum fratribus tractandum definiendumve credideris, diversa eorum fuerit à tua voluntate sententia, ad nos omnia*
Epist. 84. c. 11. *sub Gestorum testificatione referantur, ut remotis ambiguitatibus, quòd Deo placeat decernatur.* Ejus unicum suffragium affirmat totius Synodi suffragio æquivalere. Quam potestatem etiam in generali totius Ecclesiæ Synodo habuerunt Apostolici Legati. At verò ipsius Romani Episcopi in quamvis Synodum potestas fuit longè amplior. Præsentis suffragium totius Synodi suffragio prævaluit, ad absentem verò omne Synodi cum Vicario aut Legato certamen debuit referri, omnis causa suspendi ad ejus nutum, & ipsius Rescriptum ac decisivum Beneplacitum exspectari. Lucidè hæc patuerunt in Synodo Chalcedonensi, ac in quinto Concilio. Etenim adversùm probatos & subscriptos ab omni Chalcedonensi Synodo Canones Lucentius Legatus apud gloriosissimos Judices interfessit: *Sedes Apostolica nobis præsentibus humiliari non debet. Et ideo quæcumque in præjudicium Canonum hesterna die gesta sunt nobis absentibus, Sublimitatem vestram petimus, ut circumduci jubeatis. Sin aliàs, contradictio nostra his Gestis inhæreat, ut noverimus*
Act. 16. *quid Apostolico viro universalis Ecclesiæ Papæ referre debeamus, ut aut ipse de suæ Sedis injuria, aut de Canonum eversione possit ferre sententiam.* Agit præsertim adversùs vigesimum octavum Canonem: Protestatur ab ipso non dumtaxat violatum sextum Nicenum, sed etiam Apostolicæ Sedi illatam injuriam. Quod nempè sine facta per Apostolicos Legatos relatione Actum istum Synodus attentasset. Unanimi totius Synodi suffragio objecit suum unicum, atque ita illius Actum apud gloriosissimos Judices proclamavit nullum, & circumducendum. Et ipsum sibi à Synodo relatum Sanctus Leo omninò circumduxit. Apostolica itaque Legatio in totius Ecclesiæ Conventu habebat eam ipsam potestatem, quam in generali suæ Diœcesios Synodo habebat Apostolicus Vicarius: Utraque Synodus debebat referre omnia ad Papam, & ejus decisioni acquiescere. In quinto Concilio præsens fuit Vigilius Pontifex, provocavit ad Apostolicum relationis jus, & ad Papalis suffragii Prærogativam,

protestatus de nullitate omnium agendorum. Quam protestationem veritate niti sciens Justinianus Imperator, præfato exilio fatigavit ac fregit Pontificem, atque ita necessarium suæ Synodo suffragium extorsit.

Eodem ex capite non tantùm Trullani, sed etiam in prima Constantinopolitana ac secunda Nicæna Synodo editi Canones dudum fuerunt caduci: Quod solum Papale suffragium illis adversaretur aut deesset. Et hinc ad Basileensem Synodum rectè scripsit Eugenius quartus: *Si Papa vel Legatus ejusdem nollet disponere aliqua, contra Concilium affectaret, Papæ sententia vel Legati,* Scss. 16. *summi Pontificis personam repræsentantis, non Concilii voluntas sequenda foret, cùm super omnia Concilia habeat potestatem Papa. Nisi fortè quæ statuenda forent, Catholicam fidem respicerent, vel si non fierent, statum universalis Ecclesiæ principaliter perturbarent: Quia tunc Concilii sententia esset potiùs attendenda.* Rationem dat in eadem Bulla: *De jure notissimum est, quod possimus quæcumqae Statuta, Decreta, Declarata, sive Sancita per quoscumque Prædecessores nostros, vel per quæcumque Concilia, dummodo in ipsis fidei fundamenta non existant, sive ex hoc universalis Ecclesiæ bonum principaliter non turbetur, ut Vicarius Christi, & irreprehensibiliter pro nostro amovere & corripere libitu voluntatis. Et contra sentire non est longævum ab hæresi.* Ubi enim, quod absit, ex mentis cæcitate aut pravitate Romanus Episcopus Romanam fidem aut disciplinam arietaret, non solùm generale Concilium, sed quicumque unicus Episcopus, imò & Laicus esset præ ipso audiendus. Imitandi essent pauci illi in Ariminensi Synodo Episcopi, qui ad vicinum pagum secedere maluerunt, quàm cum circumscriptis in Arianos dolos Collegis deviare. Imitanda esset Romana nobilis Marcella, in cujus Epitaphio, quomodo Origenis errores Romam intraverint, ac multos deceperint, exponit Sanctus Hieronymus, ac prosequitur: *Tunc Sancta Marcella, quæ diu se cohibuerat, ne per emulationem quidpiam facere videretur, postquam sensit fidem Apostolico ore laudatam in plerisque violari, ita ut Sacerdotes quoque, & nonnullos Monachorum in assensum traheret, ac simplicitati illuderet Episcopi, qui de suo ingenio cæteros æstimabat, publicè restitit, malens Deo placere quàm hominibus.* Epist. 16. Fuit is Siricius Pontifex, de quo & alibi scribit: *Facilius est Episcopatum adipisci, quàm promereri.* Verùm nulla generalis Synodus usque huc per Dei gratiam vidit istiusmodi casum, & eadem Dei gratia Ecclesiam protegente, usque ad sæculi finem non videbit. Extra hunc igitur casum solius Papæ suffragium totius Synodi suffragio prævalet. Etiam suffragium solius Legati: Qui nempè de singulis proponendis negotiis fuerit singulariter instructus. Ejus suffragium est suffragium ipsius Papæ. Istiusmodi instructionem non habuit Chalcedonensis Legatio, ideoque censuit suum cum Synodo certamen Pontifici referendum. Dixi, *Dum Romanus Episcopus Romanam fidem aut disciplinam arietaret.* Quid si ipsam arietaret Synodus? Respondeo tunc solius Pontificis, aut solius Legati prævaleresuffragium. Et certè casus evenit in Ariminensi Synodo, ac in Latrocinio Ephesino. Undè hoc magnus Leo, istam Sanctus Damasus synodaliter damnarunt. Scio laudatam Eugenii Bullam fuisse ab ipso circumductam. Nempè pro sola illa parte, qua jusserat dissolvi Synodum, & Bononiam transferri. Et hinc lucet Papale in Synodo su. agium rectè titulari suffragii Prærogativam.

Nec sine fundamentis Eugenius asseruit Papam esse suprà Concilium. Quod Assertum quia à Capuana, in qua modo hæremus, Synodo everti & quasi damnari opinatur Joannes Launoius, ejus statum audiamus breviter, ac perpendamus ex litteris Syricii Pontificis ad Anysium Thessalonicensem & subjectos illi Episcopos: *Accepi litteras vestras de Bonoso Episcopo, quibus vel pro veritate, vel pro modestia nostram sententiam scifcitari voluistis. Sed cum hujusmodi fuerit Concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso atque ejus accusatoribus judices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de ejus factis vel cognoscerent, advertimus quod nobis judicandi forma competere non posset. Nam si integra esset hodie Synodus, rectè de iis, quæ comprehendit vestrorum Scriptorum series, decerneremus. Vestrum est igitur, qui hoc recepistis judicium, sententiam ferre de omnibus, nec refugiendi vel elabendi vel accusatoribus vel accusato copiam dare. Vicem enim Synodi recepistis, quos ad examinandum Synodus elegit. Denique eum Bonosus Episcopus post judicium vestrum misisset ad fratrem nostrum Ambrosium, qui ejus sententiam consuleret, interdictam sibi Ecclesiam irrumpere atque ingredi, responsum est ei, quod nihil temerandum foret, sed omnia modestè patienter ordine gerenda, neque contra sententiam vestram tentandum aliquid, ut quod videretur vobis justitiæ convenire statueretis, quibus hanc Synodus dederat auctoritatem. Ideò primum est ut ii judicent, quibus judicandi facultas est data. Vos enim totius Synodi vice decernitis, nos quasi ex Synodi auctoritate judicare non convenit.* Ad generales Synodos cunctæ tunc pendentes hinc indè graviores causæ solent deferri. Ita ad hanc Synodum delatus est, Naissitanæ in Dacia civitatis Antistes Bonosus, & accusatus de pessimis erroribus. Reus non aderat: & criminale judicium non posse in absentem exerceri, ex pluribus testimoniis est suprà ostensum. Hinc ergò causam Synodus delegavit laudato Anysio, magno in vicina Macedonia Metropolitæ, & Apostolicæ Sedis per omne Illyricum Vicario: ab ejus Synodo jussit ipsam examinari. Capua ad suos regressus Anysius citavit Bonosum, & contumacem suspendit ab Episcopali officio; verùm ille contempsit omnia, interdictam irrupit Ecclesiam, & confugit ad patrocinium Sancti Ambrosiii. Quare hominis turbulentia territus Anysius odiosam delegationem excutere conatus est, & causam reponere ad tribunal Sedis Apostolicæ. Verùm recusavit Syricius, asseverans standum Synodali judicio, delegationem exequendam, ex auctoritate Synodi sibi non convenire judicium, & competere non posse.

Ad hæc commentatur Joannes Launoius: *Simplex & ingenua est Syricii confessio, qua non Ca-*

Capuensis modo Concilii, sed etiam delegatorum à Concilio Judicum auctoritas Romani Pontificis auctoritate superior exhibetur, ordinatur controversia, & ferendum ab eis, quorum interest, judicium proponitur. Et infrà: *Quibus verbis apertè significat Syricius Concilii potestatem qualibet alia, etiam sua, quæ Sedis est Apostolicæ, superiorem existere.* Syricii confessionem opinatur adeò manifestam, ut à novis & corruptis Doctoribus possit dici: *Syricius, vel certè Syricii Epistola releganda est in indicem librorum prohibitorum primæ classis. Nam si audiatur Syricius, de libris nostris actum est.* Laudatam delegationem extollit, atque adjungit: *Auctoritate in judicando suprema utebantur Delegati, nullus restabat appellandi locus, quia vice Synodi judicabant.* Vult ab ipsorum judicio nec ad Pontificem potuisse appellari. Et pergit de Sancto Ambrosio: *Bonosus post delegatorum Judicum sententiam ad Ambrosium scripsit, non ad Syricium, ad quem sine dubio scripsisset, si Capuensi Concilio vel præfuisset vel interfuisset.* Hæc pleraque in variis litteris repetit & inculcat.

Respondeo tamen Syricii Epistolam hisce cogitationibus non favere. Etenim nec Bonosus, nec accusatores, nec testes erant Capuæ, ideoque vel judicium fuerat exercendum in absentem contra Canones, vel usque ad omnium istorum adventum proroganda Synodus, vel causa deleganda, vel faciendum quod de simili Sancti Athanasii causa dixit in Mediolanensi Synodo ad Imperatorem Constantium Pontifex Liberius: *Omnes contendamus Alexandriam, ubi reus, ubi accusatores, & causæ eorum patroni sunt, atque litigantium causa diligenter cognita, sententiam pariter feramus.* Capuana igitur Synodus causam delegavit. In Bonosum & ejus accusatores servandum duxit antiquum Ecclesiæ Canonem, quem etiam in Felicissimi Diaconi, quæ damnata Romam abierat accusatura suos damnatores, factionem servari à Sancto Cornelio Papa postulavit Sanctus Cyprianus: *Cùm statutum sit omnibus nobis, & æquum sit pariter ac justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum, & singulis Pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque & gubernet, rationem sui actus Domino reddituras, oportet utique eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem sua subdola & fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam, ubi & accusatores habere & testes sui criminis possint, nisi si paucis desperatis & perditis minor videtur esse auctoritas Episcoporum in Africa constitutorum, qui jam de illis judicaverunt, & eorum conscientiam multis delictorum laqueis vinctam judicii sui nuper gravitate damnarunt.* Epist. 55. Agit de prima criminalis judicii instantia. Ex qua Regula etiam Maximum Valentinæ in Gallia Civitatis Episcopum, accusatum ac sibi delatum de gravissimis, ad Provinciæ Synodum remisit Bonifacius primus: *Decrevimus vestrum intra Provinciam debere esse judicium.* Epist. 6. Et de sibi similiter delato Massilienfi Episcopo Venerio scribit ad Viennenses ac Narbonenses Provinciæ Episcopos Sanctus Celestinus: *Vestro eum audiendum Collegio delegamus.* Et de sibi delato Lupicino Episcopo ad Cæsarienfis Mauritaniæ Synodum Magnus Leo: *Causam Lupicini Episcopi illic jubemus audiri.* Epist. 87. c. 2. Nec dumtaxat absentium, sed etiam præsentium Episcoporum criminales causas Provinciarum aut Diœcesium Synodis generalia Concilia quandoque permiserunt ex rationibus, aut etiam delegarunt. Etenim quis nesciat Marci Ephesini Archiepiscopi in Florentina Synodo insolentiam ac varium criminalem excessum? Hinc peracta Synodo fecit Eugenius quartus, quod scribit Sylvester Sguropulus: *Papa misit ad Imperatorem, ut Ephesius, quando nec Synodi Decretis se submiserit, nec subscripserit unioni, tradatur publicæ Synodi Censuræ, & si refractarius perstiterit, ut tantæ pervicaciæ pœnas daret. Quare ad nos mittatur, quem deposcimus ad judicium.* L. 10. c. 12. Imperator verò reposuit: *Quod ad Ephesium, quando noster est Præsul, ad nostros pertinet Censura & animadversio. Quem si quid deliquerit, levi priùs oratione permulcebunt, nec id semel, sed sæpius, ut à pertinacia subducant. Et si præfractum deprehendant, tunc Tribunali nostræ Synodi subjicient, ut quam nostri in eum statuent pœnam, justo dolore persentiscat. Cùm igitur noster sit, ad suorum Synodum postulare Ephesium judicandum Papa non debuit: De nostro homine investigationem, cum nobis visum est, investigabimus.* Serias, quas apud Ephesium posteà deprædicavit, preces Imperator adjunxit, atque ita Eugenius promissa admisit. Eodem modo Capuana Synodus, aut potiùs ipse Papa Syricius Bonosi causam totius Macedoniæ Synodo delegavit. Constanter diço; *Aut potius ipse Papa Syricius.* Hoc enim evincunt hæc ejus verba: *Si integra esset hodiè Synodus, rectè de iis, qua comprehendit scriptorum vestrorum series, decerneremus:* Lucidè clamant delegationem hanc ab ipso fuisse decretam. Verùm quoniam generalium Synodorum non soli Canones, sed quævis Statuta Romanum Episcopum non dumtaxat conditorem habent, sed insuper executorem, rectè Syricius addidit seras esse Anysii preces, ligatas sibi manus, & Synodali judicio ab omnibus parendum. Legitimis enim Synodorum Decretis adstringi Romanum Pontificem omnino profiteor. Quod & ipse in sua consecratione solemniter profitetur. Verùm quomodo hinc educatur ipsum Synodo subjici, usque huc videre non possim.

Cur ad Sanctum potiùs Ambrosium, quàm ad Potificem Syricium Bonosus habuerit refugium, ignoro. Suasisse istud possint variæ rationes. Nam & Hæresiarcha Eutyches, non ad Sanctum Leonem, sed ad Sanctum Petrum Chrysologum confugit, nec ideò ejus causa ad hunc spectavit potiùs, quàm ad istum. Et quod Macedonica Anysii Synodus suprema atque inappellabili auctoritate judicare potuerit, est penitus paradoxum. Quod Theophilus, licet Alexandriæ Patriarcha, delegatam sibi Evagrii & Flaviani causam judicare debuerit cum relatione ad Syricium, disertè testatur Sanctus Ambrosius. Quis igitur dubitet Anysio, Syricii per Illyricum Vicario fuisse idem onus? Nulla enim Synodus, nullus Pontifex graviores causas consuevit aliter delegare. Hinc de Maximi Valentini Episco-

pi delegata causa scripsit ad ejus Provincialem Synodum supra laudatus Bonifacius: *Quidquid vestra Charitas de hac causa decernendum duxerit, tùm ad nos relatum fuerit, nostra, ut condecet, necesse est auctoritate firmetur.* Nec soli generalium Synodorum Delegati, sed & ipsæ generales Synodi referre debuerunt sua judicia: Relationis omissio circumducebat omnia atque exsufflabat. Etenim ad explodendum tertium Constantinopolitanæ Synodi Canonem Magnus Leo in litteris ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum credidit sufficere hoc unicum: *Numquam à Prædecessoribus tuis est ad Apostolicæ Sedis transmissus notitiam.* Hinc asserit fuisse *à sui initio caducum.* Et hæc referendi necessitas evincit generales Synodos subesse Pontifici, ac esse inferiores. Relatio enim habet omnem appellationis effectum. Devolvit ac suspendit omnia, ideoque fieri non possit, nisi ad Superiorem. Epist. 53. c. 5.

Adversùs præsentem Gregorii Dictatum militat etiam Joannis Launoii epistola ad Ludovicum Maresium. Basileensis Synodi cum Eugenio quarto de inviti per Papam transferendi Concilii potestate quæstionem multis exagitat, varia convocatorum per Romanos Imperatores Conciliorum exempla & testimonia conglomerat, ac de Leonis decimi Pontificis & Lateranensis sub ipso Concilii circa rem istam Constituto prosequitur: *Sacrorum Canonum Decreta citantur, sed nullum Decretum speciatim citatur. Ad hæc neque vetus Codex Canonum Romanæ Ecclesiæ, neque Codex Canonum Ecclesiæ universæ, neque codex Canonum Africanæ Ecclesiæ Canonem repræsentant ullum, quo in Romanum Pontificem indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum Conciliorum jus plenum transscribatur.* Dominus Robertus Cardinalis Bellarminus, ut Pontificem generali Synodo majorem probet, utitur Paschalis secundi ad Panormitanum Episcopum litteris, in quibus sunt hæc verba: *Omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem facta sunt.* Ipsa exagitat in secunda ad Felicem Philippæum Brossam epistola Joannes Launojus, asserit Paschalem obreptione circumventum deviare, & concludit: *Qui hoc ajunt, & insusurrant Paschali, falluntur, si convocata & indicta esse, ut Tridentinum Concilium est, intelligant. Non enim meminerunt in veterum Conciliorum Actis nihil legi frequentiùs, quàm Concilia Imperatorum jussu fuisse convocata.* Launojus ergo circa convocandæ Synodi potestatem sentire videtur cum Græcis schismaticis, quorum sententiam suprà audivimus à Sylvestro Sguropulo. Et largiùs exponit in Responsis ad Constantinum Cabasilam Demetrius Chomatenus: *Imperator, ut communis in Ecclesiis Sapientum Princeps & re & nomine, Synodorum Placitis præsidet, & auctoritatem ipsis largitur. Ecclesiasticas ordinationes disponit, & legem ponit vitæ atque officio eorum, qui Altari inserviunt: Quin & judicia Episcoporum & Clericorum, & electioni Ecclesiarum vacantium. Promovet insuper à minore dignitate ad majorem, puta ab Episcopali ad Metropolitanam: Rotorem eum exhibens aut urbi aut homini. In summa, præter sacrificandi potestatem, cætera omnia jura Pontificalia manifestè exprimit Imperator, quibus in rebus convenienter agit & Legibus & Canonibus.* Græculi garriunt sacram Regiæ Majestatis unctionem esse quasi octavum Ecclesiæ Sacramentum, ideoque tam sordidè suis Principibus adulantur. Rectiùs in libro de sacris ordinationibus Simeon Thessalonicensis Archiepiscopus dixit convocandæ Synodi potestatem esse Principi concessum ab Episcopis privilegium. Abusum, quem vir eruditus proscribere non poterat, ita conatus est moderari.

Respondeo itaque potestatem hanc ex avito Canone & more spectare ad Romanum Episcopum. Etenim de Nicæna Synodo lucidè profitetur in acclamatorio ad Constantinum quartum Imperatorem sermone sextum Concilium: *Constantinus semper Augustus & Sylvester laudabilis magnam in Nicæa Synodum congregarunt.* Testimonium hoc in secunda ad Christophorum Fauvæum epistola refert Joannes Launojus, & commentatur: *Annus à Nicæna Synodo trecentesimus quinquagesimus quintus agebatur, cùm primùm dici cœpit Sylvestrum Nicænam Synodum congregasse. Synodus hæc, quæ, ni fallar, noverat à quo congregata fuerat, se in epistola ad Alexandrinos congregatam à Constantino fuisse dicit, sed se à Sylvestro congregatam fuisse non dicit, dictura sine dubio, si verè dici, & indictionis monimentum edi potuisset.* Ut suas cogitationes stabiliat, affirmat sextam Synodum errare. Et in litteris ad Raymondum Formentinum repetit eadem verba, asseritque non esse sextæ Synodi, sed ejus qui Imperatori *gratulationem fecit.* Quasi is fuisset nescio quis è vulgo. Fuit ipsa plena Synodus: Undè & sermoni plena subscripsit.

Romana illa, quam ad Tyrium de Sancto Athanasio judicium retractandum parabat Julius Pontifex, Synodus erat futura generalis, & de ipsa ad Eusebianam factionem idem Pontifex scripsit: *Vestri Legati Macarius Presbyter & Hesychius Diaconus Concilium indici postularunt.* Et iterùm: *Martyrius Concilium generale postulavit.* Ait à se indictam Synodum, & citra postulationem indici potuisse, & factionem arguit quod ex fictis rationibus detrectaverit adesse. Et ejus successor Liberius, ad Sanctum Athanasium damnandum à Constantio Imperatore postulatus & compulsus, reposuit: *Fiat Ecclesiastica Synodus longè à Palatio, ubi nec Imperator est, nec Comes se ingerit, nec Judex minatur, sed ubi solus Dei timor ad omnia sufficit & Apostolorum Institutio.* Non petit, sed offert Synodum: Quòd nempè ejus indictionem Apostolica institutio Romano Episcopo commisisset. Et addit Principi aut ejus Ministris circa ipsam nihil esse juris. Habes hæc in laudati Athanasii ad Solitarios epistola.

Et in litteris ad Theodosium Imperatorem Romanà Damasi Pontificis Synodus Orientales Episcopos, qui primam Constantinopolitanam celebrarant, graviter arguit quòd Romam ad generale Concilium non comparuissent, sed ipsi egissent aliud privatum Constantinopoli: Disertè affirmat Romanum fuisse *à se indictum.* Exstat epistola in Appendice codicis Theodosiani. Quod ipsum in Ecclesiastica historia affirmat Theodoretus. Et hæc est una causarum, ob quas dicta L. 5. c. 8.

cta Constantinopolitana Synodus sit non legitima, sed dumtaxat legitimata. Et dicti Episcopi non fuerunt refragati. Lucet ex ipsorum ad Damasum Synodali Rescripto: *Postquam Synodum Romæ Dei nutu congregantes, nos etiam profraterna erga nos charitate, tamquam membra propria, per Religiosissimi Imperatoris litteras evocastis.* Profitentur se quidem per Sacras Divales, non tamen ab Imperatore, sed à Pontifice evocatos.

Et de Chalcedonensi Synodo ad Juvenalem Hierosolymæ Episcopum scribit Magnus Leo: *Generale Concilium & ex Præcepto Christianorum Principum, & ex consensu Apostolicæ Sedis placuit congregari.* Suo more humiliter loquitur: Solum consensum laudat, & quidem non suum, sed Sedis Apostolicæ. Humilitatem exposuit in suis ad Leonem Imperatorem litteris Synodus secundæ Mæsiæ: *In Chalcedonensium civitate multis sanctis Episcopis convenientibus per jussionem Leonis Romani Pontificis, qui verè caput est Episcoporum, Concilium est celebratum.* Quæ aurea verba adeò percusserunt oculos Joannis Launoii, ut in memorata ad Felicem Philippæum Brossam epistola scribat: *Antistites Mæsiæ secundæ, si Concilii Acta & Leonis perlegissent epistolas, ad Leonem Imperatorem* laudata jam verba *minimè perscripsissent.* Certè in veneranda antiquitatis monimenta non decet nos ita grassari. Istorum Episcoporum plures Chalcedonensi Synodo adfuerant, & de ipsius justitia rogabantur à Principe Synodale judicium: Quomodo igitur possint Chalcedonensia Acta non perlegisse? Etiam Magni Leonis viderant epistolas, ac ejus humiles de semetipso voces exposuerunt. Epist. 61. c. 1. Epist. 32.

Cur autem non per proprias, sed per Sacras Divales Principum litteras generalem Synodum olim indixerit, ac Episcopos convocaverit Pontifex, variæ suaserunt rationes. Primam in Ecclesiastica historia adducit Theodoretus, agens de Evagrio ac Flaviano ob Antiochenum Episcopatum contendentibus, & adjungens de Romanis Pontificibus: *Romani Imperatoris animum contra Flavianum incitare obnixè studuerunt. Nam cum Imperatori nimis acriter instando multum sæpè exhibuissent molestiæ, accersit hic illum Constantinopolim, & Romam proficisci jubet. At Flavianus respondit hyemem jam esse. Itaque pollicitus se ineunte vere imperata facturum, in patriam revertit. Sed cùm Romani Episcopi, non Damasus solùm ille admirabilis, verùm etiam post illum Syricius, & Anastasius Syricii successor, vehementiùs in Imperatorem invecti essent, dixissentque eum illos, qui Tyrannidem contra se exercere molirentur, opprimere, sed his qui per Tyrannidem Christi leges evertere studerent, impunitatem concedere, eum accersit denuò Imperator, Romamque ut contendat, cogere laborat.* Errat in personis. Etenim Theodosius triennio ante Syricium obiit, ideoque in ipsum contendisse non potest Anastasius. Syricius ergo in ipsum invectus est, quod Flavianum Capuanæ Synodo non stetisset. Et ad similes reorum Episcoporum, præsertim Patriarcharum, contumacias frangendas Pontifex non suis, sed armatis Principis litteris ad Synodum convocabat. Ex eadem Regula scribit de compulso ad Seleucienſe L. 5. c. 13.

Concilium Sancto Hilario Pictavensi Sulpitius Severus: *Hilarius quartum jam exilii annum in Phrygia agens, inter reliquos Episcopos per Vicarium ac Præsidem adesse compellitur, cùm tamen nihil de eo specialiter mandasset Imperator. Judices tantùm generalem jussionem secuti, qua omnes Episcopos ad Concilium cogere jubebantur, hunc quoque inter reliquos volentes miscere.* Et hinc ad Imperatorem Theodosium secundum, qui à Chrysaphio eunucho circumscriptus Ephesinum latrocinium circumducere, & ipsius retractatoriam Synodum concedere recusabat, à Sancto Leone Pontifice permotus scripsit Valentinianus tertius: *Debemus dignitatem propriæ venerationis Beato Apostolo Petro intemeratam & in nostris temporibus conservare, quatenus Beatissimus Romanæ Civitatis Episcopus, cui Principatum Sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de fide ac Sacerdotibus judicare.* Exstat epistola in prima parte Concilii Chalcedonensis, Rogat ut ab indicenda necessaria Synodo non impediat Sanctum Pontificem, sed suis Sacris Tractoriis adjuvet & comitetur. Eundem scopum respicit in litteris ad Faustum ac Symmachum Romanos Senatores Sanctus Avitus Viennensis Archiepiscopus: *Primùm fuerat talis status rerum desiderandus, ut ipsi per nos urbem orbi venerabilem pro dependendis Divinis humanisque expeteremus officiis. Sed quia istud jam dudum per rationem temporum fieri posse cessavit, vellemus vel eo securitatis accedere, ut quæ in causa communi supplicari oportet, Amplitudo vestra congregatorum Galliæ Sacerdotum relatione cognosceret. Sed hujus quoque nos voti non potes reddit Provincia præfixis Regnorum determinata limitibus.* Hæc est litterarum Epigraphe: *De Synodo Romana, in qua Episcopos Italiæ, qui ad eam convenerant, culpandos docet quòd de Pontificis Romani causa judicandum inferiores fuscepérint.* Indictas à Romano Episcopo Synodos, quas suis Sacris Tractoriis olim adjuvabant Romani Imperatores, lamentatur jam à Paganis aut Hæreticis Barbarorum Regibus impediri, ideoque solis, quas tamen & isti morantur, Gallicanæ Ecclesiæ relationibus debere esse contentas. Romani olim Augusti, ut hodiè Christiani Reges, à Pontifice evocatos Episcopos jubebant adesse Synodis: Alia est hodiè forma, eadem substantia. L. 2. c. 57. Epist. 25.

Alteram, ex qua Romani olim Episcopi per Divales litteras convocarent ad Synodos, edicit in quinti sui libri præfatione Socrates: *Passim in historia Imperatorum mentionem propterea fecimus, quod ex illo tempore, quo Christiani esse cœperunt, Ecclesiæ negotia ex illorum nutu pendere visa sunt, atque adeò maxima Concilia de eorumdem sententia & convocata fuerunt, & adhuc convocantur.* Ecclesia enim, uti rectè scripsit Sanctus Optatus Milevitanus Episcopus, erat tunc in Imperio, & sine utriusque concussione & motu fieri non poterat generalis Synodus, ideoque uti Romani Episcopi, ita etiam Romani Augusti auctoritate & assistentia erat opus. Et hinc quædam per Imperatorem, quædam per Pontificem fuerunt quandoque postulatæ Synodi ac impetratæ, quandoque recusatæ ac impeditæ.

Etenim

Etenim generalem, quam ab Apostolicæ Sedis in se judicio appellaverat Hæresiarcha Eutyches, Synodum esse necessariam negabat Magnus Leo, affirmabat verò circumscriptus ab Eunucho Theodosius: Et hujus prævalens sententia peperit nobis Ephesinum Latrocinium. Pro cujus correctione aliam Synodum appellavit Sanctus Flavianus Constantinopolitanus Episcopus, & dandam affirmabat idem Leo, negabat idem Theodosius: Et ita mansit usque ad successorem Martianum, qui Pontifici consensit, deditque sacras jussiones & litteras pro Synodo Chalcedonensi. Et plura sunt hujusmodi exempla.

Et quidem non solis Tractoriis, sed insuper missis Legatis ad generales Synodos Augusti cooperabantur, & non rarò excedebant modum, ideoque ipsorum hæc commixtio gravibus Episcopis etiam tunc displicebat, & judicata est adversari Ecclesiasticæ libertati. Hinc enim adversùs Tyriam, quæ Sanctum damnarat Athanasium, Synodum scripsit ad omnes sub cœlo Episcopos Alexandrina Synodus: *Si veluti Episcopi sese Judices volebant esse, quid opus erat Edictis Imperialibus ad cocundum?* Et adversùs Flavianum Antiochiæ Patriarcham, qui ad sui causa indictam Capuanam Synodum non comparuerat, declamat in litteris ad Theophilum Alexandriæ Patriarcham Magnus Ambrosius: *Cùm ex æquissimæ Synodi Constitutis speraremus jam remedium datum, finemque oblatum discordiæ, scribit Sanctitas tua iterum fratrem nostrum Flavianum ad precum auxilia & Imperialium Rescriptorum suffragia remeavisse. Fruſtra ergò tantorum Sacerdotum fusus est labor, iterùm ad hujus sæculi judicia revertendum, iterùm ad Rescripta, iterùm vexabuntur Sacerdotes senes, transfretabunt maria, iterùm invalidi corpore patriam peregrino mutabunt solo, iterum sacrosancta Altaria deferentur, ut in longinqua proficiscamur, iterùm pauperum turbæ Episcoporum, quibus ante onerosa paupertas non erat, æternæ opis egentes compellentur inopiam gemere, aut certè victum inopem itineris usurpare. Interea solus exlex Flavianus non venit, quando omnes convenimus.* Flavianus, uti Capuæ noluerat coram ordinario, ita & Alexandriæ coram delegato Tribunali nolebat comparere, sed ab amico Imperatore Theodosio postulaverat aliam Synodum, non in Italia aut Occidente, sed in Oriente celebrandam. Roma enim, omnisque Italia apud reos Episcopos semper habuerunt durum odorem. Hinc igitur adversùs Imperii in Ecclesiasticam potestatem violentias declamat Ambrosius, lamentatur Ecclesiasticas Synodos non permitti soli Ecclesiæ, indignatur ipsis Imperialia judicia ac Rescripta misceri. Quæ omnia optimè intellexit in epistola adversus nepotem suum Hincmarus Metropolita Remensis: *Generales Synodi sine speciali jussione Sedis Apostolicæ regulariter congregari non poterant, neque possunt.* C. 20. Et iterum: *Congregantur Apostolicæ Sedis jussione, & Imperiali convocatione.* Et in Catholica concordantia Nicolaus Cardinalis Cusanus: *Breviter dico, quòd ita se habet Imperator ad universalem Catholicæ Ecclesiæ Synodum, sicut Rex ad universalem sui Regni. Non quòd coactivè, sed exhortatoriè colligere debeat.* Eruditè hæc demonstrat Lib. 3. c. 13. variis generalium Synodorum exemplis, & concludit: *Ista sunt quæ ad Imperatorem spectant quoad Synodi principium, scilicet convocare cum exhortatione, & tuitione summaque libertate, & bona & optima custodia, dempta omni partialitate, & Præcepti necessitate.* Quæ omnia etiam nos sine C. 14. partium studio attendamus.

CANON XVII.

QUòd nullum Capitulum, nulluſque liber Canonicus habeatur absque Papæ auctoritate.

SCHOLION.

HAnc Romani Pontificis auctoritatem laudat in Ecclesiastica historia Eusebius Cæ-
Lib. 2. c. 14. sariensis Episcopus, Sancti Marci Evangelium affirmans Romæ ad fidelis populi, de Sancti Apostoli Petri prædicatione, & de victo per ipsum Simone Mago gaudentis, preces fuisse conscriptum, & adjungens: *Cùm Petrus Apostolus, Divina Spiritus Sancti revelatione suggerente, intelligeret opus istud editum esse, ferunt eum propenso & acri illorum hominum studio magnopere fuisse delectatum, hancque Scripturam auctoritate sua ratam fecisse, quo in Ecclesia passim perlegeretur.* Scripturam aliquam ad publicam in Ecclesia Lectionem facere ratam non est aliud, quàm ipsam in immobilem Canonem referre. Nec in solo Petro Apostolo, sed & in ejus successoribus eandem auctoritatem agnovit, scribens de Apostolica ad Hebræos epistola: *Quidam illi Epistolæ, ac si Pauli non sit, fidem abrogare studuerunt, affirmaruntque eidem ab Ecclesia Romana contradici.* Lib. 3. cap. 3. Ideo dixerunt non Canonicam, quod tantæ ejus dignitati non acquiesceret Romana Ecclesia. Eruditam & authenticam, utpotè non ex propria

propria solùm, sed ex *Romanæ Ecclesiæ persona*, seu ex Cathedra scriptam, Sancti Clementis Romani Pontificis ad Corinthios Epistolam meritò laudat etiam Eusebius, & adnectit: *In hac quoniam multa nonnumquam eodem sensu ex Epistola ad*
Lib. 12. c. cap. 32. *Hebræos sumpta inserit Clemens, apertissimè quidem declarat illud opus non recenti hominum memoria editum. Undè meritò reliquis Apostoli scriptis videtur adnumeratum.* Quòd Romana Ecclesia istius Epistolæ dicta in suarum assertionum confirmationem assumeret, ex tanti ponderis diplomate sperat ipsam, licet plenè Canonica nec-
Lib. 6. c. 14. dum sit, suo tamen tempore plenè canonizandam. Ex eodem principio Montanum, huic Epistolæ contradicentem, non audet arguere: *Quòd ipsa apud quosdam etiam Romanos adhuc Apostoli Epistola esse non existimaretur.* Adverbium, *Adhuc*, non caret emphasi: Edicit Eusebium in sua de canonizandis istis litteris spe perstare. In Phrygia, Asiaticæ Diœceseos Provincia, docuit, adeoque ab omni Epistolam istam uti Apostolicam recipiente Orientali Ecclesia dissonabat profanus & audax Montanus: Et tamen ipsum hoc in puncto nullus etiam Græcus propter Romanæ Ecclesiæ auctoritatem præsumpsit culpare. Quod etiam Cajus Proculi Montanistæ eruditus impugnator sub Zephyrino Pontifice, hunc articulum non damnaverit, testatur in Ecclesiasticorum Scriptorum Catalogo Sanctus Hieronymus, & adjungit: *Apud Romanos usque hodiè quasi Pauli Apostoli Epistola non habetur.* Sanctus Paulus Apostolus fatetur se fuisse sermone imperitum: Græci enim sermonis elegantiam reverà non calluit. Hæc autem Epistola est sermonis elegantissimi. Præterea, antiqui testamenti testimonia ex Hebraico fonte semper Apostolus, ista autem Epistola semper citat ex septuaginta Interpretibus. Ob has & alias istiusmodi rationes hanc non Apostolo, sed alicui ejus Discipulo dudum adscripsit, ideoque Divinam & Canonicam non credidit Romana Ecclesia. Nec sola Ecclesia Orientalis, sed etiam Sanctus Hieronymus, cum omni Africana Christianitate Sanctus Augustinus, & plures tales Occidentalium Doctores semper censuerunt Apostolicam: Ob Romanæ tamen Ecclesiæ dissensum nemo præsumpsit Canonicam pronunciare. Ipsam tandem talem pronunciavit in Romana sua Synodo Sanctus Gelasius Pontifex: Exindè nulli licuit adversari.

Dictatus nostri veritatem agnovit, ac insigniter confirmavit etiam tertia Synodus Carthaginensis. Etenim Africanæ Ecclesiæ avitum Ca-
C. 47. nonem innovans sic posuit: *Pauli Apostoli Epistolæ tredecim. Ejusdem ad Hebræos una.* Hanc ab aliis discrevit, quòd nempè ob Romanæ Ecclesiæ contradictionem necdum esset plenè Canonica. Quin & adjunxit: *Hoc etiam Fratri & Consacerdoti nostro Bonifacio*, Romano Pontifici, *vel aliis earum partium Episcopis, pro confirmando isto Canone innotescat, quia à Patribus ista accepimus in Ecclesia legenda.* Condendi Canonis, vel ullius libri aut Capituli in ipsum recipiendi potestatem agnoscit nec sibi esse, nec suis fuisse Antecessoribus: Profitetur ipsam privativè spectare ad solam Romanam Ecclesiam, ideoque etiam avitum Ecclesiæ suæ Canonem supplicat ab ista comprobari. Et quod istam Epistolam nec ob tantas preces canonizare voluerit Pontifex Bonifacius, lucet ex Sancti Augustini post ipsius mortem scripto Enchyridio. Libellus quippè hic impugnat apud Gallos grassantia Nestorianæ hæreseos exordia, quæ certum est priùs sub Cælestini Pontificatu cœpisse. Laudatus libellus eodem in capite Apostolicas & ad Hebræos, & ad Corinthios Epistolas laudans, de hac dicit: *Apostolus complexus est.* De ista verò: *Sicut in Epistola* C. 58. *ad Hebræos legimus.* Hanc nequaquam, sed istam solam adscribit Apostolo: Quod nempè à Romanæ Ecclesiæ judicio non præsumeret discordare. Post Bonifacii mortem scriptus est etiam de Sanctorum prædestinatione liber, atque di-
cit: *Epistola quæ est ad Hebræos.* Et in novissi- C. 15.
mo adversùs Julianum opere: *Ad Hebræos Epistolam lege.* Loquitur cum Sancto Hieronymo in C. 50.
Isaiæ Commentariis: *Epistola quæ fertur ad Hebræos.* Et in Apostolicæ ad Titum Epistolæ Commentariis: *Si quis vult recipere eam Epistolam, quæ sub nomine Pauli ad Hebræos scripta est.* C. 1.
Et iterùm: *Relege ad Hebræos Epistolam Pauli, sive cujuscumque alterius eam esse putas.* Ita loqui- C. 2.
tur, quòd eam Romana Ecclesia necdum Apostolo adjudicasset. At verò magnus Sancti Augustini Discipulus, & Africanæ Ecclesiæ Doctor insignis, Sanctus Fulgentius in libro de fide ad Petrum longè aliter loquitur: Epistolam istam diserte adscribit Apostolo, ejusque doctrinam & auctoritatem affirmat esse Apostolicam. Eodem modo loquitur in utraque Epistola ad Gallam, in responsione ad Arianos, & in libris ad Regem Trazamundum. Nempè post Sancti Gelasii Synodum scripsit Fulgentius, atque ità Romana auctoritas Epistolam tunc fecerat Apostolicam, & retulerat in Canonem.

Eandem fidem profitetur quarta Synodus To- C. 17.
letana; *Apocalypsim librum multorum Conciliorum auctoritas, & Synodica Sanctorum Præsulum Romanorum Decreta esse Joannis Evangelistæ præscribunt, & inter Divinos libros recipiendum constituerunt. Et quia plurimi sunt qui ejus auctoritatem non recipiunt, si quis eum deinceps non receperit, excommunicationis sententiam habebit.* Librum hunc esse Apostolicum negarunt, quin ut Millenarium Cerinthi figmentum damnarunt olim quædam & Orientales & Occidentales Ecclesiæ, istaque opinionum varietas etiam Hispanos usque tunc detinuerat. Romanam, ad quam noverat privativè spectare istud judicium, Ecclesiam laudata Synodus sub rigida excommunicatione præcepit sequendam. Eadem de causa Dionysius Exiguus, Codici suo inferens omnes & singulos Canones Synodi Laodicensis, ab ipsa statutum Divinorum librorum Canonem expunxit, inseruitque solum constitutum ab Innocentio primo: Quòd nempè ejusmodi constitutum privativè spectet ad Romanam Ecclesiam. Hinc Laodicensem Canonem, ut minimè authenticum, Dionysius prætermisit. Etiam Melithon, vetustus Sardensium in Lydia Metropolitanus Episcopus, Sanctus Athanasius, Magnus Basilius, Sanctus

Grego-

Gregorius Nazianzenus, Sanctus Amphilochius, aliique Patres & Ecclesiæ suos sibi fixerunt Canones, verùm nullus umquam universalem auctoritatem meruit, nisi Romanus.

Rationem adducit in libro adversùs fundamenti Epistolam Sanctus Augustinus: *Si Scripturis credendum est, cur non his potiùs credam, quæ robustissima auctoritate firmatæ sunt, quæ cum ipso Evangelio innotescere populis, & commendari posteris, prædicarique meruerunt?* C. 9. Auctoritatem istam exponit in alio ejusdem libri capite: *Ego Evangelio non crederem, nisi Ecclesiæ Catholicæ me commoveret auctoritas.* C. 5. Et distinctius in libris adversùs Faustum: *Si auctoritatem Scripturarum omnibus præferendam sequi vultis, eam sequamini, quæ ab ipsis præsentiæ Christi temporibus per dispensationes Apostolorum, & certas ab eorum Sedibus successiones Episcoporum usque ad hæc tempora toto orbe terrarum custodita, commendata, clarificata pervenit.* Lib. 3. cap. 9. Et in alio ejusdem operis libro: *Vides in hac re quid valeat Ecclesiæ Catholicæ auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis Sedibus Apostolorum usque ad hodiernam diem succedentium sibimet Episcoporum serie, & tot populorum consensione firmatur.* Lib. 11. cap. 2. Et in libris de doctrina Christiana: *In Canonicis Scripturis Ecclesiarum Catholicarum quam plurium auctoritatem sequatur, inter quas sanè illæ sunt, quæ Apostolicas Sedes habere & Epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas, quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt. In eis verò, quæ non accipiunt ab omnibus, præponat eas, quas plures gravioresque accipiunt, eis quas pauciores minorisque auctoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem alias invenerit à pluribus, alias à gravioribus haberi, quamquam hoc facile invenire non possit, æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto.* Lib. 2. cap. 8. Porrò de Apostolica Romanorum Sede scribit idem Augustinus ad quosdam Donatistarum Episcopos: *In Romana Ecclesia semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus.* Epist. 161. Et hic semper fuit tantus, ut ipsum præsertim respiciat hæc avita Regula, quam ad quosdam Ægyptios apud Palestinæ Diocœsaream exulantes Confessores Episcopos scribit Magnus Basilius. Ipsos, quòd de Marcelli Ancyrani atque Apollinarii Laodicensis Episcoporum personis & dogmatibus quædam sine consueta ad Occidentales & Orientales Ecclesias relatione constituissent, fraternè arguit, atque adjungit: *Ad hunc ergò modum oportebat vos consilium cœpisse, constanter quidem, moderatè tamen, de rebus ad omnes per* Epist. 293 *omnem terrarum orbem Ecclesias spectantibus.* Nullus umquam Patriarcha, nulla Diœcesis, nullum generale Concilium de fide Catholica aut universali Christianitatis disciplina definire potuit sine Romani Episcopi auctoritate, & vario illius influxu atque adjutorio. At verò Divinorum librorum Canon est totius fidei fundamentum, & causa omnium maxima atque universalissima: Ejus ergo judicium quàm maximè spectat ad Romanam Ecclesiam, & sine ejus auctoritate non potest esse firmum.

Quæritur, Quomodo Apostolicam ad Hebræos Epistolam affirmem prius à Sancto Gelasio Pontifice fuisse admissam in Canonem? Etenim avitus Romanæ Ecclesiæ, ab Innocentio primo in litteris ad Sanctum Exuperium Tholosæ Episcopum laudatus & innovatus, Canon disertè habet: *Pauli Apostoli Epistolæ quatuordecim.* Respondeo Sanctum Augustinum post laudatam Epistolam longè aliter scripsisse in locis suprà laudatis, necnon in libris de peccatorum meritis: *Ad Hebræos Epistola, quamquam nonnullis incerta sit, tamen quoniam legi quosdam huic nostræ de parvulorum Baptismo sententiæ contraria sentientes etiam istam quibusdam opinionibus suis testem adhibere voluisse, magisque me movet auctoritas Ecclesiarum Orientalium, quæ hanc etiam in Canonicis habent, quanta pro nobis testimonia contineat, advertendum est.* Lib. 1. cap. 13. Ejus non tamquam Canonicæ, sed tamquam ab adversariis admissæ auctoritate utitur adversùm Pelagianos. Et ipsam profitetur non in Occidentalium, sed dumtaxat in Orientalium Ecclesiarum esse Canone. Quòd nempè usque tunc ipsam non admisisset Romana Ecclesia. Quapropter laudatus Innocentii locus est à Dionysio Exiguo, non quidem vitiatus, sed suppletus & accommodatus ad tempora Gelasiana. Suo, qui compendiosus esse, ac tautologia, & præsertim antilogia, etiam in solam speciem, non laborare debebat, Canonum Codici & Innocentii & Gelasii non plenè consonos Canones inserere Dionysius noluit: Inseruit solum priorem, utpotè ætatis canitie magis venerandum, at ex posteriori de laudata Apostoli Epistola additamento auctum & suppletum. Et hæc suppletio quosdam Majores nostros circumscripsit: Eis persuasit esse genuinum & authenticum Innocentii textum. Est res alterius loci.

Porrò occasionem, ex qua laudatam Epistolam suo tandem Canoni inscripserit Romana Ecclesia, edicit in sui ad ipsam Commentarii præfatione Theodoretus: *Nihil faciunt admirandum, qui morbo Ariano laborant, si adversùm litteras Apostolicas insaniant, & Epistolam ad Hebræos à reliquis separent, eamque adulterinam appellent: Qui enim adversùs Deum & Servatorem nostrum linguas movent, quid non audeant adversùm ejus benevolos & grandiloquos veritatis Præcones? Oportebat autem ipsos, etsi nihil aliud, temporis certè diuturnitatem vereri, quo hanc Epistolam in Ecclesiis perpetuò legerunt alumni veritatis. Ex quo enim litterarum Apostolicarum fuerunt Dei Ecclesiæ participes, ex illo etiam Epistolæ ad Hebræos utilitatem percipiunt. Quod si ne hoc quidem ad eis persuadendum satis est, Eusebio certè oportebat eos Palæstino credere, quem Patronum suorum Decretorum appellant. Nam is etiam Divinissimi Pauli hanc esse Epistolam confessus est: Et veteres omnes hanc de ea sententiam habuisse asseruit. Sed his omnibus valere jussis, adversùs veritatem impudenter decertant, Apostolicæ Theologiæ, qua proœmium exornavit, splendorem non ferentes. Cùm enim non possent resistere iis, quæ de Unigeniti Divinitate apertè dicta fuerant, ausi sunt totam Epistolam rejicere, cùm tamen & Decreta & aliæ sententiæ magnam habeant cognationem cum aliis Epistolis. Suæ autem accusationi hunc prætextum adferunt, quod Apostolicum nomen non sit similiter positum in proœmio.*

proœmio. Quæ omnia compendio repetit in Commentario ad capitis primi versum tertium. Epistolam hanc, quòd Divini Verbi consubstantialitatem lucidissimè prædicet, Ariani ex solemni omnibus hæreticis privilegio blaterarunt spuriam, & nullius momenti. At verò Pelagiani ipsam sibi favere jactitabant, & suos errores ex ipsa firmabant. Et multis reddebant suspectam. Ita hi Occidentem, illi turbabant Orientem. Quin & Occidentem. Etenim Sancti Gelasii Pontificis tempore Italiam, Africam, Hispaniam, & magnam Galliæ partem tenebant ac vexabant Gothi, Wandali, Svevi, Burgundi: omnes Ariani. Hinc ille Synodaliter discussit Epistolam, liberavit & ab Arianis & à Pelagianis calumniis, & fecit esse Canonicam.

CANON XVIII.

QUòd sententia Papæ à nullo debeat retractari, & ipse omnium solus retractare possit.

SCHOLION.

A Gregorio nostro cœptam in se excommunicationis ac degradationis sententiam Henricus quartus Imperator, per Godefridum Lotharingiæ Ducem, Guilielmum Ultrajectensem Episcopum, & Cardinalem Hugonem Blancum circumscriptus, retractari atque cassari, imò & Pontificem uti Ecclesiæ ac Imperii turbatorem degradari jussit in Synodo Wormatiensi, cujus Acta videre possis apud Lambertum Schafnaburgensem, Venericum Vercellensem Episcopum, ac præsertim Brunonem Merseburgensem in historia belli Saxonici. Etiam Lombardiæ & alios Italiæ Episcopos Pseudo-Synodo adhæsisse, habes apud eumdem Lambertum. Quam retractationem, quidquid adversùs illam declamarent Saxones, resumpsit Synodus Goslariensis, cujus Acta exponit in suo Chronico Bertholdus Presbyter Constantiensis. Adversùm similes insolentias prodiit præsens Dictatus: posteà confirmatus à Quintelburgensi Synodo adversùs Cunibertum Pseudo-Clericum Bambergensem. Eundem laudat, & Gelasii primi & Gregorii quarti Pontificum authoritate roborat adversùs sui Senonensis Metropolitæ Richerii audaciam Sanctus Ivo Episcopus Carnutensis. Hinc & Humbaldum Antisiodorensem Episcopum, qui suam à Sede Apostolica decisam causam parabat in Gallia retractari, graviter arguit, & adjungit: *Si causam hanc coram Clericis & Laicis, inconsulto Summo Pontifice, retractaveritis, Majestatem Apostolicam offendetis, & à causa* Epist. 159. *vestra, quæ nunc in tuto est, jure cadetis.* Et Monachis Fossatensibus, querentibus se gravatos sententia Urbani secundi, ideoque ad Regem quasi ab abusu provocantibus, seriò suasit ne descenderent in Ægyptum, sed ab ipsa Sede Apostolica confugerent ad ipsam, quòd ejus judicium à nullo possit retractari. Ecclesiæ causas provocari ad Regem oderat pessimè, ideoque & Paschali secundo Pontifici supplicavit, ut malo omnem rimam clauderet, ac Antecessoris sui judicium gratiosè permitteret retractari. Quod ipsum ad Odonis Cameracensis Episcopi preces supplicavit pro Radulpho Brabantiæ Archidiacono, qui videbatur iniquè exauctoratus.

Dictatum hunc Gregorius desumpsit ex Nicolai primi litteris ad Michaelem Imperatorem: *Nulla Regula, nulla consuetudo demonstrat Sedis* Epist. 8. *Apostolicæ semel prolatam sententiam, ipsa non annuente, ultra posse mutari.* Et adversùs Acacii Constantinopolitani Episcopi, Romanæ Ecclesiæ de Petro Mogo Alexandriæ Pseudo-Patriarcha judicium retractare & reformare ausi, sequaces scribit ad Faustum Magistrum Sanctus Gelasius: *Opponunt nobis Canones, dum nesciunt quid* Epist. 4. *loquantur.* Synodaliter damnatum Episcopum non ad Laicum Principis Tribunal, sed ad majorem Synodum confugere mandat duodecimus Canon Antiochenus, atque huic prioris judicii retractandi facit potestatem. Hunc Canonem, tamquam Acacii expurgativum, assiduè buccinantibus Schismaticis respondet Gelasius ipsum esse factiosum atque illegitimum, nec ipsius mentem ab illis percipi, atque pergit: *Canones*, utique legitimi atque authentici, *appellationes totius Ecclesiæ ad Apostolicæ Sedis examen voluere deferri, ab ipsa verò nusquam prorsùs appellari debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium, nec de ejus unquam præceperunt judicio judicari, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi.* Laudat Canones Apostolicos, Nicænos, Sardicenses. Et pergit in epistola ad Dardaniæ Episcopos: *Non* Epist. 13. *reticemus, quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumvis sententiis ligatos Pontificum Sedes Beati Petri Apostoli jus habet resolvendi, utpotè quòd de omni Ecclesia fas habeat judicandi, nequè cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerunt,*

luerunt, ab illâ nemo est appellare permissus. Theodosius secundus Imperator Illyricianæ Diœceseos, per inita cum Valentiniano tertio pacta ab Occidentali Imperio ad Orientale translatæ, Ecclesias censuit etiam transferendas, atque ita Romano Patriarchatui subtractas transcripsit in Constantinopolitanum. Hinc Perigenis, è Patracensi ad Corinthiorum Cathedram translati Episcopi, finitam Romæ causam ad suum jam Tribunal spectare existimavit Atticus Constantinopolitanus Episcopus, præsumpsitque ei retractandæ Synodum indicere, & cunctos Illyrici Episcopos ad ipsam convocare. Verùm Sanctus Bonifacius Pontifex intercessit, nova illa Theodosii tentamenta edixit irrita & vacua, cunctis Illyrici Episcopis, ac præsertim Rufo Thessalonicensi, suo per istam Diœcesem Patriarchali Vicario, interdixit accessum istius Synodi, & adjunxit: *De nostro non est judicio retractandum.* Epist. 8. *Numquam enim licuit de eo, quod semel statutum est ab Apostolica Sede, rursus tractari.* Has primæ atque supremæ suæ Sedi & à Theodosio & ab Attico illatas injurias graviter exaggerat etiam in alia ad laudatum Rufum epistola, & concludit: Epist. 10. *Nemo umquam Apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractari, manus obvias audaciter intulit, nemo in hoc rebellis exstitit, nisi qui de se voluit judicari.* Eruditas has ac momentosissimas, quarum quædam fragmenta in laudatis ad Michaelem Augustum litteris Nicolaus primus, & in Romana sua adversùs Photium Synodo adduxit Adrianus secundus, integras Epistolas Illustrissimus Lucas Holstenius magno Ecclesiæ bono nuper publicavit.

Notanda sunt verba laudati Nicolai: *Ipsa non annuente*. In suo quippè de personis & factorum quæstionibus judicio obreptionem pati & circumscribi potest Romana Ecclesia, ideoque quandoque necesse est ejus judicium retractari. Verùm ipsa annuente: Quicumque Patriarcha aut Primas, quæcumque Patriarchalis aut etiam universalis Synodus contra ejus beneplacitum retractaverit, in Sanctum Apostolum Petrum levat manum rebellionis. Ità Ecclesia semper credidit & egit. Etenim Donatistas, à Romano Melchiadis judicio ad ipsum appellantes, detestatus fuit Constantinus Imperator, nec eis Episcopale Arelatensis Synodi retractaturum judicium indulsit, nisi ubi Sylvester Pontifex permisisset. Per appellationem enim Pontifex non demutatur in reum aut accusatorem, sed pleno jure perseverat Judex, ideoque aut ipse aut ejus Legatio retractanti Synodo non tantùm adesse debet, sed etiam præsidere. Et hinc de laudato Melchiadis judicio scribit ad quosdam Donatistarum Episcopos Sanctus Augustinus: *Ecce putemus illos Episcopos, qui Romæ judicarunt, non* Epist. 162. *bonos Judices fuisse, restabat adhuc plenarium universæ Ecclesiæ Concilium, ubi etiam cum ipsis Judicibus causa posset agitari, ut si malè judicasse convicti essent, eorum sententiæ solverentur*. Romani Pontificis de personis judicium fatetur à generali Synodo posse retractari, verùm ita ut ipse adsit & una retractet, adeoque Synodum istam indicat etiam ac irritat. Etenim Sardicensem, in qua Apostolicum Julii Pontificis de Sancto Athanasio & aliis Episcopis judicium retractari oportebat, Synodum permisit, indixit, ac per Hosium Cordubensem Episcopum rexit laudatus Julius: Et horum nulli Eusebiana factio contradixit. Athanasium dumtaxat noluit admitti ad Synodalem consessum. Hæc unica fuit causa secessionis ad Conventiculum Philippopolitanum. In apertam tandem adversùs Romanam Ecclesiam & Sancti Petri Apostoli privilegia rebellionem & schisma tunc erupit factio, & neque tunc Sardicensem aut Romanam pro Athanasio sententiam præsumpsit abolere aut retractare. Ab ipsa circumscriptus Imperator Constantius Romam misit Eusebium Eunuchum, sacri sui cubiculi Præfectum, qui à tentato & minis & promissis Pontifice Liberio tandem obtinuit novam retractaturam Synodum, verùm quæ remota esset à Palatio, haberet plenam libertatem, & cui neque miles adesset neque Comes. Quæ Romanas appellationes proscripsit factio, istud retractationis facinus ne vel tentavit. Etiam primam Ephesinam, in qua ejus de Nestorio Episcopo Constantinopolitano retractanda sententia, Synodum indixit à Theodosio Imperatore rogatus Cælestinus Pontifex, ejusque Legatio præsedit. Et Dioscori Patriarchæ Alexandrini in secunda istic Synodo palmare facinus fuit, quod à Romani in Eutychetem Hæresiarcham judicii retractatione excluserit Sancti Leonis Legatos, ac iptis invitis retractarit. Hinc summum illi Primatum habuerunt in Synodo Chalcedonensi. Etiam Nicolai primi de Photio Constantinopolitano Episcopo sententiam non nisi ex Adriani secundi consensu retractare præsumpsit Synodus octava. Et eam ipse indixit & rexit. Quæ omnia pluribus declarata, & aliis præterea exemplis firmata sunt suis locis. Quin & suis judiciis tantam reverentiam debet ipse Pontifex, ut ipsorum retractationem non nisi ex gravissimis causis possit indulgere. Adversùs septimum nostrum Gregorium, dum suum de Henrico quarto Imperatore judicium permisit retractari, quàm graviter questi fuerint Saxonum Episcopi & Proceres, videri possit apud Brunonem Merseburgensem. Nec desunt alia exempla. Istam ergo Apostolicæ Sedis supremam dignitatem præsens Dictatus confirmat.

Exponitur adversum Argumentum.

VErùm his obesse videtur, quod à Romano Episcopo appellari possit ad generale Concilium. Nec tantùm in fidei causa, sed etiam disciplinæ. Etenim de primis Donatistis, adversùs Romanum Melchiadis Papæ in se judicium murmurantibus, scribit ad quosdam ipsorum Successores Sanctus Augustinus: *Ecce putemus illos Episcopos, qui Romæ judicarunt, non* Epist. 162. *bonos*

bonos Judices fuisse, restabat adhuc plenarium universæ Ecclesiæ Concilium, ubi etiam cum ipsis Judicibus causa posset agitari, ut si male judicasse convicti essent, eorum sententiæ solverentur. Quod utrùm essent, eorum sententiæ solverentur. Quod utrùm fecerint, probent. Nos enim factum esse, facilè probamus ex eo quod totus mundus non eis communicat. Aut si factum est, etiam ibi sunt victi: Quod ipsa eorum separatio manifestat. Sed tamen quid postea fecerint, Imperatoris litteris sufficientissimè ostenditur. Judices enim Ecclesiasticos, tantæ auctoritatis Episcopos, quorum judicio & Cæciliani innocentia & eorum improbitas declarata est, non apud alios Collegas, sed apud Imperatorem accusare ausi sunt, quod malè judicarint. Dedit ille Arelatense judicium, aliorum scilicet Episcoporum, non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens, & omnimodo cupiens tantam impudentiam cohibere. Neque enim ausus est Christianus Imperator sic eorum tumultuosas & fallaces querelas suscipere, ut de judicio Episcoporum, qui Romæ sederant, ipse judicaret, sed alios Episcopos dedit, à quibus tamen illi ad ipsum rursus Imperatorem provocare maluerunt. Arguit Donatistas, quod à Romani Episcopi judicio, non ad generalem Synodum, sed ad laicum Principem provocassent: Addens priorem provocationem omninò licuisse. Et hinc, licet adhuc Catechumenus, Ecclesiæ tamen Canones sciens Constantinus, se miscere noluit, sed Arelatensem ex toto Romano Patriarchatu Synodum indici curavit, & ibi causam retractari. Quod & factum est à Melchiadis Successore Sylvestro. Etiam à Sancti Julii Pontificis pro Sancto Athanasio & ejus à se degradatis Collegis judicio appellavit ad generalem Synodum Eusebiana Arianorum factio: Et ad ipsum retractandum Imperatores Constantius & Constans impetrarunt Synodum Sardicensem. Et à Sancti Cælestini in se ac suum dogma judicio provocavit Nestorius Constantinopolitanus Episcopus: Et impetravit Synodum Ephesinam. A Sancti Flaviani in se ac suam hæresim judicio ad Sanctum Leonem provocavit Archimandrita Eutyches, & ab omnium confirmatorio laudati Pontificis judicio ad generalem Synodum: Et obtinuit secundam Ephesinam. A vario Romanæ Ecclesiæ judicio appellavit etiam Pelagianorum Goliath Julianus, & pro impetranda Synodo concussit omnem Ecclesiam & Rempublicam, nec aliud ipsi Sanctus Augustinus opposuit, nisi quod lucida causa non egeret retractari. Quæ omnia latè expositi partim in Sardicensi ac utriusque Ephesinæ Synodi Scholiis, partim in Tractatu de Synodis & Apostolicis Decretis contra hæresim Pelagianam. Nec desunt alia antiqua exempla.

Nec item exempla recentiora. Etenim ad decimi tertii sæculi annum sexagesimum septimum scribit in Citizensis Ecclesiæ Chronico Paulus Langius: *Joannes Theutonici, primus Glossator Decreti, Sancti Stephani in Halberstat Præpositus, contra Clementem Papam quartum appellavit propter Decimam exactam. Ideò eum excommunicavit, & Præpositura privavit. Reconciliatus tamen post in pace obiit*. Eandem rem memorat supplementum A. 1256. Abbatis Ursbergensis: *Hoc tempore floruit Joannes Semeca, Theutonicus, juris Doctor, qui Herculea audacia primus aggressus est glossare Decretum. Hic Clementi quarto Summo Pontifici, tum per Germaniam, sicut Galliam, Decimas à Clero in redemptionem Terræ Sanctæ exigenti, appellationem opposuit, sed Papa ipsum excommunicavit, & Præpositura Halberstadiensi privavit. Sed erant magni in Germania viri, qui Joannem deserendum non putabant. Mors verò, æquo pede pulsans pauperum tabernas Regumque turres, hanc litem diremit, ac Pontificem & Præpositum è medio sustulit*. Quòd adversùm similes Innocentii octavi & Alexandri sexti exactiones Gallicana Ecclesia ad primam futuram Synodum provocaverit, ostendit in opere de Sacerdotii ac Imperii concordia illustrissimus Dominus Petrus de Marca. Aliam præterea appellationem adducit præfatus Paulus Langius: *Joannes vigesimus secundus Papa constitutiones fecit contra dicentes Christum & ejus Apostolos nihil in hoc* A. 1223. *mundo possedisse, id errorem censens, & velut Hæreticos damnans, qui idem confirmarent*. Et infrà: *Joannes Papa in publico Consistorio condemnavit* A. 1228. *litteram Capituli generalis fratrum Minorum in Perusio celebrati. Quamobrem Michael de Cæsena ejusdem Ordinis Minister generalis appellavit contra Papam, asserens Papæ determinationem de paupertate Christi fore hæreticam. Prædicta siquidem littera Synodalis fratrum Minoritarum continebat, quod Christus & Apostoli nullius rei dominium habuerint in proprio vel communi, & quod in his, quæ habuisse leguntur, tantùm habuerint absque jure altquo simplicem usum facti, id est, rei. Papa autem contrarium determinans, præfatum Michaelem & multos alios Doctores illi consentientes excommunicavit, & pro Hæreticis damnavit*. Famosissima fuit Philippi Pulchri Francorum Regis adversùs Bonifacium octavum appellatio, quam compendio refert in Chronico Nicolaus Trivettus: *Circa Festum Sancti Joannis Baptistæ milites quidam* A. 1303. *in præsentia Cleri & populi Parisiis congregati Papæ Bonifacio multa imposuerunt enormia, puta hæresim, Simoniam, & homicidia, propter quæ per Regem appellatum est contra eum ad illum cujus interest, donec convocato Concilio se de criminibus purgaret objectis*. Et infrà: *Rex Franciæ Abbati Cistertiensi offensus, quia in appellationem contra Papam Bonifacium non consenserat, omnia Monasteria ejusdem Ordinis in Regno Franciæ constituta plurimùm molestavit. Propter quod Abbas ultro cessit regimini ordinis sui*. Nempè universum Regnum A. 1304. Regi & appellationi adhærebat, verùm Cistertiensis ordo stabat firmus pro Sede Apostolica, & Regias in Sancti Petri dignitatem violentias spernebat. Longam rei seriem elucidant in Epistola ad Christophorum Fauvæum Joannes Launojus, ac præsertim in dicti Bonifacii Apologia Joannes Rubius. Quod etiam Templarii à Clemente quinto damnati, Sigismondus Austriæ Dux, ac ejus Advocatus Gregorius Heimburgius à Pio secundo, Imperator Ludovicus quartus contra Joannem vigesimum secundum, & alii ab aliis Pontificibus ad generalem Synodum provocaverint, cunctis eruditis est notum. Et quia modestiæ limites dictus Gregorius excesserat, ejusmodi appellationes tamquam hæreticas damnavit in Mantuana Synodo Pius secundus, & adversùs similem

Venetorum & Bentivolorum appellationem Julius secundus confirmavit. Et jam dudum omnis Romana Ecclesia : Imò omnis Christianitas. Ejusmodi enim appellantes, tamquam Hæreticos & Schismaticos, jam dudum solemniter damnat Bulla Dominicæ Cœnæ. Utriusque Pontificis Decretum exponit in Epistola ad Nicolaum Parvipedium Joannes Launojus : *Pius secundus de tollendis omnibus ad futurum Concilium provocationibus cogitationem nullam suscepit. Et certè cogitationem suscepisset, quod nefas dictu est, iniquissimè, Sed vagis ac promiscuis appellationibus modum posuit : Et rectè ac sapienter posuit. Tunc enim erant qui perinde ac Gregorius Heimburgius, ne Decretas sacris Canonibus pœnas luerent, futurum Concilium appellabant. Itaque Pius appellationem justam permisit, injustam prohibuit. Sic quoque intelligendus est Julius secundus.* Et hinc statim post Julii mortem adversùs successoris Leonis decimi & Regis sui Francisci primi famosa Concordata provocavit ad generale Concilium Gallicanæ Ecclesiæ Clerus, nec se excommunicatum credidit: Quod scilicet non frivolè, sed ex authentica causa provocasset. Provocarat enim ex articulis, ad quos servandos sacrum, ubi Paulus secundus fuit electus, Conclave eligendum Pontificem solemni juramento adstrinxerat, & quos dictum Paulum jurasse scribit Jacobus Cardinalis Papiensis : *Jurabat de majoribus committendis Sacerdotiis non nisi in Consistorio sententiis auditis decernere, jus ad ea nominandorum nulli omninò permittere.* In ipso Conclavi Julius secundus fuerat Cardinalis Presbyter Sancti Petri ad Vincula, ideoque præfatus Galliæ Clerus credidit se pro exacto per ipsum juramento legitimè ad Synodum appellare.

Et hæ appellationes causæ retractationem non dumtaxat devolvunt, sed omne etiam Apostolicum de ipsa judicium morantur ab executione atque suspendunt. Lucet ex Sancti Cælestini Pontificis in Nestorium Constantinopolitanum Episcopum sententia : *Apertè hanc nostram scias esse sententiam, ut nisi de Christo Deo nostro ea prædices, quæ Romana, & Alexandrina, & universalis Ecclesia Catholica tenet, & hanc perfidam novitatem intra decimam diem à primo innotescentis tibi hujus Conventionis die numerandam deposueris, & aperta & scripta confessione damnaveris, ab universalis te Ecclesiæ Catholicæ communione dejectum, & ad omnia, quæcumque Sacerdotalis auctoritatis sunt, minimè idoneum.* Quam sententiam Pontifex per Possidonium Alexandrinæ Ecclesiæ Diaconum transmisit Nestorio, Clero & populo Constantinopolitano, omnibus Patriarchis, Rufo Thessalonicensi Episcopo ac suo per Illyricum Vicario, necnon Flaviano Philippensium Archiepiscopo, per ipsos aliis ubique Episcopis publicari jussit, & adjunxit de Nestorio : *De Nestorio sciat Sanctitas tua à nobis, immò à Christo Deo datam esse sententiam, ut aut intra decem dies, ex quo primùm monitus fuerit, numerandos sacrilegas prædicationes submoveat, aut Episcopatus cœtu remotus intelligat sibi suam obfuisse perniciem.* Declarat ipsum lapsum decimo die fore à se & à Christo Domino excommunicatum ac degradatum. Interim nullatenus obedivit, sed omne hoc judicium interjecta ad generalem Synodum provocatione Nestorius elusit, & de ipso ac Ephesina Synodo scripsit ad Sanctum Cyrillum, ac illi subjectos Metropolitas Imperator Theodosius : *De indicta Sanctissima Synodo nostra Serenitas ad omnes omninò Deo dilectos Episcopos Metropolitanos litteras scripsit, quo nimirùm hac tandem ratione turbæ, quæ ex multis dissidiis & concertationibus hinc indè enatæ sunt, ritè secundùm Ecclesiasticos Canones consopiantur. Et illa præterea, quæ parum decenter hactenus admissa sunt, corrigantur, & pietatis denique quæ in Deum est, publicæque utilitatis firmitati consulatur. Cæterùm ante sanctissimam coactam Synodum, communemque ejusdem, quæ de omnibus dabitur, sententiam nihil quidquam in nulla prorsùs re privatim à quopiam innovetur.* Exstat sacra hæc jussio in prima parte Ephesini Concilii. Decem per Cœlestinum fixi dies erant dudum lapsi, nihilominus appellantem Nestorium vult usque ad dandam à Synodo sententiam haberi & agnosci Canonicum Episcopum, ideoque ejus appellationi lucidè adscribit effectum suspensivum. Sacras Romanorum Principum de Ecclesiasticis causis jussiones debuisse sacris Canonibus conformari, & difformes fuisse nullius ponderis, norunt omnes Ecclesiasticæ Hierarchiæ periti. At verò laudatam Theodosii jussionem adeò probavit Ephesina Synodus, ut de ipsa scribant Acta Synodalia : *Lectæ sunt hæ publicè, & relatæ inter Acta, quæ exstant Ephesi à sancta & generali Synodo, propter impium Nestorium congregata.* Omnes ibidem Episcopi Nestorium usque ad pronuntiatam Synodalis degradationis sententiam constanter vocant Reverendissimum ac Religiosissimum Episcopum. Quod nempè laudatas Principis litteras agnoscerent sacris Canonibus consonare. Ejusdem sententiæ fuit secunda Ephesina Synodus. Etenim Eutychetem, licèt non tantùm à suo Episcopo Sancto Flaviano, sed etiam à Sancto Leone Pontifice degradatum, constanter titulavit Religiosum Presbyterum & Archimandritam : Quòd nempè ab utriusque judicio ille provocasset.

Epist. 32.

Quod ipsum secuta sunt etiam posteriora sæcula. Etenim de Ecclesiastico Interdicto, quod ob non receptum Episcopum Martinus quintus tulerat in Diœcesim & Civitatem Ultrajectensem, scribit magnum Belgii Chronicon : *Omnes Civitates, Oppida, & Castella, omnisque populus terræ, cum aliquibus de Clero Trajectensi, appellatione ad Papam meliùs informandum, & ad futurum Papam, seu ad Concilium interposita, Interdictum servare contempserunt, solis Religiosis & Deum timentibus, quantùm poterant, servantibus. Vasalli verò Provinciæ, Proconsules, Scabini, & Communitates Civitatum, post longum servatum Interdictum nimium exacerbati, & animo indurato compellebant Monasteria appellationi adhærere, aut de suis Monasteriis & terra abire, qui in Provincia de cætero eos ferre non vellent, nisi Ecclesiastica Cantica resumerent, & Divina coram eis publicè celebrarent.* Quòd nempè suspensivum effectum suæ appellationi adscriberent.

Fol. 379.

Et

Et dum pro Ladislai Hungariæ Regis tutela cum ejusdem Regni Proceribus disceptaret Fredericus tertius Imperator, & Nicolai quinti Pontificis sententia juvaretur, consulta Viennensis Universitas Proceribus respondit : *Per appellationem ad futurum Concilium interponendam suspendi posse Romani Præsulis mandata.* Pluribus hæc refert in libro de statu Europæ sub Frederico tertio Æneas Sylvius. Et de Ludovico quarto Imperatore, qui à Joannis vigesimi secundi in se sententiis ad Synodum appellaverat, scribit supplementum Abbatis Usperginensis : *Ludovicus Imperator comitia celebrans apud Francfort, Scripto publico Acta Joannis contra se rejicit. In quo scripto fusè ac fortiter ostenditur processus Joannis fuisse excessus in præjudicium Electorum Principum ac totius Germaniæ, excommunicationis fulmen non semper ferire, Joannem contra Deum & omnem justitiam agere, qui mandavit ne obediant subditi Imperatori. Vanum esse, quod dici solet, Papam non habere Superiorem. Et quòd Concilium sit supra Papam. Et quòd defensio juris Imperii sit à jure Divino & fide Catholica. Ideo appellatio Cæsaris ad generale Concilium justa fuit. Hinc magna turbatio consecuta est in Imperio per Alemaniam, maximè in Svevia & Ducatu VVirtembergensi, post publicationem hujus Imperialis Scripti. Nam Monachi, qui in gratiam Pontificis Interdictum servare volebant, Francofordiæ, Reutlingæ, & alibi pulsi fuerunt per Imperatorem.* Quòd nempè & ipse & dicta Francofordiensis Curia vellent omnes Papales sententias per appellationem esse suspensas. Quæ omnia latiùs deducit & firmat incognitus Ludovici Apologus. Et in Epistola ad Christophorum Fauvæum consonat Joannes Launojus : *Ad eandem disciplinam pertinet, Parisiensem Academiam credere, quòd possit à Romano Pontifice ad Concilium provocari, & quòd Concilium sit supra Romanum Pontificem.* Et certè appellatio fieri non possit nisi ad Superiorem.

C. 16.

A. 1338.

Respondeo materiam hanc esse scabrosam. Interim volo, non tamquam Romanæ Curiæ adulator, sed tamquam Ecclesiasticæ Hierarchiæ sedulus inquisitor, meum sensum liber aperire. Imprimis itaque affirmo interjectas à Romani Episcopi judicio ad generalem Synodum provocationes fuisse semper exosas in Ecclesia, & malè oluisse. Etenim de Donatistis à Melchiadis judicio provocantibus scribit Sanctus Optatus Milevitanus Episcopus : *Donatus appellandum esse ab Episcopis credidit. Ad quam appellationem Constantinus Imperator sic respondit : ò rabida furoris audacia, sicut in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.* Rationem ibidem dant magnæ auctoritatis Episcopi Eunomius ac Olympius : *Sententia decem & novem Episcoporum jam dudum data dissolvi non potest.* Ad quæ verba scribit Gabriel Albaspinæus Aurelianensis Episcopus : *Optatus noluit dicere*, A Melchiade, sed ab Episcopis appellandum duxit, *ne auctoritatem Summi Pontificis læderet. Cæterum non est quòd Hæretici ab hac historia quidquam in eandem Summi Pontificis desumant, ut docuimus in observationibus.* Romanam Melchiadis & adversùs Donatum à Cæsis nigris, & pro Cæciliano sententiam adfirmat in præambulis observationibus ac demonstrat fuisse Constantino Imperatori adeò sacrosanctam atque immobilem, ut nec ab Arelatensi Synodo permiserit retractari : Alias Donatistarum quæstiones asserit istic discussas & judicatas. An ex firma radice depromat hæc omnia, est alia quæstio. Interim inter Primates Galliarum Antistites & Doctores ipsum numerat universa Ecclesia. Docere se profitetur etiam cum Domino Cardinali Perronio. Certè ab istis potiùs quàm à Joanne Launojo discendum existimo avitum sensum Gallicanæ Ecclesiæ. Et adversùs Julianum, Pelagianæ causæ instauratorem, ideoque varias Romanorum Pontificum sententias provocantem ad examen generalis Concilii, respondit in priori contra ipsum opere Sanctus Augustinus : *Non est quòd provoces ad Orientis Antistites, quia & ipsi utique Christiani sunt, & utriusque partis terrarum fides ista una est, quia & fides ista Christiana est. Et te certè Occidentalis terra generavit, regeneravit Occidentalis Ecclesia. Quid ei quæris inferre, quod in ea non invenisti, quando in ejus membra venisti?* In alio ejusdem operis libro demonstrat originalis peccati fidem esse fixam totius Ecclesiæ traditionem ex Græcis ac Latinis Patribus, atque prosequitur : *Si Episcopalis Synodus ex toto orbe congregaretur, mirùm si possent tales illic facile tot sedere, quia nec isti uno tempore fuerunt. Sed fideles & multis excellentiores paucos Dispensatores suos Deus per diversas ætates temporum, locorumque distantias, sicut ei placet atque expedire judicat, ipse dispensat. Hos itaque de aliis atque aliis temporibus, atque Regionibus ab Oriente & Occidente congregatos vides, non in locum quo navigare cogantur homines, sed in librum qui navigare possit ad homines.* Horum unanime de Apostolica controversi dogmatis traditione testimonium, & ex ipso hausti Romani Episcopi definitionem adfirmat esse omni generali Concilio firmiora, ideoque omnem appellationem hìc esse frivolam. Et jure merito. Quòd enim unicum Œcumenicæ Synodi officium sit Apostolicum dogma ex prioribus Ecclesiæ Patribus demonstrare atque firmare, ostendi nuper in familiari epistola ad Eximium Patrem Henricum Noris. Etiam in primo sequentis libri capite pergit Augustinus : *Vestra apud competens judicium communium Episcoporum causa finita est. Nec amplius vobiscum agendum est, quantùm ad jus examinis pertinet, nisi ut prolatam de hac re sententiam cum pace sequamini. Quod si nolueritis, à turbulenta vel infidiosa inquietudine cohibeamini.* Et in primo ad Sanctum Bonifacium Pontificem libro : *Hæc execrabilia dogmata tenentes & seminantes, adhuc insuper flagitant audientiam, cùm damnati debeant agere pœnitentiam.* Et in populari de Apostoli verbis sermone : *Jam de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam.* Utique Pro-Consularis Provinciæ Carthaginense, & Byzacii (*a*) Concilium Milevitanum. *Indè etiam Rescripta venerunt.* Utriusque Synodi Confirmatoria. *Causa finita est. Error utinam aliquando finiatur.* Lucidè adfirmat Apostolicæ Sedis in adeò clara causa judicium esse firmum atque immobile, & nulla provocatione devolvi

Lib. 1.

Lib. 1. cap. 4.

Lib. 2. cap. 10.

C. 24.

Serm. 2. cap. 10.

(*a*) Numidiæ. *Adnot. Noris.*

posse, *longè minùs* suspendi. Quod non solus cum aliis Africæ Episcopis Augustinus, sed etiam Atticus Constantinopolitanus Episcopus, ac omnis Ephesina Synodus multoties iteratas Pelagianæ factionis appellationes duxerit frivolas, & exsufflarit, soluſque Hæresiarcha Nestorius sit ipsis conatus patrocinari, ostendi pluribus in præfato opusculo de variis Synodis contra Hæresim Pelagianam. Etiam Nestorii appellationem graviter improbavit in litteris ad Constantinopolitanum Clerum Sanctus Cyrillus: Illum appellat miserum & seductum, præsertim quòd non uti reus, sed uti Judex & Præsidens adesse Synodo speraret à Sacris circumscripti Principis jussionibus. Exstat Epistola in Actis Synodi Ephesinæ. Et in litteris ad ejusdem Civitatis Clerum & populum Sanctus Papa Cælestinus: *Quis petitorem Synodi crederet Synodo defuturum? Percussa est illic falsitatis levitas pondere veritatis, nec se ausa est fulgori radiantium Sacerdotum latitantis Perfidi caligo miscere. Lumen tenebræ fugerunt.* Insigniter demonstrat appellationem omni Ephesinæ Synodo displicuisse. Etiam Eutychetis appellationem fuisse imperiti senis audaciam affirmavit constanter, & Synodum excutere conatus fuit omni modo Magnus Leo. Latiùs hæc elucidavi in scholiis ad Ephesinum latrocinium. Photianos Episcopos à Nicolai primi in se judicio provocantes, ad retractationem in octava Synodo potentissimè adjuverunt & Magnificentissimus Patritius Bahanes, & Sedi Apostolicæ dilectus Metrophanes Smyrnensium Metropolita: Quàm inviti, & cum quot limitationibus ipsam indulserint Apostolici Legati, quarta Actio demonstrat. Et quomodo Joannem Theutonicum Clemens quartus, & Michaelem de Cæsena, ac ipsum Ludovicum Imperatorem Joannes vigesimus secundus tractaverint, suprà audivimus à Paulo Langio, & Abbatis Uspergensis supplemento: Quibus & alii attestantur. Clementini Schismatis pertæsa olim cùm omni Gallicana Ecclesia Parisiensis Universitas Benedicto decimo tertio subtraxit obedientiam, & provocavit ad generale Concilium. Et adversùm hæc Benedictus: *Nonnulli Catholicæ veritatis Æmuli contra nos & Romanam Ecclesiam rebellionis calcaneum erigere præsumpserunt, à nobis, quod est contra Canonicas sanctiones, appellationes inter ponere non verentes.* Licèt Hispanus, in Gallicana tamen Ecclesia educatus ac edoctus erat Benedictus, ideoque juxta ejus avitum & tunc unanimem sensum loquebatur. Nempè Joannes Gerson Gallis necdum tunc prædicaverat Papam subesse Concilio, ideoque ad hoc ab illo legitimè provocari. Audaciam istam multis insectatur Benedictus, & pergit: *Idcircò habita super his deliberatione matura, hac constitutione perpetuò duratura, in omnes & singulos qui à Romanis Pontificibus Canonicè intrantibus appellare præsumpserint, excommunicationis sententiam promulgamus.* Acta hæc nuper publicavit Eruditus Lucas Daphetius. Et ex ipsis vides hasce appellationes eodem ante Pii secundi cum Gregorio Heymburgio quæstionem fuisse damnatas. Undè in litteris ad Norimbergenses laudatus Pontifex rectè asserit audaciam hanc *esse hæresim, quæ à parvo tempore citra sensum visa suboriri pullulavit, & sub ovium vestibus lupos rapaces intrinsecus celans, sub appellationis specie Ecclesiæ satagit unitatem convellere. Nam si quæ Christi unicus Vicarius, Canonibus sacris etiam & juri scripto inhærendo, decrevit statuitque, & servare præcepit, calumniatores malevoli & perversi subterfugere justitiam præsumentes, per ludibria frivolarum appellationum ad futurum Concilium, seu ad id quod numquam est, ac super Christi Vicarium esse aut reperiri nequit, obedientiam, quæ est de necessitate Ecclesiæ & salutis universorum, improbè declinant ac temerè. Hanc igitur Diabolico spiritu & instinctu novitatem exortam considerantes, in totius Ecclesiæ Catholicæ non tantùm enervationem, sed eversionem in Mantuano Conventu sæpè & multùm discussam damnavimus.*

L. 1. Epist. 10.

L. 3. Epist. 23.

Tom. 6.

Damnat non solùm frivolas, seu legitima causa destitutas appellationes, sed etiam ac præsertim istas, de quibus in libro de statu Europæ sub Frederico tertio scripserat adhuc Æneas Sylvius contra Universitatem Viennensem: *Docta Viennensis scholæ indoctam sententiam protulit.* C. 16. Nempè responderat interpositæ ad generalem Synodum appellationi inesse effectum suspensivum. Et revera sententia ista est hæretica, excutit debitam Apostolicæ Sedi obedientiam, ac rebellionem inducit & Schisma. Hoc enim unico in puncto hæsit schisma Eusebianæ factionis. Suam de Sancto Athanasio & cassato in ipsum Tyrio Judicio sententiam retractari in Sardicensi Synodo permiserat ad Principum preces & Ecclesiæ pacem Julius Pontifex, mandans illum assidere uti Canonicum Episcopum ac legitimum Patriarcham, suamque de illo definitionem in nullo lædi vel suspendi. Quod mandatum dum per Canones excutere nesciit factio, & obedire noluit, nocte fugit Philippopolim, Ecclesiæ regimen non in solo Romano Episcopo Monarchicum, sed in tribus æqualibus Patriarchis esse Aristocraticum definivit, atque ita Romanam Rempublicam nova hæresi maculavit. Etiam Theodoreti ab Ephesino latrocinio degradati factam à Sancto Leone reparationem quidam in Chalcedonensi Synodo Episcopi postularunt ad retractationem, & ipsum eo usque voluerunt à suo consensu suspensum. Verùm glorioſissimi Judices censuerunt longè aliud: *Ingrediatur & Reverendissimus Episcopus Theodoretus, ut sit particeps Synodi, quia & restituit ei Episcopatum sanctissimus Archiepiscopus Leo, & sacratissimus ac piissimus Imperator sanxit eum adesse sanctæ Synodo.* Et adversùm duras multorum intercessiones denuò repoſuerunt: *Præjudicium ex persona Theodoreti* Act. 1. *Episcopi nulli generabitur, reservata videlicet post hæc omni accusatione & vobis & illi, & quæ invicem exercere voluerit.* Promittunt causam retractandam, at Romani Episcopi sententiam nullo modo volunt suspensam. Et ipsorum judicio omnis tandem Synodus acquievit.

Quam fidem constantissimè tenuit etiam posterior semper Ecclesia. Etenim de Trajectensi Civitate & Diœcesi, adversùs Ecclesiasticum Martini quinti Interdictum appellante, ideoque Divina officia à Clericis & Monachis resumi aut

aut exultatum abiri mandante, scribit magnum Belgii Chronicon: *Una omnium tam Fratrum,* Fol. 371. *quàm Conversorum & Laicorum fuit sententia, ut Apostolicæ Sedis servata obedientia potiùs exularent & peregrinarentur, quàm contra conscientiam propter temporalia conservanda peccarent.* Laudat Religioſissimam Regularium Clericorum Congregationem Windeshemensem: Adfirmat cunctos ejus in dicta Diœcesi Conventus spontaneè ad triennium exulasse, & tunc cum gloria revocatos. Quòd nempè ad meliores sensus reducti appellantes deponerent errorem. Quòd pendente Ludovici quarti adversùs Joannis vigesimi secundi sententias appellatione istud ipsum Fratres Augustinenses passi sint, & è septemdecim Civitatibus exulare, quàm Romanæ Ecclesiæ censuram & dignitatem lædere maluerint, scribunt in Bertholdi Constantiensis Episcopi vita Albertus Argentinensis, & supplementum A. 1336. Abbatis Uspergensis. Et ipsorum sensum probavit omnis postmodum Germania: Nam post Ludovici mortem agnovit errorem, & omnium absolutionem supplicavit ab Apostolica Sede, & solemniter impetravit.

Nec obstant sacræ Theodosii Augusti pro appellante Nestorio jussiones. Quod enim hunc appellatio à Papalis sententiæ incursu munire non potuerit, lucet ex Synodalibus Joannis Patriarchæ Antiocheni ad ipsum litteris, hortantibus instantissimè ad obedientiam, & concludentibus: *Hæc, tua perindè ac propria cordi habentes, monere voluimus, jam tuum est æquo ac benevolo animo monita nostra complecti, nisi forsan nostri minus amans ita comparatus sis, ut cum tui & Reipublicæ Christianæ damno obstinatè hæc aspernari decreveris.* Quis non videat urgeri Nestorium, ut obedientia excommunicationem præveniat ac degradationem? Verùm salubria amicissimi Patriarchæ consilia sprevit, à Pelagianis Ex-Episcopis seductus est ad turbas conversus, & improvidum Principem in ipsarum patrocinium circumscripsit. Sancti Cyrilli Patruus & in Alexandrino Episcopatu Anteceſſor Theophilus Sanctum Joannem Chrysostomum non ita pridem incrustarat duris calumniis, & throno violenter ejecerat. Ex hac ansa Principi persuasit Nestorius Alexandrinorum Episcoporum in Constantinopolitanos odium esse antiquum, Cyrillum hærere Patrui vestigiis, esse turbidum Ægyptium, Apollinarii lepra infectum, Ecclesiæ ac Reipublicæ inquietatorem, atque ita non solum suspendi Papalem sententiam impetravit, sed & concepit spem, de qua in litteris ad Constantinopolitanum Clerum memoratus Cyrillus: *Neque tamen miser ille, licet complures & graves viri ejus opera seducti, nos accusaturi essent, rerum nostrarum Judicem fore se speret, quamvis jure Amphictyonum hoc sibi demandari faciat. Nos enim istuc venientes ab ejus judicio provocabimus, & ipse de suis blasphemiis* Epist. 12. *in judicio respondere cogetur.* Exstat Epistola in prima parte Ephesini Concilii. Sperabat ac jactabat cæcus Nestorius se, licet jam damnatum Romæ ac appellantem, Synodo interfuturum non dumtaxat uti integrum Episcopum, sed etiam Judicem ac Præsidem dominaturum. Adeò Principis simplicitati illudebat. Et Theodosium sacris suis jussionibus frequenter impegisse in Canones, ostendunt plura ejus Rescripta ad laceratam à Joanne Antiocheno Ephesinam Synodum; præsertim Rescripta, quibus & posteà confirmavit Acta Ephesini latrocinii. Etiam nuper ab Attico Constantinopolitano Episcopo circumductus omnes Orientalis Illyrici Provincias à Patriarchica Romani Pontificis cura contra Apostolicum Canonem transcripserat in potestatem Constantinopolitanæ Cathedræ, atque ita violentiæ viam demonstraverat Leoni Isauro. Et secundi Ephesini Concilii præsidentia postmodò privavit Sanctum Leonem Pontificem, ipsam transtulit in Dioscorum Alexandriæ Patriarcham, atque ita bene conceptum Conventum transmutavit in acephalam latrocinalium locustarum Synagogam. Nempè jure Amphictyonum. Insignem de sacris Romanorum Principum jussionibus Regulam refert in litteris ad Anatolium Constantinopolitanæ Ecclesiæ Diaconum Magnus Gregorius: *Quod* Lib. 9. *Princeps fecerit, si Canonicum est, sequimur; si* Epist. 41. *verò Canonicum non est, in quantum fine peccato nostro valemus, portamus.* Aliquod dispensatorium vulnus malebat infligi Canonibus, quam inter Sacerdotium & Imperium discordias seminari. Hinc ergò & Sanctus Cælestinus suam de Nestorio sententiam suspendi permisit usque ad Ephesinum Concilium, aut certè differri. Interim calumniis pressum & ad injurias postulatum Sanctum Cyrillum dedit Præsidem, multo autem superbiæ vento inflatum Nestorium uti reum jussit apparere. Ita dispensatoriè toleratam suæ sententiæ injuriam abundè compensavit.

Hujus rei rationem exponit in superiùs laudata ad Donatistarum Antistites Epistola Sanctus Augustinus, generatim scribens de interpositis à Romani Episcopi judicio ad generalem Synodum provocationibus: *Restabat plenarium uni-* Epist. 162. *versæ Ecclesiæ Concilium, ubi etiam cum ipsis Judicibus causa posset agitari.* Quare appellatio non demutat Pontificem in reum aut accusatorem, sed omninò relinquit Judices, & quidem qui appellatam Synodum debeat gratiosè concedere, ipsi præsidere, referre appellatam causam, de ipsa dicere cum prærogativa suffragium, & omnia Acta probare & confirmare. Ita factum fuit Arelate, & Sardicæ, Ephesi, Chalcedone, & in omni Synodo quæ appellatas causas retractavit. Et Ephesini latrocinii palmare facinus fuit, quod Sancti Leonis, tamquam ab Eutychete ad generalem Synodum provocati, ideoque suspensi Judicis, Legatos excluserit à Præsidentia, & ipsam detulerit Dioscoro Patriarchæ Alexandrino. Et hanc suæ sedis injuriam adeo sensit Magnus Leo, ut ipsam ante omnem Chalcedonensis Synodi ingressum jusserit per Legatos plenissimè reparari. Rectè enim in opusculo de Ecclesiastica potestate scripsit Joannes Gerson: *Quærere si Papalis auctoritas sit major quàm Ecclesia; vel è converso, redit in idem, ac si peteretur, Nonne totum est majus sua parte, vel pars minor suo toto? Proindè sequitur, quod si generale Concilium repræsentet universalem Ecclesiam sufficienter & integrè, necesse est ut includat auctoritatem Papalem,* sive

sive Papa sit, sive desierit esse per mortem naturalem aut civilem. Et infrà in eodem libro adfirmat Ecclesiasticæ potestatis plenitudinem componi & integrari ex variis partibus, atque subjungit: *Et est in eis plenitudo Ecclesiasticæ potestatis Papalis, tamquam pars integralis in suo toto, & ita non est major vel superior ad totam Ecclesiam, sicut nec pars major suo toto. Si verò consideretur hæc plenitudo in sua suprematate, tunc absque ulla dubitatione plenitudo Ecclesiasticæ potestatis Papalis superior & major est ad reliquas, sed jam illud, quod reliquum est, nullo pacto potest constituere generale Concilium, juxta illud quod dictum est priùs, quod generale Concilium in sua ratione formali includit de necessitate Papalem auctoritatem, sive Papa sit, sive non sit.* Radenda est appendix: *Sive non sit.* Etenim Papa per naturalem aut civilem mortem exstincto, certum ac manifestum est etiam Papalem auctoritatem, licet non exstinctam aut sublatam Ecclesiæ, dormire tamen ac esse suspensam. Quare & tunc à gravioribus causis generalis Synodus debet quiescere. Porrò Papalem potestatem esse de essentia Œcumenicæ Synodi, & aliàs ostensum est, & infrà pluribus ostendendum. Quare Eugenius quartus optimo jure scripsit desertum à se Basileensem Conventum non esse legitimam Synodum, sed *acephalas locustas*.

C. 7.

C. 11.

Et hinc sequuntur plura bene notanda. Primò, quòd interjecta adversùs Pontificem ad Synodum appellatio non sit vera appellatio, & quòd ad Faustum Magistrum Sanctus Gelasius Pontifex rectè scripserit: *Canones appellationes totius Ecclesiæ ad Apostolicæ Sedis examen voluere deferri, ab ipsa verò nusquam prorsus appellari debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium, nec de ejus umquam præceperunt judicio judicari, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cujus potius Decreta sequendà mandarunt.* Et in litteris ad Dardaniæ Episcopos: *Non reticemus, quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum Sedes Beati Petri Apostoli jus habeat resolvendi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio, siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus.* Notanda sunt verba: *Ipsam ad nullius commeare judicium, nec de ejus judicio judicari.* Utique sine ejus venia, beneficio & gratia. Altè clamant hanc appellationem non esse juris remedium, nec pro justitia recursum ad altiorem potestatem, sed gratiæ beneficium, quo ipse Pontifex gratiosè spondet ac promittit suum ipse judicium coram & cum assidente Synodo revidere & retractare. Et hinc appellantem Nestorium Sanctus Cœlestinus in litteris ad Clerum & populum Constantinopolitanum appellavit *Petitorem Synodi*. Etiam Julianus Pelagianus in toties iteratis suis provocationibus numquam usus est voce Appellationis, sed novum dumtaxat examen semper postulavit, & assiduis precibus fatigavit Principem, dictumque etiam Nestorium, cujus binos pro isto ad laudatum Pontificem supplices Libellos habemus in prima parte Ephesini Concilii. Nempè norant hic non à superiori aliquo Tribunali justitiam, sed ab ipso damnatore Pontifice gratiam impendendam. Norant suam causam non appellationis virtute aut privilegio, sed sola Pontificis gratia posse ad Synodum devolvi. Istæ appellationes sunt à suspendendi efficacia adeò remotæ, ut nec devolvant. Romanorum Episcopus est in Ecclesia, quod in Imperio Augustus Princeps, de quo rectè scripsit Jurisconsultus Ulpianus: *Et quidem stultum est illud admonere, à Principe appellari fas non esse, cum ipse sit qui provocatur.* Exstat sententia in Digesto de iis, à quibus appellari non licet. Adversùs iniquam circumscripti Principis sententiam postulanda est per supplicem libellum retractatio, de qua in opere de Augustæ Domus officiis rectè Jacobus Gutherius: *Retractatio, quę propriè Palindicia, non facilè impetratur. Nam cum status Reipublicæ rebus judicatis maximè contineatur, judiciorum perturbationes, rerum judicatarum infirmationes, civitatum afflictarum perditis in rebus extremi exitiorum exitus solent esse. Quæ cum accidunt, nemo est, quin intelligat ruere illam Rempublicam. Et ubi eveniunt, nemo est, qui ullam spem salutis reliquam esse arbitretur.* Longè graviora & maturiora sunt Romani Episcopi judicia, ideoque sine totius Ecclesiasticæ Hierarchiæ periculo non possint in dubium devocari.

L. 1. C. 29.

Epist. 4.

Epist. 13.

Secundò sequitur hanc seu supplicationem seu appellationem, licet à solo Pontifice admitti possit, fieri tamen ad Superiorem. Fit enim ad Œcumenicam ex Pontifice & omnibus sub cœlo Episcopis, tamquam capite & membris, conflatam Synodum, quam certum est solo capite esse majorem. Verùm hæc non est nostra quæstio. Quærimus, An solum seorsim sumptum corpus sit capite majus & potentius? Et hoc constanter negamus. Per caput debet convocari corpus, ab ipso accipere agendi tempus & locum, tractandorum relationem, & de ipsis cum prærogativa suffragium: Ipsum per se corpus nec definire potest, nec ventilare, nec referre. Lucet hoc in editis sine Papali relatione ac suffragio apud Chalcedonem Canonibus, de quibus in libro de anathemate Sanctus Gelasius: *Quæ per incompetentem præsumptionem illic prolata sunt vel potius ventilata, quæ Apostolica Sedes gerenda nullatenus delegavit, mox à Vicariis Sedis Apostolicæ contradicta manifestum est, quæ Sedes Apostolica, etiam petente Principe, nullatenus approbavit, nulla ratione sustinet.* Ea omnia non prolata, sed dumtaxat ventilata dicit, & quidem per incompetentem præsumptionem: Quòd nempè etiam numerosa adeò Synodus sine Papali relatione nihil ventilare potuerit, longè minùs proferre. Et hinc clarè lucet Romanum Episcopum non posse invitum judicari per Synodum aut degradari. Judicari enim non potest, nisi seipsum referat ac subjiciat judicandum. Quocirca jam expositas supplicationes quandoque ex causis admiserunt Romani Episcopi, veras appellationes autem plenè ignoravit omnis antiqua Christianitas, & posterioribus sæculis erumpentem iniquitatem Romana Ecclesia statim compescuit, & meritò tamquam hæresim damnavit. Joannes Theutonicus videtur esse pri-

primus iniquitatis auctor: Videtur primus Papale mandatum fuisse conatus per appellationem suspendere. Etenim Nestorius, quòd gratia sciret esse opus, & ipsam desperaret à Pontifice, ad Augusta Laici Principis Rescripta confugit, & Sancti Petri Apostoli Majestatem dupliciter læsit.

An à generali Synodo possit appellari ad Pontificem.

EX iisdem principiis evertitur tota Joannis Launoii ad Jacobum Boetium de Sancto Victore Epistola, docens ad Papam quidem provocari posse à Provincialium aut Diœcesanarum, non tamen à judiciis Synodorum generalium. Agit in Dominum Cardinalem Robertum Bellarminum, qui ex hujusmodi appellationibus firmat Pontificem esse omni Synodo majorem Ex Sancti Flaviani Constantinopolitani, & Theodoreti Cyrensis in Euphratesia Provincia Episcopi appellatione ab Ephesini latrocinii judicio ad Sanctum Leonem magnum. A legitima & plena, cui Romanus Pontifex præsedit & reliqua suæ auctoritatis explevit officia, appellari posse non dixit Dominus Cardinalis: Nam quis id dicat? Dixit ab acephala, aut legitima citra Papalem influxum judicante Synodo posse appellari: & optimè dixit. Nam & à plena Chalcedonensi, & per ipsam citra Papalem influxum edito vigesimo octavo Canone ad Sanctum Leonem provocavit ejus Legatio, causamque obtinuit. Pontifex enim admisit appellationem, & Canonem circumduxit. Insigniter hæc exponit in libro de anathemate Sanctus Gelasius: *Totum in Apostolicæ Sedis positum est potestate. Ita quod firmavit in Synodo Sedes Apostolica, hoc robur obtinuit; quod refutavit, habere non potuit firmitatem. Et sola rescidit quod præter ordinem congregatio Synodica putaverat usurpandum.* Quæ omnia altis vocibus clamant non Papam Synodo, sed Papæ Synodum subesse.

Audiamus quid adversum adducta hæc per Dominum Cardinalem exempla opponat Joannes Launoius. Adducit integram, qua Sanctus Leo Beati Flaviani appellationem Imperatori Theodosio exponit, & admittendam suadet, Epistolam, ac pergit: *Cùm in Bellarmini argumentum, & in Leonis Epistolam inspicio, adducor facilè ut credam Bellarminum Leonis Epistolam non legisse, sed deceptum fuisse ab Amanuensi suo, qui illi dixit Flavianum ad Leonem appellasse. Nam Pontifex hoc in Epistola sua non scribit. Flavianum appellationis libellum dedisse scribit, sed ad quem dederit, non scribit. Credibile est Flavianum provocasse ad Synodum, quæ liberior foret & numerosior. Nam Leo & Romana Synodus unum id agunt, ut Imperator generalem Synodum intra Italiam celebrari jubeat, quæ excitatis tumultibus & controversiis finem imponat. Verùm ad Leonem provocaverit? Non ideò provocavit, ut Flaviani causam Leo solus judicet, sed ut generalis Synodus cum Leone judicet.* Quòd non à solo Pontifice, sed à pleniori Synodo causam suam retractari postulaverit Flavianus, probare conatur ex litteris, per quas etiam Galla Placidia Augusta & Valentinianus Imperator tertius ipsam intra Italiam fieri expostulant ab Imperatore Theodosio, atque prosequitur. *Flavianus ad Leonem provocat, ut quæ de fide & Sacerdotibus exorta erat apud Ephesum controversia, in generali Synodo terminaretur. Aliud est igitur Romanum Pontificem appellare, aliud Romanum Pontificem solum de appellatione judicare. Flavianus apud Valentinianum dicitur Leonem & Apostolicam Sedem appellare, & tamen non Leonem solum vel Apostolicam Sedem, sed etiam reliquos Occidentis Episcopos appellat, ut in Leonis & Gallæ Placidiæ litteris habetur. Quo etiam Valentinianus in Epistola sua spectat. Hæc autem omnia quid quæso Bellarmini causam adjuvant? Quid ad propositum ab eo Lemma conducunt, ut Papam absolutè supra Concilium esse probent?*

Ego Domini Cardinalis Bellarmini non ago Apologum. An laudatam Sancti Leonis Epistolam legerit, certent alii. Et si quis istorum dicat ipsam non intelligi à Joanne Launoio? Huic interim gratulandum est, quòd dimissis tergiversationibus tandem fateatur Sanctum Flavianum ad Magnum Leonem ac ejus Apostolicam Cathedram provocasse. Disertè enim id scribit Galla Placidia: *Fides perturbata est ad arbitrium unius hominis, qui in Synodo Ephesinæ Civitatis odium & contentiones potiùs exercuisse narratur, militum præsentia & metu impetens Constantinopolitanum Episcopum Flavianum, eo quod libellum ad Apostolicam Sedem miserit, & ad omnes Episcopos harum partium, per eos qui directi fuerunt à Reverendissimo Episcopo Romæ, qui secundùm definitiones Nicæni Concilii consueti sunt interesse.* Lucidè adfirmat Sanctum Flavianum non dumtaxat appellasse ad Sedem Apostolicam, sed insuper istam ob causam fuisse à Dioscori milite & calcibus percussum. Etenim ad Sanctum Leonem, quem ab interjecta Eutychetis appellatione volebat demutatum ex Judice in reum aut accusatorem, & quem hoc titulo à Synodi Præsidentia violenter extruserat, Dioscorus longè minùs volebat à suo Synodali judicio provocari. Quod ipsum scribit Valentinianus tertius: *Beatissimus Romanæ Civitatis Episcopus, cui Principatum Sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de fide ac Sacerdotibus judicare. Hujus enim rei gratia secundùm solemnitatem Conciliorum & Constantinopolitanus Episcopus eum per libellum appellavit. Propter contentionem quæ orta est de fide.* Quin & id ipsum scribit in laudata per Joannem Launoium Epistola Magnus Leo, ideoque Dominus Cardinalis Bellarminus sine fundamento arguitur ipsam non legisse. Epistola enim laudat à Sancto Flaviano porrectum appellationis libellum, & prosequitur: *Quam autem post appellationem interpositam hoc necessariò posuletur, Canonum Nicææ habitorum Decreta testantur, quæ à totius mundi sunt Sacerdotibus constituta, quæque subter adnexa sunt.* Adnexi autem erant Sardicenses Canones, quos Nicænis semper adnumeravit omnis Latina Ecclesia, & qui degradatos

Epi-

Episcopos non ad generalem Synodum, sed lucidè permittunt ac jubent ad Romanum Pontificem appellare. Et non ex semetipsis, sed à Sancti Leonis & numerosis ipsum circumcingentium Episcoporum lacrymis permoti Valentinianus tertius & Galla Placidia scripserunt Imperatori Theodosio, ideoque clarum est ipsos ex laudati Pontificis ore & sensu scripsisse.

Nec solus Sanctus Flavianus, sed etiam Theodoretus ab Ephesino judicio Romam appellavit, & certum est ad solum Pontificem appellasse. Lucet ex ejus ad Renatum Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Presbyterum Epistola, in qua Ephesini latrocinii Acta deplorat, ac pergit: *Ex iis autem, qui istic damnati fuerunt, unus ego sum, ne illo irem Regiis litteris prohibitus, & tamen absens condemnatus. Quam ob causam oro Sanctitatem tuam, sanctissimo & Beatissimo Archiepiscopo persuadeat, ut Apostolica potestate utatur, & ad Concilium vestrum advolare præcipiat. Habet enim sanctissima illa Sedes Ecclesiarum, quæ in toto sunt orbe, Principatum multis nominibus, atque hoc ante omnia, quod ab Hæretica tabe immunis mansit, nec ullus contraria sentiens in illa sedit, sed* Ep. 116. *Apostolicam gratiam integram conservavit.* Non purpureis dumtaxat, sed aureis litteris scribi merentur hæc Theodoreti verba. Ex ipsis interim Joannes Launojus discat Liberium Pontificem non fuisse Hæreticum. Pergit Theodoretus in litteris ad Romanæ Ecclesiæ Archidiaconum: *Dignare Beatissimi Archiepiscopi zelum accendere, ut Orientis etiam Ecclesiæ sollicitudine vestra fruantur.* Supplicat omne Ephesinum latrocinium, Ep. 118. judicii sui rationes redditurum, evocari Romam, non ad generalem totius Ecclesiæ, sed ad singularem Romanæ Provinciæ Synodum, in qua appellatas causas Pontifex semper consuevit judicare. Ad solum igitur Pontificem Theodoretus manifestè appellavit. Quod lucidè patet etiam ex eleganti ejus epistola ad Sanctum Leonem. Et ejus appellationem omninò admisit Pontifex. Nec in generali, sed in dicta suæ Provinciæ Synodo ipsum ab Ephesinis vinculis absolvit, ac reposuit in Episcopi dignitatem. Et sententiam plenè reverita est, nec ad graves multorum Episcoporum intercessiones suspendi passa est Synodus Chalcedonensis.

Etiam Eusebius Dorylei in Phrygia Episcopus, & primus tam Nestorii quàm Eutychetis accusator, à data in se per Ephesinum latrocinium degradationis sententia Romam accessit, & appellavit ad solum Pontificem, & hic de ipso scripsit ad Imperatricem Pulcheriam: *Quia novimus, quantum piæ sollicitudinis Catholicis Sacerdotibus Mansuetudo vestra dignetur impendere, indicandum esse curavimus Fratrem & Coepiscopum nostrum Eusebium nobiscum degere, & nostræ communionis esse consortem, cujus commendamus Ecclesiam, quam* Ep. 39. *dicitur vastare qui illi injustè dicitur subrogatus.* Et in litteris ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum: *Illud Dilectionem tuam nosse volumus Fratrem & Coepiscopum nostrum Eusebium, qui causa fidei multa discrimina laboresque toleravit, nobiscum interim demorari, & in nostra nunc communione persistere. Cujus Ecclesiam tua sollicitudine* Ep. 40. *volumus esse defensam, ut nihil eodem absente depereat, & nullus ei in aliquo præjudicare præsumat, donec cùm litterarum nostrarum ad eos prosecutione perveniat.* Notanda hic est Dioscori, & omnis ipsi hærentis factionis violentia: Sardicenses, qui Romana pendente appellatione in degradati Episcopi Cathedram vetant alium imponi, Canones conculcarant, & appellanti Eusebio alium è suo grege superposuerant. Notanda sunt & Sancti Leonis verba: *Fratrem & Coepiscopum nostrum Eusebium nobiscum degere, & nostræ communionis esse participem.* Altè clamant Eusebium non in generali Synodo, sed à solo Pontifice fuisse redditum Episcopali communioni, & ab omni Ephesina sententia liberatum. Et ipsum sine ulla contradictione ad consessum & suffragium admisit magna Synodus Chalcedonensis.

De degradatis per Ephesinum latrocinium Episcopis ad Leonem Imperatorem rectè scripsit Sebastianus Episcopus: *Inter quos nostrorum tempo-* Ep. 30. *rum secundus Abel, Beatus Flavianus exiit.* Et enim & militum violenta concussione, & Dioscori calcibus obtritus Epheso exivit, appellationis suæ libellos Apostolicis Legatis Romam deportandos tradidit, & post paucos dies est in via Martyr defunctus. An ejus mortem Sanctus Leo statim intellexerit, ignoro: Ejus interim causam non in generali, sed solus in suæ Provinciæ Synodo discussit, reddidit Episcopatui, & ab omni perperam injecto vinculo absolvit. Lucidè id in laudatis ad Theodosium litteris testatur Galla Placidia: *Tua Mansuetudo tantis turbis restiens, veritatem Fidei Catholicæ Religionis immaculatam servari præcipiat; ut secundùm formam & definitionem Apostolicæ Sedis, quam & nos tamquam præcellentem similiter veneramur, in statu Sacerdotii illæso per omnia Flaviano, ad Concilium Apostolicæ Sedis transmittatur.* Lucidè adfirmat Flavianum per Apostolicæ Sedis definitionem esse restitutum Sacerdotio, ejusque statum rogat manere & servari illæsum. Quod ipsum adfirmat Valentinianus tertius: *Beatissimus Romanæ Civitatis Episcopus locum habeat & facultatem de fide & Sacerdotibus judicare.* Post Chalcedonensem Synodum exstat infelix lex, qua Ephesini latrocinii Acta confirmat Theodosius, Nestorianam hæresim denuò damnat, Flavianum Constantinopolitanum, Domnum Antiochenum, Eusebium Dorylæensem, Theodoretum Cyrensem, & quosdam alios istic damnatos Episcopos in dictæ hæresis cœcitate participare, ideoque Episcopalibus Sedibus adfirmat indignos, & prosequitur: *Nos igitur Sanctæ Ephesinæ Synodi Decreta laudamus atque firmamus, hanc Orthodoxam fidem putantes atque nominantes, quæ à trecentis decem & octo Patribus exposita est, & firmata in sanctis Conciliis, quæ Ephesi congregata sunt.* Et infrà: *Omninò autem nullus, qui Nestorii ac Flaviani, & eorum qui sunt ejusdem hæresis, sententia detinetur, ullo modo Episcopus ordinetur.* Hanc infelicissimam legem Magnus Leo spreverat, & ipsa non obstante Flavianum, Theodoretum, atque Eusebium reddiderat Episcopatui; verùm illos reponere in Sedes adeò non potuerat,

rat, ut Eusebio superintrusus Episcopus Dorylæi Ecclesiam non desineret vastare. Hinc igitur à Magno Leone permoti Valentinianus tertius, Galla Placidia, ac Licinia Eudoxia Theodosio Imperatori demonstrarunt à Magno Constantino & Successoribus deinceps Romanis Augustis non solummodò Orthodoxum dogma, sed etiam Romanæ Cathedræ supremum Primatum fuisse constantissimè defensum, & donatum plena agendi libertate, supplicarunt hæc vestigia non deseri, ideoque Sancto Leoni permitti avitam facultatem de fide & Sacerdotibus judicare, & ab illo datam pro Sancto Flaviano sententiam non sisti per leges, sed servari integram atque illæsam. Verùm à Chrysaphio Eunucho circumscriptus Theodosius, rescripsit omninò à se custodiri Nicænam fidem, laudavit Ephesinum Conventum, & in dato ad Valentinianum Rescripto addidit de Flaviano: *Flavianus autem, qui reus inventus est læsibilis novitatis, debitam pœnam recepit.* Et in Rescripto ad Gallam Placidiam: *Flavianus, qui dicitur Princeps contentionis hujus, Sacra sententia ab Ecclesiasticis rebus expulsus est.* Et in Rescripto ad Liciniam Eudoxiam: *Flavianus Sacro judicio ab Ecclesiasticis rebus ablatus est, quatenus totius dubietatis contentio à sacris removeretur Ecclesiis. Et nihil ulteriùs post hæc definire possibile est, cùm jam ista semel decisa sint.* Pertinax perrexit reparatos à Sancto Leone Episcopos Regio suo Placito suspendere & morari. Res ita perpendit usque ad Successoris Martiani Imperium. Hic statim cassavit omnia, & Apostolicis sententiis permisit liberam executionem, ideoque de Theodoreto ad Chalcedonensem Synodum dixerunt gloriosissimi Judices: *Ingrediatur & Reverendissimus Episcopus Theodoretus, ut sit particeps Synodi, quia & restituit ei Episcopatum sanctissimus Archiepiscopus Leo, & sacratissimus Imperator sanxit eum adesse sanctæ Synodo.* Et ipse Theodoretus: *Preces obtuli sacratissimis mundi Dominis, & enarravi quæ in me acta sunt funera, & precor has perlegi.* Ad Chalcedonensis Synodi calcem exstat Martiani Augusti lex, qua infelicem Theodosii legem circumducit, ac Sanctum Flavianum, Dorylæensem Eusebium, ac Theodoretum declarat liberos ab omni vinculo. Verùm hanc non laudarunt Gloriosissimi Judices. Est enim Synodo posterior. Proindè fuit & alia prior lex, quæ periit aut latet. Interim lucet Sanctum Flavianum, Eusebium, ac Theodoretum non per generalem Synodum, sed à solo Magno Leone fuisse judicatos in appellata causa, & redditos in Episcopatum.

Hoc ipsum lucet ex causa Domni Patriarchæ Antiocheni. Nam & hic exprimitur in infelici lege Imperatoris Theodosii, tamquam Ephesi legitimè degradatur. Etiam appellavit ad Sanctum Leonem. Verùm de ipso ad Chalcedonensem Synodum dixit Sanctus Paschasinus, Lilybeti Episcopus, ac laudati Pontificis Legatus: *Synodus proferri non potest, in qua illa nefaria delicta relecta sunt, & ob hoc ad lectionem videntur esse superflua ea quæ ibi sunt acta. Si ergò à Beatissimo & Apostolico Romanæ Urbis Episcopo omnia quæ ibi gesta sunt, vana sunt habita, claret quia sanctissimus Episcopus Antiochenæ Civitatis extra hæc est.* Act. 10. Et Anatolius Constantinopolitanus Episcopus: *Definimus nihil horum valere quæ in illa, quæ Synodus dicitur, sunt confecta, nisi illud circa sanctissimum Maximum, Magnæ Antiochenæ Civitatis Episcopum, quoniam & sanctissimus Leo Romanus Archiepiscopus in communionem eum recipiens, præesse Antiochenorum præcepit Ecclesiæ.* Et Stephanus Episcopus Ephesiorum: *Et ego judico, ut quæ contra Canones in Ephesina Metropoli facta sunt infringantur, exceptis his quæ gesta sunt adversùs Domnum Antiochenæ Civitatis Episcopum, ob hoc quia ordinatio Maximi facta pro eo Canonicè in Antiochena Metropoli, à sanctissimo Archiepiscopo Leone, & hoc præsenti sancto & universali Concilio suscepta sit.* Et ad quintam Synodum Thomas Diaconus ac Notarius recitavit: *Chalcedonensis sancta Synodus Domnum Antiochiæ Episcopum, eo quod scripsit debere taceri duodecim capitula sanctæ memoriæ Cyrilli, & post mortem condemnavit, cum* Act. 6. *confirmasset condemnationem ejus, & suscepisset Maximi ordinationem.* Licèt Joannes Antiochenus Patriarcha cum Sancto Cyrillo feciſset pacem & uniisset Ecclesias, famosa tamen illius adversùs Nestorium Capitula non admisit, ipsumque secutus est Successor Domnus, & omnis fermè Antiochenus Patriarchatus. Et hinc ille Ephesi sibi timuit à Dioscoro, hominemque demulcere satagens consensit & cooperatus est ejus Attentatis in Sanctum Flavianum. At semetipsum circumvenit. Ejus enim prævaricatione usus fuit tyrannus Dioscorus, sed non placatus: Ipsum posteà tamquam Nestorianum degradavit. Et in ejus locum confecratus fuit Maximus Diaconus. Hinc cum aliis degradatis Episcopis appellavit Romam, verùm quòd in Sancti Flaviani damnationem consensisset, non fuit auditus: Maximi ordinationem probavit Magnus Leo, ac Domnum in degradatione reliquit. Quod ejus judicium Chalcedonensis Synodus retractare non præsumpsit, sed plenissimè confirmavit. Item Imperator Martianus. Etenim legi, qua infelicem Theodosii legem circumduxit, ac Eusebii & Theodoreti reparationem stabilivit, Domni nullam fecit mentionem. Ipsum in dictæ legis luto firmavit. Quocirca etiam de ipso retractatorium judicium non in generali Synodo, sed à solo Magno Leone actum & peractum est, atque ita lucet de hac Romani Episcopi potestate nullum Christianum dubitasse umquam, nec posse dubitare. Porrò Chalcedonensis Synodi tempore Domnus omninò adhuc vixit, atque ita Schedarum, quas ad quintam Synodum legit Thomas Diaconus, auctor fuit memoria lapsus.

Adversùs Theodoreti reparationem Joannes Launojus etiam quædam opponit. Adversùs ipsam factas variorum in Chalcedonensi Synodo Episcoporum intercessiones refert, & concludit: *Ex his apparet Theodoretum à Synodo restitutionem integram accepisse, quam à Leone non acceperat, quamvis qui acciperet ab eodem judicatus fuisset dignissimus. Indicta enim causa, & violatis Canonibus è sua Sede pulsus fuerat. Exindè factum, ut Judices supra dixerint Leonem Theodoreto Episcopatum restituisse. Sed Concilii Patres, & imprimis*

Legati

Legati Theodoreto Episcopatum restituunt. Ecce tibi Theodoreti appellationis ad Leonem & Occidentales Episcopos historia, ex qua Abelem à Caino fuisse occisum perindè colliges, ac Romanum Pontificem simpliciter & absolutè esse supra Ecclesiam universam & Concilium generale, ita ut nullum in terris supra se Judicem agnoscat. Quin etiam Leo in Theodoreti causa Chalcedonensis Concilii judicium supra se agnovit, nec ægrè tulit. Post Ægyptiorum intercessionem Concilium de Leonis sententia, quam secundùm Theodoretum pronunciaverat, judicavit & asseruit.

Respondeo in paucis verbis multos contineri errores. Primus est, quòd Magnus Leo Theodoretum dumtaxat judicaverit reparari dignissimum, non autem repararit, seu in Episcopatum restituerit. Lucidè enim in Chalcedonensi Synodo dixerunt gloriosissimi Judices: *Ingrediatur & Reverendissimus Episcopus Theodoretus, quia & ei Episcopatum restituit sanctissimus Archiepiscopus Leo.* Et iterùm: *Theodoretus Reverendissimus Episcopus proprium recipiens locum à sanctissimo Episcopo inclytæ Urbis Romæ, in locum accusatoris ingressus est.* Addunt Acta Synodalia: *Postquam sedit in medio Reverendissimus Episcopus Theodoretus, Orientales & qui cum ipsis Reverendissimi Episcopi clamaverunt, Dignus, dignus.* Utique non qui Episcopatum à Synodo reciperet, sed qui jam ipsum à Magno Leone recepisset. Secundus error est, quòd Concilium & Legati Theodoreto Episcopatum restituerint. Etenim & Synodus & Legati Apostolicam restitutionis sententiam dumtaxat executi sunt in prima actione, & ad varias licèt atque gravissimas Episcoporum intercessiones noluerunt suspendi, & in octava actione retractarunt & confirmarunt. Tertius error est, quod Magnus Leo Chalcedonensem Synodum agnoverit sibi superiorem. Quia nempè suum de Theodoreto judicium permisit retractari. Est apertus error. Etenim permissionem hanc suadebant magnæ rationes, quas edixerunt Ægyptii, Illyriciani, ac Palæstini Episcopi, adversùs Theodoretum, dum uti Canonicus Episcopus Synodum ingrederetur, exclamantes: *Miseremini, fides perit, istum Canones ejiciunt. Hunc foras mittite: Magistrum Nestorii foras mittite.* Et Dioscorus Patriarcha Alexandrinus: *Cyrillus cur ejicitur, qui ab illo est anathematizatus?* Et iterùm Ægyptii Episcopi: *Synodus Orthodoxa Theodoretum non suscipit. Impugnatorem Dei foras mittite. Qui injurias dixit in Christum, foras mittite. Cyrillum iste anathematizavit.* In prima Ephesina Synodo Patriarchæ sui Joannis factionem secutus Theodoretus egerat turbas, & famosa Sancti Cyrilli in Nestorium Capitula pessimè tractarat, dudum faverat Nestorio, atque ita de ejus scabie se reddiderat graviter suspectum. Hinc præfati Episcopi clamarunt indignum Episcopatu, hostem Dei, dolosum Romanæ Ecclesiæ circumscriptorem, arcendum à Synodali confessu: Apostolicum pro ipso judicium postularunt suspendi tamquam subreptione extortum, & suo tempore retractari. Et quidem retractationem promisit, ac suo tempore præstitit Apostolica Legatio, verùm sui Episcopi judicia suspendi ob nullam intercessionem aut exceptionem sustinuit: Et omnis Synodus acquievit. Et quòd Synodum, à qua istiusmodi retractationem permittit fieri, sibi superiorem non agnoscat Pontifex, est abundè ostensum. Flaviani, Eusebii, ac Theodoreti restitutionem medio inter Ephesinum latrocinium & Chalcedonensem Synodum tempore fecit Magnus Leo, & nulla mediavit Œcumenica Synodus: Ipsam ergò fecit solus, aut certè in Synodo suæ Provinciæ.

Et hinc omninò claret Papam esse generali Synodo superiorem. Loquor semper de solo Synodi corpore, prout contra caput condistinguitur. Etenim appellari non possit nisi ad superiorem: Et à generalis Synodi corpore omninò appellatur ad caput, & quidem appellatione vera, quæ non tantum devolvat ex gratia, sed ex justitia etiam suspendat. Lucidè hoc scribit in litteris ad Imperatorem Theodosium Magnus Leo: *Obsecramus ut omnia in eo statu esse jubeatis, in quo fuerunt ante omne judicium, donec major ex toto orbe Sacerdotum numerus congregetur.* Lucidè rogat omnia Ephesini latrocinii Acta usque ad majorem Synodum suspendi, idque ob Sancti Flaviani appellationem, de qua prosequitur: *Quam autem post appellationem interpositam hoc necessariò postuletur, Canonum Nicææ habitorum Decreta testantur.* Hoc est, Canonum Sardicensium, qui cunctis ad Romanum Episcopum interjectis appellationibus palàm dant virtutem omnia suspendendi. Pergit Leo in litteris ad Imperatricem Pulcheriam: *Scripsimus de hac re ad gloriosissimum Principem, ut fidem, in qua renatus per Dei gratiam regnat, nulla sineret novitate corrumpi, quoniam Flavianus Episcopus in nostra omnium communione persistit, atque hoc quod factum est sine consideratione justitiæ & contra omnium Canonum disciplinam, ratum haberi nulla ratio permittit. Et quia dissensionis scandalum non absstulisset Ephesina Synodus, sed auxisset, habendo intra Italiam Concilio & locus constitueretur & tempus, omnibus querelis & præjudiciis partis utriusque suspensis, quo diligentius universa, quæ offensionem generaverant, retractarentur.* Etiam in aliis Epistolis omnia, quæ per infelicem legem confirmaverat Theodosius, Ephesini latrocinii Acta rogat suspendi juxta Canones: Qui appellatam Sancti Petri Apostoli memoriam jubent ita honorari. Et rursùs adfirmat Sanctum Flavianum manere in sua communione, hoc est, esse à se Episcopatui restitutum. Quod ipsum in litteris ad laudatam Imperatricem testatur Hilarus Romanæ Ecclesiæ Diaconus, & laudati Pontificis ad dictum latrocinium Legatus: *Vestra veneranda Clementia cognoscat à beatissimo Papa cum omni Occidentali Concilio reprobari omnia, quæ in Epheso contra Canones per tumultus & odia sæcularia à Dioscoro Episcopo gesta sunt. Et nulla ratione hæc in his partibus suscipi posse, quæ per potentiam prædicti, non sine læsione fidei, & præjudicio sanctissimi viri innoxiique*, Utique Sancti Flaviani, *commissa sunt.* Lucidè profitetur Sancti Flaviani degradationem à solo Sancto Leone, & ejus Occidentali Concilio fuisse cassatam. Quod ipsum profitetur in litteris ad Dardaniæ Episcopos Sanctus Gelasius.

Joannes

Joannes tamen Launoius rectè scripsit aliud esse Romanum Pontificem appellari, aliud ab ipso solo appellata in causam judicari. Etenim de Romanis appellati onibus sanxit Sardicense Concilium: *Si quis* degradatus Episcopus *postulet suum negotium rursùs audiri, & ad suam supplicationem Romanorum Episcopum judicare visum fuerit,* Cap. 5. *ut à proprio latere Presbyteros mittat, erit in potestate ipsius quodcumque rectè habere probaverit. Et si decreverit oportere eos mitti, qui cum Episcopis sint judicaturi, habentes auctoritatem ejus à quo missi sunt, & hoc ponendum est. Si autem sufficere putaverit ad rei cognitionem & Episcopi sententiam, faciet quod prudentissimo ejus consilio rectè habere videbitur.* Romano Episcopo permittit ut appellatas causas aut ipse per se ipsum, aut per Legatos à suo latere Presbyteros, aut per eosdem Judices, aut per vicinæ Provinciæ Synodum retractet: Adeoque & retractari omninò permittit per generalem Synodum. Electionem permittit Romani Episcopi prudentissimo arbitrio. Quare nec Sanctus Flavianus Magnum Leonem, nec quis alius appellans Episcopus alium Pontificem ad hunc aut istum retractationis modum potuit adstringere. Absit à Flaviano istud contra Canones exegisse. Et hinc ejus, Domni Antiocheni, Eusebii Dorylæensis & Cyrensis Theodoreti causas solus in suæ Provinciæ Synodo Magnus Leo retractavit: Læsæ autem ab Ephesino latrocinio fidei quæstionem retractari ex rationibus voluit in generali Synodo. Et istius solius gratia hanc postulavit ab Imperatore Theodosio, & tandem à successore Martiano impetravit. Hæc omnia oportet maturè distincta.

Quam omnem doctrinam insigniter confirmat in octava Synodo magnificentissimus Patritius Bahanes, dicens ad degradatum Photium: *Loquere, Domine Photi, quodcumque habes justitiæ opus. Totus mundus hic est, ne claudat viscera sua* Act. 5. *sancta & universalis Synodus: Quonamquè vis confugere? Romam? Ecce à Roma in Orientem, en ab Oriente hic adsunt.* Adfirmat Photium à generali ista Synodo, si quidem Romana Legatio non adfuisset, omninò potuisse Romam provocare. Quod ipsum fieri possit, ubi dicta Legatio mandati limites excederet, aut quovis modo prævaricaretur. Pro eadem thesi quidam adducunt etiam superius laudata Valentiniani tertii ad Theodosium verba: *Secundùm solemnitatem Conciliorum Constantinopolitanus Episcopus Romanæ Civitatis Episcopum per libellos appellavit.* Dominus Cardinalis Perronius laudari existimat consuetudinem, qua Romanas adversùm sua Decreta appellationes etiam Œcumenicæ Synodi soleant admittere. Verum Dominus Petrus de Marca laudari mavult consuetudinem, quæ damnatos à Synodis Episcopos jubeat non sola voce inter Acta, sed scripto per libellum appel- L. 7. c. 7. lare: *Secundùm morem Conciliorum appellatio fieri debebat servatis scripturæ solemnibus, quemadmodum docet hic locus, qui prorsus singularis est.* Respondeo id isto in sensu esse reverà singularem. Etenim istam per libellos appellandi necessitatem nulla firmant authentica testimonia. Et adversùs pronunciatam in se à Dioscoro Ephesini latrocinii Præside sententiam dixit adstans Sanctus Flavianus: *Appello à te.* Et Hilarus Romanæ Ecclesiæ Diaconus ac Legatus: *Contradicitur.* Sola voce inter Acta appellarunt. Nec desunt alia hujusmodi exempla. Fateor appellationes fuisse passim relatas posteà in libellum; verùm legem aut consuetudinem, quæ id faciat spectare ad substantiam, usque huc ignoro. Quare laudata Valentiniani verba videntur rectius exponi per Dominum Cardinalem, quàm per Dominum Parisiensem Archiepiscopum. Quidquid sit, etiam Maximus Cynicus à Constantinopolitana Synodo provocavit ad Sanctum Damasum: nec ullus contradixit.

An Græcorum Episcopi olim appellaverint ad solum Romanum Pontificem?

QUòd Græcorum olim degradati à suis Synodis Episcopi, non ad solum Romanum Pontificem, sed ad totum Occidentis Concilium semper appellaverint, adeò constanter scribit in variis Epistolis Joannes Launoius, ut in Epistola ad Jacobum Boetium de Sancto Victore adjungat: *Gelasius humani passus est aliquid, cùm ut Sedem Apostolicam sine Synodo damnatos absolvisse Episcopos confirmaret, Athanasium in exemplum adduxit.* Affirmat aut errasse tantùm Pontificem, aut imposuisse. Et probat ex famosa Sancti Julii Pontificis Epistola: *Tametsi solus sim qui scripsi, non meam tamen solius sententiam, sed omnium Italorum, & omnium in his Regionibus Episcoporum scripsi. Ego autem nolui omnes scribere, ne à multis onerarentur. Certè ad constitutum tempus convenerunt Episcopi, & ejus sententiæ fuere, quam vobis iterùm significo. Quapropter, Dilectissimi, etiamsi solus scribo, scribere tamen me communem omnium sententiam vos scire volo. Hæc quidem à nobis adversùm non æquas vestrorum hominum, sed injustas & suspectas caussificationes dicta sunto. Quod autem non temerè aut injustè suscepe-rim in communionem Coepiscopos nostros Athanasium & Marcellum, etiamsi priùs dicta sufficiant, brevibus tamen ratio demonstranda est.* Hanc Epistolam adducit & laudat in secunda sua Apologia Magnus Athanasius, & subdit: *Hæc Romæ Synodus per Julium Episcopum scripsit.* Quæ verba cum his ejusdem Athanasii, *Julius per Archidamum & Philoxenum Presbyteros scripsit*, Joannes Launoius comparat, & adjungit: *Locutio hæc à Bellarmino numquam adhibebitur, ut Julius supra Concilia asseratur.*

Respondeo locutionem istam potiori jure adduci posse, ut Pontifex suprà, quàm ut asseratur esse infra Concilium. Quare Dominus Cardinalis Bellarminus Joanne Launoio fuit longè perspicacior. Etenim non Œcumenica totius Ecclesiæ, sed dumtaxat Primatialis, cui & quidam advenæ assederunt Episcopi, solius Italiæ fuit ista Synodus, de qua in litteris ad Constantinopoli-

tanum

tanum Clerum rectè scripsit Felix tertius: *Quoties intra Italiam propter Ecclesiæ causas, præcipuè fidei, colliguntur Domini Sacerdotes, consuetudo retinetur, ut successor Præsulum Sedis Apostolicæ ex persona totius Italiæ Sacerdotum, juxta sollicitudinem sibi Ecclesiarum omnium competentem, cuncta constituat, qui caput est omnium.* Quam consuetudinem affirmat à Nicæna Synodo confirmatam. Ejusdem Synodi Magnus Assessor, utpotè Ravennatum Metropolita, Sanctus Petrus Chrysologus scripsit ad Hæresiarcham Eutychetem: *In omnibus hortamur te, ut in his, quæ à Beatissimo Papa Romanæ Civitatis scripta sunt, obedienter attendas, quoniam Beatus Petrus, qui in propria Sede & vivit & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis & fidei, extra consensum Romanæ Civitatis Episcopi, causas fidei audire non possumus.* Hac ergò in Synodo solus Papa constituit omnia, & omnium ad ipsam spectantium Episcoporum personam sustinet, & sine ejus consensu totum Episcoporum corpus fidei causas nec possit audire: Solus istic decisivum habet suffragium, reliqui Episcopi dumtaxat approbant & consultant. Adeò pleno jure subest Pontifici ista Synodus, ut etiam Nicolaus Cardinalis Cusanus affirmet hoc à nemine dubitari. Hinc ergò ipsa scripsit per Julium Pontificem, quòd nempè Julius illic esset omnia, & omnia istius Acta in hujus nomen concipi deberent & edi. Quocirca quisquis illi Romanum Episcopum studet subjicere, se profitetur Ecclesiasticæ Hierarchiæ ignarum. Porrò Dominus Cardinalis Bellarminus rectè in unum chaos non confudit omnia, sed Provinciales, Primatiales, ac Patriarchales Synodos discrevit ab Œcumenicis, & novit ab una ad aliam non duci argumentum. Pergamus ad Athanasii appellationem.

Constanter affirmo Sanctum Gelasium esse omnibus Joannis Launoii exceptionibus majorem, ideoque vera esse hæc ejus ad Dardaniæ Episcopos verba: *Apostolica Sedes frequenter, more Majorum, etiam sine ulla Synodo præcedente, & absolvendi quos Synodus iniquè damnaverat, & damnandi nulla existente Synodo quos oportuit, habet facultatem. Sanctæ memoriæ quippè Athanasium Synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absolvit. Sanctæ memoriæ nihilominus Joannem Constantinopolitanum Synodus etiam Catholicorum Præsulum certè damnarat, quem simili modo Sedes Apostolica, etiam sola, quia non consensit, absolvit. Itemque sanctæ memoriæ Flavianum, Pontificum congregatione damnatum, pari tenore, quòniam Sedes Apostolica non consensit, absolvit.* Nobiscum profitetur Sanctum Flavianum non à Chalcedonensi Synodo, sed à solo Sancto Leone fuisse absolutum. De Athanasio istud ipsum affirmat in litteris ad Alexandrinam Ecclesiam Sardicensis Synodus. Eusebianæ, quæ ipsum damnaverat, factionis coram se tergiversationes & clandestinam fugam exponit, ac pergit de ejusdem Athanasii facta per Julium reparatione: *Quæ ex æquitate judicii Fratris & Coepiscopi nostri Julii liquidissimè apparuit, qui non temerario consilio, sed cum matura deliberatione sententiam tulit, adeò ut nihil relinquatur dubii de communione Fratris nostri Athanasii.* Et in litteris ad virginem Principiam Sanctus Hieronymus: *Alexandrini Sacerdotes, Papa Athanasius, & posteà Petrus, persecutionem Arianæ hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum* Epist. 16. *communionis suæ portum, Romam confugerunt.* Utique ad portum recipiendæ communionis. Et in litteris ad Constantinopolitanæ Ecclesiæ afflictum à suo Episcopo Nestorio Clerum Sanctus Pontifex Cælestinus: *Habetis vos, quicumque Ecclesia estis ejecti, pene nostrorum temporum Beatæ recordationis Athanasii Alexandrinæ Ecclesiæ prudentissimi Sacerdotis exemplum. Fugatus illic, & in nostris partibus roboratus est. Denique hic ei redintegratus est status, & in hac Sede quietem communionis invenit, à qua semper Catholicis subvenitur.* Exstat Epistola in prima parte Ephesini Concilii. Et in Edicto, quo Acacium Constantinopolitanum Episcopum citavit Romam, Sanctus Felix tertius: *Coepiscopus noster Joannes, fugatus ab hæreticis pervasoribus Sedis Alexandrinæ*, appellationis *libellum nobis ingessit, quem morem Majoris sui beatæ memoriæ Athanasii exemplo, & Priorum nostrorum, non potuimus refutare.* Agit de Joanne Thalaia Alexandrino Episcopo, Epist. 4. quem ad solam Apostolicam Sedem provocasse 13. testantur etiam Sanctus Gelasius, in ejus vita li- C. 16. 17. ber Pontificalis, ac in Breviario Liberatus Dia- 18. L. 2. c. 8. conus Carthaginensis. Et in Ecclesiastica histo- C. 11. ria Socrates: *Athanasius*, persequentium manibus elapsus, *Romam properè contendit.* Et infrà: *Eodem tempore Paulus Constantinopolis Episcopus, Asclepas Gazæ, Marcellus Ancyræ, & Lucius Adrianopolis, alius ob aliam causam accusati, & Ecclesiis suis ejecti, Romæ omnium Civitatum facilè Principis versantes, Julium Romanum Episcopum de suo ipsorum statu certiorem faciunt. Ille verò, quoniam Ecclesia Romana privilegium præter cæteras obtinebat, litteris suis ad Episcopos Orientis liberiùs perscriptis illorum partes tueri studet: In Orientem litteras mittit, quò & suus cuique locus restitueretur, & illos qui eos temerè abdicaverant, graviter reprehenderet. Illi decedunt Roma, litterisque Julii Episcopi confisi ad suas ipsorum Ecclesias redeunt.* Et Hermias Zozomenus: *Athanasius fugiens Alexandria Romam adventavit. Eodem tempore Paulus etiam Constantinopolitanus Episcopus* L. 3. c. 7. *fortè illò accessit, & Marcellus quoque Episcopus Ancyræ, & Asclepas Gazæ Episcopus, itemque Lucius Adrianopolitanus. Quorum factas ab Eusebiana Arianorum factione criminationes cùm Episcopus Romanus intellexisset, & omnes fidei Concilii Nicæni consentientes reperisset, in communionem recepit. Et cùm propter Sedis dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret, singulis suam Ecclesiam restituit, scripsitque ad Episcopos Orientis, & ipsos incusavit, quod se inconsulto de his viris judicassent, Ecclesiasque perturbassent, cùm Decretis Nicæni Concilii stare nollent. Deditque mandatum, ut illorum quidam omnium nomine ad diem constitutum accederent, perspicuè declaraturi sententiam, quam de his tulerant, æquam esse & justam.* Papalis, ex qua mutuatus hæc est Zozomenus, Epistola latet aut periit, ejus tamen substantiam repetit laudatus Julius in Rescripto ad dentatas Antiochenæ Synodi litteras: *Quòd non temerè aut injustè in communionem suscepierim Coepiscopos nostros Athanasium ac Marcellum, brevibus ratio vobis demonstranda est.* Rationes insigniter demonstrat, & prosequitur: *Cùm istiusmodi allegarentur, & tot testes pro Athanasio starent, & ipse tam justè pro se adferret, quid quæso nos oportuit facere? An quod Ecclesiastici Canonis est, hominemque proindè non condemnaremus, sed potiùs reciperemus, eumque pro Episcopo, quemadmodum est, haberemus?* Etiam Marcelli causam exponit, & pergit: *De viro, quem rectæ opinionis & sinceræ religionis esse testimoniis approbatum est, quid quæso nos facere oportuit? Anne ut eum pro Episcopo haberemus, quemadmodum habemus, an potiùs à communione repelleremus? Hæc quidem ego, non tanquam eorum causam agens scribo, sed ut & vobis fidem facerem viros istos justè & canonicè à nobis receptos esse, & vos minimè habere causam litigandi.* Assiduè inculcat laudatos Episcopos non à totius Occidentis Synodo, sed à se receptos in sui ordinis communionem, & à perperam injecto degradationis vinculo absolutos. Quod nempè non ad istam Synodum, sed ad sola Sancti Petri Apostoli privilegia appellassent. Et adjungit: *Omnia secundum Canonem fecimus.* Quod L. 2. c. 4. ipsum asseverat in Ecclesiastica historia etiam Theodoretus. Et Philippopolitanum Eusebianæ factionis conventiculum scribit: *Julium Urbis Romæ damnavit omne Concilium secundùm antiquissimam legem, ut auctorem communionis Marcelli & Athanasii, cæterorumque sceleratorum*: Et iterùm: *Julium Urbis Romæ, ut Principem & Ducem malorum, qui primus januam communionis sceleratis atque damnatis aperuit, cæterisque aditum fecit ad solvenda jura Divina, defendebatque Athanasium præsumenter atque audaciter, hominem cujus nec testes noverat, nec accusatores.* Non ab aliqua Synodo, sed à solo Julio affirmat Athanasium & Marcellum receptos in gradum, ideoque & istum solum damnat, tamquam veteris per quintum Nicænum confirmati Canonis prævaricatorem. Quæ omnia altè clamant Athanasium & alios cum ipso damnatos Episcopos ad solum Julium provocasse.

Hæc Zozomeni verba, *Quod se inconsulto de his viris judicassent*, exponit in laudato ad Antiochenam Synodum Rescripto laudatus Pontifex: *Si, ut dicitis, omninò in culpa fuerunt, oportuit secundùm Canonem, & non isto modo judicium fieri. Oportuit scribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus quod justum esset decerneretur. Episcopi enim erant, & non vulgaris Ecclesiæ, qui ista patiebantur, sed quam ipsi Apostoli suamet opera ad fidem instruxerant. Cur igitur, & inprimis de Alexandrina Civitate, nihil nobis scribere voluistis? An ignari estis hanc consuetudinem esse, ut primùm nobis scribatur, ut hinc quòd justum est definiri possit? Quapropter si istic hujusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit. Nunc autem nos, quos certiores minimè fecerunt, postquàm jam egerunt quod libuit, suffragatores suæ damnationis, cui nos non interfuimus, esse volunt. Non ita se habent Pauli ordinationes, non ità Patres docuerunt, sed fastus iste & novum studium est.* Primam de Alexandrino Patriarcha instantiam affirmat ex Apostolico Canone spectare ad Romanum Episcopum, Athanasium sine prævia ad se relatione neque per Tyriam, neque per Antiochenam Synodum damnari potuisse, ideoque omnia utriusque Conventus in ipsum Acta esse non synodalia judicia, sed irregularia Attentata. Etiam Marcelli, Pauli, Lucii, & Asclepiadis damnationem post Episcopale judicium debuerant retulisse. Hunc enim esse veterem Ecclesiæ morem & Canonem scripsit ad Sanctum Victricium Rothomagensem Episcopum Sanctus Innocentius primus. Et quod non sola prioris, sed etiam posterioris relationis omissio judicium vacuet & exsufflet, suo loco ostensum est, & adhuc ostendetur.

Hæc ergò est facti species: Athanasius, Marcellus, Paulus, Lucius, & Asclepas, ab Ariana Eusebii Nicomediensis Episcopi factione damnati & dura passi, appellarunt ad Sedem Apostolicam, Romam accesserunt, ex ipsis damnantium Synodorum Actis demonstrarunt cuncta violenter attentata contra Canones, firma à suæ Synodi aut Diœceseos Collegis contulerunt innocentiæ testimonia, & adjuvari postularunt potestate illa, quam Sancto Petro dedit Dominus: *Confirma Fratres tuos.* Et Julius omninò confirmavit, præsertim Athanasium: Quod Tyria Synodus de tanto, & quidem alienæ Diœcesis, Patriarcha sine prævia relatione judicasset. Tanti judicii dixit se debere esse non dumtaxat Suffragatorem, sed etiam Auctorem. Et hinc Philippopolitana factio ipsum arguit, quòd reparasset hominem, cujus nec testes audiverat nec accusatores. Verùm sine fundamento. Etenim non plenè repararat. Laudatorum Episcoporum appellationibus suspensivum effectum dumtaxat detulerat juxta Apostolicum Canonem, atque ita ipsos salvo ulteriori examine retinuerat & firmaverat in pristino gradu & sua communione. Et ad ulterius examen & causæ retractationem priores Judices evocavit Romam, futuros istic reos aut accusatores, & daturos actuum suorum rationem: Præsertim quòd factionis Princeps Eusebius ita postulasset. Quòd non omnes Orientales Episcopos, sed solos Eusebianos evocaverit, distertè affirmat in Rescripto ad Antiochenam Synodum, atque adjungit: *Hæc potissimæ mihi scribendi ratio fuit, ut huc veniretis, quo vobis præsentibus omnia corrigi & sanari possent, ac propterea alacriùs à vobis & sine recusatione occurrendum fuit, ne qui hactenus infamia istorum scelerum laborant, contumacia non comparendi in judicio libellos contra se datos videantur refellere non patuisse.* Lucidè asserit ipsos, non tamquam Judices ad Synodum, sed tamquam reos ad Tribunal fuisse evocatos. Et evocationem fuisse juxta Canones distertè affirmat Theodoretus. Verùm quòd non compareret, & moras ex moris necterent, pergit Pontifex: *Præter hæc omnia annum totum, & integros sex menses apud nos hæsit Athanasius, vestram præsentiam exspectans, aut quotquot comparere auderent, suaque præsentia pudefecit omnes. Non enim judicio stetisset, nisi sui fiduciam habuisset. Neque sponte, sed litteris no-*

ſtris vocatus ad judicium comparuiſſet, quemadmodum vos per litteras citavimus. Et tamen poſt tanta argumenta nos veluti inſolitum quiddam agentes reprehendis. Tunc ergo & Tyrium de Athanaſio, & quodvis aliud de aliis laudatis Epiſcopis judicium planè exuflavit, firmavit ipſos in Epiſcopali gradu, & cum Apoſtolicis litteris ad ſuas Eccleſias remiſit. Schiſmaticas atque hæreticas, quas adversùm Decreta hæc & in Antiocheno & in Philippopolitano Conventu cievit factio, turbas exponere non eſt hujus loci.

Apud Philippopolim edita Epiſtola exſtat, ac de ſemetipſa loquitur. Apud Antiochiam edita latet aut periit. Fuiſſe contumaciæ & contumeliæ pleniſſimam teſtantur Julius Pontifex & Hermias Zozomenus. Fuit adeò fæda, ut ipſam ad ſuam Synodum legere Julius erubuerit. Omnia interim laudata Decreta per expreſſos Canones firmavit Sardicenſis Synodus: Sanxit à cunctis per quamvis Synodum damnatis Epiſcopis honorari poſſe Sancti Petri Apoſtoli memoriam, & ad ejus Sedem appellari, appellationi etiam ſuſpenſivum deberi effectum, & retractatorium judicium præſcribendo per Romanum Epiſcopum modo eſſe peragendum. Etiam Antiochenos adversùm Romanam appellationem editos Canones circumduxit & damnavit. Inſigniter hoc tradit in Dialogo cum Theodoro Romanæ Eccleſiæ Diacono Palladius Helenopolitanus Epiſcopus. Adducit duodecimum Antiochiæ Canonem, & adjungit: *Et iſta quidem Regula, ut nequam, & à nequiſſimis edita, in Sardicenſi*
C. 9. *Concilio à Romanis, & Italis, Illyricíſque, & Macedonibus, & Græcis eliminata eſt, quando Liberius aut Julius ſub Conſtantis Imperio Athanaſium, & Marcellum Galatam admiſit ad Communionem, quorum gratia etiam Canon ille fuerat editus.* Sardicenſis Synodus confirmavit antiquum Eccleſiæ morem, & Apoſtolicum Canonem, quem in Eccleſiaſtica hiſtoria laudat, de Paulo Samoſatenſi adversùs ſuam degradationem appellante ad Aurelianum Imperatorem agens, Euſebius Cæſareenſis: *Cùm Paulus ex Epiſcopi domo, ejus Eccleſiæ propria, exire nollet, Imperator Aurelianus de ea re rogatus ſententiam, ſanctiſſimè quid eſſet agendum decrevit. Præcepit enim, ut domus Eccleſiæ illis tribueretur, quibus Chriſtiani Italiæ & Urbis Romæ Epiſcopi per litteras tribuendam reſcriberent.* A Chriſtianæ Hierarchiæ perito Aſſeſſore inſtructus Princeps reſcripſit hujuſmodi cauſas non ad ſe, ſed appellandas ad Romanum Epiſcopum, & ejus judicio per omnia ſtandum. Quæ omnia altiſſimè clamant Athanaſium & alios cum ipſo damnatos Epiſcopos, non ad totius Occidentis Synodum, ſed ad ſolum Julium provocaſſe. Interim omninò vera eſt hæc per Dominum Petrum de Marca tradita Re-
L. 7. c. 6. gula: *Appellationes factas ad Patriarchas cenſeri etiam factas ad eorum Synodos, ut conſtat ex formula appellationis Eutychetis.* Quod intelligendum non de plena Diœceſana, ſed de ſola ipſorum Provinciali Synodo. Hæc enim eſt ipſorum conſilium & conſiſtorium. Et in hac etiam Julius tractavit Athanaſii atque Collegarum Epiſcoporum cauſam. Sic enim Romani Pontifices ſemper conſueverunt. Verùm in iſta Synodo Romanus Epiſcopus erat omnia, & ſolus decidebat. Hinc ad iſtam Synodum factæ appellationes palàm fiebant ad ſolam Sedem Apoſtolicam. Ea quippè Synodus eſt ipſa Apoſtolica Sedes.

Exponitur appellatio Maximi Cynici, Epiſcopi Conſtantinopolitani.

ALiud pro ſuis cogitationibus exemplum adducit in Epiſtola ad Joannem Molendinum Joannes Launojus appellationem Maximi Cynici, de qua ad Imperatorem Theodoſium ſcripſit Romana Sancti Damaſi Synodus: *Quia reverà advertebamus Gregorium* Nazianzenum *nequaquam ſecundùm traditionem Patrum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſibi Sacerdotium vindicare. Nos igitur in Synodo ea, quæ totius orbis Epiſcopis videbatur eſſe præſcripta, nihil temerè ſtatuendum eſſe cenſuimus. Adeò ipſo tempore, qui generale Concilium declinaverunt, Conſtantinopolique geſſiſſe dicuntur. Nam cùm cognoviſſent ad hoc partium veniſſe Maximum, ut cauſam in Synodo ageret ſuam, quod etiamſi indictum Concilium non fuiſſet, jure & more Majorum, ſicut & ſanctæ memoriæ Athanaſius, & dudum Petrus, Alexandrinæ Civitatis Epiſcopi, & Orientalium plerique fecerunt, ut ad Eccleſiæ Romanæ, Italiæ, & totius Occidentis confugiſſe judicium viderentur. Cùm enim experiri velle adversùm eos, qui Epiſcopatum ejus abnuerant, comperiſſent, præſtolari utique etiam noſtram ſuper eo ſententiam debuerant. Non prærogativam vindicamus examinis, ſed conſortium tamen eſſe debuit communis arbitrii. Poſtremò priùs conſtare debuit, utrùm huic abrogandum, quam alii conferendum Sacerdotium videretur. Ab his præſertim, à quibus ſe Maximus vel deſtitutum, vel appetitum injuria querebatur. Itaque cùm Maximum in communionem receperint noſtra conſortia, quoniam cum à Catholicis conſtat Epiſcopis ordinatum, nec ab Epiſcopatus Conſtantinopolitani putavimus petitione removendum. Cujus allegationem præſentibus partibus putavimus pendendam. Nectarium autem cùm nuper noſtra Mediocritas Conſtantinopoli cognoverit ordinatum, cohærere communionem noſtram cum Orientalibus partibus non videmus. Præſertim cum, ab eiſdem Nectarius dicitur illico ſine communionis conſortio deſtitutus, à quibus fuerat ordinatus. Non mediocris igitur hic ſcrupulus. Nec quædam nos angit de domeſtico ſtudio & ambitione contentio, ſed communio ſoluta & diſſociata perturbat. Nec videmus eam poſſe aliter convenire, niſi aut is reddatur Conſtantinopoli qui prior ordinatus eſt, aut certè ſuper duorum ordinatione ſit in Urbe Roma noſtrum Orientaliumque Concilium. Neque enim indignum videtur, Auguſte, ut Romanæ Eccleſiæ Antiſtitis, finitimorumque & Italorum Epiſcoporum debeant ſubire tractatum, qui unius Acholii Epiſcopi ita exſpe-*

Etandum putaverunt eſſe judicium, ut de Occidentalibus partibus, Conſtantinopolim evocandum putarent. Si quid uni huic reſervatum, quanto magis pluribus reſervandum eſt? Nos autem à beatiſſimo Principe fratre tuæ Pietatis admoniti, ut tuæ Clementiæ ſcriberemus Imperio, poſtulamus ut ubi una communio eſt, commune velit eſſe judicium, concordantemque conſenſum.

Joannes Launojus urget varia. Primò hæc verba de Maximo: *Ad hoc partium venit, ut cauſam in Synodo ageret ſuam.* Urget quòd Maximus non coram Apoſtolica Sede, ſed coram Synodo voluerit cauſam agere, & adjungit: *At Synodus eſt plurium Epiſcoporum.* Reſpondeo urgenda eſſe & hæc verba: *Quod etiamſi indictum Concilium non fuiſſet, jure & more Majorum* utique facere potuiſſet. Œcumenica, utpotè *totius orbis Epiſcopis præſcripta*, debebat eſſe iſta Synodus, ideoque ad ipſam devolvere ſuam cauſam ſperaverat Maximus. Nam & hic eſt mos Majorum. Verùm non comparuere Orientales Epiſcopi, ideoque cum ſolis ferè Italis Synodum egit Sanctus Damaſus, & ita ad illam ſolam, adeoque & ad ſolam Apoſtolicam Sedem coactus fuit Maximus ſuam cauſam appellare. Et rectè. Nam hæc appellatio eſt omninò Majorum jus & mos, firmatus & innovatus per Canones Sardicenſes, & Orientalium Epiſcoporum appellationes ad generalem Synodum non fuiſſe conſtrictas profitetur etiam Joannes Launojus. Eas conſtringit ad ſolam Synodum Occidentis.

Probat ex hiſce verbis: *Athanaſius & Petrus Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopi, ad Eccleſiæ Romanæ, Italiæ, & totius Occidentis confugerunt judicium.* Urget eos non ad ſolius Romanæ Eccleſiæ aut Apoſtolicæ Sedis, ſed confugiſſe ad judicium totius Occidentis. Reſpondeo verba iſta explicanda per hæc ſequentia: *Romanæ Eccleſiæ Antiſtitis, finitimorumque & Italorum Epiſcoporum debent ſubire judicium.* Uterque contextus alludit ad Sardicenſem Canonem, qui appellatas Epiſcoporum cauſas juxta ſapientiſſimum Romani Epiſcopi arbitrium retractari ſanxit, & quas laudatus Epiſcopus quandoque in ſola finitimorum, quandoque in omnium Italorum, quandoque in plena ſui Patriarchatus, quandoque in alia Synodo cenſuit retractandas. Diſunctivum ſenſum habet adductus uterque contextus, neuter Romanum Epiſcopum ad hunc vel iſtum retractandi modum reſtringit. Nec ullus unquam appellans Epiſcopus præſumpſit aut valuit reſtringere. Et totius Occidentis, Italorum, aut ſolorum finitimorum Epiſcoporum Synodus non ſunt aliud quam Patriarchalis, Primatialis, aut Metropolitana Romani Epiſcopi Cathedra, adeoque omnes ad iſtas Synodos factæ appellationes omninò fiunt ad Sedem Apoſtolicam, ac ejus Antiſtitem.

Joannes Launojus urget & hæc verba: *Non prærogativam vindicamus examinis, ſed conſortium tamen debuit eſſe communis arbitrii.* Urget non dici: *Prærogativam examinis apud Apoſtolicam Sedem dumtaxat vindicamus.* Nec item dici: *Apud Sedem Apoſtolicam dumtaxat arbitrium eſſe*

debuit. Reſpondeo Epiſtolam loqui ex ſexto Nicæno Canone, ex quo & ad Sanctum Joannem Chryſoſtomum Epiſcopum Conſtantinopolitanum reſcripſit accuſatus per fratres longos Theophilus Alexandriæ Patriarcha: *Arbitror te non ignorare, quid præcipiant Nicæni Concilii Canones, ſancientes Epiſcopum non judicare cauſam citra terminos ſuos. Si autem ignoras, diſce. Et libellos contra me ſuſcipere deſine. Nam etſi judicari me opus ſit, ab Ægyptiis magis, quàm à te id fieri oportet, qui ſeptuaginta quinque dierum itinere à nobis ſeparatus es.* Et congregatæ, cui dictus præſidebat Theophilus, ac laudatum Joannem evocanti ad Quercum Synodo reſcripſit huic favens Synodus Conſtantinopolitana: *Noli Eccleſiæ negotia ſolvere, noli confundere ordinem, & ne ſcindas Eccleſiam, propter quam Chriſtus deſcendit ad terras. Quòd ſi impatiens ſolvis Nicæni Concilii Canones, cauſaſque citra terminos tuos cognoſcere vis, ipſe ad nos tranſi in bene inſtitutam Civitatem, neque inſtar Cain Abel in campum provoces, ut nos te primùm audiamus.* Exſtant hæc apud Palladium Cap. 7. 8.
Helenopolitanum Epiſcopum in Dialogo cum Theodoro Romanæ Eccleſiæ Diacono de Actis laudati Joannis. Nicæni Concilii tempore in tres Patriarchas ac tres autocephalos Primates erat diſtributa Eccleſiæ Hierarchia, & de ipſis ac per ipſos faciendis conſecrationibus atque judiciis edicit ſextus Canon: *Suis Privilegia ſerventur Eccleſiis.* Unicuique ſancit ſervari judicii prærogativam, ideoque nec Alexandrinum ab Antiocheno, nec Ponticum ab Aſiatico, nec Thracem ab hoc vel illo, aut vice verſa, in prima inſtantia judicari. Pluribus hæc oſtendi in laudati Canonis Scholio. Et formam hanc Canon non induxit. Lucet ex Sancti Cypriani ad Sanctum Papam Cornelium contra Feliciſſimi Diaconi factionem litteris: *Statutum eſt omnibus nobis, & æquum eſt pariter ac juſtum, ut uniuſcujuſque cauſa illic audiatur, ubi crimen admiſſum eſt, & ſingulis Paſtoribus portio gregis eſt adſcripta, quam regat unuſquiſque & gubernet, rationem ſui actus Domino redditurus.* Hunc Apoſtolicum Canonem, & ex ipſo natam conſuetudinem Nicæna Synodus dumtaxat confirmavit. Sub Damaſi Pontificatu Cõſtantinopolitana Eccleſia necdum erat Patriarchalis, immò nec Metropolitana: Erat in Europæ Provincia ac Thracica Diœceſi ſimplex ſub Heracleenſi Metropoli Parochia, atque ita ejus Epiſcopus non à Romano Pontifice, ſed ab Heracleenſis Metropolitæ atque Primatis Provinciali aut Diœceſana, vel alia majori Orientis Synodo debebat in prima inſtantia judicari. An primam ubique inſtantiam potuerit ex cauſis aſſumere Pontifex, eſt alia quæſtio: Quidquid ſit, paſſim non ſolebat. Et hinc de degradato per Conſtantinopolitanam Synodum Maximo Cynico dixit Romana Damaſi Synodus: *Non prærogativam vindicamus examinis.* Et addidit: *Sed conſortium tamen debuit eſſe communis arbitrii.* Utique per relationem. Maximi degradationem, quod Romam relata non fuiſſet, affirmat irritam & nullam, ideoque ipſum in accepto per Catholicos Antiſtites Epiſcopatu uſque ad maturius examen eſſe firmandum. Quod enim

solus Romanæ relationis defectus quævis,alioquin legitima, generalium etiam Synodorum Acta suspendat ac vacuet, & suo loco ostensum est, & adhuc ostendetur.

Joannes Launojus urget & hæc verba: *Priùs constare oportuit, utrum huic quam alii conferendum Sacerdotium videretur. Ab his præsertim, à quibus se Maximus vel destitutum, vel appetitum injuria querebatur.* Urget non dici: *Priùs constare apud Apostolicam Sedem dumtaxat oportuit, utrum huic quam alii conferendum Sacerdotium videretur.* Respondeo laudatorum verborum hunc omninò esse sensum. Agunt de Nectarii ordinatione, affirmantque ante finitam Maximi causam non potuisse fieri. Præsertim quod causam suam Maximus appellasset ad Romanum Episcopum. In degradati enim ac Romam appellantis Episcopi sedem ante plenum quæstionis & retractantis judicii finem non imponi novum Episcopum, disertè mandant Canones Sardicenses. Laudata igitur verba affirmant ante Nectarii ordinationem constare debuisse & apud & per Apostolicam Sedem de concluśa Maximi causa, ideoque ipsum, non Nectarium esse adhuc Episcopum Constantinopolitanum.

Joannes Launojus urget & hæc verba: *Super duorum ordinatione sit in urbe Roma nostrum Orientaliumque Concilium.* Urget non dici: *Super duorum ordinatione apud Apostolicam dumtaxat Sedem judicium esse debet.* Respondeo sic omninò potuisse dici. Etenim Epistola loquitur ex Sardicensi Canone, qui retractatorium de Romam appellantibus Episcopis judicium plenè credit sapientissimo Romani Pontificis arbitrio, atque ita hanc Maximi appellationem Damasus omninò potuisset apud solam suam Apostolicam Sedem, seu in sola finitimorum Episcoporum Synodo retractare. Verùm erat gravissima ac nodosissima quæstio, nec solùm Maximum atque Nectarium tangebat, sed etiam Sanctum Gregorium Nazianzenum, Petrum Alexandriæ Patriarcham, omnem Orientalem Ecclesiam, immò & pacem totius Christianitatis. Hinc non in sola suæ Provinciæ, sed in pleniori Synodo retractare Damasus voluit atque finire. Notanda sunt hæc verba: *Neque enim indignum videtur, ut Romanæ Ecclesiæ Antistitis, finitimorumque & Italorum Episcoporum debeant subire Tractatum.* Edicunt Orientales Episcopos huic retractatorio judicio adfuturos, non ut Judices, sed uti reos vel accusatores, qui coram Romano Episcopo ac ejus Provinciali aut certè Primatiali Synodo dent suorum Actorum rationes. Proinde eodem modo Damasus processit in causa Maximi, quo Julius in causa Sancti Athanasii: Maximi appellationem admisit, ei detulit suspensivum effectum, factam Nectarii superordinationem cassavit, partes evocavit Romam, priores Judices transmutavit in reos aut accusatores, & sanxit causam in plena Italiæ Synodo retractandam. Ipsam tamen posteà ob rationes retractavit cum solis finitimis Episcopis. Ulteriorem rei seriem edicere non est hujus loci. Interim lucet etiam Maximum Cynicum non ad totius Occidentis Synodum, sed provocasse ad solam Sedem Apostolicam, & ab ipsa sola fuisse judicatum.

Exponitur appellatio Sancti Joannis Chrysostomi.

TErtium, quod pro suis cogitationibus adducit in Epistola ad Paulum Ratuynum Joannes Launojus, exemplum est appellatio Sancti Joannis Chrysostomi. In hujus ad Innocentium primum Pontificem litteris urget hæc verba: *Licet absentes essemus, & ad Synodum appellaremus, & judicium requireremus, Theophilus accusatores suscepit, & excommunicatos à nobis absolvit, & ab illis, qui necdum se de suis criminibus purgaverant, libellos collegit, & Acta perscribi jussit. Quæ omnia legibus & Canonibus prohibita erant.* Et hæc verba: *Tractus & abductus à Magistratu civitatis in media civitate, & in navem conjectus per noctem navigavi, eo quod ad Synodum & justum judicium provocaverim.* Se Thraciæ Episcopum à Theophilo Ægyptio contra Nicænos Canones damnatum queritur Joannes, & pergit: *Si mos hic invaluerit, & fas unicuique fuerit in alienam Parochiam irrumpere, idque ex tantis intervallis, & ejicere quos voluerit, & auctoritate propria quæque pro libidine sua facere, scitote quod brevi transferit omnia, & totus mundus premetur bello non indicto, omnibus ejectis & omnibus ejicientibus. Quapropter ne confusio hæc omnem, quæ sub cœlo est, nationem invadat, obsecro ut scribas, ut hæc tam iniquè facta, & absentibus nobis & declinantibus judicium, non habeant robur, sicut neque natura sua habent. Illi autem, qui adeò iniquè egisse deprehensi sunt, pœnæ Ecclesiasticarum legum subjaceant; nobis verò, qui nec convicti, nec redarguti, nec habiti ut rei sumus, litteris vestris & charitate vestra, aliorumque omnium, quorum scilicet & antea societate fruebamur, frui concedite.* Etiam hæc verba urget Joannes Launojus, & ex ipsis prætendit Sanctum Joannem Chrysostomum non ad Romanum Episcopum, aut ejus Sedem, sed ad generalem Synodum provocasse.

Respondeo distinguenda tempora, & omnia concordare. Joannes enim fuit bis damnatus. Primo in Conventu ad Quercum seu hortos Rufinianos. Damnatus fuit absens. Ejus enim Synodus excepit Theophilum esse Ægyptium, ideoque à Nicænis Canonibus non permitti judicare in Thracia, ipse autem Joannes & illum, & alium Conventiculi Principem Acacium Berrhæensem in Syria Episcopum asseruit suos hostes, comparere noluit, aliam & meliorem & majorem, licet centum ac mille Episcoporum, postulavit Synodum, de qua Hermias Zozomenus: *Notarius ex aula festinabundus advenienti, Joannem ursit ut ad Episcopos exiret, illos autem ut in ferenda sententia non cunctarentur. Cum igitur quater vocatus, ad Œcumenicam Synodum provocasset, illi nihil aliud causati, quam quod vocatus non obtemperasset, eum deposuerunt.* Damnaverunt in contumaciam. Verùm quod adversùs patenter iniquam tanti sui Episcopi ejectionem Constantinopolitanus populus tumultuaretur, & Theophilum minaretur in pontum demergere completa non fuit executio. Joannes mansit Episcopus, atque ita quievit ejus appellatio. Secunda damnatio facta fuit Constantinopoli, ipse Theophilus non interfuit, ac de illo scribit in laudato Dialogo Palladius Helenopolitanus: *Theophilus venire noluit, misit autem tres Episcopos, & unà Canones quosdam, ab Arianis contra Beatissimum Athanasium factos, quibus utentes Joanni calumnias struerent, quod post depositionem suam sine Episcopali Decreto redire ausus esset.* Erant Antiocheni Canones, de quibus pergit Palladius: *Leontius Ancyræ Galatiæ Episcopus, Ammonio Laodicææ adustæ adjunctus, adustam fecerunt Ecclesiam, non modo victi Principum minis, sed contrà spe munerum seducti Regalium, in Sancta Synodo iniquissimam unà cum Acacio & Antiocho tulerunt sententiam, obtinere sancientes indiscretum Theophili judicium, ut locus purgandi se Joanni nullus omninò daretur, vigore scilicet Canonum eorum, quos Theophilus miserat, à quadraginta complicibus Arii editos, atque ita continentes:* Si quis Episcopus aut Presbyter, injustè sive justè depositus, ex seipso absque Synodo in Ecclesiam redierit, hic jam excusationis non habeat locum, sed omninò expellatur. *Et ista quidem Regula, ut nequam & à nequissimis edita, in Sardicensi Concilio à Romanis, & Italis, Illyricisque, & Macedonibus, & Græcis eliminata est, quando Liberius aut Julius sub Constantis Imperio Athanasium & Marcellum Galatam admisit ad communionem, quorum gratia etiam Canon iste fuerat editus.* Quod ipsum de isto Antiocheno Canone censuit, & pluribus ad Constantinopolitanum Clerum ac populum scripsit in hac causa Pontifex Innocentius.

Cap. 8.

Magni Athanasii & ejus in damnatione Collegarum factam à Julio Pontifice reparationem exsufflatura, aut saltem moratura in Antiocheno Encœniorum Conventu Eusebiana Arianorum factio, Divina Apostolicæ Sedis privilegia directè non præsumpsit tangere: Noverat montem istum, si tangeretur, fumigaturum. Sanxit degradatum à quavis Synodo Episcopum non nisi à majori Synodo reparari posse, & omnem aliter ad Ecclesiam suam & Cathedram redire ausum excidere omni reparationis spe, ac deinceps nec audiendum. Ita Romanas appellationes & reparationes conati sunt per dolosos gyros evertere: Antiochiæ tentarunt clanculariè ac indirectè, quod revelata postmodum facie compleverunt in Conventu Philippopolitano. Porrò inflicta Sancto Joanni apud Quercum damnatio non per majorem Synodum, sed dumtaxat per Constantinopolitani populi tumultum exsufflata fuerat, ac ita ille revocatus ac repositus in Sedem. Hinc memorato Eusebianæ factionis Canone ipsum aggressa est Theophili factio, & tunc denuo Joannes appellavit. Omninò fateor non ad Apostolicam Sedem, sed ad majorem Synodum provocasse. Cedendum iniquo tempori, & adductos Canones non jam impugnandos, sed dispensatoriè admittendos duxit, & ex ipsorum Præscripto majorem Synodum invocandam. Verùm apud hosce Canones sera erat ista invocatio. Admissa non fuit, nec auditus Joannes, sed tamquam turbidus Antiochenæ Synodi prævaricator conjectus in navim, & in exilium deportatus. Et tunc primum appellavit Innocentium Pontificem, ac non per Synodum, sed per ipsum supplicavit, injecta sibi per factionem vincula solvi, ac reponi in Episcopatum.

L. 3. c. 17.

Quæ omnia tradit etiam Hermias Zozomenus: *Porrò Joannes Constantinopolim reversus magis eiamnum populo gratus apparuit. Et cum eo tempore Constantinopolim convenissent circiter sexaginta Episcopi, decretum per eos est, ut & irrita haberentur ea quæ ad Quercum habita fuerant, & ut Joannes Episcopatum retineret. Itaque ille in officio Sacerdotali perseveravit, & Sacerdotes ordinavit, ac cætera, ut in Ecclesiis Antistites oportet, administravit.* Facta hæc sunt statim post primam damnationem. Latiùs ac lucidius exponit Socrates. Exponit populi pro Joanne tumultum, ac pergit: *Quapropter Joannes necessitate adductus in urbem revertitur. Multitudo prodit illi obviam, cum summa reverentia ad Ecclesiam recta deducit, orat ut sedem Episcopalem capessat, moreque consueto pacem populo precetur. Cum ille recusaret, diceretque hoc non ante faciendum esse, quàm tum causa ejus judicio esset disceptata, tum hi ipsi qui ipsum condemnaverant mutata sententia absolverent, magis incendi cæpit. Tanta enim cupiditas eum & in sede collocatum videndi, & de integro concionantem audiendi, illam incesserat. Itaque populi impulsu res sic confecta est. Cum Joannes esset in sede Episcopali locatus, & de more pacem populo precatus fuisset, coactus necessitate etiam concionatus est. Quæ res adversariis alterius criminationis materiam suppeditavit.* Joannis adversùs Eudoxiæ statuam Acta exponit, ac prosequitur de memorata novæ criminationis materia: *Paulò post Episcopi adventarunt, Leontius Episcopus Ancyræ quæ est in parva Galatia, Ammonius Laodicææ quæ est in Pisidia, Briso Philippi quæ est in Thracia, Acacius Berrhææ quæ est in Syria, & alii nonnulli. Coram istis accusatores, qui dudum Joannem in judicium vocaverant, de integro producuntur. Joannes istorum Episcoporum æquitate frotus, postulat ut de criminibus quæratur. Cum jam Natalis dies Servatoris celebraretur, Imperator ad Ecclesiam, ut assolet, non accessit, sed Joanni significavit, se non prius cum eo communicaturum, quàm crimina ei illata diluisset. Cumque accusatores proter Joannis confidentiam animis cadere viderentur, Episcopi qui aderant non de alio crimine quæri, sed hoc solum in judicium adduci oportere dixerunt, nimirum quod post abdicationem absque Concilii sententia se ipse in sede Episcopali collocaverat. Ubi Joannes respondit quinquaginta Episcopos, qui cum ipso communicaverant, ei in hac re suffragatos fuisse, Leontius contra: At plures, inquit, tibi in Concilio refragati sunt. Rursus cum Joannes diceret hunc Canonem non ad illorum Ecclesiam, sed ad Ecclesiam Arianorum pertinere, rejecto illius Responso, contra eum sententiam pronuntiarunt, illud neutiquam animis complexi, quod qui hoc Canone usi fuissent, etiam Athanasium abdicaverant. Imperator igitur Joanni significat ei non esse jam potestatem in Ecclesiam ingrediendi, quod duobus Conciliis erat condemnatus. Proinde Joannes ab Ecclesiastico munere deinceps vacavit, neque Ecclesiam adiit. Ad spatium duorum mensium nunquam*

Lib. 6. c. 14.

Cap. 16.

prodiit in publicum, donec Imperatoris mandato esset in exilium abductus. Quæ omnia firmat & Zozomenus, errans tamen dictam adversùs Antiochenos Canones exceptionem non à Joanne, sed ab adversariis Episcopis fuisse interjectam. Nam quomodo factio adversùs palmare iniquitatis suæ fundamentum intercessisset? Quod ipsum confirmat oculatus testis Palladius: *Et quidem Ammonius ac Leontius, conjuncti Acacio & Antiocho, ingressi ad Regem dicebant decem Episcopos ex parte Joannis evocandos pro Canonum auctoritate statuenda, aliis asserentibus eos à Catholicis editos, aliis è contra dicentibus ab Arianis fuisse compositos. Ingressus autem Elpidius Laodiceæ Syriæ Episcopus, vir vitæ merito & canitie ipsa venerandus, unà cum Tranquillo, suadebant Regi non oportere Joannem irrationabiliter ejici. Neque enim priùs depositus, sed pulsus à Comite fuerat, neque à seipso remearat, sed ex Præcepto Pietatis suæ, Notario ad hoc misso. Præterà, quos proferrent Canones Hæreticorum esse, quod apertis indiciis ostendi posset. Cum verò persisterent Joannis adversarii indisciplinatè contendere, & alii quidem clamosa voce perstreperent, alii verò improbis gestibus, præsente Imperatore, tumido pectore & spiritu turgido insanire viderentur, modestè Canonum scientissimus Elpidius, modico impetrato silentio, sic Regem alloquitur: Non diutius Mansuetudinem tuam vexemus Imperator, sed istud fiat. Subscribant Fratres nostri Acacius & Antiochus, & cæteri se esse illorum fidei, qui illos exposuerunt Canones, quos ipsi obtendunt, & soluta est controversia.* Multis ostendit ab ipso Joanne, nequaquam ab ejus adversariis adversum istos Canones fuisse intercessum. Per istos, inquam, Canones Joannes ab utraque damnatione primùm conatus est se evolvere & extricare, & non nisi post sibi inflictam per ipsos damnationem appellavit, jam deportatus, ad Sedem Apostolicam.

Ad Epistolæ, quam Innocentio Pontifici appellans scripsit, calcem Joannes addidit: *Scripsimus istæ & ad Venerium Mediolanensem, & ad Chromatium Aquilejensem Episcopum.* Ad quæ verba Joannes Launojus: *Sic scribitur cum ad plures scribitur, & à pari vel à paribus scribi dicitur. Hinc ut chartæ, ita & Epistolæ particulæ cur non dicerentur? Bellarminus id notare oblitus est, ubi pro Romani Episcopi Primatu laudat hanc Chrysostomi Epistolam. Oblivio hæc Ecclesiasticæ Historiæ non parum importat detrimenti. Quibus enim Epistolæ verbis Romani Episcopi Primatum erigit, eisdem & Venerii Mediolanensis & Chromatii Aquilejensis Episcopi Primatum erexisset singulari in tractando religione, accuratione magna, æquali judicio. Pura puta est dissimulatio.* Hæc verba: *Obsecro ut scribas, ut hæc tam iniquè facta, & absentibus nobis & declinantibus judicium, non habeant robur, sicut neque natura sua habent. Illi autem, qui adeò iniquè egisse deprehensi sunt, pœnæ Ecclesiasticarum legum subjaceant; nobis verò, qui nec convicti, nec redarguti, nec habiti ut rei sumus, litteris vestris & caritate vestra, aliorumque omnium, quorum fruebamur, frui concedite. Ecclesiis nostris jubete restitui.* Hæc inquam, verba Joannes Launojus affirmat à Sancto Joanne Chrysostomo scripta etiam ad Venerium & Chromatium, ac pergit: *Innocentius non dicit Chrysostomum dignitatem Sedis Primæ læsisse, quod ad Venerium Mediolanensem & Chromatium Aquilejensem non aliter quam ad se scripserit, quod litteras in eandem sententiam exaraverit.*

Respondeo nullo authentico testimonio probari, quod omnes tres laudatæ Sancti Joannis Epistolæ fuerint à paribus, & laudata continuerint verba. Nullo modo id ipse affirmat. Et sanè quomodo à Mediolanensi aut Aquilejensi Episcopo postulasset rescindi iniquum Theophili judicium, ipsum subdi Ecclesiasticis pœnis, & se reddi suæ Ecclesiæ? Quæ istis Episcopis auctoritas in Patriarcham Alexandrinum, aut Episcopatum Constantinopolitanum? Quocircà certum est alio verborum tenore & sensu istas litteras constitisse. Habebant eadem exordia, exponebant eadem Theophili facinora, verùm aliter concludebant. Nempè scripsit ad Venerium & Chromatium afflictus Joannes, quomodo Clericorum inopiam patiens Africana Ecclesia Episcopum legavit *ad transmarinas Italiæ partes, ut Sanctis Fratribus & Consacerdotibus, tam Venerabili Sancto Fratri Anastasio, Sedis Apostolicæ Episcopo, quam etiam Sancto Fratri Venerio, Sacerdoti Mediolanensis Ecclesiæ, necessitatem ipsam, ac dolorem, atque inopiam intimaret.* Et alia ibidem Synodus statuit: *De Donatistis placuit, ut consulamus Fratres & Consacerdotes nostros Syricium & Simplicianum de solis infantibus qui baptizantur apud ipsos.* Quod Romano Episcopo Mediolanensem non æquaverint, lucet ex hocce Decreto: *Placuit ut litteræ mittantur ad Fratres & Coepiscopos nostros, & maximè ad Sedem Apostolicam, in qua præsidet Venerabilis Frater noster Anastasius.* Tres dumtaxat Metropolitas habebat tunc Italia: Romanum, Mediolanensem, ac Aquilejensem. Et hi duo Italicis in Synodis solebant adsedere Pontifici, & graviores cum illo causas tractare. Nam & ita nuper Damaso in Romana, & Syricio in Capuana Synodo assederant Sanctus Ambrosius Venerii, & Augustinus (a) Chromatii Antecessor, & cum ipsis retractaverant appellationem Maximi Cynici, Evagrii & Flaviani de Antiochena Cathedra quæstionem, aliasque causas gravissimas. Laudatarum Metropoleon Episcopi in Provinciali Italiæ Synodo erant bina Romani Pontificis latera: Hinc illis suam causam, huic commendandam, commendavit etiam Sanctus Joannes Chrysostomus.

(a) Valerianus. Adn. Noris.

Pergit Joannes Launojus: *Innocentius non conqueritur, quod Chrysostomus ad Synodum potius quam ad Sedem Apostolicam provocaverit. Quod ita Pontifex Ecclesiasticarum rerum peritus noverat Chrysostomum nihil fecisse, quod à Majorum Institutis abhorreret; id verò fecisse, quod æquitati & rationi consentiret. Immò tantùm abest, ut ea de re conquestus sit, ut iis quæ à Theophilo contra Joannem acta fuerant, & à se & Venerio & Chromatio rescissis, necessariam adhuc Synodum, eamque esse solam judicaverit, quæ excitatæ inter Chrysostomum & Theophilum, inter Thraces atque Ægyptios, controversiæ finem imponeret, sed exspectandum esse usque*

usque monet, dum illa congregari possit. Scilicet compertum atque exploratum erat, auctoritatem Synodi quàm Sedis Apostolicæ majorem esse Utique auctoritatem generalis Synodi, *in qua Christiani nominis repræsentatio celebratur.* Respondeo Sanctum Joannem Chrysostomum nullatenùs appellasse ad generalem totius Ecclesiæ Synodum, sed dumtaxat ad quamvis, & apud Quercum & apud Constantinopolim factis in suam innocentiam conventibus majorem. Appellavit enim juxta duodecimum Antiochenum Canonem, ita inimicam factionem sperans circumducere atque evadere. Qua in re omninò aliquid egit alienum à Majorum institutis. Etenim ad Apostolicam Sedem statim provocare debuerat juxta Sardicenses Canones, à quibus damnari istum Antiochenum, & Apostolicam ad Romanum Episcopum appellandi traditionem firmari, suprà nobis dixit Palladius Helenopolitanus Episcopus, & suo loco est pluribus demonstratum. Et hunc Joannis lapsum lucidè notat in litteris ad Constantinopolitanum Clerum & Populum Innocentius: Lucidè affirmat hoc in negotio non secundùm proscriptos Antiochenos, sed secundùm authenticos Sardicenses Canones fuisse procedendum. Rectè tamen Joannem non arguit. Etenim venia dignissimum lapsum rabida Theophili factio abundè castigarat, virum justum damnans non solum ob alia prætensa crimina, sed etiam quòd contra Antiochenum Canonem appellare præsumpsisset. Et hinc etiam lucet appellationem hanc non nisi adversùs secundam damnationem à restituto in Episcopatum Joanne fuisse interjectam. Et non tam à Joanne erat iste lapsus, quam ab ipso Theophilo, qui adductis Antiochenis Canonibus ad ita appellandum compulerat.

Cap. 3.

Et quis unquam dixit vel audivit temeraria Theophili in Sanctum Joannem judicia fuisse non à solo Innocentio, sed etiam à Venerio & Chromatio circumducta atque cassata? Longè aliter scribit in laudato Dialogo Palladius: *Ad hæc*, utique ad laudatas appellantis Joannis litteras, *rescripsit beatissimus Papa Innocentius, communioneque utriusque partis admissa, Theophili judicium cassum atque irritum esse decrevit, dicens oportere conflari aliam irreprehensibilem Synodum Occidentalium ac Orientalium Sacerdotum, cedentibus Concilio amicis primùm, deinde inimicis. Neutrarum quippè partium, ut plurimùm, rectum esse judicium.* Quod ad lectam Theophili de his Actis relationem exhorruerit, lacrymatus fuerit, ac temeritatem graviter increpuerit Pontifex, addit Palladius, & subnectit ejus Rescriptum: *Frater Theophile, nos & te & Fratrem nostrum Joannem communionis nostræ esse decrevimus, sicut & in prioribus litteris satis expressimus. Et nunc in sententia nostra & voluntate perdurantes, rursus eadem scribimus. Et quotiescumque scripseris, nisi debitum sequatur convenientesque judicium, propter ea quæ magno cum dedecore gesta sunt, possibile non est nos à Joannis communione decedere. Itaque si conscientiæ confidis, tu quoque judicio accurre ad Synodum proximè in Christo celebrandam, & illic juxta Nicæni Concilii Canones & Decreta contende. Alios quippè Canones Romana non admittit Ecclesia. Quod si obtinueris, evidens & irrefragabilis erit ratio tua.* Ex quibus liquet Theophilum adversùs impartitam Joanni communionem, & pro Antiochenis Canonibus frequenter ac potenter intercessisse apud Pontificem, hunc firmum constitisse in sua sententia, & semper voluisse retractatorium causæ judicium fieri non secundùm Antiochenos, sed secundùm Nicænos Canones, id est, Sardicenses. Etiam Arsatii superordinationem exsufflavit, ipsum Christiano nomine, seu laica etiam communione, tanquam alienæ sedis pervasorem privavit Pontifex, & addidit de futura generali Synodo: *Non oportere Joannem judicium ingredi, nisi illi priùs Ecclesia communioque redderetur.* Volùit spoliatum ante omnia restitui, atque ita non nudum, sed vestitum cum vestitis Synodaliter luctari.

Et hæc omnia non Chromatius aut Venerius, sed solus decrevit cum finitimorum Episcoporum Synodali consilio Innocentius. Nec obsunt hæc Palladii de laudati Pontificis ac Imperatoris Honorii ad Imperatorem Arcadium & Orientalem Ecclesiam Legatis verba: *Acceptis Sancti viri, Æmilius & Cythegius, & Gaudentius Episcopi, unà cum Valentiano Bonifacioque Presbyteris, Imperatoris Honorii & Papæ Innocentii, & Italiæ Episcoporum, Chromatii Aquilejensis & Venerii Mediolanensis, ac reliquorum Epistolis, unà cum Commonitorio Concilii totius Occidentis, cum evectionibus publicis Constantinopolim concesserunt.* Hæc enim est illa Synodus, quam ad laudati Pontificis de variis in deportato Joanni faventes & communicantes Episcopos atque Clericos violentiis gravissimas querimonias fieri jussit laudatus Honorius, & de qua scribit laudatus Palladius: *Non tulit ultra Innocentius Pontifex indignitate summa permotus, scripsitque ad Honorium Imperatorem. Litteræ desunt. Motus his litteris Princeps præcepit Synodum Occidentalium Episcoporum congregari, & cum in unam sententiam concurrisset, ad se referre. Congregati Italiæ Episcopi Imperatorem orant, ut scriberet Arcadio Fratri suo, ut juberet Thessalonicæ Concilium fieri, quo facilius possent utreque partes Orientis Occidentisque concurrere. Addentes perfectam Synodum non numeri quantitate, sed qualitate sententiæ, certam & irrefragabilem tulisse sententiam. His inflammatus Imperator Episcopo quidem Romano scribit, ut mittat Episcopos quinque, Presbyteros duos Romanæ Ecclesiæ, Diaconum unum, qui ipsius ad Fratrem Epistolas ferrent.* Dati in Joannem à Theophilo judicii Apostolica cassatione dudum posterior fuit hæc Synodus, & in ipsa Chromatius & Venerius nihil præ aliis Italiæ Episcopis singulare fecerunt.

Quòd cassationem istam solus Innocentius fecerit, assiduè clamat Palladius. Cyriaci Emeseni in Syria Episcopi è persequentium manibus fugam & Romanum accessum laudat, atque pergit: *Post Cyriacum advenit Eulogius Apamææ Bythiniæ Episcopus, afferens litteras à quindecim Episcopis de Joannis Concilio, & à præclaro sene Anysio, in quibus illi quidem & precedentem, & quæ tunc erat, Constantinopoleos totius deprædationem, vastitatemque signabant. Anysius verò Romanæ se Ecclesiæ judicium sequi fatebatur.* Anysius erat Archie-

chiepiſcopus Theſſalonicenſis. Et infrà: *Poſt illos venit Demetrius Epiſcopus Peſſinuntis, qui peragrato Oriente prædicaverat communionem Eccleſiæ Romanæ cum Epiſcopo Joanne, teſtibus Papæ Innocentii litteris, affenens Epiſtolas ab Epiſcopis Cariæ, in quibus Joannis ampleƈebantur communionem. Ab Antiochenæ item Eccleſiæ Presbyteris, ubi Romanorum ſequuntur diſciplinam, laudantes integritatem judicii, & ordinationem apud ſe factam de Porphyrio ut illicitam & nefariam execrantes.* Pergit Palladius de Theodoro Thyanenſi Epiſcopo, Metropolita ſecundæ Cappadociæ: *Theodorus Thyaneus Epiſcopus, vir ſummæ gravitatis, ubi ex his quæ venerant ad aures ejus, quid ageretur advertit, ne Theophili temeritatem ſequeretur, relictis omnibus ad ſuam remeavit Eccleſiam, valefaciens Comitatui, ſuamque Provinciam vallans pietatis muro, & ad finem uſque in communione perſiſtens fidelium Romanorum, de quibus Paulus teſtatur & dicit; Fides veſtra annuntiatur in univerſo mundo.* Et in Dialogi fine Theodorus Romanæ Eccleſiæ Diaconus dicit ad Palladium: *Det tibi Dominus miſericordiam in die illa invenire, quia ab hujuſmodi* rebellium Sedi Apoſtolicæ Epiſcoporum *communione deceſſiſti. Eſt autem hæc Romanæ Eccleſiæ ſententia, non communicare in finem uſque Orientalibus Epiſcopis, maximèque Theophilo, donec Dominus univerſalis Synodi tribuat locum, ac per eam curet putrida membra eorum, qui iſta geſſere.* Nullus à Chromatio aut Venerio, ſed omnes à Romana Eccleſia affirmant Joanni redditam communionem, & circumducta Theophili Geſta. Quid enim auƈtoritatis habeat Mediolanenſis aut Aquilejenſis Epiſcopus in Synodos Orientis? Et nullus ex cunƈtis Joannis communionem tenentibus, ac ejus cauſa perſecutionem paſſis Epiſcopis aut Clericis acceſſit Mediolanum aut Aquilejam, ſed omnes Romam acceſſerunt, atque Romanum Epiſcopum: Norant ab hoc unico ſe poſſe reparari.

Joannes Launojus laudat hæc Sancti Gelaſii Pontificis ad Fauſtum Magiſtrum verba: *Euphemium miror, ſi ipſe ignorantiam ſuam non perſpicit, qui dicit Acacium ab uno non potuiſſe damnari. Itaque non perſpicit ſecundùm formam Chalcedonenſis Concilii Acacium fuiſſe damnatum? Nec novit eam, aut ſe noſſe diſſimulat, in qua utique per numeroſam ſententiam Sacerdotum erroris hujus auƈtores fuiſſe damnatos, ſicut in unaquaque hæreſi à principio Chriſtianæ Religionis & factum fuiſſe, & fieri manifeſta rerum ratione monſtratur, Deceſſoremque meum fuiſſe executorem veteris Conſtituti, non novæ Conſtitutionis auƈtorem? Quod non ſolum Præſuli Apoſtolico facere licet, ſed cuicumque Pontifici, ut quoslibet & quemlibet horum ſecundùm Regulam hæreſeos ipſius ante damnatæ à Catholica communione diſcernant. Acacius quippè non fuit vel proprii inventor erroris, ut in eum nova Scita prodirent, ſed alieno facinori ſua communione ſe miſcuit. Itaque neceſſe eſt ut in illam recideret juſta lance ſententiam, quam cum ſuis ſucceſſoribus per convenientiam Synodalem ſuſceperat auƈtor erroris.* Ad hæc, inquam, verba Joannes Launojus commentatur: Cur *Chryſoſtomus, ut ad Innocentium Romanum Epiſcopum, ſic & ad Venerium Mediolanenſem & Chromatium Aquilejenſem eiſdem litteris confugerit, ne mireris. Non unus tantum Julius, ſed & alii Italiæ & vicinarum Regionum Epiſcopi Athanaſium abſolverunt, & in communionem ſuſceperunt, quod & Julium ad Orientales ſcripſiſſe jam vidimus. Gelaſius tradit Acacium Conſtantinopolitanum, ut à ſe, ſic & ab aliis Epiſcopis ſeorſim à Synodo rectè potuiſſe damnari. Quemadmodum igitur Gelaſii judicio quilibet Epiſcopus poterat Acacium damnare, quem ipſe Gelaſius damnaverat, ſic & Chryſoſtomi judicio Venerius Mediolanenſis & Chromatius Aquilejenſis, perindè ac Innocentius Romanus poterant latam in Chryſoſtomum ſententiam abrogare. Quippè quæ contra leges & Canones penitùs lata fuerat. Gelaſius in Acacii cauſa unumquemque Epiſcopum pro Chalcedonenſis Synodi executore, Chryſoſtomus in cauſa ſua Venerium & Chromatium pro juſtitiæ & æquitatis Vindicibus, pro legum & Canonum, qui violati fuerant, aſſertoribus habuit. In diſpari negotio par agendi ratio conſpicitur: Eadem convenientiſſimè diſciplinæ propugnatio utrobique eſt.*

Reſpondeo plures hic contineri errores. Primò enim falſum eſt, quod injecta Magno Athanaſio per Euſebianam factionem vincula non ſolus ſolverit Papa Julius, ſed etiam Italiæ ac Vicinarum Regionum Epiſcopi. Fecit enim Julius, quod ab ipſo fuiſſe, & ab ejus Succeſſoribus fore faciendum probavit & ſanxit Sardicenſis Canon, qui à perperam damnatis per ſuas Synodos Epiſcopis diſertè tradit invocandum ſolum Romanum Epiſcopum, & ipſos ab hocce ſolo ſolvendos ac reparandos. Italiæ Epiſcopi ſuo dumtaxat conſilio ſunt cooperati, non deciſivo ſuffragio. Et fuit Julio voluntaria cooperatio, non neceſſaria. Ita jam ſtatim audivimus à Palladio Helenopolitano, & ſuprà eſt pluribus demonſtratum. Quod Acacius Conſtantinopolitanus Epiſcopus ob Petri Mogi & aliorum Eutychianiſtarum ſuſceptam communionem potuerit non dumtaxat à Romano, ſed à quovis damnari Epiſcopo, & verum eſt & manifeſtum. Etenim Eutycheti per Chalcedonenſem Synodum inflicta damnatio erat contagioſa, & quaſi in naturam verſa ſcabies, in omnes & erroris & Erronis ſequaces atque communicatores ſerpens ipſo ſtatim facto, atque ita per quemvis Epiſcopum non infligi, ſed per Canonem inflicta poterat declarari. Etiam quivis hodie Epiſcopus iſtud ipſum valet in quemvis ſequacem & communicatorem Lutherani dogmatis aut Calviniani. Quivis Hæreticus juxta Apoſtolum à ſemetipſo damnatus eſt, atque ita damnatio iſta per omnem, in cujus Parochia apparuerit, Epiſcopum firmari poteſt ac declarari. Verùm quod quilibet damnatus per quemlibet poſſit ſolvi ac reparari Epiſcopum, abſit ut ſenſerit Magnus Joannes Chryſoſtomus. Eſt ſecundus Joannis Launoij error, adversùs quem olim ſcripſit ad Hermogenem Epiſcopum, everſam diſciplinam deplorans & cauſam edicens, Iſidorus Peluſiota: *Eccleſia ejicere promptum ac facile eſt, ſed emendationem non habet. Nam ſi eâ, qui optimo jure ab aliquo condemnatus eſt, ad omnes etiam alias Eccleſias aditus clauderetur, cunƈtique unà cùm eo, qui ſententiam tuliſſet, indignationem conciperent, fortaſ-*

Lib. 3. Ep. 259.

ſis illè caſtigatus meliorem mentem indueret. Nunc autem ſimul atque quiſquam ab aliquo condemnatus eſt, ab alio perſæpè colitur & obſervatur, aliaque ei Eccleſia patet, & ſatellitium, & munera: Eique qui ejectus eſt, in quæſtum cedit loci commutatio. Ac deinde quod criminis convictus ſit ejectus, non commemorat. Quod autem ſua ſponte deceſſerit, hoc effingit. Et ſi quis cauſam percunƈtetur, multa & gravia narrat, quæque Eccleſiæ, à qua exceptus eſt, allubeſcant. Hæc porrò quidam improbæ vitæ homines accipientes, ac velut culparum ſuarum patrocinium hinc ſe habere exiſtimantes, amplificant, omniaque verbis ejuſmodi complent, quæ iis congruant, à quibus fabricata ſunt. Ex quibus rebus efficitur, ut qui deliquit, nihilo melior reddatur; qui autem in eum animadvertit, impuri ac ſcelerati hominis opinionem referat. Ob eam cauſam probi etiam atque excellentes Magiſtri, quorum exiguus eſt numerus, à flagitioſis caſtigandis velut torpore quodam prohibentur. Quod videlicet ii, qui non ut convenit ad hujuſmodi imperium irruperunt, multi autem hi ſunt, aliorum gloriam & nominis claritatem eſſe ſuam calamitatem ducentes, eorum qui juſta iracundia inflammantur, ſententias evertere conituntur: Quo non modo improbitas non exſtinguatur, ſed etiam ingraveſcat. Et revera ſi ab uno Epiſcopo damnatus poſſit reparari per quemlibet, nullus eſt damnationis nervus, & chaos atque confuſionem Chriſtus Dominus in Eccleſia ſua poſuit, non Hierarchiam. Ejuſmodi ſolutionem eſſe prævaricatoriam, magis alligare, ac Apoſtolicis atque Nicænis adverſari Canonibus, rectè dixit Romana Adriani ſecundi adversùs Photium Synodus, probata per generalem octavam. Alienum enim damnatum ſolvi vetat Apoſtolicus Canon, & ipſum adversùs Arianorum Epiſcoporum audaciam ad Sancti Alexandri Patriarchæ Alexandrini Nicæna, & ad aliorum Epiſcoporum preces adversùs aliorum temeritatem plures aliæ Synodi confirmarunt. Plurimas in Eccleſia lites ſemper ſeminavit iſta quorundam Epiſcoporum tranſgreſſio.

Act. 7.

Quod omninò verum eſt, non dumtaxat de valida atque legitima, ſed etiam de inflicta adversùm Canones & juſtitiam damnatione, ideoque irrita & nulla. Iniquam damnationem eſſe Martyrii ſpeciem rectè affirmat, & Sancti Athanaſii exemplo confirmat in litteris ad damnatum à ſuo Hæreſiarcha Epiſcopo Neſtorio Conſtantinopolitanum Clerum Sanctus Pontifex Cæleſtinus. Exſtat Epiſtola in prima parte Epheſini Concilii. Quod ipſum in litteris ad neſcio quem Anonymum Theodoretus, & vario in loco docet Sanctus Auguſtinus. An authentica ſolutione indigeat talis damnatio, in utramque partem diſputat, & variorum ſententias adducit in trigeſimi ſecundi Carthaginenſis Canonis Commentario Theodorus Balſamon, atque concludit: *Ac ipſi quidem hæc. Ego autem non habeo quemnam eorum ſequar. Nam & à pietate trahor, ſed ab eo quod ſit contra Canones retrahor. Cupio ergò diſcere quid agendum, ut qui tota vita velim eſſe puer ac diſcipulus.* Et in ſecunda iſtius operis parte refert hoc fragmentum ex Sancti Niconis Epiſtola ad Encliſtium de injuſta excommunicatione: *Scias quod Divinæ Scripturæ cum Divinis Canonibus definiunt, quod injuſtè quæ imponuntur punitiones apud Deum non ligent, etiamſi Pontifex eas impoſuerit. Quanto magis ſi inferior? Sicut dicit Sanctus Dionyſius. Qui itaque inconſiderata ſententia, & intemperante animo aliquem à fidelibus ſeparavit, eum non ſolum non attingit, ſed in ejus etiam caput recurrit, ſicut ſanƈtæ quoque Synodi pronuntiant; ſed illæ pœnæ ligant, quæ ſecundùm Divinos Canones & leges ſunt impoſitæ, non autem quæ ſecundùm propriam voluntatem.* Quocircà ejuſmodi vincula non ſunt vincula, videntur ſolutionem non requirere, ideoque per quemvis Epiſcopum poſſe declarari vacua & nulla. Ejuſdem ſententiæ fuit Acacius Melitinenſis Epiſcopus, Metropolita ſecundæ Armeniæ. Etenim de Sancto Cyrillo Alexandriæ Patriarcha, & Memnone Epheſiorum Epiſcopo, ſibi contra Canones injectam à Joannis Patriarchæ Antiocheni factione degradationem ſolvi ſupplicantibus à nova Cæleſtini Pontificis Legatione, interlocutus eſt ad Epheſinum Concilium: *Supervacaneæ de accuſatis eſt ſuſpicio, etiamſi ea vera ſit, ac ſupervacaneum eſt poſtulatum Cyrilli Alexandrini & Memnonis Epheſini, ſanƈtiſſimorum ac pientiſſimorum Epiſcoporum. Fieri enim non poteſt, ut hi qui à ſanƈta Synodo deſciverunt, & pravæ Neſtorii opinioni ſe adjunxerunt, talique ac tanto crimine obſtricti tenentur, quidquam contra Œcumenicæ Synodi Præſides audeant efficere, cum nullam omninò habeant auƈtoritatem.* Et revera Joannis in Cyrillum, Apoſtolicæ Sedis Legatum ac ſupremum Synodi Præſidem, attentata audacia erat non Synodale judicium, ſed contumelioſum convitium. Et hinc in miſſa per Irenæum Comitem ad Theodoſium Imperatorem relatione ſcripſit univerſa Joannis factio: *Si Cyrilli & Memnonis depoſitio à nobis facta non fuiſſet valida, nec libellos exhiberi, nec depoſitos abſolvi, quod ipſi putant, oportebat.* Cyrillum & Memnonem, quod datam in ſe ſententiam aſſererent fuiſſe nullam, & tamen abſolutionem petiiſſent, arguit inconſequentiæ: Nulliter inflictæ damnationi affirmat reparationem non eſſe neceſſariam, ideoque per quemvis Epiſcopum excuti poſſe, aut nullam declarari. Et ex hoc principio vult Joannes Launojus Sanctum Joannem Chryſoſtomum poſtulaſſe ſimilem declarationem à Mediolanenſi Venerio, ac Chromatio Epiſcopo Aquilejenſi.

Epiſt. 19. Epiſt. 9.

Act. 4.

Reſpondeo laudatum cum Memnone Cyrillum longè aliter ſenſiſſe. Etenim nec hic Epheſinæ Synodi Præſidentiam reſumere, nec ille præſumpſit tamquam Canonicus Epiſcopus aſſidere, niſi poſt ſolemniter obtentam ab Apoſtolicis Legatis abſolutionem. Adeò neuter Acacii Melitinenſis judicio acquievit. Et de memorato Imperatore Theodoſio ſcribit in Eccleſiaſtica Hiſtoria Theodoretus: *Vir quidam vitam excolens Monaſticam, animo paulò audaciore præditus, Imperatorem rei cujuſdam petendæ gratia acceſſit. Quod cum ſæpius fruſtra feciſſet, Imperatori Eccleſiaſtica interdixit communione, vinculoque Eccleſiæ ei injecto decedit. Imperator autem, fide cum primis excellens, ad palatium. Cum tempus inſtaret convivii, & omnes convivæ adeſſent, dixit non ſe prius capturum*

Lib. 5. cap. 36.

capturum cibum, quam Ecclesiæ vinculo solveretur. Proindè unum ex familiarissimis ad Episcopum mittit, oratum ut potestatem faciat ei, qui ipsum ligaverat, vinculo solvendi. Cum autem Episcopus respondisset non debere cujusque vinculum admittere, & significasset eum solutum esse, non tamen solutione illa contentus est, donec ille, qui eum ligaverat, magno cum labore conquisitus, communioni illum restitueret. Ejusmodi erat Imperatoris erga leges divinas fides. Adeò tunc etiam manifestè nulla excommunicatio timebatur. Et de Jonatha per patrem Saulem iniquè anathematizato scribit in quæstionibus ad primum Regum librum idem Theodoretus: *Jonathas docet ne ejusmodi quidem anathemata esse contemnenda.* Et nobilem virum Classicianum, ab Auxilio Episcopo nulliter excommunicatum, ab eodem ipso solvendum omninò censuit Sanctus Augustinus, nec anteà posse communicare. Injustam enim Prælati censuram esse & timendam & reverendam, est famosa Magni Gregorii sententia, quam in libris de Laicali institutione laudat Jonas Aurelianensis Episcopus: *Utrum justè vel injustè obliget Pastor, Pastoris tamen sententia gregi timenda est, ne is qui subest, & cum injustè forsan ligatur, ipsam suæ obligationis sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo vel absolvere indiscretè timeat, vel ligare. Is autem qui sub manu Pastoris est, ligari timeat vel justè vel injustè, nec Pastoris sui judicium temerè reprehendat: Ne etsi injustè ligatus est, ex ipsius tumidæ reprehensionis superbia, culpa quæ non erat fiat.* Et in litteris, quas octava probavit Synodus, ad omnes Constantinopolitanæ Sedi subjectos Episcopos scripsit Nicolaus primus Pontifex: *Prælati judicium semper inferioribus formidandum est, ne si ei non obedierint, licet ab eo fortassis injustè ligentur, ipsam suæ obligationis sententiam ex alia culpa, id est, ex inobedientia mereantur.* Agit in Gregorium Asbestam, Syracusæ Archiepiscopum, qui sibi à Sancto Ignatio, suo tunc Constantinopolitano Patriarcha, inflictam damnationem uti nullam sine absolutione spernebat. Quæ omnia præsertim vera sunt, dum damnationis valor est dubius. Ejusmodi censuram sine obtenta ad cautelam saltem absolutione posse sperni nullus unquam cogitavit Orthodoxus. Porrò injectum Sancto Joanni Chrysostomo vinculum erat omninò dubium, nec ejus dumtaxat solutionem, sed & Episcopatus redditionem ille postulabat: Quæ omnia à Chromatio aut Venerio postulari non potuisse est nimis manifestum.

Quòd ejus vinculum fuerit dubii valoris, lucet ex laudati Pontificis ad Theophili relationem Rescripto: *Frater Theophile, nos & te & fratrem nostrum Joannem communionis nostræ esse decrevimus.* Loquitur juxta decimum tertiæ Carthaginensis Synodi Canonem. *Placuit ut si à quibuscumque Judicibus Ecclesiasticis ad alios Judices Ecclesiasticos, ubi est major auctoritas, fuerit provocatum, non eis obsit, quorum fuerit soluta sententia, si convinci non potuerint vel inimico animo judicasse, vel aliqua cupiditate vel gratia depravati.* Uti Joannem absolvit, ita Theophilum non damnavit Pontifex. Utriusque causam in Œcumenica Synodo retractandam censuit, atque ita de utriusque justitia omninò hæsitavit. Hinc addidit ad Theophilum: *Si conscientiæ confidis, tu quoque judicio accurre ad Synodum proximè celebrandam.* Et reverà Sanctus Joannes, utpotè mortalis homo, omni nævo non caruit. Quod enim primus & Thraciæ, & Asiæ, & Ponti autocephalas Diœceses invadere, ac Sedi Constantinopolitanæ cœperit subjicere, atque ita sextum Nicænum Canonem fuerit prævaricatus, est alibi ostensum. Et de ipso scribit in Ecclesiastica Historia Socrates: *Joannes erat homo, ut fertur, propter incredibile temperantiæ studium moribus aliquanto severior, & ut quidam dixit qui illo ab ineunte adolescentia familiarissimè usus fuerat, iracundiæ potius quam observantiæ indulgens. At propter exquisitam vitæ institutionem, rerum futurarum non satis providus, sed ex simplici & sincero animo facilis ad decipiendum. Quin etiam libertate loquendi adversum eos, qui cum eo in colloquium veniebant, extra modum usus est. Atque ut in docendo multum operæ posuit, ut audientium mores emendaret, sic in colloquiis illis, qui ejus mores ignorabant, paulò habebatur insolentior.* Et certè ejus in Imperatricem Eudoxiam, Eutropium eunuchum, aliosque dicta & gesta Socrati adstipulantur. Et causam, cujus evidens foret justitia, Innocentius Pontifex non judicasset in generali Synodo retractandam.

Quod ipsum patet ex gravissimis oppositionibus, quas ab omni Theophili factione dudum sustinuit Joannis per Innocentium facta restitutio. Etenim illi parere, aut Joannem pro Episcopo agnoscere nec Theophilus, nec in Joannis Sedem intrusus Arsacius, nec Porphyrius Antiochiæ Patriarcha voluit, atque ita malum profecit in apertum & lamentabile schisma, de quo statuit Africana Ecclesia: *Placuit ut de dissensione Romanæ atque Alexandrinæ Ecclesiæ ad Sanctum Papam Innocentium scribatur, quò utraque Ecclesia inter se pacem, quam præcepit Dominus, teneat.* Est in Africano codice Canon centesimus primus. Nec Joannem pro Episcopo agnoscere dumtaxat noluit factio, sed etiam Sedis Apostolicæ Legatis Episcopis & Presbyteris, quos ad generalem Synodum ab Arcadio Augusto postulandam sua auctoritate & Divalibus litteris comitabatur Imperator Honorius, fecit quod scribit Hermias Zozomenus: *Innocentius Romæ Episcopus, cum reverti Joannem cuperet, unà cum Orientalibus Episcopis, qui pro eo supplicabant, misit Romanæ Ecclesiæ Episcopos quinque & Presbyteros duos ad Honorium & Arcadium Imperatorem, ut & Synodum & ejus definitum locum ac tempus impetrarent. At Joannis hostes apud Constantinopolim hanc rem, quasi in contumeliam ejus Imperii fieret, calumniati sunt, & ut illi tanquam transmarini Imperii turbatores ablegarentur, effecerunt. Etiam ut ipse Joannes ulterius exulatum transferretur, procurarunt.* Quapropter offensus Pontifex suum pro Theophilo Decretum circumduxit, ac ipsum uti rebellem & scabiosо damnati Arsacii consortio pollutum, proscripsit à sua communione, atque ita inter Orientales Episcopos & populos alii Romanæ Ecclesiæ, alii suis Patriarchis communicare noluerunt tanta constantia aut pertinacia, ut Imperator Arcadius

Qu. 36.

Epist. 75.

Hom. 26.

Act. 7.

Lib. 6. cap. 3.

Lib. 8. cap. 28.

hanc ad Eutychianum Prætorio Præfectum emisserit legem: *Rectores Provinciarum moneantur, ut Conventus eorum arceantur illiciti, qui Orthodoxorum religione suffulti, spretis sacro-sanctis Ecclesiis, alio convenire conantur, his qui ab Arsacii, Theophili, Porphyrii, reverendissimorum sacræ legis Antistitum, communione dissentiunt, ab Ecclesia procul dubio repellendis.* Exstat lex in sexto decimo Theodosiani codicis libro, ipsamque elucidat apud Palladium Helenopolitanum Theodorus Romanæ Ecclesiæ Diaconus: *Paucis post diebus advenit* Sancto Joanni Chrysostomo favens *Cyriacus*, Emesenus *Episcopus, nullas quidem habens litteras, sed is planè cui fides habenda videbatur, eadem prosequens quæ ab Episcopis de Synodo Joannis fuerant scripta. Ajebat enim se fugisse propter comminationem Regalis Edicti, ita continentem: Si quis non comunicat Theophilo, Arsacio, & Porphyrio, hic ab Episcopatu quidem arceatur, amittat verò, si quam videtur habere, substantiam pecuniarum sive prædiorum.* Et ipse Palladius: *Substituitur Arsacio Atticus Presbyter, totius contra Joannem machinationis architectus. Qui cum animadverteret Orientalium sibi Episcoporum communicare neminem, neque ipsius Civitatis populum, propter ea quæ adeò injustè ac nefariè admissa fuerant, agit Divinarum Scripturarum imperitus, ut qui non communicarent, Rescriptis Conventi cogerentur. Habebat autem rescriptum adversùs Episcopos hujusmodi minas:* Si quis Episcopo Theophilo, & Porphyrio, & Attico non communicat, Ecclesia pellatur, & à suis facultatibus projiciatur. *Hinc jam alii plus rerum gravati pondere, inviti quoque communicant. At verò pauperiores quique & in fide sua imbecilliores, muneribus quibusdam ad communicandum attrabuntur. Qui verò genus & patriam, & corruptibilem gloriam, corporumque pressuram contempserunt, fuga ingenuitatem animi servavere.* Et Hermias Zozomenus: *Defunctus est Flavianus, qui in Joannis depositionem non consenserat. Hinc in Antiochenum Episcopatum succedit Porphyrius. Et quoniam ille suffragatus iis erat, quæ adversùs Joannem Decreta fuerant, multi per Syriam ab hac Ecclesia secesserunt. Qui quoniam seorsim Conventus agebant, multis difficultatibus ac molestiis exercitati sunt. Si quidem propter communionem tum Arsacii, tum hujus Porphyrii, tum Theophili Alexandriæ Episcopi, studio Magnatum in Aula lex est proposita, ne extra Ecclesiam Orthodoxi convenirent, & qui in horum Episcoporum communionem non venirent, ut expellerentur.* Romanæ Ecclesiæ Decreta reveriti per omnem Orientem plurimi cum suo Clero & populo Episcopi nec damnato per Innocentium Pontificem Arsacio, nec ejus Successori Attico, nec ipsorum communione maculatis Theophilo aut Porphyrio voluerunt communicare, aversati sunt eorum sacrificia atque Basilicas, in privatis ædibus egerunt synaxes, atque ita illi crimina criminibus cumulantes, sibi adversantem Clerum & populum in Romanam Ecclesiam secum rebellare, & sibi excommunicatis communicare, per Regia Edicta compulerunt. Alia adversùs populum, alia erat lex adversùs Clerum, præsertim Episcopos, Regiam manum mittens in omnia ipsorum temporalia, & personas proscribens de sua sede. Hanc fœdam legem erubuit Arcadii successor & filius Theodosius, ideoque solam primam, de qua etiam debuerat erubescere, inseruit suo codici. Nempe Joannis causam tunc adhuc pendebat. Ita & contentionibus, & mutuis persecutionibus, & multo Christianæ communionis contagio ardebat universa Orientalis Ecclesia. Interim Atticus, licet non eminenter doctus, insigniter tamen Orthodoxus, Theophilus insuper fuit splendidè eruditus, magnisque encomiis utrumque efferunt Sanctus Cœlestinus Pontifex, ejus Successor Magnus Leo, & alii gravissimi Scriptores; ideoque quod sine probabilibus fundamentis tot turbas concitaverint, ac tantis periculis & suas & suorum subditorum animas exposuerint, nec credibile, est nec credendum. Proindè Sancti Joannis causa omninò habebat aliquid dubii, atque ita omninò ille egebat Apostolica injectorum vinculorum absolutione.

Tit. 4. c. 3.

Cap. 3.

Lib. 8. c. 25.

Restat quæstio, Cur Innocentius Pontifex causam hanc voluerit in generali totius Ecclesiæ Synodo retractandam? Joannes Launojus existimat Pontifici fuisse istam necessitatem per Canones, ac inde concludit Synodum esse ipso majorem. Et multa conglomerat. Verùm sine fundamento. Etenim Pontifex assiduè profitetur se agere in hac causa, & ab aliis agi velle juxta Sardicenses Canones, qui damnatorum à suis Synodis Episcoporum Romam appellatas causas retractari sanciunt eo modo & ordine, quem Sapientissimo suo arbitrio Romanus Episcopus præfixerit. Quòd porrò hæc causa omnem Orientalem Ecclesiam pessimè turbarit, & ipsam schismate à Romana diviserit, est jam ostensum. Etiam inter se commisit Augustos Fratres Arcadium & Honorium. Hinc ipsam nec in solius suæ Provinciæ, nec in solius Italiæ, sed in totius Ecclesiæ Synodo Pontifex meritò duxit retractandam. Joannis appellationi dedit suspensivum effectum, ipsum salvo maturiori examine solvit à male injectis vinculis, Theophilum trajecit ad accusatoris locum, & causam retractari voluit in Œcumenica Synodo: Non compulsus per ullum Canonem, sed ex propria electione & avita potestate, facta sibi per Apostolicum Canonem, & adversùm schismaticas Eusebianæ factionis nugas firmata atque innovata per Synodum Sardicensem. Qua serie hæc omnia tandem fuerint composita, non spectat ad nostram quæstionem, aut præsentem septimi Gregorii Dictatum.

Adserta hæc confirmantur.

HUc usque Adserta confirmantur insigniter ex Eutychianæ Hæreseos, seu potiùs Acaciani schismatis indiculo, quem Theodosiani Codicis Appendici subnexuit Jacobus Sirmondus: *Eusebius ille Dorylitanus Episcopus, qui ante annum de exilio fugiens Romæ venerat, etiam Chalcedonensi Concilio, interesse properavit.* Ab Ephesino latrocinio degradatus ac relegatus, adeoque ab omni Synodali Conventu exclusus erat Eusebius:

bius : Quo igitur fundamento properabat ad Chalcedonensem Synodum ? Fundamento Romanæ appellationis & reparationis . Appellantem solus Magnus Leo reparat . Pergit indiculus : *Defuncto Timotheo* Salophaciolo , Alexandrino *Episcopo* , *Joannes Œconomus Catholicus à Catholicis ordinatur Episcopus . Qui cum de consuetudine Majorum ad Apostolicam Sedem Synodica per Isidorum Presbyterum & Petrum Diaconum Scripta misisset , superveniente Uranio Sub-Adjuva , ab Episcopatus illius confirmatione Papa suspensus est . Et quia in eisdem Sacris de restituendo Petro* Mogo , *quem ipse damnavit , fecerat mentionem , hæc pars omninò est abnegata . Unde videtur clementissimus Imperator offensus . Cum ergo sanctæ memoriæ Papæ Simplicii nihil toties ad Acacium* Constantinopolitanum Episcopum *directa propter Alexandrinæ Ecclesiæ quietem , & Catholicæ fidei integritatem Scripta proficerent , supervenit idem Sanctus Joannes Episcopus , qui , sicut decebat , ab Apostolica Sede susceptus est . Nam & Priores ejus similiter Romanæ Ecclesiæ , tempore persecutionis , suffugium popoposcerunt* . Adversùm iniquas , quæ Simplicium Pontificem ab ejus confirmatione fuerant moratæ , Augusti Zenonis Divales litteras , aliasque ejusdem Principis & totius Acacianæ factionis violentias Joannes Romam appellavit , impetravitque confirmationem . Eandem appellationem laudat Felix tertius in Edicto , quo Acacium Constantinopolitanum Episcopum citavit Romam ad suum tribunal : *Superveniens Coepiscopus noster Joannes , fugatus ab hæreticis pervasoribus Sedis Alexandrinæ , libellum nobis , quem sanctæ memoriæ Decessori meo* Simplicio *paraverat porrigendum , ingessit . Quem morem , Majoris sui beatæ memoriæ Athanasii exemplo , & Priorum meorum , non potuimus refutare* . Etiam in Synodali ad Imperatorem Zenonem transmisso Libello : *Adversùs Acacium in Conventu mihi* à Joanne Alexandrino Episcopo *Libellus oblatus est , quem deplorationibus Humilitatis meæ adnexui , ut frater & Coepiscopus meus Acacius , sicut Ecclesiasticis necesse est , & vestris legibus fieri decet , ad hæc , quæ de se pervidet intimari , apud beatissimum Petrum Apostolum diluere obedienter procuret , nec ullo modo existimet differendum* . Et in Sancti Gelasii vita liber Pontificalis : *Eodem tempore fugiens Joannes Alexandrinus Episcopus venit Romam ad Sedem Apostolicam , quem beatus Gelasius suscepit cum gloria , cui & secundam Sedem tribuit* . Quæ omnia latè scribunt in litteris ad Paulum Magistrum , & in litteris ad Dardaniæ Episcopos ipse laudatus Papa Gelasius , ac in Nestorianæ & Eutychianæ hæresis Breviario Liberatus Ecclesiæ Carthaginensis Archidiaconus , lucidè adserentes Joannem non ad generalem Synodum appellasse , sed ad solam Sedem Apostolicam . *Joannes* , inquit Liberatus , *ingressus est ad Calendionem Patriarcham* Antiochenum , *& sumptis ab eo intercessionis Synodicis litteris , Romanum Pontificem appellavit , sicut fecit & beatus Athanasius . Et suasit scribere pro se Acacio Constantinopolitano* . Omnes una voce adversùs Joannem Laudojum clamant non solum hunc Joannem , sed etiam Magnum Athanasium provocasse ad solum Episcopum Romanum . Et

Epist. 4. Ep. 13.

C. 17, 18.

hunc esse Majorum morem adfirmat Felix tertius . Et addidit in libello ad Augustum Zenonem : *Sicut Ecclesiasticis necesse est , & vestris legibus fieri decet* . Adfirmat hisce appellationibus per sacros Canones deberi omnem reverentiam , & Regia violentia non posse impediri . Verùm ab hæreticis Episcopis circumsciptus versatilis Zeno non obedivit , ideoque pergit Liberatus : *Joannes , habens Episcopi dignitatem , remansit Romæ , cui Papa Nolanam dedit Ecclesiam , quæ est in Campaniæ regione , in qua plurimos residens annos , in pace defunctus est* . Ex his intellige librum Pontificalem , qui adserit Joannem accessisse ad Gelasium , fuisse susceptum honorifice , & secunda sede donatum . Non ad Gelasium , sed ad Simplicium accessit appellans Joannes , & appellationem suam coram tertio Felice introduxit . Proinde Nola accessit Gelasium , & ab illo tractatus fuit , non ut Provincialis Episcopus , sed ut Patriarcha Alexandrinus . A Felice factam Canonicè , licèt à Zenone violenter frustratam , Joannis restitutionem Gelasius firmavit & honoravit .

In laudata Theodosiani Codicis Appendice scribit ad Constantinopolitanum Clerum ac populum Felix tertius Pontifex : *Filio nostro Salomoni Presbytero , quem Acacius* Constantinopolitanus Episcopus , *ut placeret hæreticis , suo privare putavit gradu , gradum proprium sententia vestra conservet , vel omnes , qui fortè à memorato propulsi , in locis suis & in nostra communione manere pronunciet* . Ab inflicta sibi per Acacium degradatione Romam provocarat Salomon Presbyter , ipsumque sua citra Synodum auctoritate Felix reposuit in gradum & communionem . Ejusdem Ecclesiæ ex Archi-Diacono Presbyter Ætius , ab Anatolio Episcopo passus injuriam , Romam appellarat , ipsumque plenè restituerat Magnus Leo . Et Anatolium obediisse docet ipsius ad Magnum Papam rescripta Epistola , nuper publicata per Leonem Allatium ac D. Lucam Holstenium . Etiam à Nestorio Episcopo degradatos , & ad se appellantes ejusdem Ecclesiæ Clericos Sanctus Cœlestinus Pontifex , non ad Ephesinum Concilium tunc instans remisit , sed sua ipse auctoritate absolvit ac reparavit .

Epist. 2.

Etiam Sanctus Constantinopolitanæ Ecclesiæ Patriarcha Ignatius adversùm intrusi Photii & Imperatoris Michaelis tertii in se violentias , non ad generale Concilium appellavit , sed ad solum Pontificem Nicolaum primum . Appellationis libellus exstat in tertia actione octavi Concilii , lucidè adfirmans perpetuum & commune omnium iniqua passorum Episcoporum datum à Christo Domino asylum esse Sanctum Petrum Apostolum , ac ipsius in Romana Cathedra Successores . Et hujus appellationis ineluctabilem virtutem Bardæ Cæsari fuisse terribili somnio divinitùs demonstratam scribit in laudati Ignatii vita Nicetas Paphlago . Et Ignatium non octava Synodus , sed solus reparavit Nicolaus Pontifex . Quin & Ignatium & cunctos ejus adversarios Romam evocavit ad suum Apostolicum tribunal , adfirmans se agere ad sui Antecessoris pro Magno Athanasio exemplum , & juxta avitum morem & Canonem , quos in Eccle-

L. 2. c. 4.

siastica Historia laudat Theodoretus . Latè hæc habes in ejus litteris ad Augustum Michaelem . Et omnia ejus Acta & Scripta confirmavit octavum Concilium , convocatum ad illa exsequenda potiùs , quàm retractanda . Quin & de Gregorio Asbesta Archiepiscopo Syracusano , Eulampio apud Bithynos Apameensi Episcopo , & Petro Sardensium apud Lydos Metropolita , per laudatum Patriarcham Ignatium damnatis , ad Stephanum sextum Pontificem scripsit Stylianus Mappa , in Eufratesia Provincia Metropolita Neo-Cæsareensis : *Gregorius , Eulampius , & Petrus Legatos suos cum litteris ad sanctissimum Papam Romanum Leonem* quartum *miserunt , illum sibi , ac si essent læsi , ultorem petentes . Papa ergò datis ad Ignatium litteris voluit , ut Patriarcha suo nomine Legatum Romam destinaret , per quem de Schismaticorum causa cognosceret . Nec diu moratus Patriarcha , Lazarum Monachum , & fidei confessione clarum , qui omnia , quæ ad Gregorium pertinebant , optimè noverat , cum litteris misit , qui Papæ causam diligenter exposuit* . Addit Sancti Ignatii de ipsis judicium fuisse firmatum à Leone , ideoque ipso defuncto istos iterùm appellasse ad successorem Benedictum tertium , petiisse ac impetrasse suæ causæ retractationem , iterumque fuisse damnatos . Exstat Epistola post octavum Synodum . Demonstrat Romanas appellationes liberrimis pedibus tunc ambulasse apud Græcos , ipsasque non ad generalia Concilia , sed semper fuisse interjectas ad solum Romanum Episcopum . Et sanè miseranda ac turbida foret Ecclesiæ Hierarchia , si cujusvis Episcopi Romana appellatio cogeret ad generale Concilium . Etiam Sanctum Nicephorum Patriarcham Constantinopolitanum , ab Imperatore Leone Armenio ejectum , appellasse ad Papam , ipsiusque in prosequenda appellatione Legatum fuisse sanctum , tunc adhuc Monachum , posteà Patriarcham , Methodium adfirmat Georgius Cedrenus . Plurima sunt exempla .

Etiam de ipso schimatis auctore Photio , Romanam Sancti Ignatii appellationem fore tragicam metuente , scribit Nicetas Paphlago : *Legationem & ille Romam veterem destinat , & à Nicolao Pontifice Legatos petit , qui in speciem quidem collapsam Ecclesiæ disciplinam emendent , reverà autem ut Romanæ Ecclesiæ auctoritate Ignatii exauctorationem firmaret , testatioremque redderet* . Sancti Ignatii appellationem frustrare , & suam intrusionem purgare aut fucare studuit apud Nicolaum Pontificem , sciens in ipsum successisse , & in ipso residere potestatem , quam Petro dedit Dominus : *Confirma fratres tuos* . Quin & de eodem per Imperatorem Leonem Philosophum ejecto scribit Auctor incognitus & Schismaticus de origine Hæresis apud Latinos : *Sub Imperio Leonis sapientis à solio Patriarchali Constantinopolitano motus est Dominus Photius Patriarcha , & Romam advolans , cum ad illa usque tempora appellatio ad Papam spectaret , postulabat ut ope illius in sedem restitueretur* . Et adfirmat fuisse restitutum . Scio schismaticum Græculum nugari : Ejectum enim Photium Leo Augustus firmè clausit in Monasterio . Et ipsum usque ad mortem Romana Ecclesia constanter damnavit . Hinc interim lucet , quod etiam schismatici profiteantur Patriarcharum & quorumvis Episcoporum appellationes usque tunc , non ad generale Concilium , sed ad Domnum Apostolicum fuisse interjectas . Etenim etiam post Photii mortem à Patriarcha Nicolao Mystico ob quartas nuptias excommunicatus idem Imperator Leo appellavit ad Papam , fuitque ab illo absolutus . Et de Imperatore Michaele Palæologo , quem excommunicatum reparare pertinaciter recusabat Patriarcha Arsenius , scribit Georgius Pachymeres : *Michael post hæc* , utique longa & multa querimoniarum lamenta , *declamata addebat , sæpiùs iterans , quoniam Patriarcha palam contemneret Canones , dari lapsis pœnitentiam jubentes , tempus esse recurrendi ad Papam Romæ sedentem , & ab eo suppliciter petendi salutare peccati remedium* . Lamenta sua Princeps copiosa oratione exaggeravit apud omnes Imperii Episcopos , atque adjunxit : *Aliæ aliis in locis Ecclesiæ sunt , eas adibo , ab eis pœnitentiam petam , & consequar* . Minatur ad Papam appellare , & per schisma suspensas appellationes reducere , atque ita schismatici Arsenii duritiem conatus est emollire .

Lib. 3. c. 19.

L. 4. c. 1.

Papale admittendarum à toto orbe appellationum jus est adeò lucidum , ut in libris de Papæ primatu scribat Nilus Cabasilas Archiepiscopus Thessalonicensis : *Si quòd provocationem in rebus Ecclesiasticis habeat , idcirco Papam censes etiam Dominum , hanc cùm etiam Constantinopolitanus habeat , sint ergò eadem ratione aliæ Sedes Metropolitanæ ei subjectæ . Sed neque Constantinopolitanus eam ob causam usurpat jurisdictionem in illas , neque Papa ob eam Prærogativam justè aliorum Patriarcharum Ecclesias turbare potest . Lege Canonem nonum quartæ universalis Synodi , ut videas Sedem etiam Constantinopolitanam provocationem habere . Idem decernit etiam decimus septimus ejusdem Synodi Canon . Vigesimus verò octavus ejusdem Synodi , & sextæ trigesimus sextus , eisdem Prærogativis dignatus utramque Sedem , manifestè etiam provocationem Constantinopolitanæ Sedi tribuit* . Et quoad tempora & quoad loca universalis ad solum Papam appellandi mos est adeò lucidus , ut hic magnus & pertinax schismatis Doctor ipsum non præsumat devocare in dubium , sed semetipsum præcipitare cogatur in ridiculum errorem . Universale admittendæ appellationis jus non soli Papæ , sed etiam Constantinopolitano Episcopo competere adfirmat , atque ita ipsum non esse universalis Primatus characterem . Urget præsertim nonum ac decimum septimum Chalcedonensis Synodi Canones , qui damnatum à Metropolita Episcopum aut Clericum appellare mandant aut ad Primatem Diœceseos , aut ad Sedem Regiæ urbis Constantinopolitanæ . Exponit Macarius Metropolita Ancyranus : *Subsecutis temporibus in quinque Diœceses universus terrarum orbis divisus , singulis quatuor thronis* , utique Constantinopolitano , Alexandrino , Antiocheno , & Hierosolymitano , *necnon & Romano in sortem datus est . Et ex his unusquisque traditam sibi Diœcesim tamquam Dominus ex Imperio solus regebat . Ad hæc sola Constantinopolitana*

C. 40.

Sedes postmodò reliquarum quatuor Sedium appellationem obtinuit, quemadmodum & Œcumenicus Patriarcha illius Episcopus adclamatur. Per Diœceseos Primatem vult à dictis Canonibus intelligi non unicum, sed omnes Patriarchas, ad ipsorum cunctis, seu ad ipsos spectantium Synodorum judiciis posse provocari ad Constantinopolitanum Episcopum, & hocce jus per istos Canones aut induci, aut stabiliri. Et hunc commentarium Nilus ex parte probat.

Dico, *Ex parte*. Etenim plures Schismatici Græci garriunt Papalia privilegia esse à dictis Canonibus translata Constantinopolim, ideoque & cunctas Christianitatis appellationes ad ejus Episcopum migrasse. Eo tempore Occidentale Imperium dependebat ab Orientali, & Oriens Occidenti dabat Imperatorem. Quinimmò jam dudum Constantinus Imperii Sedem fixerat Constantinopoli. Hinc laudata Synodus garritur transtulisse, vel potiùs translata declarasse Papalia item privilegia, seu universalem Christianitatis Episcopatum. Et reverà, si à cujuscumque Patriarchalis Diœceseos Provincialibus Synodis ac judiciis non nisi ad proprium Patriarcham, aut certè ad Constantinopolitanum Episcopum provocari permittant ac jubeant isti Canones, universalem Christianitatis Præfecturam omnino transtulerunt in hunc, ejus declarant translatum. At verò Nilus est moderatior ac sapientior, Romanum & Constantinopolitanum Episcopos adfirmat solummodò æquari, & utrumque appellari posse ab omni Ecclesia, nec exindè hunc aut istum constitui aut declarari œcumenicum totius mundi Episcopum. Quòd nempè admittendarum appellationum potestas non sit character Superioritatis. Et hanc sententiam in litteris ad Carolum Calvum Francorum Regem probare videtur, agens de Romana Rothaldi Sveſſionensis Episcopi appellatione, Nicolaus primus Pontifex: *Si adversùs Provinciæ Metropolitanum Episcopus vel Clericus habeat querelam, juxta Chalcedonenses Regulas jubetur, ut petat Primatem Diœceseos, aut Sedem Regiæ urbis Constantinopolitanæ, & apud ipsam judicetur. Quod tamen nulli dubium est multò magis apud Romuleam urbem, quàm apud Constantinopolitanam esse penitùs observandum.* Eodem modo loquitur in litteris ad omnes Galliæ Antistites. Per Diœceseos Primatem videtur intelligere Papam. Palàm se exponit in litteris ad Imperatorem Michaelem. *Cùm* Chalcedonensis Canon *dixisset, Petat Primatem Diœceseos, Præceptum posuit, regulamque constituit; cùm verò disjunctiva conjunctione addidisset, Aut Sedem Regiæ urbis Constantinopolitanæ, liquet profectò, quia hoc secundùm permissionem indulsit. Quem autem Primatem Diœceseos sancta Synodus dixerit, præter Apostoli primi Vicarium, nullus penitus intelligitur. Ipse est enim Primas, qui & primus habetur & summus. Ne verò moveat, quia singulari numero, Diœceseos, dictum est, sciendum est, quia tantumdem valet dixisse Primatem Diœceseos, quantùm si perhibuisset, Diœceseon.* Vult à totius mundi Provincialibus judiciis vel ad Papam vel ad Constantinopolitanum Episcopum appellari posse, & hanc alternativam firmari ab isto Canone. Et ita etiam Canonem exposuit Hincmarus Laudunensis Episcopus. Testatur hoc in famosa adversùs ipsum Epistola Hincmarus Metropolita Remensis, atque adjungit: *Lege Gesta Chalcedonensis Synodi, & invenies hoc ipsius nonum Capitulum, in cujus fine dicitur*, Petat Primatem Diœceseos, aut Sedem Regiæ urbis Constantinopolitanæ, & apud ipsam judicetur, *ab Apostolica Sede non fuisse receptum*. Nepotis commentarium fatetur esse legitimum, fatetur totius mundi appellationes aut ad Romanum, aut ad Constantinopolitanum Episcopum devolvi à Canone: Verùm adjungit Canonem non esse legitimum, ideoque à Magno Papa Leone rejectum & circumductum.

Epist. 48.

Epist. 41.

C. 23.

Respondeo hæc omnia esse à Canone alienissima. Etenim Canon per Diœceseos Primatem nullo modo intelligit Papam aut alios Patriarchas, sed trium autocephalarum Diœceseon Exarchos, & ipsis subditos Episcopos & Clericos vult à suarum Provinciarum judiciis appellare vel ad ipsos vel ad Regiæ civitatis Episcopum. A Constantinopolitano Episcopo attentatam in istas Diœceses rapinam firmat, verùm cum moderamine: Omnem istorum Primatum auctoritatem noluit plenè circumscriptam, sed dictam alternativam voluit illis integram. Hunc esse legitimum Canonis sensum ostendi pluribus in ejus Scholio. Et ista etiam de causa ipsum Magnus Leo circumduxit. Istos Primates, quos Nicæni Canones omninò firmarunt, exstingui aut penitùs supprimi noluit, nec ex ipsorum spoliis erigi novum in Regia urbe Patriarchatum. An Nicolaus Pontifex per Diœceseos Primatem constanter intellexerit solum Romanum Pontificem, ideoque hìc de totius mundi appellationibus sanciri crediderit, est alia quæstio, nec spectat ad hunc locum. Eum cespitare fecerunt antiquorum Romanorum Antistitum apud Isidorum Mercatorem Epistolæ, in quibus ad Theophilum Alexandriæ Patriarcham scribit Victor Pontifex: *Si quis putaverit se à proprio Metropolitano gravari, apud Patriarcham vel Primatem Diœceseos, aut apud universalis Apostolicæ Ecclesiæ judicetur Sedem.* Quod ipsum ibidem scribit Pontifex Anicetus. Apocryphus istarum Epistolarum conditor omninò respexit ad nonum Chalcedonensem Canonem. Credidit ab ipso sanciri de totius mundi appellationibus, ideoque in Constantinopolitani Antistitis locum intrusit Romanum. Nicolaus Pontifex in Canonem ita grassari noluit: Solùm dixit & variè demonstravit adscriptam illic Constantinopolitano Episcopo auctoritatem longè potiori jure competere Romano. Et sic patet Macarii Ancyrani pro translato Papatu desumpta ex hoc Canone fundamenta esse schismatica nugamenta.

Delirat & Nilus Cabasilas. Quis enim unquam audivit suscipiendæ appellationis auctoritatem non esse characterem Superioritatis? Aliud una voce constanter clamant Leges, Canones, omnium gentium consensus. Hinc quoties de uniendis Ecclesiis tractatum est, Romana Ecclesia primo semper loco postulavit suum Primatum, deinde appellationes, utpotè primum ejus

ejus characterem. Post Michaelis Cerularii schisma primus unionem tentasse videtur Imperator Michael Ducas, cognomento Parapinacius: Verùm Acta latent aut perierunt. Eandem apud Alexandrum tertium Pontificem tentavit Imperator Manuel Comnenus, & de ejus articulis Patriarcha Michael Anchialus scripsit Dialogum, cujus hoc est compendium: *Ex Dialogo sanctissimi ac sapientissimi Patriarchæ Constantinopolitani, Domini Michaelis Anchiali, ad Porphyrogenitum Imperatorem, Dominum Manuelem Comnenum, cum multi Antistites, qui Papæ suberant, Constantinopolim pervenerunt, Ecclesiarum unionem procurantes, nihil aliud à Græcis exposcentes, quam cessionem Primatus ipsi Papæ, appellationem, & illius commemorationem fieri.* Ita habes apud Leonem Allatium in opere
L. 2. c. 12. de consensu Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis. Etiam de Imperatore Michaele Palæologo, unionem petente ab Alexandro quarto, scribit
L. 1. c. 6. Georgius Phranzes: *Concordia tribus capitibus circumscripta ac definita est. Primum fuit, ut in sacris hymnodiis Papa cum quatuor Patriarchis nominaretur. Alterum, ut integrum esset Romanum, tamquam majus, tribunal appellare. Postremum, ut Papæ in omnibus concederetur Principatus.* Eosdem articulos in Lugdunensi Gregorii decimi, duos dumtaxat posteriores in Florentina Synodo postulavit Eugenius quartus. Ita habes apud Georgium Pachymerem, Nicephorum Gregoram, & Sylvestrum Sguropulum. Quocirca clarum est suscipiendæ appellationis auctoritatem esse propriissimum Superioritatis characterem, ipsam semper resedisse etiam in solo Romano Pontifice, & ipsos quoque schismaticos Græcos ita credidisse. Et quia non tantùm à Metropolitis, Primatibus, Patriarchis, ac ipsorum Synodis, sed insuper à generalium Synodorum judiciis provocari semper licuit ad Papam, etiam manifestum est Papam istis cunctis esse superiorem. Joannes Launojus nos compellit in lucidas res tempus expendere.

CANON XIX.

QUòd Papa à nemine judicari debeat.

SCHOLION.

WOrmatiensem, quæ nostrum septimum Gregorium de variis calumniosè confictis criminibus damnare & degradare attentarat, Pseudo-synodum imperit & circumscribit etiam hic Dictatus. Ipsum in manuscripto Historiarum memoriali elucidat, qui sub Philippo Pulchro Francorum Rege scripsit Parisiis, Joannes Victorinus: *Roma facta est dissensio magna, his qui pro Imperatore erant dicentibus Hildebrandi depositionem justam esse, quia reus erat Majestatis, ob hoc quod contra Imperatorem ordinaverat alium, rebellandique contra ipsum audaciam assumperat; Aliis dicto Papæ faventibus, quod licet dictum crimen commisisset, non tamen poterat de jure deponi, nisi in Concilio generali.* Alii non nisi à generali, alii etiam à solorum Germanorum Wormatiensi Synodo dixerunt judicari potuisse ac degradari. Priorem sententiam non soli Germani tutati sunt, sed etiam Itali Episcopi, ut videre possis apud Lambertum Schafnaburgensem. De Herimanno Metensi ac Adelberone Herbipolensi Episcopis, posteriorem sententiam in Wormatiensi Conventiculo defendentibus, pergit idem Lambertus: *Adelbero & Herimannus* Pontificis damnationi *aliquamdiu restiterunt, incongruum valde & contra Canonum Scita esse dicentes, ut Episcopus aliquis absens, absque generali Concilio, sine legitimis & idoneis accusatoribus & testibus, necdum probatis criminibus quæ objicerentur, condemnaretur, nedum Romanus Pontifex, adversùs quem nec Episcopi nec Archiepiscopi cujusquam recipienda sit accusatio.* Pontificem à generali Synodo posse deponi nequaquam admiserunt, effrœnis istius Conventiculi audaciam sistere conati dumtaxat suaserunt ad minus esse opus auctoritate Synodi generalis. Adversùs quæ omnia Gregorius à penitus nullo id fieri posse edixit.

A. 1081.

A. 1077.

A. 1076.

Othonem primum Imperatorem, & ab ipso indictam, quæ Joannem duodecimum extrusit, Romanam Synodum laudat in libris de Clementino adversùs Urbanum sextum schismate Theodoricus à Niem, & adjungit: *Utinam talis Imperator surgeret temporibus nostris, qui nunc cassaret scripturarum multitudinem in hoc labyrintho, quæ adeò creverunt propter multitudinem scribentium in hoc passu, quod vix eos centum cameli portarent.* L. 3. c. 11. Nimium longa dicti schismatis calamitas, & manifesta utriusque Pontificis collusio excitarunt multorum pro utraque parte ingenia. Invaluit quæstio de universalis Synodi suprà Papam judiciali potestate, & utriusque partis contentiosis atque dentatis libris latinum orbem implevit. Partem affirmantem plurimùm animavit Constantiensis Synodus, definiens generalis Synodi potestatem esse immediatè à Deo, ipsique subesse omnem Ecclesiæ gradum, etiam Papalem. Eandem adeò adjuvit Parisiensis Universitatis Cancellarius Joannes Gerson, ut magni hoc sæculo viri affirment illum fuisse primum istius sen-

sententiæ auctorem. Quibusdam tamen videntur falli : Videtur sententia esse longè antiquior. Etenim Philippopolitana Eusebianæ factionis Pseudo-synodus degradare attentavit Julium Pontificem; Asserebat se Œcumenicam, ideoque tantam sibi arrogabat potestatem. Eodem fuco Dioscorus Patriarcha Alexandrinus in nescio quo Nicæno conventiculo simile damnationis convitium latravit in Sanctum Leonem. Et de Africanis Episcopis, ob tria Chalcedonensis Concilii Capitula cum Vigilio Pontifice decertantibus, scribit in Chronico Victor Episcopus Tononensis : *Africani Antistites Vigilium Romanum Episcopum, damnatorem trium Capitulorum, Synodaliter à Catholica communione, reservato ei pœnitentiæ loco, recludunt*. Honorium primum, licet defunctum, damnavit sexta Synodus, septimaque & octava confirmarunt. Et Francorum in Gallia ac Germania Episcopis, antiquorum Canonum violationem improperantibus, ideoque comminantibus excommunicationem ac degradationem, respondit Gregorius quartus: *Illud, quod minari vos cognoscimus, periculum gradus, quis explicare poterit quantum sit absurdum, quantumque inconveniens & stultum, cum vestra comminatio non sit propter crimen, homicidium scilicet, sacrilegium, vel aliquid hujusmodi?* Et adversùs improperatum sibi perjurium adjungit: *Perjuri pejeratum degradare non possunt*. Ob capitale crimen fatetur se ab integris Episcopis omninò posse degradari. Etiam Nicolaum primum Pontificem degradavit Photius Patriarcha Constantinopolitanus. Et Paschalem secundum ob Henrico quinto Imperatori redditas Antistitum investituras degradandum censuit Jonnes Primas Ecclesiæ Lugdunensis. Eandem pœnam Adriano secundo ob falsò illi impactam quorumdam Canonum violationem minatus est Hincmari Remensis Episcopi stylo Rex Francorum Carolus Calvus. Nec solum Joannem duodecimum, sed etiam Benedictum quintum degradari per Synodum curavit memoratus Imperator Otho. Et Philippo Augusto Francorum Regi, suum cum Anseberta consummatum matrimonium solvi expostulanti, respondit Innocentius tertius tangi hic Articulum Christianæ Fidei, atque adjunxit: *Si super hoc absque generali deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter Divinam offensam & mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsan ordinis & officii nobis periculum immineret, cum contra* Evangelicam *veritatis sententiam nostra non possit auctoritas dispensare*. Lucidè fatetur se à Synodo posse deponi. Philippi Pulchri Francorum Regis adversùs Bonifacium octavum Pontificem acer defensor, ac in Prædicatorum Ordine insignis Theologus, Joannes de Parisiis eandem thesim in libro de Regia ac Papali potestate constanter defendit, & adjungit : *Contra Papam potest quatrupliciter esse discussio atque judicium. De statu*, seu legitima electione, *de potestate, de potestatis abusu, & personali defectu*. Quoad omnia quatuor docet Pontificem, quin & ipsam Apostolicam Sedem subesse Concilio, & posse judicari. Eandem sententiam ferè sequitur Venericus Vercellensis Episcopus. Distinguit jurisdictionis & rationis judicium : Priori in fidei rebus, posteriori in aliis causis asserit Pontificem subesse Synodis, ac posse exauctorari. Etiam in pœnitentiæ suæ Bulla Pius secundus Pontifex suum cum Cardinali Juliano Cæsarino Viennense colloquium laudans, hæc scribit : *Tuebamur antiquam sententiam, ille novam defendebat; Excellentiam generalis Concilii extollebamus, ille Apostolicæ Sedis potestatem magnopere collaudabat*. Olim à se in Ænea Sylvio defensam pro Basileensi Synodo sententiam lucidè confitetur esse antiquam.

Lib. 3. Ep. 104.

Cap. 23.

Respondeo varia Ecclesiæ tempora, variamque in ipsis disciplinæ formam esse distinguenda. Episcopum atque Diaconum esse sine crimine, id est, sine quovis gravi peccato, mandat Canon Apostolicus: Et per plura sæcula fuit is rigidissimè custoditus. Quisquis quovis crimine acceptum baptismum violasset, fiebat irreparabiliter atque perpetuò irregularis, quisquis fœdasset sacrum Ordinem, ipso facto erat citra restitutionis spem abjectus ad Laicos, ac degradatus. Obligabatur occultum etiam crimen propalare, & ordinis sui executionem ad sui Episcopi vel Synodi manus deponere. Qui Canon omninò adstrinxit etiam Pontificem Romanum. Ipsum namque non solis Apostolicis, aut generalium Synodorum, sed etiam suis adstringi Canonibus, nemo olim dubitavit : Quivis enim legislator ligatur sua lege. Hinc ut Sanctum Cornelium Pontificem non solum perperam ac irritè electum, sed etiam omni priori gradu exutum evinceret factio Novatianensis, garrivit illum Trophymi Thurificati Episcopi communione fuisse pollutum. Erat firmum argumentum, ideoque ejus non consequentiam, sed calumniosum antecedens evertit in litteris ad Antonianum Episcopum Sanctus Cyprianus. Eodem fine Sanctum Marcellinum ac Sanctum Melchiadem, Romanos Pontifices, de thurificationis aut traditionis crimine, aut certè de istiusmodi criminoforum communione calumniati sunt Donatistæ. Ex lapsu isto dixerunt Romæ non ampliùs esse legitimum Pontificem, ideoque suis istic Montensibus alium ex Africa submiserunt. Ex eodem Canone in Apocryphis Sinuessanæ Synodi Actis laudatus Marcellinus lapsum suum publicè confitetur, ac deponit Papatum. Vera Synodus in tanto crimine tunc non dispensasset. Et adversùs Liberium Pontificem, ad Arianis quibusdam Episcopis communicandum, & Syrmiensis fidei Decreta profitenda seductum, exclamavit in publicatis nuper fragmentis Sanctus Hilarius Episcopus Pictavienſis : *Anathema tibi à me dictum, Liberi, & Sociis tuis. Iterum tibi anathema, & tertiò, prævaricator Liberi*. Eum habuit pro degradato, immò pro lapso atque ejecto extra omnem communionem Christianitatis. Et ipsum inter & Collegas patenter non distinguit: Quòd nempè Canon Romanum Pontificem cum aliis Episcopis æqualiter obligaret. Nequaquam Arianus, sed Ariana dumtaxat communione pollutus fuit Liberius, ideoque per factam cunctis apud Ariminum lapsis Episcopis novam clementiam reparari meruit, alioquin numquam reparandus.

Et ex

Et ex hoc Canone adversùs Julium, Sanctum Leonem, Vigilium, atque Honorium Pontifices factio Philippopolitana, Dioscorus, Africani Episcopi, & sexta Synodus processerunt, aut crediderunt se procedere. Hoc item modo in se perjurii vèl homicidii reum potuisse procedi, suprà confessus fuit Gregorius quartus. In Pontificem, qui se ipsum non degradarat, nullus unquam potuit judicialem dare sententiam, generalis tamen Synodus semper potuit incursam à Canone pœnam declarare. Hoc enim non est aliud, quam extrusio degradati.

Dico, *Generalis Synodus*: Ea namque declaratio, licet non sit actus jurisdictionis, fieri tamen debet à legitima potestate, qualis respectu Pontificis est sola generalis Synodus. Et hinc Philippopolitanam factionem, & Nicænum Dioscori Conventiculum, non solum quòd viros innoxios, sed præsertim quòd totius Dominicæ vineæ Præsides degradare, aut degradatos declarare attentassent, damnarunt Sardicensis Synodus & Chalcedonensis. Eadem de causa Sanctos Pontifices Sylvestrum & Damasum de nescio quibus gravibus criminibus calumniatores non ad Patriarchalem Synodum, sed ad publica Constantini & Gratiani Tribunalia detulerunt. Norant isti Synodo nec declaratricem aut executricem in suos Pontifices competere potestatem. Verùm ad generalem Synodum fatigari Episcopos & Laico judicio subdi detrectantes laudati Pontifices, *severioribus se ipsi dedere judicibus Sacerdotum*. Patriarchali suæ Synodo se sponte submiserunt. Ita in Theodosiani Codicis apud Jacobum Sirmondum Appendice scribit ad Imperatorem Gratianum posterior Romana Synodus. Eadem de causa accusatus apud Theodoricum Italiæ Regem Symmachus Pontifex suæ se Synodo dedit examinandum. Hinc item ab Episcopi, Metropolitæ, Patriarchæ, atque etiam Romani Pontificis, de incursa ob crimen degradatione famosi, communione quidem se secernebat olim populus aut Clerus, nemo tamen subditus poterat ipsos è throno deturbare. Quinimmò ut ante legitimæ Synodi declaratoriam sententiam nullus omninò adversùs suum Patriarcham attentet istam secretionem, ex causis sanxit octava Synodus. Et adjungit de Romano Pontifice: *Si Synodus universalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de sancta Romanorum Ecclesia quævis ambiguitas & controversia, oportet venerabiliter & cum convenienti reverentia de proposita quæstione scisciari, & solutionem accipere*. Quemvis Romani Episcopi lapsum non nisi à generali Synodo permittit duci in examen. Et hinc de animæ per hæresim morte non penitus rectè scripsit ad Paschalem secundum Pontificem Goffredus Abbas Vindocinensis: *Hujus mortis auctorem vel novissimum Ecclesiæ membrum credere, etiamsi Pastor videatur, errare est. Huic errori quicumque inhæserit, merebitur ab ipsa vitæ radice præscindi. Tolerandus quidem est Pastor, ut Canones dicunt, pro reprobis moribus, si verò exorbitaverit à fide, jam non est Pastor, sed adversarius, à quolibet peccatore, tantùm Catholico, detestandus. Licet enim, secundùm sanctorum Decreta Romanorum Pontificum, etiam meretrici communem Ecclesiæ fidem defendere*. Nisi Romani Episcopi hæresis sit toti mundo manifesta, ista Regula non habet locum.

Can. 10.

Cap. 21.

Lib. 1. Epist. 7.

Antiqua interim, quæ Episcopos ob varia crimina dejecit ad Laicos, seu ipso facto degradavit, disciplina jam pridem laxata est, & ad solam ferè hæresim contracta. Hinc legitimè promotus Pontifex ob solum istum lapsum jam pridem possit extrudi. Quod ipsum & illi, quicumque jam à pluribus sæculis Pontifices degradare tentarunt, sunt palàm professi: Hæresim semper posuerunt sui Attentati & conatus fundamentum. Etenim Nicolaum primum, antequam degradaret, de varia hæresi accusavit etiam præsumptor Photius. Et inter crimina, ob quæ Joannem duodecimum extrusit Romana Synodus, fuerunt & hi articuli : *Quòd Diaboli in honorem vinum bibisset. Quòd in ludo aleæ, Jovis, Veneris, cæterorumque Dæmonum auxilium poposcisset*. Et Gregorio septimo non solummodò Necromantiam, & alia adversùs fidem horrenda facinora, sed etiam Berengarianam hæresim, ac dolosum ejus patrocinium impegit Synodus Wormatiensis. Ita habes in criminatorio libello Cardinalis Bennonis, ac in Chronico Abbatis Usspergensis. Et ut Paschalem secundum degradandum persuaderet, Laicam Antistitum investituram esse hæresim docuit Joannes Archiepiscopus Lugdunensis. Quam opinionem falsam credens Sanctus Ivo Carnutensis Episcopus constanter etiam docuit de ista degradatione ne vel cogitandum. Ex sola item hæresi se degradari posse, supra ad Philippum Augustum scripsit Innocentius tertius. Etiam in Bonifacium octavum, Joannem vigesimum secundum, ac Eugenium quartum, quos aut degradare attentarunt aut postularunt degradandos, variam hæresim objecerunt Philippus Pulcher Francorum Rex, Ludovicus quartus Imperator, & Synodus Basileensis. Dixi, *Legitimè promotus Pontifex* : Quòd enim manifesta intrusio, dubiaque item & schismatica electio judicari possint ab Ecclesia, suo loco exponetur.

De judiciali sententia agit præsens Dictatus, ipsumque confirmant quæ adversùm Eusebianæ in Philippopolitano Conventu factionis, Dioscori Patriarchæ Alexandrini, & Photii Constantinopolitani audaciam, & de sextæ Synodi in Honorium Decreto dixi suis locis. Se in judicium vocari non posse, nec solam suam personam, sed nec suum judicium posse à quoquam judicari, uti rem toti orbi manifestam, constanter in litteris ad Faustum Magistrum, & ad Dardaniæ Episcopos affirmat Sanctus Gelasius. Nempè lapsum se in crimen, cui Canon ipso facto non infligit degradationem. De ejusmodi lapsu accusatus posteà fuit etiam Symmachus Pontifex, ideoque in Apologetico ejus libello scribit Ennodius tunc Diaconus Ticinensis : *Aliorum fortè hominum causas Deus voluit homines terminare, sed sedis Romanæ Præsules suo fine quæstione reservavit arbitrio. Voluit Beati Petri Apostoli Successores Cœlo tantùm debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam*.

Insigniter id & amplè confirmat. Confirmat & Sanctus Avitus Archiepiscopus Viennensis. Et hinc judicialis in laudatum Pontificem sententiæ attentatores quinta ejus Romana Synodus damnavit.

Quid opus multis? Dictatum hunc lucidè firmavit & in Canonem redegit Synodus octava. Primò sancit, ut nulla laica Potestas ullum Patriarcham sede sua extrudat, aut quovis modo inhonoret, sed omnem illis reverentiam impendat, Romano præsertim, itemque Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, ac Hierosolymitano. Agit in defunctum Michaelem Augustum, à quo pulsus atque ejectus
Cap. 21. fuerat Sanctus Ignatius Constantinopolitanus, necnon in Ludovicum secundum, eadem meditatum de Sancto Pontifice Nicolao. Deinde in Photium, fœdissimos in laudatum Pontificem libellos tamquam generalem Synodum spargere ausum, pergit Canon, similemque audaciam rigidissimè damnat, ac tandem de vera generali Synodo concludit: *Si Synodus universalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de sancta Romanorum Ecclesia quævis ambiguitas & controversia, oportet venerabiliter & cum convenienti reverentia de proposita quæstione scisciari, & solutionem accipere, aut proficere aut profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere contra Summos senioris Romæ Pontifices.* Voces, *Ambiguitas, Controversia, Sententiam dicere*, palàm ostendunt agi de criminibus, quibus ipso facto non est adnexa pœna degradationis. Voces, *Audacter sententiam dicere*, sunt desumptæ ex Sancti Bonifacii primi ad Rufum Thessalonicensem, ac alios Illyrici Episcopos litteris, exstantibus apud
Epist. 10. illustrissimum Lucam Holstenium: *Nemo umquam Apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit, nisi qui de se voluit judicari.* Criminalem de Romano Pontifice quæstionem laudatus Canon permittit examinari, reumque Pontificem cum reverentia postulari ad solutionem ac satisfactionem, verùm rigidissimè damnat prorumpi in audaciam, qua judicetur Pontifex aut damnetur.

Eandem veritatem tradit, de Benedicto quinto dubiæ electionis Pontifice, ad Othonis primi Imperatoris jussum degradato, agens Ditmarus Episcopus Merseburgensis: *Imperator valentiorem sibi in Christo Dominum Apostolicum, nomine Benedictum, quem nullus absque Deo judicare potuit, injustè, ut spero, accusatum deponi consensit, & quod utinam numquam fecisset, exilio apud Hammaburgh relegari præcepit.*
L. 2. Et Joanni Lugdunensium Primati, evocanti ad Ausanam Synodum, & Paschalem secundum istic degradare paranti, rescripsit Sanctus Ivo Carnutensis Epi-
Epist. 236. scopus: *Non videtur nobis utile consilium ad illa Concilia convenire, in quibus non possumus eas personas, contra quas agitur, condemnare vel judicare, quia nec nostro, nec ullius hominum probantur subjacere judicio.* Variè id confirmat, & concludit: *Hæc dicentes non instruimus Prudentiam vestram; sed excusamus innocentiam nostram, quia principales Ecclesiæ claves nolumus potestate sua privare, quæcumque persona Petri vices habeat, nisi manifestè ab Evangelica veritate decedat.* Non solùm à Gallicana Synodo, sed à nullo hominum, id est, nec à generali Concilio affirmat Papam posse judicari. Ipsum, licet Apostolicam Cathedram Pharisaicis moribus, dummodò non falso dogmate, maculet, affirmat tolerandum, Divino reservandum judicio, & ab hominibus non damnandum. Nec ipse solus hæc scripsit, sed ejus etiam Metropolita Daimbertus, omnisque Provincia Senonensis. Et hunc semper fuisse perpetuum Gallicanæ Ecclesiæ sensum
Lib. 1. cap. 11. profitetur ac variè demonstrat in opere de Sacerdotii ac Imperii concordia illustrissimus Dominus Petrus de Marca. Et hinc Rex Carolus septimus, cuncta Basileensis Synodi Decreta admittens, Eugenii quarti degradationem ac Felicis quinti intrusionem admittere numquam voluit: In Eugenii communione ac obedientia constans permansit.

Verùm jampridem cessare hanc omnem quæstionem audivimus suprà à Nicolao Cardinale Cusano. Peccata enim nostra per Schisma aut Paganismum exstinxerunt quatuor Patriarchatus, & præter ipsorum paucas reliquias mansit nobis solus Romanus. Ita Œcumenica Ecclesiæ Synodus contracta est ad Patriarchalem, quam certum ac manifestum est pleno jure subesse Pontifici, ac non posse de ipso judicare. Certè de Sylvestro, Damaso, ac Symmacho, nisi se sponte submisissent, numquam judicare attentasset. Similiter se submittenti Leoni tertio acclamavit omnis ista Synodus: *Nos Sedem Apostolicam, quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum, judicare non audemus. Nam ab ipsa nos omnes & Vicario ejus judicamur, ipsa autem à nemine judicatur, quemadmodum & antiquitùs mos fuit.* Quòd ista in Synodo supremam atque irrefragabilem auctoritatem semper habuerit Pontifex, suprà audivimus à laudato Cardinale Cusano, & suo loco est abundè ostensum. Et hinc Basileensis, Eugenium degradare ausa, & totam Ecclesiam à se repræsentari jactitans, Synodus graviter excessit. Nullus enim illi adfuit Orientalis Patriarcha, nullus ipsorum Legatus. Et plurimi defuerunt Latini Episcopi. Egregiè id intellexit, qui Caroli septimi Francorum Regis, Eugenii degradationem damnantis, litteras scripsit ad dictam Synodum: *Apud viros graves dubitatur, num Eugenii depositio, & subsequens electio sunt ritè, justè, Canonicè, & legitimè celebratæ, & an congregatio Basileensis tunc sufficienter repræsentaverit Ecclesiam universalem ad tam arduos actus exsequendos. Ideò Rex, quia non est sufficienter informatus super prædictis, perseverat & manet in obedientia Eugenii, in qua nunc stat.* Post Græcorum Apostasiam factas è solis Romani Patriarchatus Episcopis Synodos non nego esse per omnia Œcumenicas, addo tamen idcircò Pontificem avito in ipsas Primatu non excidisse. Proindè quousque perseveraverit ista miseria, nullam ad judicandum Pontificem esse in mundo potestatem, ipsi etiam Apostolicæ Sedis Adversarii coguntur fateri. Et hinc cunctos da ista quæstione scriptos libros Theodoricus à Niem rectè suasit exurendos. Ea item, quæ Pontificem ob

ob solos disciplinæ aut morum lapsus vult posse extrudi & judicari, sententia omninò duxit originem à Joanne Gersone: Anteà nullus vel primum credidit possibile nisi ob Hæresim, aut certè ob crimen cui degradatio erat ipso jure adnexa. Nec aliud in pœnitentiæ Bulla dixit Pius secundus: Errorem enim istum vocat antiquam sententiam, non quod ipsam alii ante Gersonem, sed quod ante Papatum ipse docuisset. Lucida sunt verba, nec opus est Commentariis.

Exponitur novissimum cujusdam Dogma.

HÆc omnia improbat & damnat Joannes Launojus. Constantissimè tuetur Commonitorium, quod pro Tridentinæ Synodi instructione ad Romæ degentem suum Secretarium Joannem Britonem misit Carolus Cardinalis Lotharingius: *Ego negare non possim, quin Gallus sim, & Parisiensis Academiæ alumnus, in quæ Romanum Pontificem subesse Concilio tenetur, & qui dicunt ibi contrarium, tamquam Hæretici notantur.* Constantiensem ac Basileensem extollit, Florentinam autem Synodum indignè deprimit, ac prosequitur: *Privilegia seu libertates Regni in hac veritate positæ sunt universæ. Et eam ob causam disputatio hujusmodi si fiat, tota ad subversionem audientium converteretur, Regnum separabitur ac distrahetur: Quod erit commune ac summum illius exitium. Nam credere vel unum esse Antistitem, qui his consentiat, insanum esset.* Loquitur ex articulis, quos olim ad Basileensis Synodi postulationem probarunt quædam generalium studiorum universitates, & quorum hic fuit primus: *Veritas est Catholicæ Fidei, sacrum generale Concilium suprà Papam potestatem habere.* Et Eugenium quartum, quòd prætensis fidei veritatibus constanter obsisteret, tamquam Hæreticum dicta Synodus degradavit. Existimabat sic definitum à Concilio Constantiensi. Istud Commonitorium laudat in variis Epistolis Joannes Launojus, & exclamat in Epistola ad Antonium Taurum: *Romanam & melioris ævi constantiam.*

Nempè dolet Lotharingam istam fidem jam flaccescere in Gallia, & damnatam ab ipsa Hæresim prævalere. Etenim in opere de Sacerdotii ac Imperii concordia longè aliter credit illustrissimus Parisiensium Archiepiscopus Petrus de Marca: *Solet à plerisque Pragmaticis hoc ferè præcipuum constitui libertatis Gallicanæ Theorema, Concilium Œcumenicum superius esse Summo Pontifice.* Eruditè hoc refutat, ejusque prolixiorem discursum Stephanus Baluzius redegit in hoc compendium: *Confutatur communis opinio, quæ docet præcipuam libertatum Regulam hanc esse, ut Concilium Œcumenicum superius Romano Pontifice dicatur. Quamvis hæc sit Scholæ Gallicanæ sententia, non est una ex libertatibus Gallicanis.* Invenimus unum Antistitem, qui Cardinali Lotharingo non consentit. Et quis tantum Episcopum vel cogitet de Hæresi accusare? Et quidem Gallicani Pragmatici solum generale Concilium Romano superponunt Episcopo, at verò Joannes Launojus eandem Præfecturam impertit etiam Capuanæ Synodo, de qua scribit in Epistola ad Ludovicum Maresium: *Syricius Pontifex Capuensi Synodo, quæ non habetur Œcumenica, se subjectum esse recipit.* Labitur utroque pede. Nam quòd universalis fuerit ista Synodus, lucidè ad Theophilum Alexandriæ Patriarcham scribit Sanctus Am-
Epist. 9. brosius. Et quòd ipsi se subjectum admiserit Syricius, nulla littera suadet in ejus Epistola ad Anysium Episcopum Thessalonicensem.

Ex eodem principio persuadet sibi Joannes Launojus Romanum Episcopum à generali Concilio posse etiam deponi. Verùm illi iterùm adversatur laudatus Parisiensium Archiepiscopus, cujus insignem doctrinam Stephanus Baluzius redegit in hæc compendia: *Persona*
Lib. 1. cap. 11. *Pontificis à nemine judicatur, ex Synodo Romana sub Symmacho, & ex Ennodio. Eadem Ecclesiæ Gallicanæ sententia. Romanum Pontificem à nemine judicandum professus est Carolus Magnus, & cæteri Galli in Synodo Romana.* Gaudeat Magnus Carolus Joannem Launojum à Divina providentia servatum in nostra tempora. Etenim ab ipso fuisset damnatus de Hæresi, aut certè ad Curiales Theologos proscriptus. Addit laudatus Archiepiscopus: *Sanè in causa Hæreseos publicè professæ & Schismatis, quin de Romano Pontifice fieri possit judicium, nullus umquam Scriptor dubitavit. Quamvis sententiam malint declaratoriam dici, quàm condemnatoriam.* Nobiscum per omnia consentit, nec credit se Hæreticum, aut Romanæ Curiæ adulatorem.

Hanc vetustam Regulam, *Prima sedes à nemine judicatur*, ad Apocrypha figmenta proscribit in Epistola ad Claudium Santeulium Joannes Launojus, fictam occasione Sancti Sylvestri, qui calumniam passus coram Constantino Magno Imperatore se purgavit. Respondeo & Sinuessanam adversùs Sanctum Marcellinum, & Romanam Sancti Sylvestri Synodos, à quibus laudatur ista Regula, esse fictas & spurias, attamen non carere fundamento. Etenim ipsarum confictor fuit omninò Catholicus, & vixit octavo sæculo, ideoque juxta communem sui temporis sententiam est locutus. Et Regulæ substantia est longè antiquior. Etenim de Sancto Petro Apo-
Epist. 9. stolo ac ejus Successore Romano Episcopo scripsit olim Sanctus Bonifacius primus: *Nicæna Synodus aliquid super eum non est ausa constituere, cum videret nihil suprà meritum suum posse conferri. Omnia denique huic noverat Domini sermone concessa.* Quod quid est aliud, quàm primæ sedis Episcopum à generali Synodo non posse judicari? Nicænum paucorum Episcoporum Conventiculum, in quo Sanctum Leonem Pontificem damnavit, Dioscorus Alexandriæ Patriarcha prætendebat esse generalem Synodum: Ad Ephesini latrocinii retractanda Acta indictam Nicæ Synodum prætendebat à laudato Pontifice non potuisse transferri Chalcedonem, ideoque omnem Synodi auctoritatem esse ad paucos Nicææ perseverantes Episcopos devolutam. Hinc se iterum intrusit in Præsidem, & sententiam, quam Ephesi in

in Sanctum Flavianum dederat, hic extendit in ejus fautorem ac defensorem Sanctum Leonem. Hinc ipsum degradavit Chalcedonensis Synodus, & causam expressit in relatione ad laudatum Pontificem: *Dioscorus post hæc insuper & contra ipsum, cui vineæ custodia à Salvatore commissa est, extendit insaniam, id est, contra tuam quoque Apostolicam Sanctitatem, & excommunicationem meditatus est contra te, qui corpus Ecclesiæ unire festinas.* Et in relatione ad Valentinianum ac Martianum Imperatores: *Dioscorus super alias suas nequitias & adversùs ipsam Apostolicam Sedem latravit, & excommunicationis litteras adversùs sanctissimum ac beatissimum Papam Leonem facere conatus est.* Ipsum non damnavit quod sine legitima causa, sed quod in ipsam Apostolicam Sedem, ac ipsum totius vineæ Præfectum latrare, & excommunicationem meditari præsumpsisset. Et quidem in illum vineæ Præfectum, *qui Ecclesiæ corpus unire festinabat.* Hoc est, qui ad abrumpendas varias moras Synodum Nicæa transtulerat Chalcedonem. Damnavit Dioscorum, quod tractasset primum Leonem, sicut quartum Eugenium posteà tractavit Synodus Basileensis. Voces, *Contra ipsum, Adversùs ipsam, Latravit, Meditatus est, Conatus est*, altissimè clamant primam cum suo Episcopo Sedem à nemine judicari posse: Ejusmodi judicium non posse effici, sed dumtaxat cogitari, & esse simile rabidi canis latratui adversùs lunam.

Ejusdem mentis fuit Romana Adriani secundi adversùs Constantinopolitanæ Ecclesiæ invasorem Photium Synodus. Photii in Sanctum Patriarcham Ignatium facinora adducit in prima allocutione Pontifex, & de ejus imaginaria ac maledica in Sanctum Nicolaum Pontificem Synodo pergit: *Post hæc posuit in cœlum os suum, & lingua ejus transiit super terram, dum videlicet contra Divinam ordinationem, cœlitus in Beati Petri Apostolorum Principis Primatu dispositam, & præcipuam ac summam dignitatem ac potestatem, linguam suam more serpentis exacuit, vitam scilicet Decessoris mei Papæ Nicolai lacessere nullo modo metuens, &c.* Non dumtaxat quod Sanctum Pontificem calumniis denigrare, sed præsertim quòd primæ Sedi Episcopum contra datum illi à Divino jure privilegium damnare præsumpsisset. Hinc adjungit Adrianus Pontifex: *Ego pro lege Dei, pro paternis conservandis Canonibus, pro veneratione Apostolorum, pro privilegiis defendendis Sedis ipsorum, proque sanctæ mentionis Decessoris mei Papæ Nicolai prædicanda memoria, & sequentibus actibus, atque celebrandis definitionibus, non solùm varia incommoda perpeti, verùm etiam more Sanctorum Prædecessorum meorum Pontificum, in promptu habeo, si necesse sit, mortis subire discrimen.* Primò pro lege Dei & Divinis Cathedræ privilegiis, deindè pro memoria innocentis Nicolai. Loquitur ex Magni Gregorii Epistola ad Sabinianum Diaconum, suum in Regia civitate Apocrisiarium: *Ante paratior sum mori, quàm Beati Petri Apostoli Ecclesiam in meis diebus degenerare.* Pergit in tertia allocutione: *Intolerabilis est ista præsumptio, & hanc aures præcordiorum sustinere non possunt. Quis umquam vestrum tale quid audivit, aut quis hujusmodi temeritatis immensitatem saltem lectione invenit? Siquidem Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus judicasse legimus, de eo verò quemquam judicasse non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen est, quia fuerat super hæresi accusatus, propter quam solam licitum est minoribus Majorum suorum motibus resistendi, vel pravos sensus liberè respuendi: Quamvis & ibi nec Patriarcharum nec cæterorum Antistitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferendi sententiam, nisi ejusdem primæ Sedis præcessisset auctoritas.* Imaginaria Photii Synodus erat generalissima: Et tamen nec à tali Romanum Pontificem judicari potuisse Adrianus constanter adfirmat. Addit Honorium, licet defunctum, & in causa hæresis, etiam à sexta Synodo sine speciali Sancti Agathonis indulto non potuisse damnari. Quia nempè primæ Sedis Episcopus à nemine judicatur. Et generalissima etiam Synodus nihil tractare potest nisi ad mandatum & relationem Episcopi Romani. Quæ omnia Adrianus confirmat auctoritate Ephesinæ Synodi. Lacerata hæc fuit in duas partes. Joannes Antiochenus Sanctum Cyrillum Alexandrinum Patriarcham arguit violati Canonis, censuit excidisse jure præsidendi, omnem auctoritatem Synodi ad se devolutam, atque ita ipsum degradavit. Quo in facinore cum nova Cælestini Pontificis legatione omnis Synodus, licet jactatas in innoxium Cyrillum calumnias, præsertim tamen damnavit usurpatam à Joanne potestatem: Quòd tertiæ Sedis Episcopus contra secundæ Sedis Episcopum insurrexisset. Hinc rectè Adrianus infert primæ Sedis Episcopum à nullo judicandum.

Quæ omnia probavit laudata Romana Synodus, asseverans Photii temeritatem esse extrema damnatione dignissimam, non quia innocentem Nicolaum Papam calumniatus, sed quia esset prævaricatus Evangelicum atque Apostolicum Canonem: *Non est discipulus suprà Magistrum.* Lucidè supponit Romanum Episcopum esse Magistrum etiam generalium Synodorum, & has ipsi subjici tamquam discipulos. Et hunc esse fundamentalem Ecclesiasticæ Hierarchiæ ordinem. Et pergit: *Quarta magna & universalis Synodus adeò hanc temeritatem execrata est, ut Dioscorum Alexandrinum sine restitutione damnaverit: Præsumpserat enim & ipse contra primæ Sedis privilegium, contraque jam memoratam Regulam agens, cùm esset posterior, se anteriori præferre, & ordinem sibi à Deo decretum non recognoscens, de Sedis præfatæ Pontifice, magno videlicet Papa Leone, temerè judicare, cùm videlicet nec personam Synodum convocandi habuerit, ut Apostolicæ Sedis Vicarii in eadem Synodo protestantur. Quippè qui secundùm præfatum Canonem, cùm esset posterior, inconsulto anteriori agere aliquid præsumere non debuerit, quantò minùs sine ipso generalem Synodum convocare, aut, quod detestabilius est, adversùs eumdem sententiam quamlibet promulgare.* Quidam volunt respici Lucentii Esculani Episcopi ac Apostolici Legati adversùs Dioscorum in Chalcedonensis Synodi ingressu intercessionem: *Judicii*

L. 7. Epist. 1.

sui necesse est Dioscorum dare rationem. Quia cum judicandi personam non habuerit, præsumpsit, & Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod numquam licuit, numquam factum est. Verùm Ephesina illic Acta damnavit Lucentius, in quibus judicandi quidem & præsidendi, non tamen convocandæ Synodi personam usurpavit Dioscorus: Et istic dumtaxat Sanctum Flavianum Constantinopolitanum, ac Eusebium Dorilei Episcopum invasit, nequaquam Sanctum Pontificem Leonem. Quapropter laudata Romana Synodus respicit & laudat hæc totius Apostolicæ Legationis verba in Synodali adversùs Dioscorum sententia: *Secundis excessibus priorem iniquitatem valdè transcendit Dioscorus. Præsumpsit enim & excommunicationem dictare adversùs sanctissimum ac beatissimum Archiepiscopum Magnæ Romæ Leonem.* Agunt verba in ejus Nicænum Conventiculum, de quo in suis Chalcedonensi Concilio exhibitis adversùs Dioscorum libellis scripsit Theodorus Alexandrinæ Ecclesiæ Diaconus: *Ostendam quid ab eo in Nicæa Metropoli temerariè gestum sit.* Ostendit quod illic cum decem suæ Diœceseos Episcopis Conventiculum fecerit, & ad suo in Sanctum Leonem latratui subscribendum invitos ac reclamantes coegerit. Quomodo celebrandæ Synodi locum à laudato Pontifice designari, & ante factam ab ipso designationem sacras Tractorias concipere noluerit Imperator Martianus, norunt periti rerum Chalcedonensium. Et Pontifex designaverat civitatem Nicænam. Verùm mutanda illa fuit ob rationes, & tunc denuò per Pontificem Synodus translata est Chalcedonem. Dioscoro id displicuit, solus ibi cum paucis Ægyptiis fecit Conventiculum, censuit Synodum non posse transferri, omne ejus jus ad se devolutum voluit, & tractavit Magnum Leonem, quomodo Eugenium quartum Synodus Basileensis. Isti nefando Conventiculo imaginariam Photii Synodum comparant, ideoque & ipsum Dioscoro in pœna comparandum censent Romani Patres: Non quòd in innoxium, sed quòd in Pontificem contra Divina Apostolicæ Sedis privilegia uterque latrasset. Et probant privilegium ex Sancti Bonifacii primi ad Rufum Thessalonicensem ac alios Illyrici Episcopos litteris: *Apud Sanctum Petrum Apostolum Christus noster Sacerdotii summam locavit. In cujus contumeliam quisquis insurgit, habitator Cœlestium non poterit esse regnorum. Tibi, inquit, dabo claves regni cœlorum. Nemo umquam Apostolico culmini, de cujus judicio non licèt retractari, manus obvias audacter intulit, nemo in hoc rebellis exstitit, nisi qui de se voluit judicari.* Integram Epistolam nuper publicavit Dominus Lucas Holstenius. Et in ipsa vides laudatam superius sententiam, ex qua discimus quid sit de Romano Episcopo audacter judicare. Romanæ huic Synodo aderat ad octavam Synodum destinata, & jam parata legatio, & ipsi Apostolicas circa dictam Photii audaciam instructiones rogatus Adrianus Pontifex hanc dedit: *Photium, qui licet sit à Decessore meo, & à nobis pro criminibus ante patratis jure damnatus & anathematizatus, nunc tamen quia recentioribus excessibus priores iniquitates valdè transcendit, & ponens in cœlum os suum, adversùs veneranda Sedis Apostolicæ privilegia nova temeritate prorupit, dum scilicet ordinationi supernę in Beati Petri Principatu dispositę resistere minimè dubitavit, & in Cathedra non sanitatis, sed pestilentiæ sedens congregavit conventicula de sanguinibus, cum scilicet sibi faventium simpliciorum animas interfecit, & utpotè mendacii inventor, & fabricator perversorum dogmatum, non nisi falsitatis præstigias, & omnis mendacii figmenta, solito more congessit, atque tam contra Decessorem meum sanctæ recordationis Papam Nicolaum, quàm etiam contra nos, ac per illum in Apostolicum culmen nec iniqua garrire fauce trepidavit, nec manus obvias, quod nemo umquam præsumpsit, audacter extendere formidavit, Apostolicæ auctoritatis censura iteratò damnamus, & pro his specialiter Anathematis nexibus innodamus, hunc scilicet cum Dioscoro, cujus in hoc imitator exstitit, meritò sociantes, & sanctæ magnę Chalcedonensi Synodo in tam pernicioso præsumptore puniendo per omnia concordantes.* Uti Dioscorum, non solùm quòd in innoxium, sed præsertim quòd in Pontificem latrasset, damnavit Chalcedonensis Synodus, & hos dixit secundos excessus, quibus omnem priorem iniquitatem ille transcendit; ita hæc Romana Synodus damnavit Photium, non solummodò quòd innoxium Nicolaum Pontificem tentasset maculare, sed præsertim quòd os suum posuisset in Cœlum, seu in Cœlestia Sancti Petri privilegia, quòd in Apostolicum culmen garrivisset iniqua, & quòd audacter intulisset manus obvias: Hoc est, quòd Dioscorum imitatus, generalis Synodi prætextu Pontificem damnasset. Et ex hac instructione seu regula lucidè formatus est vigesimus primus Canon octavæ Synodi. Quare Jacobi Almaini, quæ adversùs Cardinalem Cajetanum in Epistola ad Raymondum Formentinum prædicat Joannes Launojus, commenta ad rem non faciunt. Nequaquam enim judicandi Pontificis modum præscribit, sed ipsum nullo modo judicandum decidit Canon: Decidit à vera etiam generali Synodo non posse attentari, quod attentavit Photius in imaginaria. Decidit à vera etiam generali Synodo Romanum Episcopum, si deliquerit, cum reverentia admonendum, verùm nullo modo prorumpi posse in audaciam, qua damnetur. Quia nempè Divina sunt istius Sedis privilegia, ideoque ejus Episcopus ab homine non judicatur. Eodem modo Canonem exponit Illustrissimus Petrus de Marca, addens præsentem nostri Gregorii Dictatum esse per omnia legitimum.

Act. 3.

L. 1. c. 11.

Hæc omnia eodem sensu intellexit etiam Anastasius Bibliothecarius. Etenim in octavæ Synodi ad Adrianum secundum Pontificem præfatione mille Episcoporum confictam à Photio Synodum exponit, atque de veris, qui fabulæ adfuerant, Episcopis prosequitur: *Cuncti qui aderant, exceptis perpaucis, & his fautoribus impietatis, clamarunt non esse justum in summum & primum Pontificem, & præcipuè ab inferiori, quomodolibet sententiam proferendi, cùm id nec Canon quisquam admittat, nec aliqua Ecclesiæ consuetu-*

do fieri doceat. Etiam de Romana laudati Adriani Synodo pergit: *Synodo mox apud Beatum Petrum collecta, profanum codicem illum cremari censuisti, & ita fieri apud Constantinopolim, si qua exemplaria ejus ibidem invenirentur, jure mandasti, quod & factum est, & auctorem ejus pro tanta temeritate denuò damnans, hujus paria occultantes censura simili sequestrasti. Missisque cum auctoritate Apostolica Vicariis & Epistolis Decretalibus jussisti fieri Constantinopoli Synodum pro multis quidem necessitatibus Ecclesiæ, sed pro his præcipuè, quæ huc usque breviter adnotatæ sunt: Quæque in hujus Synodi Gestis inveniuntur, in qua scilicet Photius ob id etiam specialiter condemnatur, quoniam depositionem vel anathema præsumpsit in sanctæ memoriæ Papam Nicolaum nominare*. Adrianum laudat, non tam quòd Nicolai Pontificis personam, sed præsertim quòd Apostolicam Sedem defenderit adversùs schismaticam atque hæreticam Photii audaciam, & Romana sua pro Divinis ejus privilegiis Decreta curaverit per octavam Synodum firmari. Nam & ad Sanctum Patriarcham Ignatium de reparandis per Synodum schismaticis Photii sectatoribus scripsit laudatus Pontifex: *Sanè hos, qui in nefando conciliabulo, quod in injuriam & derogationem Sedis Apostolicæ Constantinopoli factum est, voluntariè subscripsisse probantur, cujuscumque sint ordinis vel professionis, nulla venia dignos esse, nisi multa miseratio ejusdem, quam lædere ausi sunt, Apostolicæ Sedis occurrat, evidentissima ratio docet, & multifaria Majorum sanctio manifestè demonstrat. Quin & universalis Chalcedone habita Synodus adeò hujusmodi temeritatem detestata est, ut in sententia, quam in Dioscorum protulit, hoc maximè memorare videatur, cum de ipso dicit*: Secundis excessibus priorem iniquitatem valdè transcendit. Præsumpsit enim & excommunicationem dictare adversùs sanctissimum & beatissimum Archiepiscopum magnæ Romæ Leonem. *Priorem autem iniquitatem, pravitatem utique dicit hæreticam. Undè nota, quòd Dioscorus secundis excessibus, quos in excommunicatione Romani Papæ dictata patravit, etiam hæresim Eutychianam valdè transcendisse referatur*. Et per Photium ficti, & per Dioscorum coacti conciliabuli temeritatem adfirmat omni hæresi majorem ac priorem, non quòd in innoxias personas, sed quòd in Apostolicæ Sedis injuriam ac derogationem latrare contra evidentissimam rationem & multifariam Majorum sanctionem præsumpsissent. Et ex hoc Rescripto Theodorus Stauropolitanus Episcopus & Cariæ Metropolita passus fuit quod in tertiæ actionis marginali Scholio scribit laudatus Anastasius: *Quamvis Theodorus post scriptum Romanum libellum, indulta culpa, quam contra Patriarcham Ignatium, ab illo recedendo, & contra subscriptionem suam agendo commiserat, per libellum pœnitentiæ receptus sit, postea tamen deprehensus, quòd in depositione ac anathemate Papæ Nicolai scripserit, ab universa Synodo, sola pro hac causa dejectus est, dumtaxat Beati Petri judicio reservatus*. Quòd igitur Romanum Episcopum nec à ficta nec à vera generali Synodo judicari posse sanxerit octavum Concilium, est meridiana luce manifestius. Sanxit ex regula, quam ad omnes Orientis Patriarchas atque Episcopos scripsit de hac ipsa quæstione laudatus Pontifex Nicolaus: *Sedes Petri à nemine judicatur, nisi ab eo qui illi claves Regni dedit*. Exstat Epistolæ compendium in Actis laudati Concilii, & est ab ipso probatum.

Examinatur Romana Synodus Symmachi Pontificis.

Quæstio est, An nostra pro Romano Pontifice assertio rectè probetur ex Synodis Symmachi Pontificis, & scripta pro ipsis Apologia ad Ennodium tunc Diaconum, postea Episcopum Ticinensem? Adfirmat laudatus Parisiensis Archiepiscopus. Item in laudata Romana Synodo Adrianus secundus. Verùm in litteris ad Claudium Santeulium constanter negat Joannes Launojus. Synodorum istarum Regulam, quæ Romanos Episcopos adfirmat *minorum numquam subjacuisse judicio*, laudat atque pergit: *Certum est ante omnia, minores appellari non posse Antistites, quos & Symmachus & Symmachi Decessores appellant Collegas, Fratres, Comministros, Consacerdotes, & Coepiscopos*. Veritati huic intelligendæ ait opus esse solis oculis, nullo commentario. Et infrà: *Ad Episcporum Concilium illa non pertinent, sed ad Romanos plures Clericos, ad Senatum & populum, qui se in Symmachi causa, ferventiori quam par fuit studio interposuerunt*. In eundem sensum trahit auream, quàm ad Symmachum & Faustum Romanos Senatores ex totius Gallicanæ Ecclesiæ placito scripsit Sanctus Avitus Archiepiscopus Viennensis, Epistolam. Adfirmat ipsam in Regem Theodoricum, in Senatum ac populum, & in Romanum Clerum, nullo modo scribi in Synodum, atque adjungit: *Facilè apparet Gallicanos Antistites in ea fuisse sententia, ut credevent Romanum Concilium potuisse de Symmacho judicare legitimè, si legitimè & de publicis flagitiis accusatus fuisset*. Existimat ab Avito, dum pro Symmacho scripsit, actam fuisse communem omnium Episcoporum causam, & Romano Episcopo nihil singulare adscribi.

Verùm apologeticus Ennodii liber aliud lucidissimè docet: *Aliorum fortè hominum causas Deus voluerit per homines terminare, sedis istius Præsulem suo sine quæstione reservavit arbitrio. Voluit beati Petri Successorem Cœlo tantùm debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam*. Et addit causam: *Sanctorum voce patet Pontificum dignitatem factam toto orbe venerabilem, dum illi, quidquid fidelium est, ubique subditur, dum totius corporis caput esse designatur*. Subdita enim membra nequeunt de præposito capite judicare. Et de isto libro sanxit quinta Symmachi Synodus: *Hic libellus integerrimè Synodaliter ab omnibus teneatur, atque inter quartæ & quintæ Synodorum nostrarum actiones interponatur, & ita sicut harum Synodorum Decreta habeatur. Quia Synodali auctoritate conscriptus est & roboratus*.

Quod

Quod ipsum Symmachus confirmavit. Quæ omnia Joannis Launoii oculos adeò dure ferierunt, ut ipsum compulerint ad hæc scribenda: *Qui scribit pro Synodo & Papa, suprà Synodum & Papam sapere non debet. Ennodius suprà Synodum & Papam saperet, si prout illius postrema verba sonant, intelligeretur. Quæ de Papa dicit Ennodius, de se Papa non dicit*. Ennodium, dum ista scripsit, addit fuisse juvenem, & prosequitur: *Quinta Romana Synodus, cum hoc prospiceret, Ennodii honori consulere voluit, atque ut consuleret, Ennodii libellum probando suum fecit. Et ita noluit, ut Ennodii libello plus fidei quàm sibi tribueretur*. Ut suæ cogitationes adversùs Romanum Episcopum valeant, adfirmat & Ennodium à vero, & pro Ennodii honore Synodum ab æquo & recto deviasse.

Respondeo hæc Commentaria patenter extravagari. Revera enim nullis Commentariis, sed solis oculis eget Synodi adversùs sui factam à Rege convocationem interceptio. *Pontifices, quibus allegandi imminebat occasio, suggesserunt ipsum, qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum convocare, scientes quia ejus Sedi primùm Petri Apostoli meritum vel Principatus, deinde secuta jussionem Domini Conciliorum venerandorum auctoritas singularem in Ecclesiis tradidit potestatem, nec antedictæ sedis Antistitem minorum subjacuisse judicio in propositione simili, facilè forma aliqua testaretur. Sed potentissimus Princeps ipsum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem suam litteris demonstrasse significavit*. Et à Clero & à populo de vario crimine accusatus Symmachus est imitatus suos Antecessores, Sanctum Sylvestrum & Damasum. De quorum priori Romana posterior Synodus scripsit ad Imperatores Gratianum ac Valentinianum secundum: *Frater noster Damasus, quoniam in sua causa vestri tenet insigne judicii, non fiat inferior his, quibus etsi æqualis est munere, prærogativa tamen Sedis Apostolicæ excellit, ut publicis judiciis videantur esse subjecti, quibus Sacerdotale caput lex vestra submovit. In quo post sententiam non videtur declinare judicium, sed delatam à vobis honorificentiam flagitare. Nam quod ad leges publicas pertinet, quæ potest esse vita munitior, quàm vestra Clementia, qua munitur, judicata? Quod verò ad prædicandam Episcopi conscientiam severioribus se dedit ipse judiciis Sacerdotum, à quibus non nominis, sed etiam morum vita pensatur, ne quis iterùm calumniator existens, dum memoratum conatur appetere, virum quidem ipsum non queat lædere, quem innocentia sua munit, Religioni tamen fiat injuria in vexationibus Ministrorum; accipite aliud quoque, quòd vir sanctus magis vestræ conferre Pietati, quàm sibi præstare desiderat, nec derogare cuiquam, sed Principibus adrogare. Quoniam non novum aliquid petit, sed sequitur exempla Majorum. Ut Episcopus Romanus, si Concilio ejus causa non creditur, apud Concilium se Imperiale defendat. Nam & Sylvester Papa à sacrilegis accusatus, apud parentem vestrum Constantinum causam propriam prosecutus est*. An Clericorum à laico Tribunali exemptio sit Divini juris, est longa quæstio: Interim in ipsa Nicæna Synodo adversarii Episcopi non apud ipsam, sed apud Constantinum Imperatorem sese mutuò datis libellis accusaverunt. Utique non de Ecclesiasticis, sed de civilibus criminibus. Hinc enim dum libellos exureret Princeps reposuit se malle adulterum Episcopum tegere propria chlamyde, quàm judicare. Et certè de Ecclesiasticis adversùs Cæcilianum Carthaginensem Episcopum criminibus interpellantes Donatistas est detestatus, nec nisi in tertia instantia compulsus & invitus audivit. Quin & Christianorum persecutor Aurelianus Augustus de similibus adversùs Antiochenam Synodum criminibus interpellantem Paulum Samosatenum Antiochiæ Patriarcham remisit ad Episcopum Romanum. Etiam Judæis Sancti Pauli Apostoli prædicationem de turbulentia accusantibus respondit Gallio Achaiæ Proconsul: *Si quidem esset iniquum aliquid, aut facinus pessimum, rectè vos sustinerem, si verò quæstiones sint de verbo & nominibus legis vestræ, vos ipsi videritis. Judex ego horum nolo esse*. Hisce ergò causis nec Christiani nec Gentiles Romanorum Principes aut Judices umquam se miscuerunt. Nostra quoad publica crimina exemptio à Constantini tempore habuit variam formam, & in Theodosiano codice exstat famosa lex Gratiani & Valentiniani secundi: *Qui mos est causarum civilium, idem in negotiis Ecclesiasticis obtinendus est, ut si quæ sunt ex quibusdam dissensionibus, levibusque delictis ad Religionis observantiam pertinentia, locis suis & à suæ Diœceseos Synodis audiantur. Exceptis quæ actio criminalis ab ordinariis, extraordinariisque Judicibus, aut illustribus Potestatibus audienda constituit*. Ecclesiastica omnia ac leviora civilia per Provinciarum aut Diœcesium Synodos, publica crimina per publicos, ordinarios aut delegatos Judices audiri mandat atque puniri. Schismatica Ursicini factio Sancti Damasi electionem publica seditione ac variis in Ecclesia cædibus maculaverat, & illa in ipsum accusando transcripserat, addens & adulterii calumniam: *Ita qui in omnes Judex erat constitutus, compulsus fuit causam dicere*. Verùm quòd supremum Christianitatis caput sub Romani Imperii Ministris humiliari non deceret, dixit illam coram ipso Augusto Principe Valentiniano seniori, & demonstrata innocentia fuit absolutus. Eandem enim reverentiam passo calumnias Sancto Sylvestro detulerat Magnus Constantinus. Quòd à nulla Synodo judicari possent, nec de publicis criminibus fetere nomen suum vellent Romani Episcopi, Augustæ cognitioni Divina sui Primatus privilegia libenter supposuerunt. Augustæ conferre pietati, quàm sibi præstare, & quàm derogare cuiquam maluerunt Principi adrogare. Quare iteratas à schismaticis calumnias passus, & ad publica judicia postulatus laudatus Damasus, totius Italiæ contraxit Synodum, per ipsam Gratiano ac Valentiniano supplicavit Apostolicam Sedem non humiliari ad publica judicia, sed suam rursum in Imperiali Concilio demonstrare innocentiam, quam & olim adversùm eosdem calumniatores demonstrasset apud parentem ipsorum, & quam modo severioribus Sacerdotum judiciis discutiendam ipse dedisset. Hoc est, qui se ab omni Ecclesiastico judicio exemptum

Epist. 3.

Act. 18.

Lib. 16. tit. 2. cap. 23.

submi-

submisisset propriæ Synodo. Quam Regulam placuisse etiam Regi Theodorico, lucet ex hoc ejus Rescripto: *Si mihi visum fuisset, aut justitia habuisset, ut ego debuissem audire cum Proceribus Palatii mei, potueram tractare quomodo & Deo placuisset, & posteritati ingratum non fuisset. Sed quia causa est Dei & Clericorum, ideò modò ad petitionem Senatus vel Cleri ex diversis civitatibus jussi convenire Antistites.* Nempè Hæretico Regi credere se noluit Pontifex, Innocentiæ suæ Judicem postulavit Synodum, & Rex indixit. Verùm adversùs hæc sua exordia interceſſit ipsa Synodus, protestata se non à Rege, sed à Pontifice fuisse indicendam, & ipsum minorum judicio numquam subjacuisse. Lucidè excipit adversùs semetipsam: Protestatur se minorem, adeoque sibi non esse personam Pontificis judicandi. Etenim non œcumenica, immò nec plena Patriarchalis, sed solius Italiæ erat hæc Synodus, de qua ad secundam suam Romanam Synodum dixit Fœlix tertius: *Quoties intra Italiam propter Ecclesiasticas causas, præcipuè fidei, colliguntur Domini Sacerdotes, consuetudo retinetur, ut successor Præsulum Sedis Apostolicæ ex persona cunctorum totius Italiæ Sacerdotum, juxta sollicitudinem sibi Ecclesiarum omnium competentem, cuncta constituat, qui est caput omnium. Domino ad Beatum Petrum Apostolum dicente, Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Quam vocem sequentes trecenti decem & octo sancti Patres apud Nicæam congregati, confirmationem rerum atque auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ detulerunt.* Utique confirmationem atque auctoritatem omnium agendorum in Patriarchali Synodo. Etenim in hac Romanus eam ipsam habuit potestatem, quam in sua Alexandrinus Episcopus, sine cujus assensu nec divisim nec collectim sumpti Episcopi adeò nihil potuerunt definire, ut nec Chalcedonensi Synodo potuerint subscribere. Et hanc à Meletio læsam dignitatem reparans Nicæna Synodus, in exemplar dedit Romanum Patriarcham: *Quia & urbis Romæ parilis mos est.* Et hinc ad Eutychetem Hæresiarcham, de Sancti Flaviani Constantinopolitani Episcopi dato in se Synodali damnationis judicio queritantem, & auxilia supplicantem, rescripsit Sanctus Petrus Chrysologus Ravennæ Archiepiscopus: *Nos pro studio pacis & fidei, extra consensum Romanæ civitatis Episcopi, fidei causas audire non possumus.* Quòd nempè in ejus Synodo consilium dumtaxat haberent Episcopi, non decisivum suffragium. Quin hæc Synodus pleno jure subsit Pontifici, nullus umquam dubitavit: Ità suprà audivimus à Nicolao Cardinali Cusano. Hinc ergò in Symmachi Pontificis causa meritò excepit adversùs semetipsam Romana, non totius Diœceseos, sed solius Italiæ Synodus: Hinc illi Pontifex *dedit corrigendi ordinis auctoritatem, cessit Canonibus, purgationis affectu humiliavit suum culmen, privilegia sua voluntati Regiæ submisit, & dedit auctoritati Synodi.* Per hanc cessionem Acta sua etiam Rex excusavit, & de Pontifice, dum ante judicii ingressum revestiri spoliatus, & intrusum Romanæ Ecclesiæ Visitatorem auferri postulavit, Synodus ad Regem retulit: *Nobis quid possimus facere, non remansit. Nec invitum ad disceptationem nostram adducere possumus. Ipsi per Canones appellationes omnium Episcoporum commissæ sunt: Et cùm ipse appellat, eoquid faciendum? Nec in absentem valemus ferre sententiam, nec in contumacis locum deputare, qui se Judicibus occurrisse proclamat. Maximè quia nova res Pontificem Sedis istius apud nos audiri. Nullum constat exemplum.* Quòd judicium, licet spontè à Pontifice delatum, excutere sit omnibus modis conata Synodus, demonstrant hæc sæpius iterata Regalium ad ipsam Rescriptorum verba: *Si vobis visum fuerit sine discussione causam finire, aut discussam aut indiscussam, quemadmodum visum fuerit, judicate. Meam personam nolite metuere: Reddite rationem ante conspectum Dei. Tantùm est ut Senatum, Clerum, & populum pacificum dimittatis, & quod judicaveritis, scribatis. Nos autem hoc probabimus vos bene ordinare, si populo, Senatui, Clero pacem integram reddatis.* Ficta in Symmachum criminatio Romanam urbem turbis compleverat, his componendis Rex coegerat Synodum, exemptum personæ suæ culmen Pontifex ei submiserat, & ipsa resarciendæ pacis mediationem assumere erat parata, verùm de Apostolico capite sententiam dicere penitus detrectabat, clamans nullum constare exemplum. Et quidem Rex ex causis malebat sententiam, se tamen timeri aut sibi deferri noluit, paratus ad omne Synodi placitum, dummodo alma civitas pacificaretur. Et hinc Pontificis innocentiam summariè audivit Synodus, & ejus definitionem Laurentius Mediolanensis & omnes cum illo Episcopi expresserunt hocce suffragio: *Huic Statuto nostro, in quo totam causam Dei judicio commisimus, subscripsi.* Quòd nempè Romanus Episcopus à solo Deo sit judicandus. Omnia enim huc spectantia non in Romanum Clerum aut populum, sed manifestè in semetipsam jam suprà dixit Synodus: Item & Sanctus Avitus. Verborum fulgor excedit lucem meridianam. Et cujuscumque ætatis, tunc fuerit Ennodius, ejus libellum Synodus lucidè recepit in Canonem. Verùm hæc omnia non faciunt ad præsentem quæstionem. Nec enim totius Ecclesiæ, sed solius Italiæ fuit hæc Synodus, qua certum est Pontificem esse superiorem, ideoque ab ipsa non posse judicari. Hac unica exceptione Joannes Launojus potuerat tot frivola evadere somnia.

Eadem est ratio illius Romanæ Synodi, quæ per Othonem primum Imperatorem extrusit Joannem duodecimum. Eam in litteris ad Ludovicum Maresium eruditè discutit Joannes Launojus, ostendit extrusionem placuisse Ecclesiæ, & Joannem numquam Papatui fuisse restitutum. Est res longi examinis. Quidquid sit, longè aliter de ista extrusione scribit Illustrissimus Dominus Petrus de Marca: *Non sine ratione inter Dictata Gregorii septimi hoc etiam caput circumfertur, quòd Papa à nemine judicari debeat. Adeò ut omninò cum Illustrissimo Baronio consentiam Joannis duodecimi exauthorationem ab Othone Imperatore & Synodo Romana tentatam, cujus Acta exstant apud Luitprandum, nullius fuisse momenti.* Aliter in libro de Imperii translatione respondit Marsilius Lib. 1. c. 11.

lius Patavinus, Joannis Pontificis cum Berengario Italiæ Tyranno lites memorans, & pergens: *Cœpit Berengarius in Italia dominari, & Romana Ecclesia persecutionibus urgentibus vacillare, cum quia dictus Tyrannus eandem molestabat, tum quia Ecclesiæ non verus Pastor, sed mercenarius præerat, Joannes videlicet Alberici filius, ut tradit Robertus Cremonensis Episcopus, magnus Historiarum Scriptor: Unde Cardinales ex communi concordia scripserunt Othoni Duci Saxoniæ, qui vir magnæ potentiæ dominabatur super universam Alemanniam. Qui religiosus erat, & ad Dei Ecclesiam devotus. Hujus ergò Principis Cardinales auxilium implorarunt, ut Ecclesiam Romanam protegeret atque juvaret. Qui magnum parans exercitum, in Italiam transmisit, & cum Berengario pugnavit, ipsumque cum ejus exercitu in exilium misit. Postmodum verò Romam pergens, Concilium Cardinalium congregavit, & de ipsorum consilio nescens Papam incorrigibilem, monuit ut Papatui renuntiaret. Quem induratum in castro Sancti Angeli violenter inclusit, & Papatui ipsum renunciare coegit. Et tunc factus est Romanæ Ecclesiæ Pastor Leo octavus.* Quis ignoret Marsilium Patavinum fuisse juratum Apostolicæ dignitatis hostem? Et tamen Joannem Pontificem adfirmat, non degradatum, sed renunciare violenter compulsum: Quòd nempè omnia elementa clament Romanum Episcopum esse Italica Synodo per omnia superiorem. Et certè Ecclesiam pessimis moribus non solummodò scandalizabat, sed omninò devastabat Joannes: Erat insuper intrusus violentia Laica, & non tantùm ex Laico, sed etiam ex puero contra fundamentales paternæ disciplinæ Canones in Episcopum consecratus. Hinc non degradari ipsum oportuit, sed intrusum dumtaxat extrudi, uti olim factum fuerat Laico Constantino. Eandem sententiam in opere de Papali & Regia potestate tuetur pertinax Philippi Pulchri Francorum Regis adversùs Bonifacium octavum Pontificem defensor Joannes de Parisiis. Et ut sibi ipsi cohæreat, addit similem extrusionem fieri posse non solùm ab Italica Synodo, sed etiam à Collegio Cardinalium. Eodem jure affirmat Gregorium sextum fuisse extrusum à coacta per Henricum tertium Imperatorem Synodo. Et certè dum intrusio est manifesta, vera esse possit ista opinio. Ita enim Simoniacè intrusum Pontificem tractari jussit Julii secundi Synodus Lateranensis.

Cap. 10.

Cap. 14. §. 24.

Sess. 5.

Dico, *Dum intrusio est manifesta*. Etenim de laudato sexto Gregorio, quem ob non plenè lucidum Simoniaci ingressus vitium extruserat dictus Imperator Henricus, dum defuncto Clementi secundo novum Pontificem promovere pararet idem Princeps, scripsit Wazo Leodiensis Episcopus: *Recogitet Serenitas vestra, ne fortè Sedes Summi Pontificis, injustè à quibus non debuit depositi, ipsi Divinitùs sit reservata, cum is, quem vice ejus inthronizastis, vita decedens priori adhuc superstiti restituendam reliquerit. Et quoniam vobis complacuit nostram super his efflagitare sententiam, liceat, quæso, pace vestra, omnium Ecclesiasticorum Doctorum sententiis instructo, proferre quod justius esse perspexero. Cum enim Judæ traditoris loco legamus Apostolos absque ulla sæculari potentia Matthiam Apostolum ordinasse, credimus hoc exemplo, per Ecclesiasticos Ministros, absque sæculari potentia, electiones & promotiones Apostolicorum fieri debere. Sed & hoc liceat audacter protestari, electionem Apostolicam, seu promotionem Ecclesiastico ritu legitimè celebratam, ordinatione Divina constare muniri. Quapropter ut vestræ saluti pariter & honestati congruum vobis præbeamus consilium, desinat Sublimitas vestra huic, qui superstes est, alium superordinare Pontificem, ne repugnare videamini ordinationi Divinæ: Quia contestantibus tam Divinis Legibus quam Ecclesiasticis Decretis, à nemine, nisi à solo Deo judicari debet Petri Vicarius.* Exstat Epistola apud Anselmum ejusdem Ecclesiæ Canonicum. Hic est ille magnus Episcopus Wazo, cui fuit meritò scriptum hoc Epitaphium: *Ante ruet mundus, quàm surgat Wazo secundus.* Lucidè profitetur Romanum Episcopum nec ab Italica, nec ab Œcumenica Synodo judicari posse, sed à solo Deo: Et ita contestari tam Divinas Leges, quàm Ecclesiastica Decreta. Nec fuit Romanæ Curiæ adulator.

C. 106.

Lib. 1. c. 11.

Exponitur palmare fundamentum, ex quo aliqui Romanum Pontificem credunt generali Concilio subjectum.

FUndamentum hoc exponit in data Eugenii quarti Legatis Responsione Basileensis Synodus: *Qualecumque nomen dignitatis aut potestatis de Papa scriptum invenitur, ad particulares quoscumque homines & singulares Ecclesiasticos referendum est, non supra universalem Ecclesiam, ita ut potiùs Papa Ecclesiæ, quàm Ecclesia tota Papæ obedire cogatur. Nam etsi Papa major sit in Ecclesia, non tamen major est tota Ecclesia. Uni autem quare dictum sit, Tibi dabo Claves Regni Cœlorum, sancti Doctores exponunt, ut unitatem designaret Ecclesiæ. Et ideò ab unitate exordium proficiscitur, ut Ecclesia Christi una esse demonstraretur. Et Petrus, quando claves accepit, ut dicit Augustinus, Ecclesiam significavit.* Loquitur cum Joannis Gersonis opusculo de potestate Ecclesiastica, qui Ecclesiasticam potestatem non immediatè Petro aut ejus in Romano Episcopatu Successoribus datam affirmat à Christo Domino, sed universali Ecclesiæ, & probat ex hoc ejusdem Domini verbo: *Si peccans in te frater te non audierit, dic Ecclesiæ.* Papam affirmat inter fratres numerandum, nec intelligendum in nomine Ecclesiæ. *Quoniam Christus Petro loquebatur, qui non dixisset sibi ipsi.* Et prosequitur: *Concluditur ex præmissis, quòd si potestas prædicta sit data Ecclesiæ, Concilium generale repræsentans Ecclesiam habet illam. Immò videtur quòd Ecclesia ut sparsim considerata non habet illam potestatem, nisi ut quodam materiali suo potentiali, sed congregatio sua & unitio, quæ fit in Concilio generali, dat ei formam,*

Epist. 3.

Confid. 4.

sicut in aliis communitatibus exemplum dari potest. Et fundatur prædicta potestas Ecclesiastica jurisdictionis in unitate vel unione tali, quemadmodum notasse videtur elevatus Augustinus, quòd claves Ecclesiæ datæ sunt unitati. Verumtamen hoc non impedit, quin datæ sint Petro tamquam Monarchæ, legitimisque successoribus suis: principaliter tamen Ecclesiæ. Primò, ratione indeviabilitatis: Quia portæ Inferi non prævalebunt adversùs eam, nec deficiet fides ejus. Non sic de Papa. Secundò, ratione regulabilitatis. Quoniam habet regularem usum potestatis Papalis. Non sic conversò. Adducit & alias rationes. Et huic fundamento inniti adfirmat Decreta, quibus Papam subesse Concilio definivit Synodus Constantiensis. Si tamen definivit.

Eandem sententiam probat, & multis Patrum testimoniis firmare studet in Epistola ad Christophorum Fauvæum, ac præsertim in Epistola ad Adrianum Vallantium Joannes Launojus. Verùm an toti sparsim Ecclesiæ, an potiùs ipsam repræsentanti generali Concilio velit proximè datas Regni cælestis claves, non possim certus affirmare. Sensum suum lucidè non exponit. Ne sit Cadmæus frater, consonare debet suo Cancellario. Et certè adductum ejus à nobis locum etiam ipse laudat & adducit. Verba tamen, quæ claves non toti sparsim Ecclesiæ, sed soli generali Synodo volunt immediatè datas, prætermisit. Quidquid sit, proximum Ecclesiasticæ potestatis subjectum vult Ecclesiam, Petrum Apostolum & ejus successores esse dumtaxat subjectum mediatum, qui ipsam exerceant nomine Ecclesiæ tamquam vicarii Ministri, ideoque & huic pleno jure subjiciantur. Conglomeratis sanctorum Patrum, Deum Patrem & Ecclesiam Matrem laudantium, testimoniis fatigat Lectorem: Pleraque enim ad rem non faciunt. Dumtaxat quædam Tertulliani, Sancti Optati, & Sancti Augustini loca elucidabo.

Et quidem Tertulliani loca ipsi palàm adversantur. Primus est in libro Scorpiaces. *Nam etsi adhuc clausum putas Cœlum, memento claves hic Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse. Quas hic unusquisque interrogatus atque confessus feret secum.* Quis non videat claves immediatè Petro, Ecclesiæ dumtaxat mediatè adscribi? Adducit & locum ex libro de Pudicitia, ubi generalem quorumvis peccatorum remittendorum potestatem impugnat lapsus ad Montanum Tertullianus, ac prosequitur adversùm Catholicos: *De tua nunc sententia quæro, undè hoc jus Ecclesiæ usurpes? Si quia dixit Petro Dominus, Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, Tibi dedi claves Regi cœlestis, vel Quæcumque alligaveris vel solveris in terra, erunt alligata & soluta in cœlis, idcircò præsumis, & ad te derivasse solvendi & alligandi potestatem, id est, ad omnem Ecclesiam Petri propinquam; qualis es evertens atque commutans manifestam Domini intentionem personaliter hoc Petro conferentem? Super te, inquit, ædificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claves, non Ecclesiæ. Et Quæcumque solveris vel alligaveris, non Quæcumque solverint vel alligaverint. Sic enim & exitus docuit. In ipso Ecclesia extructa est, id est, per ipsum: Ipse clavem imbuit.* Audi Joannis Launoii Commentarium: *Tertullianus sententiam priorem revocat, ut incommodet Romano Episcopo, qui mœchis veniam esse concedendam edixerat.* Respondeo omninò revocari priorem sententiam: Verùm non illam, quæ claves asserit immediatè datas Ecclesiæ. Quòd ipsas Petrus immediatè accepisset, & Catholica Ecclesia palàm profitebatur, ac etiam Montani factio: Omnis quæstio erat de traduce. Catholica communio asserebat datas cum jure traducis in omnem Petro propinquam Ecclesiam, seu in omnes Orthodoxos sub cœlo Episcopos; Montani factio, Joanni Calvino consentiens, ipsas ligabat ad solam Petri personam: Hinc blaterabat ipsi soli datas, non Ecclesiæ. Quin ergo Petrus foret proximum clavium subjectum, nemo tunc dubitabat Hæreticus aut Orthodoxus.

Joannes Launojus adducit & hunc locum ex exhortatorio ad castitatem libro: *Sed Christo servabatur, sicut in cæteris, ita in isto quoque legis plenitudo. Indè igitur apud nos plenius atque instructiùs præscribitur, unius matrimonii esse oportere qui alleguntur in ordinem Sacerdotalem. Usque adeò quosdam memini Bigamos loco dejectos. Sed dices, ergò cæteris licet, quos excipit. Vani erimus, si putaverimus quod Sacerdotibus non liceat Laicis licere. Nonne & Laici Sacerdotes sumus? Scriptum est: Regnum quoque nos & Sacerdotes Deo & Patri fecit. Differentiam inter Ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per Ordinis consessum sanctificatus. Adeò ubi Ecclesiastici Ordinis non est consessus, & offers, & tingis, & Sacerdos es tibi solus. Sed ubi tres, Ecclesia est, licet Laici: Unusquisque enim sua fide vivit, nec est personarum acceptio apud Deum. Igitur si habes jus Sacerdotis in temetipso ubi necesse est, habeas oportet disciplinam Sacerdotis, ubi necesse sit habere jus Sacerdotis.* Respondeo testimonium istud esse insigniter infirmum ac etherodoxum. Etenim lapsus ad Montanum Tertullianus istic dogmatizat pessimum errorem, adversùs quem anteà scripserat in libro Præscriptionum: *Hæreticorum ordinationes temerariæ, leves, inconstantes. Alius hodiè Episcopus, cras alius. Hodiè Diaconus, qui cras Lector. Hodie Presbyter, qui cras Laicus. Nam & Laicis Sacerdotalia munera injungunt.* Apostolico Canone, mandante Episcopum ac Diaconum esse unius uxoris virum, adfirmat non hosce solos, sed omnes adstringi fideles, atque ita secundas nuptias esse omnibus æqualiter interdictas. Etiam ad alias omnes, quas in Episcopo requirit Apostolus, virtutes cunctum æqualiter adstringi Christianum censet in libro de Monogamia. Omnibus enim Christianis, licet non exercitium, tamen vult esse jus Sacerdotii, eò quòd Christus Dominus omnes nos & Reges & Sacerdotes fecerit, & Cleri à plebe discrimen sit dumtaxat per Ecclesiæ auctoritatem, & altiorem in publica Synaxi consessum. Episcopos & omnem Clerum docet non esse aliud, quàm illos quibus ad scandalum & confusionem vitandam quævis Ecclesia demandarit sacrificii & omnis alterius sacri Ministerii functionem, & ejus causa honoratiorem in Ecclesia locum. Et hinc fidelem omnem, dum solus in deserto aut inter infideles degit,

degit, existimat sibi ipsi esse Sacerdotem, possequè tingere, immò & sacrificare. Addit tres sufficere ad Ecclesiam, ideoque illic omnes non posse ministrare, sed unum ad id eligendum. De Doctore hoc scribit in Hæreticorum Catalogo Sanctus Augustinus: *Tertullianus transiens ad Cataphrygas, quos ante destruxerat, cœpit etiam secundas nuptias damnare, & postmodum etiam ab ipsis divisus sua conventicula propagavit.* Et hinc cunctos errores istos an ipse sibi finxerit, an à Montanistis hauserit, non plenè constat. Sanctus Epiphanius, Philastrius, Hieronymus, ac Augustinus affirmant quidem à Montanistis etiam fœminas fuisse donatas Sacerdotio, quòd autem omnem Christianum asseveraverint Sacerdotem, usque huc non legi. Quidquid sit, fuerunt tunc nescio qui tales Errones. Et ipsos secutus est etiam Pseudomonachus Zachæus, de quo in Catholicæ fidei expositione laudatus Epiphanius: *Zachæus nuper in Montana regione ad Hierosolymam mortuus est, qui cum nemine umquam precandi communione conjungi se passus est. Immò verò ex eodem Instituto Divina Mysteria, cum Laicus esset, attingere ac sacrificia celebrare nefario ac temerario ausu est aggressus,* Et alios ejusmodi commemorat. Cujus farinæ videntur fuisse etiam Messaliani seu Enthusiastæ: Quòd enim sacros ordines, licet susciperent, contemnerent tamen, & sine ipsis Sacerdotalia exercerent, testantur laudatus Epiphanius, Sanctus Joannes Chrysostomus, Theodoretus, ac præsertim Sanctus Joannes Damascenus. Et ex hisce Magistris Martinus Lutherus ac Joannes Calvinus didicerunt omnes Ecclesiasticæ ordinationis Sacramentum blasphemare, & Christiani Sacerdotii jus non solùm viris, sed etiam fœminis adscribere. Quod tamen semper exhorruit etiam Montanista Tertullianus. Et hæc forsan fuit una ex causis, cur suum ab illis Altare & Conventiculum separaverit. Quidquid sit, lucet præsentem locum esse indignum, qui à Catholico Doctore adducatur.

Ipsum tamen adjuvare videtur Historia illa, quam in Prato spirituali refert Sanctus Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus. Laicus quidam Monachus Eucharisticas benedictiones, seu in Eucharistiam consecrandos panes transferens de Monasterio ad Ecclesiam, *Sanctæ oblationis verba* super ipsis *quasi versus aliquos* in via decantavit. At ecce postmodum consecrari non potuerunt per Sacerdotem, consultaque Divina clementia respondit per Angelum: *Quoniam frater ille, qui oblationes attulit, verba sanctæ oblationis in via dixit, sanctificatæ jam ac perfectæ sunt.* Pergit Sophronius: *Ex tunc statuit Monachorum Senior, ut nullus deinceps addisceret sanctæ oblationis verba, nisi qui ordinatus ad hoc esset, neque passim ea quisquam diceret quocumque tempore absque loco consecrato.* Et in animæ Gemma scribit Honorius Augustodunensis: *Fertur, dum Canon primitùs quotidie publicè recitaretur, quòd ab omnibus per usum sciretur, & cum eum Pastores in agro super panem & vinum dicerent, repentè carnem & sanguinem ante se invenirent, atque inde Divinitus percussi interirent. Unde Synodali Decreto sub anathemate præceptum est,* ut Canon deinceps diceretur secretò, atque ita mystica illa verba à populo non audirentur. Quod ipsum adfirmat apud Alcuinum Flaccum liber de Divinis Officiis, addens sacrosancta illa verba, dum Canon olim alta voce diceretur, passim per vicos & plateas fuisse cantata à populis, atque ita non parum viluisse. Refert & Innocentius tertius in libris de sacrificio Missæ, ac item in Ecclesiæ Speculo Hugo de Sancto Victore, adjungens in opere de Sacramentis: *Quidam existimant verba illa, quæ ad conficiendam Eucharistiam instituta sunt, à quacumque persona, sive in quocumque loco, & qualicumque intentione super panem & vinum prolata, effectum consecrationis & sanctificationis habere.* Etiam de nescio quibus sui sæculi Doctoribus scribit ad Leudonem Presbyterum Sanctus Ivo Carnutensis Episcopus: *Dicunt quascumque personas, etiam sacrum Ordinem non habentes, verba Dominica proferentes, Sacramenta Altaris & cætera Ecclesiastica Sacramenta posse conficere, & salubriter accipientibus ministrare.* Ergo quòd quivis fidelis, licet non exercitio & functione, jure tamen & radicali consecratione, cui quævis sacra Ministeria possint injungi, sit Sacerdos, est antiqua Catholicorum Doctorum sententia, adeoque ex ista adversùm Hæreticos non potest præscribi.

C. 4c. L. 3. c. 1. C. 7. Part. 6. c. 13. Epist. 63.

Respondeo Doctores istos ab Hugone Victorino imperitos, à Sancto Ivone vocari simplices, immò forsan & duplices, & qui nesciant de quibus negent vel adfirment. Videntur fuisse Petri Brussii, & totius Sacramentariæ hæresis Præcursores: Unde & Sacerdotii Sacramentum ac necessitatem adversùm illos laudatus Ivo insigniter & acriter confirmat. Factam ad rusticorum verba consecrationem, non verborum virtuti, sed Divino temeritatem vindicanti miraculo assignant Alcuinus, Honorius Augustodunensis, Victorinus Hugo, ac Pontifex Innocentius. Et omnes addunt, *Fertur*, aut *Dicitur*, quòd non sit res authentica. Sancti Sophronii relatio videtur authentica: Fuisse extraordinariam ipse etiam affirmat. Quidquid sit, exinde lucet etiam à Græca olim Ecclesia Eucharistiam, non per nescio quas hodie à Photianis Schismaticis laudatas preces, sed per solemnia Christi Domini verba fuisse consecratam. Quod ipsum lucidè demonstrari possit ex Sancto Joanne Chrysostomo. Cur autem & quando eadem verba & omnem Missæ Canonem, quæ altè dudum dixit, secretò dicere cæperit Latina Ecclesia, non est hujus loci.

C. 23.

Pergamus ad Sancti Optati per Joannem Launojum adducta testimonia: *Certa membra sua habet Ecclesia, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Ministros, & turbam fidelium.* En Commentarium: *Si Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Ministri, certa quædam sunt membra Ecclesiæ, profectò Ecclesia corpus est quod per illa membra suos actus exercet.* Respondeo hoc esse manifestum. Verùm uti visus vel auditus non toti corpori, sed propter totum corpus solis oculis & auribus, ita claves non toti Ecclesiæ, sed propter totam Ecclesiam datæ sunt soli cum suis Successoribus Apostolo Petro. Lucidè hoc tradit in alio per Joannem Launojum adducto loco idem Optatus: Donatistæ

natistæ habuerunt hanc Regulam: *Si traditores sumus, quare nos quæritis & recipitis?* Errarunt Ecclesiam in præsenti etiam sæculo esse sine macula & ruga, ideoque traditores non posse sine totius Communionis contagio & Ecclesiæ interitu intromitti. Nec de sola traditione, sed de quovis graviori crimine videntur idem sensisse. Etenim ipsorum universalis apud Cavernas Susis celebrata Synodus damnavit proprium Primatem Primianum, *quod incæstos contra legem, Decretaque omnium Sacerdotum Sanctæ Communioni adjunxisset.* Nempè contra hanc Donati Regulam: *Quales fuerint cum quibus fuerit communicatum, tales sunt omnes, & universa massa.* Damnarunt Primianum, *quòd totam Donati partem fecisset incæstam.* Ità habes apud Sanctum Augustinum in secunda Concione super Psalmum trigesimum sextum. Est Montanistarum ac Novatianensium error. Et ipsum ex facto ipsius Domini, qui non sacrorum codicum aut vasorum traditori, sed sui Magistri Dei negatori Petro non solùm communionem credidit ac Apostolatum, sed insuper cælestis Regni claves tradidit, revincit Sanctus Optatus: *Gravius est negare eum qui locutus sit, quàm tradidisse verba quæ locutus sit. Et cùm hæc ita scripta sint, tamen bono unitatis beatus Petrus, cui satis erat, si postquam negavit, solam veniam consequeretur, & præferri cæteris Apostolis meruit, & claves Regni Cœlorum communicandas cæteris solus accepit.* Et infrà: *Cæteris Apostolis nec semel negantibus Petrus ter solus negavit. Et tamen bono unitatis de numero Apostolorum separari non meruit. Unde intelligitur omnia ordinata esse providentia Salvatoris, ut ipse acciperet claves. Stant toti innocentes, & peccator accipit claves.* De Donatistis, etiam ad Sanctum Optatum in Carthaginensi collatione provocantibus, scribit in libro post eandem collationem Sanctus Augustinus: *Quæ lectio cum magis contra eos recitaretur, nemo ipsum potuit continere.* Quod ipsum evenisse videtur Joanni Launojo. Etenim sacras Cœlestis Regni claves non toti Ecclesiæ, sed soli Petro datas adeò profitetur Sanctus Optatus, ut lucidè pronunciet: *Communicandas cæteris solus accepit.* Adfirmat nequidem aliis, licet fundamentalibus Ecclesiæ membris, Apostolis, sed soli Petro datas, & istis, & ipsorum usque ad sæculi finem Successoribus per illum communicandas. In anniversariis de sua consecratione sermonibus insigniter id firmat Magnus Leo: *Magnum & mirabile huic viro*, utique Petro Apostolo, *consortium potentiæ suæ tribuit Divina dignatio. Et si quid cum eo commune cæteris voluit esse Principibus, numquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit.* Et infrà: *In Petro omnium fortitudo munitur, & Divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.* Quocircà claves non Petrus per Ecclesiam aut generalem Synodum, sed Ecclesia & Synodi acceperunt usque huc, ac semper accipient per Petrum. Quod ipsum Optatus tradit in primo libro: *Hæretici non habent claves, quas solus Petrus accepit.* Et in secundo libro laudat Romanam Petri Cathedram, & prosequitur: *In qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut jam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem Cathedram, alteram collocaret.* Est singularis & una, non quòd unica sit, sed quòd ab ipsa omnes pendeant, & in ipsa uniantur, uti rami in radice, in fonte rivi, & radii in sole: Quòd ipsa sit per Christum in Petro plantata radix totius Ecclesiasticæ potestatis.

Et hinc Basileense Concilium ac Joannes Gerson pro errore suo non Tertullianum, Sanctum Optatum, aut alium Ecclesiæ Patrem, sed Sanctum dumtaxat Augustinum meritò adduxerunt. Ex hoc enim solo extrahi possit quis istius erroris fucus. Et non nisi fucus. Augustinus ergo ad Generosum hæc scribit: *Petro totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait, Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et in libro de Agone Christiano: *Non sine causa inter omnes Apostolos Ecclesiæ Catholicæ personam sustinet Petrus. Huic enim Ecclesiæ claves Regni Cœlorum datæ sunt, cum Petro datæ sunt. Et cum ei dicitur, ad omnes dicitur. Amas me, pasce oves meas.* Et in libris de Baptismo laudat Domini ad Apostolos verba, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, atque exponit. *Ergo si personam Apostoli gerebant Ecclesiæ, & sic eis hoc dictum est, tamquam ipsi Ecclesiæ diceretur, pax Ecclesiæ dimittit peccata.* In trigesimi Psalmi Commentario laudat Divina ad Petrum verba, *Macta & manduca*, & prosequitur: *Hoc agit Ecclesia per Sanctos. Esurit quos lucrari vult, & quos lucrata fuerit aliquo modo, manducat quodammodo. Cujus personam gerebat Petrus, quando ei de Cœlo submissus est discus plenus omnibus animalibus, quadrupedibus, reptilibus, & volatilibus. Quibus generibus omnes gentes significantur. Prefigurabat Dominus Ecclesiam, quòd omnes gentes erat transvoratura, & in corpus suum conversura, & ait Petro: Macta & manduca. O Ecclesia, hoc est, ò Petre, quia super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, Macta & manduca.* Et ad Psalmum centesimum octavum: *Sicut quædam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum propriè pertinere videantur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figura gestasse personam, propter Primatum quem in Discipulis habuit, sicuti est, Tibi dabo claves Regni Cœlorum, & si quæ hujusmodi; ita Judas personam quodammodo sustinet inimicorum Christi Judæorum, &c.* Etiam in quinquagesimo Tractatu super Sancti Joannis Evangelium pergit de Juda: *Unus malus corpus malorum significat, quomodo Petrus corpus bonorum, immò corpus Ecclesiæ, sed in bonis. Nam si in Petro non esset Ecclesiæ Sacramentum, non ei diceret Dominus, Tibi dabo claves Regni Cœlorum, Quæcumque solveris in terra, erunt soluta in Cœlo. Si hoc Petro tantùm dictum est, non facit hoc Ecclesia: Si autem & in Ecclesia fit, Petrus quando claves accepit, Ecclesiam Sanctam significavit. Si in Petri persona significati sunt in Ecclesia boni, in Judæ persona significati sunt in Ecclesia mali. Ipsis dictum est: Me autem non semper habebitis.* Et in Tractatu centesimo vigesimo quarto: *Ecclesiæ Petrus Apostolus propter Apostolatus sui Primatum gerebat figurata generalitate personam. Quod enim ad ipsum propriè pertinet, natura unus homo erat, gratia unus Christianus, abundantiore gratia unus idemque primus Apostolus, sed quando ei dictum est, Tibi dabo claves Regni Cœlorum, & Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis, universam significabat Ecclesiam, quæ in hoc sæculo diversis tentationibus velut tempestatibus quatitur, & non cadit, quoniam fundata est super Petram, unde Petrus nomen accepit. Ecclesia ergò, quæ fundatur in Christo, claves ab eo Regni Cœlorum accepit in Petro, id est, potestatem solvendi ligandique peccata.* Et in sermone centesimo octavo de diversis: *Inter Apostolos penè ubique solus Petrus totius Ecclesiæ meruit gestare personam. Propter ipsam personam, quam totius Ecclesiæ solus gestabat, audire meruit, Tibi dabo claves Regni Cœlorum. Has enim claves, non homo unus, sed unitas accepit Ecclesiæ. Hinc ergo Petri excellentia prædicatur, quia ipsius universitatis & unitatis Ecclesiæ figuram gessit, quando ei dictum est, Tibi trado quod omnibus traditum est. Nam ut noveritis Ecclesiam accepisse claves Regni Cœlorum, audite in alio loco quid Dominus dicat omnibus Apostolis suis: Accipite Spiritum sanctum. Et continuò: Si cui dimiseritis peccata, dimittentur ei, si cujus tenueritis, tenebuntur. Hoc ad claves pertinet, de quibus dictum est: Quæ solveritis in terra, soluta erunt & in Cœlo, & quæ ligaveritis in terra, ligata erunt & in Cœlo. Sed hoc Petro dixit. Ut scias quia Petrus universæ Ecclesiæ personam tunc gerebat. Columba ligat, columba solvit, ædificium supra Petram ligat & solvit.* Eadem Augustinus tradit ac repetit in plurimis locis. Tradere videtur sacras Cœlestis Regni claves non immediatè Petro, sed toti Ecclesiæ datas, & illum hujus esse dumtaxat Vicarium & executorem. Respondeo notanda esse hæc Augustini verba: *Columba ligat, columba solvit, ædificium supra Petram ligat & solvit.* Etiam hæc: *Ecclesia quæ fundatur in Christo, claves Regni Cœlorum, accepit in Petro.* Et hæc: *In Petri persona significantur boni in Ecclesia.* Supponunt ac laudant varia unius Ecclesiæ membra, quæ latiùs exponit in libris de Baptismo contra Donatistas: *Puto me non temerè dicere alios ita esse in domo Dei, ut ipsi etiam sint eadem domus Dei, quæ dicitur ædificari supra Petram, quæ unica columba appellatur, quæ sponsa pulchra sine macula & ruga, & hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ vivæ, paradisus cum fructu pomorum. Quæ domus etiam claves accepit, ac potestatem solvendi atque ligandi. Hanc domum si quis corripientem corrigentemque contempserit, sit tibi tamquam Ethnicus & Publicanus. Hæc domus etiam triticum dicitur, sive tricenum, sive sexagenum, sive centenum fructum adferens cum tolerantia. Hæc domus est in vasis aureis atque argenteis, & lapidibus pretiosis & ligni imputribilibus. Hæc quippe in bonis fidelibus est, & sanctis Dei servis ubique dispersis, & spirituali unitate devinctis in eadem communione Sacramentorum, sive se facie noverint, sive non noverint. Alios autem ita dici esse in domo, ut non pertineant ad compagem do-*

mus, nec ad societatem fructiferæ pacificæque justitiæ, sed sicut esse palea dicitur in frumentis. Nam & istos esse in domo negare non possumus, Paulo Apostolo dicente: In magna domo non solùm aurea vasa sunt vel argentea, sed & lignea & fictilia, & alia quidem in honorem, alia in contumeliam. Hæc contumeliæ vasa adfirmat *sic esse in domo per communionem Sacramentorum, ut extra domum sint per diversitatem morum.* Et in libro de unitate Ecclesiæ scribit: *Cum boni & mali dent & accipiant Baptismi Sacramentum, nec regenerati spiritaliter in corpus & membra Christi coædificentur nisi boni, profectò in bonis est illa Ecclesia, cui dicitur, Sicut lilium in medio spinarum, sic proxima mea in medio filiarum. In his enim est qui ædificant suprà petram.* Quam distinctionem laudat in pluribus locis, præsertim adversùm Donatistas ac Pelagianos. Ecclesia ergo, quæ claves accepit, non est universa fidelium in legitimis Sacramentis communio, sed sola congregatio Justorum seu Sanctorum communio. Hæc sola est Dei domus & templum, unica columba, lilium inter spinas, verum triticum, hortus conclusus, fons signatus, Christi Domini sponsa & corpus. Magnum istud corpus, sparsum per quatuor ventos, implens omnem mundum à mari usque ad mare, & fines universæ terræ. Quare corpus hoc non est in solo generali Concilio. Et in generali Concilio frequenter sedent, & præsidere possunt accipitres seu criminosi Episcopi, quos certum est non spectare ad jam laudatam columbam & sponsam, ideoque etiam laudatis clavibus in nullo participare. Et hinc Joannes Gerson, dum ipsas non per mundum dispersas, sed ad generalem Synodum contractas sponsæ datas asseruit, non habuit clavem Augustinianæ scientiæ, nec Sancti Augustini mentem intellexit. Claves istas nec soli generalium Synodorum Episcopi habent, nec cuncti. Istis, inquam, carent multi Episcopi, & multi ipsas habent Laici.

Christiana per baptismum Regeneratio, & quodvis Divinum per omnia septem Sacramenta donum habet tres essentiales causas: Operati in Sacramento operis virtutem, Initiandi fidem & cum spe charitatem, ac influxum communionis Sanctorum. Etiam hunc asservero essentialem. Etenim adversùs Vincentium Rogatistarum in Mauritania Cartennensem Episcopum, volentem ex malorum communione contaminari ac perire Ecclesiam, ejusmodi communionem fuisse toleratam à Sancto etiam Cypriano demonstrat Sanctus Augustinus, atque adjungit: *Si Sacramenta cum peccatoribus communicando perlit Ecclesia quæ fuerat in orbe terrarum, jam priùs tota perierat, cum in eam, sicut dicit Cyprianus, sine baptismo admittebantur, ac sic nec ipse Cyprianus habebat in qua Ecclesia nasceretur, quantò magis multò posterior vester auctor paterque Donatus?* Et infrà: *Prorsus secundùm Scripta Cypriani, si peccatis ultenis in unitate quis maculatur, jam ante Cyprianum periit Ecclesia, nec erat unde existeret ipse Cyprianus.* Et in libris adversùs Parmenianum: *Quid se Donatistæ jactant quòd habeant aliquam Ecclesiam, si jam illis temporibus esse desiit?* Dicant

unde natus est Majorinus aut Donatus, ut per eos nascerentur Parmenianus atque Primianus. Et in libris de Baptismo: *Si tali communione malorum pereunt justi, jam Ecclesia temporibus Cypriani perierat. Unde ergo exstitit origo Donati, ubi catechizatus est, ubi baptizatus, ubi ordinatus, quando jam Ecclesiam contagio communionis exstinxerat?* Et in alio libro: *Si tunc non erat Ecclesia, qui sacrilegi Hæretici sine baptismo recipiebantur, unde Donatus apparuit? De qua terra germinavit? De quo mari emersit? De quo cœlo cecidit?* Et rursùm: *Si tunc periit Ecclesia, quoniam plusquam quadraginta anni sunt inter Cypriani passionem & Divinorum codicum exustionem, unde isti calumniarum suarum fumos jactantes, occasionem faciendi schismatis invenerunt, sicut Consulum ordo declarat, restat ut fateantur nulla malorum etiam cognitorum tali communione maculari unitatem Christi.* Quia nempè tunc originem suam non possint ostendere. Et in libris adversùm Julianum Pelagianistam: *Si Ecclesiam constuprarint Manichæi, dic mihi Juliane, quæ te peperit? Utrùmne casta, an verò meretrix in lucem, quam deseruisti, per uterum gratiæ spiritalis enixa est? An ut dogmata Pelagiana defendas, conjugis Christi & matris tuæ viscera instinctu nefarii, non erroris, sed furoris infamas?* Quod ipsum repetit in sexto libro de baptismo contra Donatistas, in libro de unico baptismo contra Petilianum, in libro post collationem, in secundo libro contra Cresconium, in secundo libro contra Gaudentium, ac in aliis locis. Constanter docet in casum, quo periret Sancta Ecclesia seu Sanctorum communio, omnem Sacramentorum virtutem fore suspensam, & neminem deinceps posse etiam informiter baptizari, confirmari, ungi, aut ordinari. Adeò necessarius est Symbolo articulus, quo profitemur Ecclesiam esse sanctam. Et vel ex hoc unico fundamento Lutherani & Calvinistæ discant Ecclesiæ sanctitatem seu Sanctorum communionem exstingui non posse aut interpolari. Nam & in laudato libro de unico baptismo scribit laudatus Augustinus de Donatistis: *Hoc dicere nullo modo audent.* Dicendo enim suos Sanctos Patriarchas Majorinum ac Donatum non sola sanctitate, sed ipso etiam Baptismo ac Episcopatu denudassent.

L. 2. c. 6.

L. 3. c. 2.

L. 5. c. 1.

Lib. 3. c. 17.

Etenim Sanctorum communio est illa Virgo Mater, ex cujus per Sacro-sancta JESU Christi Sacramenta fœcundato utero Deus Pater sibi generat novi Testamenti filios, sui naturalis Unigeniti in regno adoptivos cohæredes. Est mater universalis atque immortalis, de qua in laudatis de baptismo libris idem Augustinus: *Quæ peperit Abel & Enoch, & Noe & Abraham, ipsa peperit & Moysen & Prophetas tempore posteriori ante adventum Domini. Et quæ istos, ipsa & Apostolos, & Martyres nostros, & omnes bonos Christianos.* Est per omnes locorum & temporum fines diffusa Mater Virgo, habens Virginis Sponsi *jura conjugalia*, per quæ omnem ejus tenet ac possidet potestatem. Quòd omnium ex aqua & spiritu plenam Regenerationem, id est, & ipsam Sacramenti substantiam, & omnes ejus effectus operetur, assiduè clamat Augustinus. Quod ipsum assiduè clamat de informiter seu intra seu extra Ecclesiam suscepti Sacramenti per veram cordis conversionem revivíscentia. Et de peccatorum retentione scribit in iisdem de baptismo libris: *Dum alicujus peccata tenentur, ab eis utique tenentur, à quibus ille, cui tenentur, vitæ similitudine & pravi cordis aversione disjungitur.* Non à solo Sacerdote tenentur, sed à tota Matre Catholica, & casta illa columba, per cujus pios gemitus perficiuntur omnia Sacramenta. Nec enim solam solvendorum, sed etiam ligandorum peccatorum potestatem & claves accepit. Pergit Augustinus in Tractatibus super Sancti Joannis Evangelium: *Ecclesiæ charitas participum suorum peccata dimittit, eorum autem, qui non sunt ejus participes, tenet.* Et in libro de Sancta Virginitate: *Si sacrarum virginum quæritur mater, Ecclesia est. Non parit virgines sacras nisi Virgo sacra: Virgo illa, quæ desponsata est uni viro casta exhiberi Christo.* Ad sacrarum virginum & professionem & consecrationem adfirmat eandem matrem cooperari. Quod ipsum de quavis Sacramentalium elementorum benedictione, ac item de Pœnitentium satisfactoriis operibus adfirmat in libro de Initiandis, ac in utroque de Pœnitentia libro Sanctus Ambrosius. Divinis Sacramentis, ritualibus ipsorum vestimentis, solemnibus precibus, ac omni generatim Divino ministerio, mater ista debet necessariæ cooperationis auxilium, sine quo infructuosa atque irrita sint omnia, omnium virtus ligata & suspensa.

L. 6. c. 4. Tr. 121. Cap. 12. Cap. 5. Lib. 1. 15. 16. 17.

Parvulorum, quam quandoque in parentum, quandoque in gestantium seu ad Baptisma offerentium fide fieri dicimus, justificationi debet singulare auxilium. Quòd enim illi proprio corde nequeant converti ad Deum, ipsorum justificatio est hetroclita ac irregularis, egetque vicario alieni cordis supplemento. Et hinc nescio cujus in Africa civitatis Episcopus Bonifacius Sancto Augustino proposuit varias quæstiones. Prima erat: An parvuli per ipsos parentes essent Baptismo offerendi? Et stabat ipse pro parte affirmativa propter hanc rationem: *Ut sicut parentes fuerunt auctores ad eorum pœnam, per fidem parentum itidem justificentur.* Altera quæstio erat: *Quomodo parvulis, cum baptizantur, prosit parentum fides?* Inter rationes dubitandi erat hæc: *Quòd quidam non ea fide ad Baptismum percipiendum parvulos ferant, ut gratia spiritali ad vitam regenereutur æternam, sed quòd eos putent hoc remedio temporalem retinere vel recipere sanitatem.* Hinc nata est tertia quæstio: An ista perversa parentum voluntas impediret parvulorum Regenerationem? Et quidem ad primam negativè respondet Sanctus Augustinus, & pergit de secunda quæstione & tertia: *Non propterà illi non regenerantur, quia non ab istis hac intentione offeruntur. Celebrantur enim per eos necessaria ministeria. Non rectè bis dicitur: Nolite verba Sacramentorum, sine quibus consecrari parvulus non potest, recitare. Spiritus autem ille sanctus, qui habitat in Sanctis, ex quibus una illa columba deargentata charitatis igne conflatur, agit quod agit etiam per servitutem aliquando non solùm simpliciter ignorantium, verùm*

Ep. 23.

verùm etiam damnabiliter indignorum. Offeruntur quippè parvuli ad percipiendam spiritalem gratiam non tam ab eis quorum gestantur manibus, quamvis & ab ipsis, si & ipsi boni fideles sunt, quàm ab universa societate Sanctorum atque fidelium. Ab omnibus namque offerri rectè intelliguntur, quibus placet quòd offeruntur, & quorum sancta atque individua charitate ad communicationem sancti Spiritus adjuvantur. Tota hoc ergo Mater Ecclesia, quæ in sanctis est, facit: Quia tota omnes, tota singulos parit. Parentes per quorum fidem justificantur parvuli, non sunt caro & sanguis, sed ex fodis Sanctis conflata Mater Ecclesia, quam idem Augustinus laudat in libris de peccatorum meritis: *Mater Ecclesia cor maternum parvulis præstat, ut sacris mysteriis imbuantur, quia nondum possunt corde proprio credere ad justitiam, nec proprio ore confiteri.* Et in sequenti capite: *Offeruntur per Sacramentum, charitatemque fidelium.* Et in decimo sermone de verbis Apostoli: *Et ipsi parvuli portantur ad Ecclesiam. Etsi pedibus illuc currere non possint, alienis pedibus currunt ut sanentur. Accommodat illis Mater Ecclesia aliorum pedes ut veniant, aliorum cor ut credant, aliorum linguam ut fateantur.* Uti enim peccarunt per alium ac alienam voluntatem, ita per alienam fidem & charitatem salvantur. Et hanc maternam oblationem laudans Augustinus rectè addidit de ipsius ministris seu proximis executoribus: *Quamvis & ab ipsis, si & ipsi boni fideles sint.* Tunc enim & ipsi spectant ad Sanctam Matrem, & cum ipsa tamquam pars operantur. Carnales autem non habent ejus spiritum & virtutem, ideoque recitant sola Sacramenti verba, seu sola celebrant necessaria Matris ministeria, ad ipsorum effectus non cooperantur. Et in hunc sensum varia hinc indè Sancti Augustini similia loca sunt intelligenda.

Lib. 1. c. 25.

Cap. 2.

Et hæc Sanctæ Matris pietas & efficax virtus à singulorum filiorum notitia ac voluntate non pendet. Nec mutuas, quæ tamen adjuvant plurimùm, habet necessarias omnium & singulorum orationes. Dum quis in extrema etiam India catechumenus baptizatur, reconciliatur pœnitens, infirmus ungitur, consecratur Episcopus aut clericus, vel etiam fideles in matrimonium sanctificantur, nos omnes cooperamur, & sine nostra, aut aliorum certè fidelium concursu nullus sequeretur effectus. Eandem ab aliorum fidelium sanctitate dependentiam atque influxum habet omnis nostra consecratio. Hinc enim in libris de baptismo scribit Sanctus Augustinus: *Idem spiritus sanctus peccata dimittit, qui datus est omnibus Sanctis sibi charitate cohærentibus, sive se noverint corporaliter, sive non noverint. Similiter cum alicujus peccata tenentur, ab eis utique tenentur, à quibus ille, cui tenentur, pravi cordis aversione disjungitur, sive illum corporaliter noverint, sive non noverint.* Et in septimo ejusdem operis libro: *Domus Dei in bonis fidelibus est, spiritali unitate devinctis in eadem communione Sacramentorum, sive se facie noverint, sive non noverint.* Quod ipsum scribit in aliis locis, præsertim in sexto Tractatu super Sancti Joannis Epistolam. Omnes enim toto terrarum orbe diffusi justi & unum in cœlis habent caput ad Dei Patris dexteram, & unum ejusdem capitis diffusum in suis cordibus Spiritum, quo compaginantur in admirabilem unius corporis harmoniam, ac unam virginem Matrem, quæ assiduis tamquam columba gemitibus Deum Patrem interpellat novos sibi regenerari filios, novos milites confirmari, consecrari novos Duces, lapsos erigi, reconciliari reos, cum extremis periculis luctaturos ungi, & hæc omnia non interpolari usque ad sæculi finem. Et ad omnia ista suo Virgini Sponso ac ejus Cælesti Patri per ipsorum communem in se habitantem Spiritum simul influit & cooperatur. Habet varios gemendi atque interpellandi modos, quorum insignem unum laudat in Epistola ad Magnum Sanctus Cyprianus: *Quando Dominus corpus suum panem vocat de multorum granorum adunatione congestum, populum nostrum, quem portabat, indicat adunatum. Et quando Sanguinem suum vinum appellat, de botris atque acinis plurimis expressum, atque in unum coactum, gregem item nostrum significat, commixtione adunatæ multitudinis copulatum. Si Novatianus huic pani Dominico adunatus est, si Christi poculo & ipse commixtus est, poterit videri & unici Ecclesiastici Baptismi gratiam habere posse.* Quod ipsum pluribus tradit etiam in Epistola ad Cæcilium. Qui solum Christi Domini verum corpus in Eucharistia contineri, consecrari, ac Deo Patri in sacrificium offerri existimant, insigniter hallucinantur: Continetur atque offertur Christus cum omni suo περιουσίῳ seu circumsubstantiali populo, caput cum toto corpore, sponsus cum sponsa, cum vero corpore etiam totum mysticum, seu tota, in qua nec Novatianus, nec ullus Hæreticus aut Schismaticus, immò nullus iniquus habet partem, Christo adhærens Sanctorum societas. Verum corpus in propria substantia, mysticum offertur in solo Sacramento. Utrumque simul ex singulis & omnibus sub cœlo altaribus quotidiè ascendit ad Patrem, ac ipsius Majestatem, ut suis Sacramentis, ac suæ sponsæ in illis ac aliis precibus ministerio assistat usque ad sæculi finem, junctis viribus orat atque exorat.

L. 6. c. 4.

Cap. 51.

Ep. 76.

Quòd nullus hæreticus, nullusque iniquus hic partem habeat, seu quòd non tota omnium fidelium, sed sola Sanctorum communio Regni Cælestis claves, ac peccata solvendi ac ligandi potestatem à Christo Domino acceperit, lucidè jam audivimus à Sancto Augustino, & est adhuc demonstrandum. Ex tertio libro de Baptismo contra Donatistas *Sola illa columba, id est, illa unitas, quæ nisi in bonis intelligi non potest, simplex & casta baptizat.* Adjungit *per orationes Sanctorum Spiritalium, qui sunt in Ecclesia, tamquam per columbæ creberrimum gemitum, magnum geri Sacramentum, & occultam dispensationem misericordiæ Dei, ut eorum etiam peccata soluantur, qui non per columbam, sed per accipitrem baptizantur, si ad illud Sacramentum cum pace Catholicæ unitatis accedant.* An quis recto corde accedens per justum, an per injustum Sacerdotem in Ecclesia baptizetur, adfirmat non referre: Quòd nempè non ministro, sed toti & soli columbæ sit data clavium potestas. Per ejusdem orationes addit

Cap. 17.

etiam

etiam susceptа extra Ecclesiam Sacramenta in pacificè ad ipsam redeuntibus reviviscere. Domini ad Apostolos verba, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, laudat in sequenti ejusdem libri capite, & prosequitur: *Ergo si Apostoli personam gerebant Ecclesiæ, & sic eis hoc dictum est, tamquam ipsi Ecclesiæ diceretur, pax Ecclesiæ dimittit peccata, & ab Ecclesiæ pace alienatio tenet peccata, non secundùm arbitrium hominum, sed secundùm arbitrium Dei & orationes Sanctorum spiritalium, qui omnia disjudicant, & à nemine judicantur. Petra enim tenet, petra dimittit; columba tenet, columba dimittit; unitas tenet, unitas dimittit. Pax autem hujus unitatis in solis bonis est, vel jam spiritalibus, vel ad spiritalia concordi obedientia proficientibus. In malis autem non est, sive foris tumultuentur, sive intus cum gemitu tolerentur, & baptizent & baptizentur.* Intus toleratos malos demonstrat fuisse etiam Sancti Cypriani temporibus, & pergit: *Remissam tamen peccatorum non dabant, quæ per orationes Sanctorum, id est, per columbæ gemitus datur, quicumque baptizet, si ad ejus pacem illi pertinent quibus datur. Non enim raptoribus & fœneratoribus diceret Dominus: Si cui dimiseritis peccata, dimittentur illi, si cui tenueritis, tenebuntur.* Et in Cap. 21. quinto libro: *Sacramentum gratiæ dat Deus enim per malos, ipsam verò gratiam non nisi per se ipsum, vel per Sanctos suos, & ideò remissionem peccatorum vel per seipsum facit, vel per illius columbæ membra, quibus ait, Si cui dimiseritis peccata, dimittentur.* Peccatorum remissionem dari non posse per Hæreticos, cum Sancto Cypriano profitetur etiam in sequenti capite, & subjungit: *Etiam maligni & invidi, quos & intus esse Cyprianus testatur, remissionem peccatorum dare non possunt.* Quòd nempe ipsis non sint datæ claves. Internam Ecclesiæ paleam hæresibus quoad hoc punctum æquiparat etiam in sexto libro; & pergit: Cap. 1. *Remissionem dare non possunt. Quia non malignis, sed bonis filiis dictum est: Si cui dimiseritis peccata, dimittentur ei.* Longè plura habet istiusmodi loca. Et ex ipsis circumscriptus Joannes Wicleff erravit malis Sacerdotibus non esse potestatem ordinis, nec Ecclesiæ claves, nec data per ipsos Sacramenta esse fructuosa aut valere. Augustinum, sed non secundùm scientiam, diligens Joannes Hus, apud Constantiam vivus exuri maluit, quàm pessimis istis erroribus renunciare.

Etenim non ad solos effectus, sed etiam ad omnium Sacramentorum substantiam ac valorem necessaria est Sanctorum communio, & Sanctus ipsius influxus. Unde quòd data per Hæreticos aut malos in Catholica Ecclesia Sacerdotes Sacramenta valeant, non ab ipsis dumtaxat provenit, sed præsertim ab ista sancta Matre, de qua idem Augustinus in iisdem de baptismo libris: *Ergo ipsa generat & per uterum suum, &* Lib. 1. cap. 10. *per uxoris ancillarum ex eisdem Sacramentis, tamquam ex viri sui semine.* Sara non solum Isaac ex proprio, sed etiam Ismaelem ex alieno genuit ancillæ Agar utero. Per conjugalia jura fœcundato de eodem viri semine. Etiam Lia & Rachel ita ancillis fuerunt usæ. Erant Sacramenta prænuntia futurorum. Ita enim omne Mater

Ecclesia, dum boni, ex proprio, dum pravi Sacerdotes baptizant aut ordinant, gignit ex alieno utero, attamen ex eodem semper ejusdem viri legitimo semine, quia ex eisdem JESU Christi Sacramentis. Quam doctrinam Augustinus insigniter illustrat in locis variis laudati operis de baptismo, in sermone ad Emeritum Cæsareensem in Mauritania Episcopum, in vigesimo secundo libro contra Faustum, in Tractatibus super Sancti Joannis Epistolam, ac in variis hinc inde ad populum sermonibus. Proinde si tollas Sanctorum communionem, sistis atque suspendis omnem virtutem omnium Sacramentorum.

Et hinc lucet Sanctum Augustinum, dum Cœlestis Regni claves & remittendorum peccatorum potestatem, non soli Petro, sed toti, cujus ille personam gerebat, Ecclesiæ datas adfirmat, non agere de clavibus Hierarchicis, nec de potestate Sacerdotii, aut Sacerdotalis jurisdictionis. Quisquis id credit, firmat Donati hæresim, & Sanctum Augustinum demutat in Wicleffistam. Duplex est clavium potestas, quam insigniter distinguit idem Augustinus in quarto libro de baptismo: *Sicut urgeri videor, cum* C. 4. *mihi dicitur, Ergo Hæreticus dimittit peccata, sic & ego urgeo, cum dico, Ergo raptor dimittit peccata? Si per vim Sacramenti, sicut ille, ita & ille; si per meritum suum, nec ille, nec ille.* Hoc est; uterque per sacri sui Ordinis potestatem & applicatam operati in Sacramento operis virtutem remittit, neuter per suum meritum, seu sanctitatem, quæ spectet ad peccata remittentem communionem Sanctorum. Alia igitur est potestas clavium gestatrix & administratrix, alia cooperatrix. Easdem potestates laudat in Epistola ad Epist. 166. omnes Donatistas: *Semper Dei est illa gratia & Dei Sacramentum, hominis autem solum ministerium. Quia si bonus est, adhæret Deo & operatur cum Deo; si autem malus est, operatur per illum Deus visibilem Sacramenti formam, ipse autem donat invisibilem gratiam.* Et in libris adversùs Petilianum: *Sicut* Lib. 2. *istè annuntiatur quod castum est, etiam ipse annun-* cap. 5. *ciator, quia verbo consociatur, credentem congenerat; si tamen ipse non regeneretur, castum tamen sit quod annuntiat, nascitur credens non ex Ministri sterilitate, sed ex veritatis fœcunditate.* At vero in tertio ejusdem operis libro scribit longè aliter: *Dicite quod dicit veritas & Catholica Ecclesia, quia non solum cum malus est Minister baptismi, verùm etiam cum sanctus & bonus est, non est in homine spes ponenda, sed in illo qui justificat impium, in quem credentibus fides deputatur ad justitiam. Cùm enim dicimus, Christus baptizat, non visibili ministerio dicimus, sed occulta gratia, occulta potentia in Spiritu Sancto, sicut dictum est de illo: Hic est qui baptizat.* Nempè per physicum justitiæ & gratiæ traducem, quem certum est competere soli capiti nostro & Deo. Frequenter Augustinus scribit quòd gratia remissionis peccatorum neque à malo Ministro detur neque à bono, sed à solo Deo; frequenter quòd & à malo & à bono; frequenter quòd à solo bono. Nempè juxta jam expositos dandi & accipiendi variis modos. Et in specie contra-

rietas Wicleffum circumscripsit & Hussum. Circumscribit & illos, qui Augustinum ubique loqui existimant de clavibus Hierarchicis, aut Ecclesiæ Præpositura. In plerisque huc usque adductis locis loquitur de clavibus, quibus carent quandoque Episcopi, & carere possit etiam ipse Romanus Rontifex, & quas frequenter habent aut certè participant Laici, etiam pueri ac fœminæ. Loquitur de fraterna clave, quæ ad dandam & accipiendam in Sacramentis justitiam operatur in singulis per communionem Sanctorum, & per cujus operationem singulos justos esse Christi Domini non tantùm fratres aut so-
C. 6. 7. rores, sed etiam matres, ostendit in libro de sancta Virginitate. Quia nempè ex Sacramentis sibi in fratres ac sorores pariunt ejus membra. Et in hac accipienda benedictione Petrus Apostolus gessit personam omnium in Ecclesia justorum, uti Judas in accipiendis quibusdam maledictionibus tenuit vices omnium impiorum Judæorum. Et sic hæc omnia nihil faciunt ad præsentem quæstionem.

Et quidem an Regni Cœlestis claves, & solvendorum ac remittendorum peccatorum potestatem omnibus justis seu toti Sanctorum communioni Sanctus Augustinus rectè adscripserit, est alia quæstio. Quòd Sanctorum communio operato Sacramentorum operi ac Initiandorum fidei & charitati cooperetur, & jam exposita præstet auxilia, certum est; verùm an ista cooperandi virtus sit illa potestas, quam per claves Dominus dedit Petro, & an Sanctus Augustinus, consueto Afris Doctoribus more, non abutatur Sacræ Scripturæ littera, est locus dissertationi. Certè per claves ac tenendorum & solvendorum peccatorum potestatem Dominus intellexit Sacerdotium ac Ecclesiæ Hierarchiam. Quòd eis Sanctorum communio cooperetur, etiam huic datas Augustinus censuit. Nempè alio & alio modo. Tunc adversùs Ecclesiasticæ Ordinationis Sacramentum necdum litigabant Sacramentarii Hæretici, hinc ille loquebatur liberiùs, & varios istos, utpotè tunc omnibus notos, modos lucidè non discrevit. Data extra Ecclesiam Sacramenta esse firma & valida, & in conversis ad Deum cordibus posse in omnes gratiæ effectus reviviscere, & hos extra Ecclesiam sperari non posse, demonstratum voluit Donatistis, ideoque Sanctorum communionem ac ejus admirandam virtutem amplissimè elucidavit. Quòd Hierarchicas claves non toti Sanctorum communioni, sed soli Petro datas censuerit, lucet ex vigesimo sexto sermone de diversis: *Petrus multis locis Scripturarum apparet quòd personam gestet Ecclesiæ. Maximè illo in loco, ubi dictum est: Tibi dabo claves Regni Cœlorum. Numquid* C. 6. *istas claves Petrus accepit, & Paulus non accepit, & cæteri Apostoli? Aut non sunt istæ in Ecclesia claves, ubi peccata quotidiè dimittuntur? Sed quoniam in significatione personam Petrus gestabat Ecclesiæ, quod illi uni datum est, Ecclesiæ datum est.* Non dicit, *Quod Ecclesiæ datum est, illi datum est*, sed cum emphasi, *Quod illi uni datum est, Ecclesiæ datum est.* Hoc est, ab illo uno fonte, in omnes Apostolatus & Episcopatus Collegas & Successores traductum est, & usque ad finem sæculi traducendum. Loquitur cum Sancto Optato adversùs Parmenianum, & cum Catholica Ecclesia adversùs Tertullianum: Affirmat claves moriente Petro non fuisse sublatas Ecclesiæ aut suspensas. Itaque in ipsis accipiendis Petrus repræsentabat Ecclesiam, quomodo Pater posteros, fons rivos, radix ramos. Hinc in Petro Apostolorum Primatum excellenti gratia, & omni Episcopatui præferendum Apostolatus Principatum præeminuisse, scribit in libris de Baptismo idem Augustinus. Et in libris Retractationum: *In hoc contra Donati Epistolam libro* Lib. 2. *dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quòd in illo* cap. 1. *tamquam in Petra fundata sit Ecclesia. Qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus Beatissimi Ambrosii, ubi de gallo gallinacio ait: Hoc ipsa Petra Ecclesiæ canente culpam diluit. Sed scio me posteà sæpissimè sic exposuisse, quod à Domino dictum est, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, ut super hunc intelligeretur quem confessus est Petrus, dicens, Tu es Christus filius Dei vivi: Ac si Petrus ab hac petra appellatus personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur, & accepit claves Regni Cœlorum. Non* Lib. 1. *enim dictum est illi, Tu es Petra, sed, Tu es Pe-* cap. 21. *trus, Petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum autem duarum sententiarum quæ sit probabilior, eligat Lector.* Firmat non Petrum supra Ecclesiam, sed Ecclesiam supra Petrum esse ædificatam, ideoque ipsum in accipiendis clavibus gestasse ejus personam: Nempè uti origo gerit personam ex ipsa pullulantium. Et talia Augustini pro Sancto Petro testimonia possint multa adduci. Quocirca fundamentum, ex quo Joannes Gerson ac Basileensium Doctores educere conati sunt Romanum Episcopum subesse Synodis, & caducum est & falsum.

CANON XX.

Quòd nullus audeat condemnare Apostolicam Sedem appellantem.

SCHOLION.

ROmanarum appellationum prima hostis fuit Eusebiana factio, docens Ecclesiæ Hierarchiam esse non Monarchicam, sed Aristocraticam, divisam in tres Primatu ac dignitate æquales Patriarchas, ideoque ab uno ad alium non posse appellari. Evangelicæ atque Apostolicæ Regulæ adversum, & ab Acacio ac præsertim Photio Constantinopolitanis Episcopis postea resumptum, errorem damnarunt Sardicense Concilium, Felix tertius Pontifex, Gelasius primus, ac Synodus octava. Justinus secundus Imperator, quò grassantes in Italia Longobardos cohiberet, Exarchum suum, novum Romanæ Reipublicæ Magistratum, Ravennæ posuit, atque ita istam civitatem plurimùm exaltavit. Et hinc Romanis appellationibus emersit novus hostis. Etenim ab Exarchis inflati & circumscripti Ravennatum Episcopi somniare cœperunt Autocephaliam, atque à Patriarchico Apostolicæ Sedis jure, adeoque & à Romana appellatione exemptionem. Erat non adversùs Papalem, sed dumtaxat adversùs Patriarchalem potestatem rebellio, ipsamque in Joanne Episcopo Magnus Gregorius, & hujus Successores in illius Successoribus vario tempore ac modo damnaverunt. Eadem superbia laborasse Gallicanæ Ecclesiæ Metropolitas, lucet ex Gregorii quarti ad ipsos Epistola de causa Aldrici Episcopi Cenomanensis. Dixerunt se suarum Diœcesium, seu Provinciarum Primates, utique Autocephalos, ideoque à suis Synodalibus etiam in Episcopos judiciis non posse provocari. A laudato Gregorio suppressam audaciam resuscitavit Hincmarus Remensium Metropolita, docens & se & suos in Gallia Collegas sine alterius Primatis interrogatione, seu prævia confirmatione promoveri & consecrari, ideoque ab omni Primatiali seu Patriarchali jure esse exemptos. Docuit id præsertim in famosa Epistola, quam ex Caroli Calvi Regis nomine adversùs inferioris maximè Cleri Romanas appellationes scripsit ad Pontificem Joannem octavum.

Attamen in hosce tunc in Latina Ecclesia sepultos errores non dictavit noster septimus Gregorius. Sed in Henrici quarti Imperatoris violentiam, de qua Lambertus Schafnaburgensis: *Jam in eo res verbatur*, ut adversùs Sigifridum Moguntinum Archiepiscopum de sua à præstandis Decimis exemptione disputantes, & ab Erfurtensi Synodo damnati, *Thuringi Sedem Apostolicam appellarent. Sed Rex sub attestatione Divini*
A. 1073. *nominis affirmabat se in eum, si quis id præsumpsisset, capitali sententia animadversurum. Et omnia quæ ejus essent usque ad internecionem dissipaturum, clademque ejus diei multis posteà seculis non abolendam.* Et in Saxonici belli Historia Bruno Merseburgensis: *Omnes semitas, quæ per montes ducunt in Italiam, Rex claudi præcepit, nec ulli homini viam patere permisit, ne rei veritas ad Apostolicum priùs veniret, quàm ipse per Legatos in suum favorem traduceret ipsum Apostolicum.* Quod ipsum in suis, apud eundem Brunonem exstantibus, ad nostrum Gregorium litteris fideles Saxones gravissimè conqueruntur. Etiam nullum, licet à Papa evocatum, idem Rex permisit Romam accedere. Quin nec Sanctorum Principum Apostolorum limina quis orationis causa visitare poterat, nisi de Papa non accedendo juratus. Quis aliter accedens, ad clusas vel alibi in via capiebatur carcerandus. Ita in suo Chronico testatur Betholdus Presbyter Constantiensis. Et de Poppone Tullensi Episcopo, Romam evocato, ad ejus Metropolitam Udonem scripsit ipse Gregorius: *Decuerat ut de objectis sibi debuisset* Lib. 3. Ep. 12. *respondere magis, quàm contra auctoritatem Principis Apostolorum, ad defensionem iniquitatum suarum, arma corripere, atque Regem sollicitare id contra nos præsumere, quod numquam licuit, neque licebit in aliquem Clericorum fieri.* Et Ecclesiæ suæ & Regis Henrici violentis armis stiterat Romanam evocationem.

Eadem iniquitas vigebat tunc in nostra Flandria. Etenim pro Morinensis Ecclesiæ Clericis, Apostolicam Sedem adversùs intrusum suum Episcopum Lambertum appellantibus, scripsit ad Robertum nostrum Comitem Gregorius: *Volumus atque monemus, ut Clericis qui propter hoc* Lib. 9. Ep. 13. *negotium Sedem Apostolicam petiverunt, nullam exinde læsionem faciatis, vel fieri permittatis.* Vigebat in omni Francia. Lucet ex Svessionensis ad Sanctum Medardum Monasterii Chronico: *Reynoldus Abbas Ecclesiæ Beati Medardi, quia absque voluntate & licentia Regis Henrici* primi *Romam vocatus abjit, Abbas esse desiit.* Est antiqua Francorum quæstio, etiam à Carolo Calvo Rege, & Hincmaro Remensium Metropolita in Rothaldi Svessionensis Episcopi causa adversùs Nicolaum primum Pontificem, & in causa Hincmari Laudunensis Episcopi adversùs Adrianum secundum acerrimè disceptata. A Merovingiis Regibus inducta fuit ista violentia, exstincta per nostrum Apostolum Sanctum Bonifacium, à Caroli Magni nepotibus resumpta, traductaque etiam ad Reges Capitinos. Hinc & Angliæ à Guilielmo Rege Conquæstore fuisse invectam testantur antiqui Anglicarum rerum Scriptores. Francicos enim, in quibus educatus, mores secum ille duxit ad novum Regnum. Exstant Apostolicæ ad Sanctum Lanfrancum Cantuariensem Archiepiscopum & ad Hubertum Romanæ Ecclesiæ Legatum litteræ, quibus noster Gregorius dictum Regem admoneri jussit de tanta in Apostolicam
Lib 6. Epist. 30. Sedem injuria, & ab ipsa cessare. Etiam apud Burgundos Gothos, Hungaros, aliosque Romani in Occidente Imperii Barbaros laceratores viguit ista consuetudo, ideoque in ipsam à primo, ac præsertim secundo Anglorum Rege Henrico resuscitatam depugnans gloriosus Martyr Thomas Cantuariensis rectè dixit esse non Christi Domini Legem, sed consuetudinem Barbarorum. Eam omnem hoc Dictatu Gregorius septimus, ac posteà etiam Alexander tertius damnavi.

Examinantur quædam recentiora Dogmata.

ILlustrissimus Dominus Petrus de Marca, Parisiensium Archiepiscopus, in erudito opere de Sacerdotii & Imperii Concordia tradit varia circa Romanas Appellationes, quæ præsens Dictatus jubet examinari. In sexto libro scribit de antiquis Provincialium Synodorum judiciis:
C. 14. *Judicia in Synodis reddita quoad disciplinam, summæ erant auctoritatis, ut constat ex Concilio Nicæno, non solùm quoad correctionem & depositionem Presbyterorum, aliorumque inferioris ordinis Clericorum, sed etiam quoad depositionem Episcoporum. Itaque appellationi locus non erat, nullaque alia antiquitùs ratio suppetebat damnatis, quàm ut Rescripto Principis negotium retractaretur in majori Synodo, quando agebatur videlicet alicujus Episcopi causa, aut aliquod negotium magni momenti. Ei auctoritati temperamentum in Occidente adhibuit Sardicensis Synodus in gratiam Episcoporum suo gradu dejectorum, data nimirum licentia appellandi Apostolicam Sedem, ut judicium renovaretur in Provincia, si Romanus Episcopus existimaret renovandum esse. Quoad verò Presbyteros & laicos excommunicatos nihil innovatum fuit, quoniam eorum causæ non erant istius momenti, ut Romanus Pontifex appellari posset: Sicut nec in Oriente concessa eis erat appellatio ad Patriarchas, ut patet ex Canonibus Nicænis, Antiocheno sexto, & nono Chalcedonensi. Concilium, inquam, Sardicense nihil prorsus detraxit de suprema Provincialium Conciliorum auctoritate quoad Presbyteros.* Et in septimo libro:
C. 1. *Ut melius intelligere possimus ordinem jurisdictionis Episcopalis, necessum est ut in antecessum statuamus Ecclesiam se in initio ad civilem Romani Imperii dispositionem accommodasse, Episcoposque præterea constituisse in principalibus urbibus untuscujusque regionis, primum verò locum & rerum omnium confirmationem tribuisse Episcopo Metropoleos Provinciæ cum consilio Collegarum suorum. Ordinationes itaque Episcoporum & judicia Ecclesiastica fiebant à Synodo cujusque Provinciæ cum auctoritate Metropolitani, adeò ut non liceret provocare à judicio lato in Synodo Provinciæ.*

Primò itaque adserit Provincialium Synodorum judicia esse per Apostolicum Canonem suprema atque inappellabilia. Et quidem quòd Ecclesiastica Hierarchia ad Romanæ Monarchiæ normam formata sit, quòd solæ civitates habeant Episcopum, quòd cunctis unius Provinciæ Episcopis præsit unus Metropolitanus, aliaque id genus varia sunt omninò ex Instituto Apostolorum. Verùm quòd Provincialium Synodorum judicia sint ex eodem Instituto inappellabilia, est fabulosum infigniter, Romanæ Reipublicæ adversum, ac Sanctis Apostolis injuriosum figmentum. Quis enim nesciat data per Romanos Romanarum Provinciarum Rectores judicia fuisse appellabilia? Quis nesciat ab istis Rectoribus potuisse appellari ad Præfectum Prætorii, & ab hoc ad Augustum recurri Principem? Eodem modo Apostoli sanxerunt à Metropolitæ Provinciali Synodo ac Synodali judicio ad Diœceseos Exarchum aut Patriarcham, & ab hoc posse provocari ad Papam. Nec desunt antiquissima ac lucidissima similium provocationum exempla. Et certè si Apostoli ista judicia sanxerint esse inappellabilia, inductæ postmodum appellationes adversantur Apostolicis Canonibus, quos cuncti profitemur esse Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia usque ad sæculi finem consecrandos. Cur igitur nec Acacius, nec Photius, nec Cerularius Michael, nec ullus unquam Romanæ appellationis schismaticus ejus memoravit istos Canones, clamans Romanam Ecclesiam esse ipsorum prævaricatricem? Cur interjectas à Provincialium Synodorum judiciis appellationes cuncti semper Patriarchæ admiserunt, sibi constanter adseruerunt, datas istic sententias retractarunt, ac frequenter reformarunt? An istum Apostolicum Canonem universa semper Ecclesia violavit, aut ignoravit? Omninò ignoravit. Nec enim est Apostolicus Canon, sed Philippopolitanum Eusebianæ factionis somnium. Quò illa Romanam Magni Athanasii appellationem, & pro ipso datum à Sancto Pontifice Julio judicium circumduceret atque evacuaret, blaterare cœpit Orientalis Ecclesiæ Synodales sententias esse inappellabiles ad Occidentalem Ecclesiam, nec reformari aut retractari posse à Romana Cathedra, ita sanciri ab Apostolicis ac Evangelicis Regulis, ideoque Julium tamquam ipsarum prævaricatorem privavit gradu & communione. Nec quarumvis Provinciarum, sed solas totius Orientalis, aut certè cujusque Patriarchalis Synodi judicia garrivit inappellabilia: Adversùm Provinciarum judicia provocari ad Patriarcham aut Exarchum semper permisit, immò & exegit. Alioquin omnem Patriarchicam potestatem prostravisset. Nec se fundavit in quinto Nicæno Canone, sed in sexto. Et quid de ista petulantia semper censuerit orthodoxa sub cœlo Christianitas, est cunctis Eruditis exploratum.

Figmentum istud Christianæ Ecclesiæ unitatem evertit, ejusque Hierarchiam ex Monarchi-

ca transmutat in Aristocraticam ; secatque in tot suprema capita, quot sunt Metropolitæ. Etenim judicare per Arrestum, & à nullo superiori judice timere sui judicii concussionem, est lucidus character supremæ potestatis. Hanc Eusebiana factio adscripsit solis tribus Patriarchis: Michaelis Cerularii schisma addidit Archiepiscopos Bulgarorum, Triballorum, Cypriorum, Iberorum. Et exinde Ecclesiæ unitatem lacerari, suprà nobis demonstravit Barlaamus Episcopus Gyracensis, seu Locrensis. Certè pergit D. Petrus de Marca: *Suprema illa Conciliorum Provincialium auctoritas non impediebat communicationem Episcoporum diversarum Provinciarum, qui se mutuò juvabant adversùm hostes Ecclesiæ Romanæ in decernendis cum consilio aliarum Synodorum Provincialium remediis adversùm schismata & hæreses.* Lucidè profitetur omnes istas Synodus esse supremæ auctoritatis, & Romanæ Ecclesiæ nihil adscribit singulare, nisi primas partes in Aristocratia.

Et istam supremam atque inappellabilem auctoritatem firmari adseverat etiam à Concilio Nicæno: Nec tantùm quoad inferiorem Clerum, sed etiam quoad Episcopos. Laudat quintum Nicænum Canonem, qui damnatos à suo Episcopo Clericos aut Laicos permittit appellare ad Provinciæ Synodum, ejus retractatorium judicium firmat, nec meminit ulterioris provocationis. Eruditus vir labitur in varium errorem. Supergreditur errorem Eusebianum. Hic enim non quasvis Provinciales, sed solas Patriarchales, aut alias autocephalas Synodos voluit esse supremas atque inappellabiles. Labitur in errorem Africanæ Synodi, de Romana appellatione disceptantis cum Pontificibus, Zozymo, Bonifacio, Cælestino. Etenim quæ usque huc adversùm solas inferioris Cleri appellationes disceptarat, ipsasque à quinto Nicæno Canone reprobari adfirmarat, tandem in litteris ad Cælestinum Pontificem erupit in has voces: *Etsi de inferioribus Clericis vel laicis videatur in Nicæno Concilio præcaveri, quantò magis hoc de Episcopis voluit observari, ne in sua Provincia communione suspensi, à tua Sanctitate vel festinatò vel præproperè videantur communioni restitui.* Adfirmat Nicænum Canonem, licèt de solis statuat Clericis ac laicis, ad Episcopos ob rationis paritatem esse omninò extendendum. Et quidem quòd Canon de solis Clericis & laicis statuat, est manifestum. Statuit enim de solis à suo Episcopo damnatis: Et nullus unquam Episcopus Episcopum, sed solos Clericos & Laicos semper potuit damnare. Et quidem Africana Ecclesia non quasvis suas Provinciales, sed suas dumtaxat Diœcesanas Synodos voluit seu solis Clericis, seu etiam Episcopis esse supremas, ac Romam inappellabiles: Atque ita D. Petrus de Marca transgreditur etiam illius errorem.

Quin & de Nicæna Synodo ad Eusebiana factionem scripsit Sanctus Julius Pontifex: *Episcopi in magna Synodo Nicææ congregati non sine Dei consilio permiserunt prioris Synodi Acta in alia Synodo examinari; & illi qui judices erant, præ oculis habentes secundum de ea ipsa re judicium futurum, cum omni diligentia causam expenderent, & illi qui sententiam acceperant, certò cognoscerent se non per simultatem priorum Judicum, sed jure & merito condemnatos esse. Quòd si istiusmodi consuetudo olim fuit, ejusque memoria renovata est, scriptoque prodita in magna Synodo, eamque apud vos valere non finitis, rem profectò indecoram facitis. Morem enim, qui semel in Ecclesia obtinuit, & à Synodo confirmatus est, iniquum est à paucis abrogari.* Palam adfirmat non solùm unius Episcopi, sed etiam alteriùs Synodi judicium posse retractari ab alia Synodo, ac reformari, ideoque & ab una ad aliam posse appellari. Adfirmat hunc esse perpetuum Ecclesiæ morem, laudatum à Nicæno Concilio, confirmatum, & scripto Canone sigillatum. Et damnati Athanasii appellationem, & appellantis factam à se reparationem ita demonstrat nec à Nicænis, nec ab Apostolicis Canonibus deviasse. Addit ipsos etiam Eusebianorum Presbyteros ab inflicta sibi per Alexandrinos Patriarchas damnatione provocasse Romam, & prosequendæ appellationi omnem factionem fuisse cooperatam. Et firmat nescio cujus Pisti, quem à Secundo, Ptolomaidis Ariano Episcopo, consecratum Presbyterum damnavit ipse Athanasius. Quidquid sit de Romana appellatione, cunctas Provinciales Synodos esse supremas atque inappellabiles, nec ipsa Eusebiana factio adseruit, utpotè pertinacissima pro jure Patriarcharum. Spectat hoc ad quorumdam schismaticorum Græcorum abominabile dogma, de quo in Meditato de Patriarcharum privilegiis Theodorus Balsamon: *Quidam perhibent nihil esse impedimento, quo minùs ubivis constituti Pontifices eodem cum Patriarchis honore & amplitudine fruantur.* Omnes Episcopos, præsertim Metropolitas, censuit esse ex Divino jure æquales. Quod figmentum etiam cuncti schismaticorum meliores detestantur. Ipsum nostro sæculo per Latinam Ecclesiam seminare vano item molimine tentavit Marcus Antonius de Dominis, Archiepiscopus Spalathensis.

Errorem continent hæc etiam verba: *Quoad Presbyteros & Laicos excommunicatos nihil innovatum fuit à Sardicensi Synodo, quoniam eorum causæ non erant ejus momenti, ut Romanus Pontifex appellari posset. Sicut nec in Oriente concessa eis erat appellatio ad Patriarchas, ut patet ex Canonibus Nicænis, sexto Antiocheno, & nono Chalcedonensi.* Etenim Chalcedonensis nonus Canon alta voce clamat oppositum. Clerici enim cum Clerico causam coram proprio Episcopo, Clerici cum proprio aut alieno Episcopo negotium mandat judicari apud Provinciæ Synodum, & subnectit: *Quòd si adversùs Provinciæ Metropolitanum Episcopus vel Clericus habet querelam, petat aut Primatem Diœceseos, aut sedem Regiæ urbis Constantinopolitanæ, & apud ipsam judicetur.* Agit de causis appellatis, ac appellationum ordine. Ab Episcopo ad Metropolitam, seu ipsius Synodum, ab hac vult appellari ad Primatem Diœceseos, aut ad Episcopum Constantinopolitanum. Non de totius mundi, sed de solis trium autocephalarum Diœcesium agit judiciis & appellationibus. Istas contra sextum Nicænum Canonem subdit Regiæ

Regiæ civitatis Episcopo, & ex eis conflat ejusdem Patriarchatum. Attamen ipsarum Primates non plenè nudat, nec omninò dejicit in communem Metropolitarum ordinem, sed ad ipsos à Provinciarum suarum Synodalibus judiciis vult adhuc alternativè appellari. Damnatos Clericos appellare permittit etiam ad novum Regiæ urbis Patriarcham: Quòd nempè istud jus esset unus è characteribus Patriarchalis auctoritatis, ipsoque etiam Alexandrinus & Antiochenus ex Apostolico Canone uterentur. Quòd istius juris originem D. Petrus de Marca malè refundat in sextum Constantinopolitanum Canonem, infrà ostendetur.

Antiochenorum Canonum nulla olim fuit auctoritas. Dolosa ista Eusebianæ factionis Synodus primo posuit lapides, quibus posteà Philippopolitanum Conventiculum sua adversùm Romanas appellationes & Monarchicam Ecclesiæ Hierarchiam schismatica figmenta super-ædificavit. Sextus interim ipsius Canon D. Archiepiscopi cogitationibus non favet. Damnatum à suo Episcopo Clericum aut Laicum solummodò mandat appellare, non ad Diœceseos, sed ad Provinciæ Synodum: An & ab hac damnatus possit provocare ulteriùs, tacet. Absit ut ulteriorem appellationem excludat: Ea etenim factio fuit Patriarchici juris zelosissima. Et iste Canon loquitur ex quinto Nicæno, à quo avitam, quæ etiam Clericis ac Laicis & ad Patriarcham & ad Papam appellandi facultatem dabat, consuetudinem fuisse confirmatam ac sigillatam, audivimus suprà à Sancto Pontifice Julio. Et hinc Africanæ, quæ Romanam appellationem inferiori Clero non permisit, Ecclesiæ morem fuisse heteroclytum & valdè singularem, quis ignoret? Ipsum Nicæno Canoni repugnare adfirmarunt constanter Pontifices Zozymus, Bonifacius, Cælestinus, ac Magnus Gregorius. Quòd ipsum, hoc instante, tandem reliquerit, communem totius Ecclesiæ normam amplexa, Africana Diœcesis, suo loco demonstrabitur. Et quod è Pontica Diœcesi Marcion, licèt dumtaxat Clericus aut Laicus, à proprii Patris atque Episcopi in se judicio Romam provocarit, lucidè adfirmat Sanctus Epiphanius. Nec desunt alia exempla. Et circa hanc disciplinam Sardicensis Synodus nihil alteravit.

Errorem continent & hæc verba: *Appellationi locus non erat, nullaque alia antiquitùs ratio suppetebat damnatis, quàm ut Rescripto Principis negotium retractaretur in majori Synodo, quando agebatur videlicet alicujus Episcopi causa, aut aliquod negotium magni momenti. Ei auctoritati temperamentum in Occidente adhibuit Sardicensis Synodus in gratiam Episcoporum gradu suo dejectorum, data nimirùm licentia, ut judicium renovaretur in Provincia, si Romanus Episcopus judicaret renovandum esse.* In paucis verbis errores varii. Primus est in his verbis: *Data licentia, ut judicium renovaretur in Provincia.* Etenim Sardicensis Synodus nequaquam prævaricata est Nicænam, de cujus in Apostolicam Sedem reverentia scribit ad Thessaliæ Episcopos Bonifacius primus Pontifex: *Nicæna Synodus aliquid suprà eum*, utique Sanctum Petrum Apostolum ac ipsius Apostolicam Cathedram, *ausa non est constituere, cum videret nihil suprà meritum suum posse conferri. Omnia denique huic noverat Domini sermone concessa.* Absit ut Sardicensis Synodus constrinxerit ad renovandum judicium intra Provinciam. Permisit ut partes evocaret ad suum tribunal, ut è suo latere legaret Presbyteros in Provinciam, vel ut ejusdem vel vicinæ Provinciæ Synodo appellationem delegaret retractandam. Omnia permisit ejus sapientissimo arbitrio. Et hinc nimiùm excedit D. Archiepiscopus, scribens de Gregorio quarto, ac quarto Leone: *Gregorius quartus infringere conatus est auctoritatem Canonum Sardicensium, & judiciorum ordinem præscribere. Eam constitutionem imitatus est Leo quartus. Hæ duæ constitutiones contrariæ erant Canonibus. Eò quòd arbitrio suo reservant, an Episcopus in urbe Romæ judicandus sit, an verò dimittendus in Provinciam, illic judicandus coram Legatis Sedis Apostolicæ: Quod sumptum est ex more usurpato à Gregorio Magno: Qui tamen Gallias & Africam distinguebat ab aliis Provinciis, & cum eis diverso prorsus modo se gerebat, quàm cum aliis.* Lib. 7. cap. 21.

Respondeo Gregorii morem non fuisse usurpationem, sed legitimum, paternum, atque lucidum Sardicensis Canonis intellectum. Nec diverso modo ille egit cum Gallis aut Afris. Quin & Afros induxit ad cedendam antiquissimam suam consuetudinem: Et inferiori etiam Clero Romanas appellationes permittendas. Etiam Gregorius quartus & quartus Leo non sunt infimæ notæ Pontifices. Verùm Romanas evocationes & Romanorum Legatorum jurisdictionem Gallia excludere voluit D. Parisiensis Episcopus: Nec potuit, nisi tres tantos Pontifices de infractis Sardicensibus regulis accusando.

Alter error est in his verbis: *Temperamentum in Occidente adhibuit Sardicensis Synodus.* Sensum suum Illustrissimus D. Scriptor exponit in alio ejusdem libri capite, multis conatus ostendere Sardicensem Synodum non fuisse Œcumenicam, seu dumtaxat Occidentalem, seu Patriarchalem solius Occidentis. Ejus Canones adfirmat nec à Constantinopolitana, nec à Chalcedonensi Synodo, nec ab Imperatore Justiniano fuisse admissos, & prosequitur; *Attamen Synodus in Trullo congregata Constantinopoli, in sua collectione describi jussit Canones Sardicenses, & inter hos etiam illos tres, qui ad Episcopi Romani auctoritatem pertinent. Verùm non ea fuit hujus Synodi mens, ut propterea jurisdictioni Romani Episcopi submittere voluerit appellationes Episcoporum, cum in eadem collectione existant Canones secundæ Synodi Œcumenicæ, atque item quartæ, quæ unicuique Patriarchæ supremum harum causarum judicium commiserunt. Nihil ergo aliud voluit Trullana Synodus, quàm ostendere, quænam auctoritas Romano Pontifici competat in suo Patriarchatu, cujus limitibus circumscribunt potestatem et quæstam in Canonibus Sardicensibus. Tum etiam ut ostendant eam auctoritatem illi tributam esse, non à Concilio Nicæno, sed à Sardicensi.* Et probat hæc ex Joannis Zonaræ ad istum Canonem scholio: *Neque hic Canon à Nicæna Synodo editus fuit, neque ad ipsum* Cap. 3.

utique Romanorum Episcoporum, *provocationes ab omnibus Episcopis, sed ab iis tantummodò, qui eidem subjecti erant, duci oportere decernit.*

Respondeo Canones istos non tantùm à Joanne Zonara, sed etiam à Theodoro Balsamone, & plerisque Photii aut Michaelis Cerularii congerronibus sic intelligi. Tantus pro Romano Primatu fulgor ferit ipsorum oculos, ideoq; aliud nesciunt quàm garrire, quòd statuat de solo Romano Patriarchatu. Ecce è quibus fontibus bibat, & nobis propinet D. Archiepiscopus. Quis enim orthodoxus unquam audivit Patriarchalia in Episcopos judicia esse suprema, ac Romam inappellabilia? Quis unquam audivit ita sanciri per Synodos Constantinopolitanam, Chalcedonensem, & Trullanam? Nulla unquam id somniavit Synodus: Est schismaticum figmentum Eusebianæ factionis in Philippopolitano Conventu. Et hinc non pro solis Occidentalibus, sed præsertim pro Orientalibus Episcopis dixit Hosius: *Sancti Petri Apostoli memoriam honoremus.* Eusebiana factio de nocte Philippopolim fugerat, fremebat, illic adversùs Sanctum Petrum & in ejus Apostolicam Sedem meditabatur inania, damnabat Romanas appellationes, sanciebat Divino juri adversas, Patriarchalia judicia sanciebat suprema ac inappellabilia, & ob horum in Athanasio ac aliis Orientalibus Episcopis patratam prævaricationem in Julium Pontificem latrabat convitium excommunicationis ac degradationis. Adversùm has, quas sol usque tunc non viderat, insolentias clamavit omnis Sardicensis Synodus: *Sancti Petri memoriam honoremus.* Hoc est, non Occidentalibus, de quibus nulla quæstio, sed Orientalibus Episcopis Apostolicum ac Evangelicum Romanæ Cathedræ invocandæ ac appellandæ jus & morem novo Canone confirmemus. Et hinc in Prosphonetico ad Imperatorem Martianum sermone dixit universa Chalcedonensis Synodus: *Qui apud Sardicam contra Arii reliquias convenerunt, Orientalibus direxerunt sui Constituta judicii.* Quòd non tam pro Occidentalibus, quàm pro Orientalibus constituissent. Et ita plenè corruunt etiam hæc D. Archiepiscopi ad Sardicensem Canonem verba: *Hujus juris novam esse institutionem probant verba Canonis*, Si placet vobis, Sancti Petri Apostoli memoriam honoremus. *Non ait confirmandam esse antiquam traditionem, quemadmodum fieri consuevit in negotiis, quæ renovatione tantùm aut explicatione antiqui juris indigent.* Exinde censet Romanas appellationes usque tunc fuisse ignotas. Respondeo fuisse notissimas. Etenim non solius Athanasii, sed & plurimorum insuper Orientalium Episcoporum & Clericorum appellationes susceperat ac retractarat Julius Pontifex: Et omne ipsius in his factum Synodus probavit ac firmavit. Videatur hujus Epistola ad Alexandrinam Ecclesiam. Iterùm dico: Adversùs istas, quas sol usque tunc non viderat, & Eusebiana factio Antiochiæ conceptas tunc enitebatur apud Philippopolim, violentas insolentias, Hosius isto emphatico exordio fuit usus. Et ipsius Canones dudum ante Trullanam Synodum admiserunt & dilexerunt Græci. Etenim Joannes Scholasticus, quem in ejecti Sancti Eutychii Constantinopolitanam sedem intrusit Imperator Justinianus, ipsos imposuit suo Nomo-Canoni, laudato per Nicolaum primum Pontificem. Quin & ipse in prolixo pro Catholica fide Edicto Imperator Justinianus ex Magni Athanasii auctoritate adfirmat Sardicensem Synodum fuisse universalem, & ex ipsius exemplo probat occultos in Catholica pace defunctos hæreticos posse post mortem, si tunc detegantur, ab Ecclesia damnari. Quòd Trullana Synodus Romanas Orientalium appellationes non mutilarit, est æquè certum. Hanc schismaticam insolentiam primus post Philippopolitanum Conventiculum attentavit Photius.

Tertium ac pessimum errorem continent hæc verba: *Appellationi locus non erat, nullaque alia antiquitùs ratio suppetebat damnatis, quàm ut Rescripto Principis negotium retractaretur in majori Synodo.* Auctor exponit suum sensum: *Canone Nicæno firmata est suprema Synodorum Provincialium auctoritas in ferendis judiciis. Quæ temperata fuit Rescriptis Principum, qui revisiones causarum fieri præcipiebant. Hinc novæ regulæ data occasio, quam Sardicense Concilium condidit. Qua transfusa est in Romanum Episcopum potestas illa, quæ Imperatoribus competebat, concedendi revisiones hujusmodi. Eo tamen addito temperamento, quod infrà adnotabitur in explicatione Canonum hujus Concilii.* Audi temperamentum: *Septimus Canon præscribit ordinem judiciorum, postquam ab Episcopo Romano concessa fuerit revisio, atque ita agendum esse eo casu, ut summus Pontifex donet Judices ex vicina Provincia, qui causam retractent cum prioribus Judicibus, tum ut Pontifex Legatum quoque mittere possit Concilio præfuturum, si ipsi visum fuerit aliquem mittendum. Revisio hæc omninò similis est propositioni quam vocant erroris adversùs Decretum Parlamenti, quæ Rescripto Principis instituitur, cui definiendæ interesse debent priores Judices, itemque par novorum Judicum numerus, ac præterea duo.* Multis adfirmat quintum Nicænum Canonem, & ab ipso stabilitam Provincialium Synodorum supremam auctoritatem non lædi à Sardicensi Synodo, Romano Pontifici non admittendæ appellationis, sed solùm delegandæ revisionis jus adscribi, *appellandi & provocandi* vocabulis abuti Hosium, & prosequitur: *In Sardicensi Synodo quæsitum Romano Episcopo jus est diversum prorsùs à judicio appellationis, cùm nihil aliud ei concessum sit, quàm ut decernere possit causæ retractationem.* Invocatus per appellationem Judex non tantùm prioris judicii partes, sed & ipsum Judicem evocare potest ad suum Tribunal, & ipse causam retractare. Hoc Papale jus è Gallia proscribere studet Dominus Archiepiscopus, ideoque à Sardicensi Synodo induci censet solam revisionem, non veram appellationem. Christiani Romanorum Imperatores, licèt criminales Episcoporum & Clericorum, aliasque Ecclesiasticas causas numquam retractare aut judicare potuerint, aut citra sacrilegam tyrannidem præsumpserint, ipsarum tamen retractatoria judicia, à damnatis Episcopis aut Clericis interpellati, frequenter delegarunt aliis Synodis, præsertim

L. 7. c. 3.

præsertim Constantinopolitanæ Synodo ex Episcopis advenis. Hoc ipsum, & nihil aliud, Romano Episcopo per Sardicenses Canones adscribi vult D. Archiepiscopus: Vult Synodalia Provinciarum judicia ab ipso Pontifice, præsertim in Romano Tribunali, non posse retractari. Censet aliud non posse Pontificem in isto judicio, quam quod Galliarum Rex in Parisiensis, aut Brabantiæ Dux potest in judicia supremi sui Senatus Bruxellensis. Dominus Archiepiscopus vidit à se tradi paradoxa & nova, ideoque adjunxit: *Hæc interpretatio mea est, quam cum aliquot viris doctis aperuissem, eam illi suffragio comprobarunt.*

Nihilominùs hæc omnia insigniter ac variè deviant. Etenim Ecclesiasticorum judiciorum retractationem delegare, nullius umquam Imperatoris fuit jus: Nec in omnibus istam usurpatam licentiam toleravit Ecclesia, sed in solis Christianis. Quis umquam à sua Synodo Episcopus, aut à suo Episcopo damnatus Clericus istam retractationem postulavit à pagano Imperatore? Quis paganus Imperator ipsam concessit, aut præscripsit? Ab Antiochena Synodo damnatus Paulus Samosatensis quidem confugium fecit ad Imperatorem Aurelianum: Verùm non ad impetrandam judicii retractationem, sed dumtaxat ad impediendam sententiæ executionem. Et Christianorum Canonum peritus Princeps insolentem hominem remisit ad Romanum Episcopum & alios Italiæ Antistites, id est, ad Provincialem Papæ Synodum, ex Apostolico ac Evangelico Canone Judicem omnium Episcopalium, præsertim Patriarchalium, appellationum. Etiam Donatistæ ab Imperatore Juliano non causæ suæ retractationem, sed solam ereptarum Basilicarum restitutionem postularunt. Et quid de ista audacia sentiant Sanctus Optatus, Sanctus Augustinus, & omnis antiqua Ecclesia, est omnibus probè notum. Primi igitur qui causæ suæ retractationem postularunt à Catechumeno, adeoque à Christiano Imperatore Constantino, fuerunt eidem Donatistæ. Et nostros Canones etiam ille edoctus ipsos remisit Romam ad Sanctum Papam Melchiadem, tandemque ad Synodum Arelatensem. Quo exemplo etiam ipsius filii, & horum successores fuere usi. Et hinc ad quintum suæ historiæ librum rectè præfatur Socrates: *Passim in historia Imperatorum memoriam propterea fecimus, quòd ex illo tempore, quo Christiani esse cœperunt, Ecclesiæ negotia ex ipsorum nutu pendere visa sunt, atque adeò maxima Concilia de eorumdem sententia & convocata fuerunt, & adhuc convocatur.* Non dicit, *Pependerunt*, sed *Pendere visa sunt*: Quòd nempè essent usurpatæ violentiæ, ideoque ipsas non probaret Ecclesia, sed dispensatoriè toleraret. Adversùm Sacra de Ecclesiasticis causis Relicta, jussiones ac delegationes quanta & qualia declament sancti Patres, est in superioribus hinc indè demonstratum Paternam de hac re formam exponit in litteris ad Maximum Salonitanum in Dalmatia Archiepiscopum Magnus Gregorius: *Si forsan pro Reipublicæ suæ utilitate multa cogitantibus, & diversis sollicitudinibus occupatis suggestum est, & eorum jussio per obreptionem elicita, postquam & nobis & omnibus notum est, piissimos Dominos disciplinam diligere, ordinem servare, Canones venerari, & se causis Sacerdotalibus non miscere, instanter exsequimur, quod & illorum juvat animam atque Rempublicam, & ad quod nos terribilis tremendi judicii respectus impellit.* Adfirmat à Principe diligendos Canones, ideoque ipsum non posse misceri Sacerdotalibus causis: Quòd nempè Canones id verent. Addit Sacrarum jussionum alias esse conformes Canonibus, alias ab ipsis difformes: Illas tolerandas adfirmat ab Episcopis, has constantissimè refutandas. Sacra appellatæ causæ delegatio est Sacræ jussionis species, adeoque & ipsa fieri debet juxta Canones, & item tunc non probatur ab Ecclesia, sed dumtaxat dispensatoriè toleratur. Quocirca si Romano Episcopo solam Augusti juris communionem hic dedit Sardicense Concilium, nullum jus dedit, nullam Canonicam potestatem, sed dumtaxat dispensatoriam usurpandi & attentandi licentiam.

Lib. 8. Ep. 28.

Dogma insigniter paradoxum; quin & semetipsum evertit. Etenim sacra delegatio, ut sit vel tolerabilis, debet fieri secundùm Canones. Hinc enim adversùs delegationem, qua suam causam Theophilo Patriarchæ Alexandrino commisit Imperator Arcadius, constanter intercessit Sanctus Joannes Chrysostomus, adseverans contrariam Nicænis Canonibus: Nicæni enim Canones Thracicæ Diœceseos Episcopum non permittunt ab Ægyptiorum Patriarcha judicari. Unde & appellationis via suam causam deduxit idem Joannes ad Romanum tribunal: Quòd nempè eidem Canones ita jubeant. Plura hujus formæ exempla adduxi suis locis. Quapropter aut Synodalia Provinciarum judicia non sunt suprema, sed retractari permittuntur à Canonibus, aut Augustus Princeps, quoties ipsorum retractationem delegat alteri Synodo, Canones & istorum supremam auctoritatem concutit atque prævaricatur. Et cujuscumque Provinciæ Synodale judicium à quacumque alia Provincia aut Synodo retractari non permittunt Canones Retractans Synodus debet esse superior, seu per propriam seu per delegatam potestatem. At verò Romanus Episcopus, qui est Episcoporum Episcopus & totius Christianitatis Monarcha, omnem appellatam causam vel ad se evocare potest, vel suis in Provincias Legatis Presbyteris, vel alteri cuicumque Provinciæ delegare. Et hanc à Christo Domino datam potestatem illi confirmavit Synodus Sardicensis.

Et quis ferat appellatæ ad Papam causæ retractatorio judicio priores judices debere adesse? Longè aliud censuit Chalcedonensis Synodus: Secundum totius Ecclesiæ Patriarcham Dioscorum, quòd ab ipso ac ejus Ephesino latrocinio Romam appellasset Sanctus Flavianus Constantinopolitanus Episcopus, Apostolica Legatio excluso à Synodali consensu, redegit inter accusatores & reos, & uti reum jussit stantem dicere causam, & sui de Flaviano judicii reddere rationes. Chalcedonensem enim Synodum sola indixit atque coegit Apostolica Sedes: Ex sibi firmata per Sardicensem Synodum potestate voluit appellatam Flaviani causam tali loco & modo retractari. Re-

tractando judicio adesse est Majestas solius Apostolicæ Sedis. Hinc enim idem ille Dioscorus Ephesinum Concilium demutavit in latrocinium: Quòd nempè Magni Leonis, tamquam per Eutychetis appellationem excussi & suspensi judicis, Legatos à Synodali præsidentia exclusisset. Etiam priorum ac novorum judicum par numerus ad rem hic non facit. Præsertim dum adfuerit à Pontificis latere Legatus Presbyter. Hujus enim auctoritatem exponit in litteris ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum, suum in Illyrico Vicarium, Magnus Leo: *Si in eo, quod cum fratribus tractandum definiendumvè crediderit, diversa eorum fuerit à tua voluntate sententia, ad nos omnia sub Gestorum testificatione referantur, ut remotis ambiguitatibus, quod Deo placeat, decernatur.* Ep. 84. cap. 11. Suo ad Synodum Legato adfirmat esse æqualem cum tota Synodo potestatem, ac æquè potens suffragium.

Examinantur horum dogmatum fundamenta.

DOmini Petri de Marca primum pro suprema atque inappellabili Provincialium Synodorum auctoritate argumentum est hoc: *Illustre hujus Instituti exemplum exiſtit apud Sanctum Cyprianum. Cyprianus, cum ex sententia Concilii sui à sua communione rejecisset quosdam Clericos & quemdam Pseudo-Episcopum Hæreticorum, iracsitur adversùs Cornelium Episcopum Romanum, quòd cum illi Romam accessissent, hæsitasset aliquantùm Pontifex, an eos in communionem suam reciperet. Hanc ob rem Cyprianus apud Cornelium apertè edisserit jura Episcoporum uniuscujusque Provinciæ, quæ in eo versantur, ut ad eos pertineat discussio, judiciumq; causarum, & regimen gregis, rationem administrationis suæ Deo reddituros, neque licere Romam, aliovè appellare. Neque enim minorem esse auctoritatem Episcoporum Africanorum, quàm reliquorum.* L. 7. c. 1. Urget hæc Sancti Cypriani verba: *Nam cum statutum sit omnibus nobis, & æquum sit pariter ac justum, ut uniuscujusque causam illic audiatur, ubi est crimen admissum, & singulis Pastoribus portio gregis sit adscripta quam regat unusquisque & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus, oportet utique eos, quibus præsumus non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem sua subdola & fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam, ubi & accusatores habere & testes sui criminis possint, nisi si paucis desperatis & perditis minor videtur esse auctoritas Episcoporum in Africa constitutorum, qui jam de illis judicarunt.* Ep. 58. Et hæc verba: *Jam causa eorum cognita est, jam de eis dicta sententia est.*

Hæc est facti species. Apostolicus Canon eligendum Episcopum mandat esse *Non neophytum.* At verò Sanctus Cyprianus non tantùm è neophyto, sed etiam è Catechumeno fuit electus in Episcopum & consecratus. Anteà nullum in Africana Ecclesia præcessisse simile exemplum testatur in ejus vita Pontius Diaconus. Hinc quinque Carthaginensis Ecclesiæ Presbyteri recalcitrarunt, protestati sunt adversùs promotionem, dixerunt attentatam contra Apostolicos Canones, & sese à Cypriani communione segregarunt. Quod item turpia, nefanda, ac ipsis gentilibus execranda sparserint de Sancto Cypriano, & multis persuaserint, docet hujus Epistola ad Florentinum Puppianum. Quatuor annis Cyprianus sedet, celebrat Synodos, pleno jure regit Ecclesiam, ab omnibus salutatur Episcopus: etiam à Paganis. Nam sub Episcopi elogio proscribitur, relegatur, & tam in Amphitheatro, quam in Circo frequenter proclamatur ad leones. Interim Felicissimum, intrusum Ecclesiæ suæ Archi-Diaconum, ob facinora & flagitia damnat ac degradat. Hinc schisma resuscitatur. Etenim quinque factiosos Presbyteros Felicissimus denuò inflat, quinque jam pridem ob hæresim & crimina Ex-Episcopos advocat Carthaginem, hæc malignantium Synagoga damnat Cyprianum, è dictis Presbyteris Fortunatum eligit in Episcopum, ipsumque consecrat Privatus, vetus hæreticus, atque ob hæresim Ex-Episcopus Lambesitanus. Omnem factionem iterùm Cyprianus damnavit Synodaliter, ideoque illa desperata Romam appellavit, sperans evectum è Cathecumeno Episcopum nullatenùs istic probandum. Et unà cum Fortunati Legatis Felicissimus accessit Romam, Cornelio Pontifici suadens Fortunatum evectum à legitima Synodo viginti quinque Episcoporum. Et Cyprianum, nisi de ipso vindicta fieret, minati sunt à plebe trucidandum. Hæsit Pontifex: Nam horum seriem necdum Cyprianus ex officio retulerat, aut certè relatio necdum advenerat. Et quidem Episcopali vigore plenus Cornelius nuperam Felicissimi, proprio tunc nomine agentis, appellationem spreverat, Cypriani judicium retractare noluerat, ac ipsi remiserat suum Ex-Diaconum. At verò nunc eumdem, quòd Fortunati Episcopi Legatione fungeretur cum aliis, duxit audiendum. Et hoc Cyprianus improbavit. Adseruit Fortunatum tractandum Clericali jure, protestatus est Synodalia Africanæ Ecclesiæ de Clericis judicia esse inappellabilia, etiam Fortunati Legatos voluit remitti Carthaginem, & illic cum suo Pseudo-Episcopo judicari. Addidit omnes jamptidem judicatos, ideoque non audiendos denuò sed cogendos ad pœnitentiam. Hæc est germana facti species.

Respondeo ex ipsa palàm lucere, quod Romanæ appellationes tunc omninò vigerent in Africa. Etenim quo alioquin fundamento omnis hæc factio appellasset Romam, & accessisset? Et in hac ipsa per D. Petrum de Marca laudata Epistola scribit Sanctus Cyprianus præfatum Ex-Episcopum Privatum esse *veterem hæreticum in Lambesitana Colonia, antè multos ferè annos, ob multa & gravia delicta, nonaginta Episcoporum sententia condemnatum, Anteceſſorum etiam nostrorum Fabiani & Donati litteris notatum, qui cum causam suam apud nos in Concilio, quod habuimus idibus Mati, quæ proximè fuerunt, agere velle se diceret, nec admissus est.* Lambesitana Colonia est in Provincia Numidiæ, atque ita Privatus à Numidica nonaginta Episcoporum Synodo fuerat damnatus. Quomodò igitur & à Donato Carthaginensi Primate & à Fabiano Pontifice fuerat severissimè notatus? Quòd nempè à suæ Provinciæ Synodo ad Primatialem totius Diœceseos Synodum, & ab hac iterum provocasset ad Apostolicam Sedem, & quòd ejus damnatio fuisset ubique confirmata. Et hinc post Donati & Fabiani mortem denuò accessit & Romam & Primatialem Cypriani Synodum, tentavit reparari. Verùm Romanæ Ecclesiæ judicium sciens ille à se non posse retractari, hominem nec ad audientiam admisit. Et hinc iste turbo actus in rabiem patravit nova facinora, & cum aliis factiosis Ex-Episcopis intrusit Fortunatum.

Et hinc vides Romanas Episcoporum appellationes tunc apud Afros omninò viguisse. Dico, *Episcoporum.* Quòd enim inferior Clerus appellare non posset Apostolicam Sedem, sed Primatialis Synodi judicio deberet acquiescere, est antiquissimus gentis Canon, aut consuetudo. Et hinc appellantem Felicissimum constanter abjecit, Fortunati autem appellationem ac Legationem admittere disposuit Papa Cornelius: Quòd nempè hic esset Episcopus. Verùm Cyprianus intercessit: *Nam & Novatiani pars Maximum Presbyterum nuper ad nos à Novatiano Legatum missum, atque à nostra communicatione rejectum, nunc istic sibi feciſſe Pseudo-Episcopum dicitur.* Non Maximum, sed ipsum Novatianum. Erat insigne argumentum ad hominem. Cyprianus Cornelium rogat, an sibi superordinatum Novatianum tractari velit ut Episcopum, an ut Presbyterum? Etenim pro Episcopo numquam, sed pro turbido & scabioso dumtaxat Presbytero semper agnoverat Romana Ecclesia. Eodem igitur modo Fortunatum tractari vult Cyprianus, ideoque ipsius appellationem, utpotè permissam solis Episcopis, Romæ non admitti. Etiam suprà ab ipso laudatum Statutum loquitur de solis Clericis. Hæc istius verba, *Cum statutum sit omnibus nobis*, videntur adferere Statutum emanasse de consensu Romanæ Ecclesiæ, ideoque & à Cornelio non fuisse infringendum. Hic est omninò legitimus, & in singulari de Romanis Afrorum appellationibus Tractatu latè exponendus, Sancti Cypriani sensus, qui manifestè in nullo adjuvat cogitationes D. Petri de Marca. Et quidquid sit de Romanis appellationibus, quòd Afrorum & Episcopi & Clerici semper potuerint à suarum Provinciarum Synodis provocare ad Primatialem totius Diœceseos Synodum, ideoque istarum judicia numquam fuerint suprema, est nimis manifestum.

Audiamus aliud argumentum: *Ei fundamento nixus idem Cyprianus, ab Hispaniæ Episcopis consultus, in causa Basilidis & Martialis Episcoporum, qui depositi fuerant ob crimen Idololatriæ ab Episcopis Provinciæ Bæticæ, quique Stephanum Papam fallentes gestæ rei ac tacitæ veritatis ignarum, ab eo se in communionem recipi obtinuerant. Consultus, inquam, Cyprianus respondit debere Episcopos Hispanos primo judicio firmiter adhærere, quandoquidem depositio facta erat ob justam causam, aliique Episcopi ordinati erant ab Episcopis Provinciæ in loco depositorum.* Respondeo audienda Sancti Cypriani verba: *Nec rescindere Sabini ordinationem jure perfectam potest, quod Basilides post crimina sua detecta, & conscientiam etiam propria confessione nudatam, Romam pergens, Stephanum Collegam nostrum longè positum, & gestæ rei ac tacitæ veritatis ignarum fefellit, ut exambiret se injustè reponi in Episcopatum, de quo fuerat justè depositus. Hæc eò pertinent, ut Basilidis non tam abolita sint, quàm cumulata delicta: Ut ad superiora ejus peccata etiam fallaciæ & circumventionis crimen accesserit. Neque enim tam culpandus est ille, cui negligenter obreptum est, quàm hic execrandus, qui fraudulenter obrepsit. Obrepere hominibus Basilides potuit, Deo non potest.* Similia adjungit adversùs Martialem. Lucidè profitetur Romanas appellationes tunc in Hispania omninò viguisse. Quomodò alioquin Basilides & Martialis invocassent Stephanum & Romam accessissent, quomodo ablatum sibi Synodaliter Episcopatum ambiissent restitui per Sedem Apostolicam, quomodo Pontifex reddidisset? Nec hunc nec illos de concussa aut excussa Provincialis Synodi suprema auctoritate, nec de violato Ecclesiarum more Cyprianus arguit, sed dumtaxat de negligentia & obreptionis astutia: Illos, quod mendaciis circumscripissent; illum, quòd se circumscribi permisisset. Hinc & appellationem & absolutionem meritò censuit esse nullius fructus aut effectus. Nec mireris in appellantium Episcoporum sedes fuisse consecratos alios: Etenim lucida erant appellantium crimina, datæ in ipsos damnationis lucida erat justitia, lucidè frivola appellatio, & necdum emanarant, qui talem consecrationem suspendi mandant, Canones Sardicenses.

Quintum Nicænum Canonem denuò urget D. Archiepiscopus, & prosequitur: *Canon ille confirmat auctoritatem cujusque Provinciæ in judicandis definitivo judicio causis Ecclesiasticis, quæ ad Clericos aut Laicos spectant, & per consequentiam idem jus statuitur quoad correctionem & depositionem Episcoporum, tametsi casus ille disertis verbis non exiſtat in Canone. Sanè dubitari non potest, quin hic Canonis sensus sit, & ea mens, ut in generali hac lege comprehendantur judicia adversùm Episcopos, cum eorum mentionem aliàs nullibi faciat Synodus Nicæna.* Confidenter loquitur, suamque fiduciam fundat in Africanæ Synodi litteris ad Cœlestinum Pontificem: *Decreta Nicæna sive inferioris gradus Clericos, sive ipsos Episcopos suis Metropolitanis apertissimè commiserunt. Prudentissimè enim, justissimeque viderunt quæcumque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda: Nec unicuique Provinciæ gratiam Sancti Spiritus defuturam.* Respondeo turbida hæc Africanæ Synodi sensa esse jam dudum proscripta atque damnata ab omni Ecclesia, ideoque nimis indigna, ut vocentur in veritatis testimonium. Quisquis ipsa advocat, profitetur se à recto Nicænæ Synodi intellectu abhorrere. Nec de Episcoporum aut Clericorum à Provincialibus judiciis ad Primatialem Synodum, sed de solis ad Romanam Cathedram transmarinis provocationibus agit, has-

hasque solas impugnat ista infelix Epistola. Et profectò circa Romanam appellationem amplius longè & firmius jus habent Episcopi, quàm inferior Clerus. Etenim ista appellatione uti semper potuerunt Afrorum Episcopi, Clerici numquam: Nisi post tempora Magni Gregorii. Et Adrianus quartus Pontifex, dum à Guilielmo secundo Siculorum Rege captus cessit Romanis non tantùm Clericorum, sed & Siculorum Episcoporum appellationibus, Sancti Petri Apostoli Majestatem est insigniter prævaricatus. Unde & ista pacta circumduxit atque exsufflavit Innocentius tertius: Excepta tamen Clericalium appellationum cessione. Unde etiamnum hodie inferior Siciliæ Clerus tenetur suæ Provinciæ Synodali judicio adquiescere, nec potest Romam provocare. Quod ipsum in Gallia obtinere prætendit D. Petrus de Marca. Qua igitur fiducia nunc quintum Nicænum, qui de solis Clericis sancit & Laicis, Canonem extendit ad Episcopos? Et quòd iste Canon nec Clericos interdicat Romana appellatione, est suprà abundè ostensum. Ostendit & Magnus Gregorius, dum Afros ab ista consuetudine persuasit recedere. Et profectò Romana Ecclesia est non dumtaxat oppressorum Episcoporum mater & protectrix, sed etiam Clericorum, immò omnium sub cœlo Christianorum. De hisce omnibus dictum est Sancto Petro Apostolo: *Confirma fratres tuos*.

D. Archiepiscopus etiam Antiochenos Canones advocat suis cogitationibus in auxilium. Eos versat ac reversat, videt se non stare in firmo fundo, ideoque adjungit: *Attamen dissimulandum non est sibi in speciem repugnare Concilium Antiochenum*. Debuerat addere hoc item Concilium esse prodromum & fundamentum Philippopolitani Conventiculi, ideoque longè pejus olere ac deviare, quàm turbidas litteras Africani Concilii. Hinc meritò se convertit ad Constantinopolitanam Synodum: *Canon secundus Concilii Constantinopolitani Œcumenici apertè testatur administrationem & gubernationem Ecclesiarum Canone Nicæno mandatam esse uniculque Provinciæ. Administrationis verò vocabulo Patres Constantinopolitani comprehendunt judicia adversùm Episcopos, æquè ac alia politiæ & regiminis Ecclesiastici capita, quemadmodùm accuratè explicabo in capite quinto hujus libri*. Audiamus caput quintum: *Hactenùs manifestè probavimus in ea sententia fuisse Occidentales Episcopos, ut existimarent communibus Occidentis & Orientis suffragiis definiendas esse querelas ab Episcopis illustrissimarum Orientis Ecclesiarum delatas in Occidentem. At isti semper obstinatis animis contenderunt nihil Occidentalibus Episcopis permittendum esse circa administrationem & gubernationem Ecclesiarum Orientalium. Quæ auctoritas ut valentior esset, eam Canone scripto firmarunt in secunda Synodo Œcumenica, quæ est prima Constantinopolitana. Primùm enim Orientales Romam accedere noluerunt, tametsi per Imperatoris Theodosii litteras accersiti essent, postquàm Constantinopolim unum esset conventum. Cur autem ita ipsis placitum fuerit, nulla alta probabilis ratio occurrit, quàm quòd supremam esse contenderent Conciliorum Orientalium auctoritatem. Unde in Epistola Synodica ad Damasum & ad Synodum Occidentalem non dubitant scribere se anno superiore Concilium generale celebrasse, tametsi illud constaret ex solis Episcopis Orientalibus. Quapropter in Concilio Aquilejensi rectè dicebat Ambrosius esse* consuetudinem hujusmodi, ut in Oriente Orientalium esset Concilium, intra Occidentem Occidentalium. *Robustius urget Canon secundus Concilii Constantinopolitani, cujus auctoritas est recepta ab universa Ecclesia. Decrevit itaque quonammodo peragenda sint judicia Canonica apud Orientales, sive pro depositione Episcoporum, sive etiam pro reliquis causis, quæ incidunt. Ordo autem, quem in his rebus præscribit, plenus prudentiæ est, ac mirabili temperamento conditus. Nam primùm jura Provinciarum, & privilegia illustrissimarum Ecclesiarum eo Canone conservantur, juxtà Canones Nicænos. Tum Episcopis damnatis nova remedia tribuuntur, multò commodiora & faciliora, quàm ea, quæ Antiochenum Concilium invenerat, cum se vota judicum diviserant, sine accedendo Imperatorem ad obtinendum novum Concilium. Nam in eo Concilio jurisdictionum limites constituuntur juxtà divisionem Diœceseon imperii, & suprema decernitur auctoritas uniuscujusque Diœceseos in universis judiciis de disciplina latis. Diœceses itaque Ecclesiasticæ ordinatæ sunt ad exemplum dispositionis civilis Diœceseon, ita ut prima criminum Episcoporum cognitio pertineret ad Synodum Provinciæ, si verò de injusto judicio querela moveretur, deferri illa debebat ad Synodum Diœcesanam, quam Exarchus convocabat absque speciali permissu Imperatoris.*

Errores varii. Primus est: *Concilii Constantinopolitani auctoritas est recepta ab universa Ecclesia*. Respondeo D. Archiepiscopum longè aliter loqui in tertio sui operis libro: *Dissimulandum non est Canones secundæ Synodi ad Romanam Ecclesiam nunquam fuisse relatos, neque ab ea receptos, ut testatur Leo in Epistola ad Anatolium*. Et adducit Magni Leonis verba: *Persuasioni tuæ in nullo penitùs suffragatur quorumdam Episcoporum ante sexaginta annos facta subscriptio, numquamque à Prædecessoribus tuis ad Apostolicæ Sedis transmissa notitiam*. Et pergit: *Immò & post Dionysii Exigui collectionem, licèt ille juxta fidem Græcorum codicum tres Canones Constantinopolitanæ Synodi suo loco recenseat, Ecclesia Romana, quæ cæteros*, seu aliarum Synodorum *Canones complexa est, istos tamen in auctoritatem admittere noluit, teste Gregorio magno*. Hæc sunt Gregorii verba: *Romana Ecclesia Canones* Constantinopolitanos, *vel Gesta Synodi illius hactenùs non habet, nec accipit. In hoc autem eandem Synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum*. Nempe sola ad Nicænum Symbolum facta additamenta, seu solum fidei Decretum confirmavit & rata habuit Sanctus Papa Damasus, non Canones aut reliqua Acta. Quod tamen de non facta Romam relatione scribit Magnus Leo est cum temperamento accipiendum. Accipiendum est de tertio præsertim Canone. Duplex fuit hæc Constantinopolitana Synodus: Quòd secunda secundum, quem hic versamus, Canonem omninò retulerit, lucet ex litteris Synodalibus. Hic enim sextum Nicænum innovat solummodò ac exponit, ideoque de ipso Orientales Episcopi non erubuerunt. Unde & ipsum possit Damasus confirmasse. Tandem confirmavit etiam Maximi Cynici degradationem: Et hi sunt tres Canones, quos suæ collectioni inseruit Dionysius Exiguus. Quapropter fateor secundi Canonis auctoritatem viguisse semper apud omnem Christianitatem. Tertii Canonis pro Constantinopolitano Episcopo appendicem gravissimè damnavit Magnus Leo. Et hujus sensum constanter & dudum etiam adversùs Imperatoris Justiniani leges tutata est omnis Latina Ecclesia.

Cap. 3.

Lib. 6. Ep. 31.

Secundus error est in his verbis: *In ea sententia fuerunt Occidentales Episcopi, ut existimarent communibus Orientis & Occidentis suffragiis definiendas esse querelas ab Episcopis illustrissimarum Orientis Ecclesiarum delatas in Occidentem*. Etenim Occidentales Episcopi constantissimè semper senserunt cum Julio Pontifice, qui damnatum ab Orientali Synodo Athanasium solus audivit in suæ Provinciæ Synodo, judicavit, absolvit. Senserunt cum Sardicensi Synodo, quæ probavit & Julii & Athanasii Acta, & Sancti Petri memoriam sanxit à cunctis Orientalibus Episcopis semper fuisse, ac deinceps esse honorandam. Quin & ita semper senserunt omnes orthodoxi Orientales Episcopi. Quòd enim Julius circa Athanasium fuerit *secutus Ecclesiæ Canonem*, di-
L. 2. c. 4. sertè scribit in Ecclesiastica Historia Theodoretus. Et Maximum Cynicum, qui ab hac ipsa Constantinopolitana Synodo damnatus Romam appellavit, solus cum sibi adsidente Italica Synodo Damasus audivit, retractavit ejus causam, ac definivit. Et Synodalis, quæ scripta videtur à Magno Ambrosio, Epistola addidit: *Cum cognovissent* Orientales apud Constantinopolim congregati Episcopi Maximum *ad hoc partium venisse, quòd etiamsi indictum Concilium non fuisset, jure & more Majorum, sicut & sanctæ memoriæ Athanasius, & dudum Petrus, Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopi, & Orientalium plerique fecerunt, ut ad Ecclesiæ Romanæ, Italiæ, & totius Occidentis confugisse judicium viderentur. Cum enim experiri velle adversùm eos, qui Episcopatum ejus abnuerant, comperissent, præstolari utique nostram super eo sententiam debueruut*. Locus est mendosus. Post verba, *Jure & more Majorum*, addi debet: *Poterat*. Epistola adfirmat Maximum Cynicum, non dumtaxat ad totius Ecclesiæ Occidentis, aut Italiæ Synodum, sed & ad solam Apostolicam Sedem potuisse appellare, hunc esse morem & jus Majorum, & tali appellationi fuisse à Constantinopolitana Synodo deferendam suspensivi effectus reverentiam. Utique juxta Canones Sardicenses. Occidentales Episcopi erant tunc adeò remoti à cogitationibus D. Petri de Marca.

Tertius error est in his verbis: *Orientales Episcopi semper obstinatis animis contenderunt nihil Occidentalibus Episcopis permittendum esse circa administrationem & gubernationem Ecclesiarum Orientalium*. Respondeo aliquos fuisse in ista obstinatione. Rationem adduxerunt in litteris, quas pro celebranda apud Romam Œcumenica Synodo scripserunt ad Imperatorem Theodosium Sanctus Ambrosius & cæteri. Italiæ Episcopi *Fidei tuæ toto orbe diffusa cognitio intimum nostræ mentis demulsit adfectum, eoque ut hæc quoque gloria imperio tuo crearetur, quòd unitatem reddidisse Occidentalium Ecclesiis videreris, Clementiam tuam obsecrandam pariter & super Ecclesiasticis negotiis instruendam nostris litteris æstimavimus. Dolori enim erat inter Orientales & Occidentales interrupta Sacræ communionis esse consortia. Silemus jam quorum errore, quorumve delicto, ne ferere fabulas & alloquia cassa videamur. Nec nos tentasse pœnitet, quod intentatum caderet in culpam. Isto enim sæpè arguebamur, quòd posthabere Orientalium societatem, & refutare gratiam videremur*. Erroris & delicti, seu interciscæ communionis, quos rememorare Ambrosius noluit, auctores edicit Hermias Zozomenus: *Post Sardicense Concilium* L. 3. c. 12. *Episcopi Occidentis & Orientis neque consuetudine deinceps mutua uti, ut hi solent qui sunt ejusdem communionis, neque communicare inter se voluerunt, sed Episcopi Occidentis ad Thraciam usque se ab alteris sejunxerunt, Orientis autem usque Illyricum*. Illyricum enim & Thracia erant tunc limites utriusque Imperii. *Ecclesiarum verò status dissensionibus magnoperè conturbatus fuit, & obtrectantium aculeis objectus. Nam tametsi ante de doctrina fidei dissidebant, tamen mutuò inter ipsos communicantibus non tantum mali indè accidit, quandoquidem similem de fide sententiam tenere putabantur*. Et Occidentales & Orientales Episcopi simul convenerunt Sardicam, verùm omnis Eusebiana Orientalium factio, quòd à Julio Pontifice reparatum Athanasium agnoscere in Episcopum, & ad Synodalem confessum admittere obstinatissimè recusaret, de nocte aufugit Philippopolim Thraciæ, atque istic conflavit primum, & omnium sequentium originem ac fundamentum, Orientale Schisma, quod passim titulamus Eusebianum. Ecclesiæ regimen negavit Monarchicum, & Romanum Episcopum esse caput totius Christianitatis. Sanxit Ecclesiæ Præfecturam esse Aristocraticam, ex æquo divisam in tres Patriarchas, hos esse supremos ac plenè autocephalos in suis Diœcesibus, ideoque nec Occidentalem Orientali, nec Orientalem Ecclesiam præesse Occidentali, nec ex illa ad hanc posse appellari. Ad exsufflandum Athanasii Episcopatum nequiit excogitare aliam viam: Quòd pro illo Occidentalis Ecclesia staret immobilis. Ita inter Occidentem & Orientem fuit intercisa communio. Nam cunctos, qui in Oriente Romanam Ecclesiam avito more venerabantur, Episcopos ejecit Philippopolitani Conventiculi protector Constantius, & ipsorum in sedes intrusit homines flocci, sectatores hæresis & schismatis, quos hinc inde vivis coloribus depingit Magnus Athanasius. Constantio successit Julianus Apostata, Juliano orthodoxus Jovinianus ad paucos menses, Joviniano Valens nequissimus sectator Arii. Hinc perseveravit & schisma. Et quales Episcopos tunc habuerit Oriens, videri possit apud Magnum Basilium. Plerique erant Arianæ farinæ.

rinæ. Imperii auctoritas tandem devenit ad Magnum Theodosium, non solius Romanæ fidei, sed & reparandæ Christianæ unitatis studiosissimum. Hinc omnia reparaturus Damasus Pontifex, ab ipso postulavit Œcumenicam Synodum, celebrandam in urbe Romana. Et Princeps consensit, & Orientales Episcopos ad parendum Pontifici compulit. Verùm illi abhorruerunt Romam, & Constantinopoli Synodum egerunt. Rationes mox edicam. Interim quàm viles, quàm nullius frugis Episcopi istic fuerint, videre possis apud Sanctum Gregorium Nazianzenum. Erant successio Eusebiana. Et hi *obstinatis animis* etiam in hac Synodo *contenderunt nihil Occidentalibus Episcopis permittendum esse circa administrationem & gubernationem Ecclesiarum Orientalium*. Eusebianum schisma stabilire sunt conati. At quòd nihil obtinuerint, docet hoc symboli additamentum: *Unam Ecclesiam*. Hoc est omninò adjectum contra Philippopolitanum Conventiculum, & schisma Eusebianum. Profitetur Ecclesiæ Hierarchiam esse Monarchicam, & Romanum Episcopum ex Divino Christi Domini Instituto esse ipsius Monarcham. Unde & statim post hanc Synodum laudatus Imperator Theodosius Flavianum Antiochiæ Patriarcham comparere compulit ad tribunal Sedis Apostolicæ. Quin & ab hac ipsa Synodo damnatus Maximus Cynicus appellavit ad Sanctum Damasum. Quocircà quorumdam Orientalium Episcoporum Eusebiana ac damnata sensa D. Petrus de Marca malè conatur traducere in totum Orientis Episcopale collegium.

Quartus error est in his verbis: *Quæ auctoritas ut valentior esset, eam Canone scripto firmarunt in secunda Synodo Œcumenica*. Etenim falsum est, quòd secundus, quem omninò respicit D. Archiepiscopus, Canon statuat adversùs Occidentalem Ecclesiam, aut Romanum Primatum. Durante jam dicto post Sardicensem Synodum schismate, non sola Eusebiana factio, sed etiam Sanctus Eusebius Samosatensis, Sanctus Eusebius Vercellensis, Lucifer Calaritanus, aliique orthodoxi Episcopi in alienis Diœcesibus egerant Ordinationes atque administrationes: uti consuevit turbatis temporibus. Hæc omnia deinceps fieri interdixit iste Canon: Nullus illi intuitus in Romanam Ecclesiam. Etenim de Imperatore Theodosio scripsit ad Rufum Thessalonicensem & reliquos Illyrici Episcopos Sanctus Pontifex Bonifacius primus: *Clementissimæ recordationis Princeps Theodosius Nectarii* Constantinopolitani Episcopi à Constantinopolitana Synodo factam *ordinationem, propterea quia in nostra notione non esset, habere non existimans firmitatem, missis è latere suo Aulicis cum Episcopis, firmitatem huic à Sede Romana dirigi deposcit, quæ ejus Sacerdotium roboraret*. Pluribus vitiis obnoxia fuit, & varia dispensatione indiguit Nectarii Ordinatio. Deindè Constantinopolitana Ecclesia per illam Synodum erecta erat in secundum totius Ecclesiæ thronum, seu Patriarchatum. Hinc Nectarium confirmari, & à suæ provectionis vitiis expurgari per Romanum Pontificem voluit juxta avitum Patriarcharum morem Theodosius, atque ita etiam Constantinopolitanam Ecclesiam in sua Ordinatione & administratione pendere à Romana. De eodem Principe, eademque Synodo scribit apud Photii Bibliothecam vita Sancti Pauli Constantinopolitani Episcopi: *Hæc Synodus fidem in Nicæna publicatam confirmat. Probat omnia Imperator. Et proferri curat magna cum reverentia Reliquias Sancti Pauli Confessoris. Et Episcopi, quotquot aderant, unà cum Nectario longè extra Chalcedonem procedunt obviam, multoque cantu & comitatu suscipiunt, & corpus per mediam urbem ferentes collocarunt in Ecclesia Sanctæ Irenes, cui Paulus aliquamdiu præfuerat*. Sanctus Paulus fuerat Sancti Athanasii in inflicta per Eusebianam factionem damnatione, in Romana appellatione, in accepta per Julium Pontificem ac Sardicensem Synodum reparatione, ac in repetita per Philippopolitanum Conventiculum degradatione socius, ac tandem per dictæ factionis Satellites apud Armeniæ Cucusum strangulatus in balneo, & Martyr effectus. Hinc ut Julii Pontificis & Sardicensis Concilii ratum & firmum, Philippopolitanæ autem factionis de Paulo judicium demonstraret attentatum, atque ab omni Ecclesia damnatum Theodosius, illius Reliquias à tota Constantinopolitana Synodo voluit adfici tantis honoribus. Ita toti Orienti prædicandum censuit, quod de Ecclesiastica Hierarchia & variis Orientalium Episcoporum Romanis appellationibus Sardicensis Synodus orthodoxè, Philippopolitanum Conventiculum hæreticè judicasset. Quapropter absit, ut secundus Constantinopolitanæ Synodi Canon aliquid sancire tentarit adversùs supremam ordinationem aut administrationem Romanæ Ecclesiæ. De hac Synodo ad Sanctum Acholium Thessalonicensem Episcopum, suum in Illyrico Vicarium, scripsit etiam Sanctus Damasus. Maximi Cynici ordinationem damnat & exsufflat, ac prosequitur: *Commoneo Sanctitatem vestram, ut quia cognovi dispositum esse Constantinopoli Concilium fieri debere, Sinceritas vestra det operam, quemadmodum prædictæ civitati Episcopus eligatur, qui nullam habeat reprehensionem, ut Deo propitio cum integra pax Catholicorum Sacerdotum fuerit confirmata, nullæ deinceps dissensiones in Ecclesia oriantur; ut præstante Domino, cum Catholicis Sacerdotibus possit pax perpetua perdurare*. Duplex fuit hæc Constantinopolitana Synodus. Prima damnavit Maximum Cynicum, Gregorium Nazianzenum neglexit, & promovit Nectarium. Maximus appellavit Romam, fuitque auditus. Auditum damnavit Sanctus Damasus, itemque & Gregorium & Nectarium judicavit malè promotos, jussit eligi alium, istamque electionem voluit dirigi per Acholium. Proindè istius Ecclesiæ ordinationi atque administrationi potenter se miscuit. Nec fuit repulsus. Etenim tunc & Aulicos & Episcopos ad Damasum legavit Theodosius, & nutantem Nectarii promotionem supplicavit atque impetravit purgari ab Apostolica Sede, & confirmari. Adeò Constantinopolitana Synodus agnovit administrationem & gubernationem Romanæ Ecclesiæ. Istas Damasi atque Innocentii litteras cum Romana Bonifacii

Lib. 257.

Ep. 10.

facii secundi Synodo nuper vulgavit D. Lucas Holstenius.

Quintus error est in his verbis: *Orientales Romam accedere noluerunt, tametsi per Imperatoris Theodosii litteras accersiti essent, postquam Constantinopoli in unum esset conventum. Cur autem ita ipsis placitum fuerit, nulla alia probabilis ratio occurrit, quàm quòd supremam esse contenderent Conciliorum Orientalium auctoritatem*. Respondeo & occurrere & esse rationes longè alias. Eas habes in Synodali ad Sanctum Damasum relatione. Prima est diuturnus Arianorum per omnem Orientem dominatus, multaque ex ipso calamitas: *Heri propè dixerim, aut nudiustertiùs, nonnulli Episcopi exilii vinculis liberati, & infinita ferè adflictionum genera perpessi, ad Ecclesias suas redierunt; aliorum autem exilii cruciatibus exstinctorum Reliquiæ dumtaxat in patriam sunt reportatæ. Quidam post reditum ab exilio in furorem hæreticorum adhuc sævientem incidentes, graviora tormenta in sua ipsorum, quàm in aliena regione tolerarunt, & sicut Beatus Stephanus, lapidibus obruti occubuerunt*. Adflictas & deformatas ex istis causis Ecclesias adfirmarunt à se non posse deseri, ideoque nec in Occidentem navigari. Altera ratio fuit nimia ex istis adflictionibus paupertas: *Pecuniæ jacturam, mulctas civitatum, proscriptiones singulorum, insidias, contumelias, carceres quis poterit enumerare?* Tertia ratio fuit imminens adhuc ab expulsis hæreticis Episcopis periculum: *Etsi videamur persecutionis asperitate liberati, & Ecclesias diu ab hæreticis occupatas modò recuperare; tamen lupi nobis permultum faciunt molestiæ. Ac licèt ab ovibus abacti sint, in sylvis tamen greges diripere, conventus contrarios nobis audaciter opponere, populorum seditiones concitare non cessant*. Propter hæc pericula adfirmarunt se à suis Ecclesiis non posse abire. Hæc est quarta ratio: *Constantinopolim convenimus, propterea quòd mandato litterarum superiori anno à vestra Reverentia post Concilium Aquilejense ad sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum, ad iter dumtaxat Constantinopolim usque faciendum nos præparavimus, atque de hoc uno Concilio celebrando consensum Episcoporum, qui in Provinciis manserant, unà nobiscum attulimus. Idcircò neque longiori itinere opus esse exspectabamus, neque de ullo alio omninò ante accepturamus, quàm Constantinopoli in unum esset conventum. Huc accedit, quòd præstituti temporis angustia neque ad longius iter parandum, neque ad Episcopos in singulis Provinciis, qui sunt ejusdem nobiscum communionis, de hac re commonefaciendos, neque ad eorum consensus obtinendos satis spatii dedit*. Orientales Episcopos Damasus bis vocavit ad Synodum: Primò ad Constantinopolitanam, deinde ad Romanam. Constantinopolitana damnavit Maximum Cynicum, Romam hic ab illa provocavit, & accusavit ipsam de multis. Et hæc omnia retractanda judicans Pontifex omnem Synodum evocavit Romam, volens illic plenissimum ex Occidente & Oriente agitare conventum, & omnem Christianitatem pacificare. Hinc de non factis ad tantum iter & tantam Synodum præparamentis, de non petito ac obtento absentium Collegarum adsensu, & de nimis angusto ad ista nunc supplenda tempore Episcopi illi se excusarunt. Aliam rationem adducit in suprà laudatis ad Imperatorem Theodosium litteris Sanctus Ambrosius: *Sanè allegata texuimus, non definiendi, sed instruendi gratia. Et qui judicium petivimus, non deferimus præjudicium. Neque ullum eorum æstimandum convitium fuit, quando in commune consuluit*. Orientales Episcopi videntur Damasi Synodum accusasse de duobus. Primò, quòd Maximi Cynici causam jam judicasset in sua mente, ideoque se Romam vocari, non ad Synodaliter judicandum, sed dumtaxat ad præjudicata audienda. Secundò, quòd istius Maximi, hominis neophyti, & de hæretico errore notati, ex vario capite irregularem promotionem probasset cum sua ignominia atque convitio. Nempè istorum Episcoporum quidam adhuc retinebant aliquid Eusebiani fœtoris, qui scripserat de Athanasii causa ad Julium Papam: *Contumeliosè agitur cum judice, cujus judicium ab aliis examinatur*. Hæc purgat Ambrosius, monstratque vacua fundamenti. Et Orientales ista non apud Damasum, sed dumtaxat apud Theodosium allegarunt. Omnis reverentiæ plenissima est Synodalis ad Damasum relatio, ideoque ipse ad illam rescripsit: *Quòd debitam Sedi Apostolicæ reverentiam exhibet Charitas vestra, vobis ipsis plurimum præstatis, filii honoratissimi*. Adunatos Synodaliter ex omni Oriente Episcopos, non fratres, sed filios vocat, quòd nempè & illi ipsum titulassent Patrem. Adeò vetusta est hæc Episcoporum in Romæ veteris Antistitem reverentia. Et pergit ille: *Timothei abdicationem quid à me denuò requiritis, qui & hic judicio Sedis Apostolicæ, præsente Petro Sedis Alexandrinæ Episcopo, abdicatus est unà cum Magistro suo Apollinari?* Ista Synodus fuit adeò reverita Apostolicam Sedem, ut etiam jam per ipsam damnati Timothei damnationem retulerit, & supplicarit confirmari. Quòd nempè sciret sine Apostolica Sede non posse de fide judicari. Exstat Epistola apud Theodoretum. Et ex his vides rationem, ex qua Romam accedere detrectavit Constantinopolitana Synodus, non fuisse errorem de suprema atque inappellabili suorum judiciorum auctoritate.

Lib. 5. cap. 10.

Sextus error est in his verbis: *In Epistola Synodica ad Damasum & ad Synodum Occidentalem non dubitant scribere, se anno superiori Concilium generale celebravisse, tametsi illud constaret ex solis Episcopis Orientalibus. Quapropter in Concilio Aquilejensi rectè dicebat Ambrosius esse consuetudinem hujusmodi, ut in Oriente Orientalium esset Concilium, intra Occidentem Occidentalium*. Respondeo sine Romano Episcopo non posse esse generalem Synodum. Et hunc esse perpetuum atque unanimem Orientalis Ecclesiæ sensum, est suprà demonstratum. Et hinc de hac Constantinopolitana Synodo scribit Nilus Doxopatrius: *Cùm quinque esse Patriarchatus esset necessarium, propterea Spiritus Sanctus movit sanctam & œcumenicam secundam Synodum, quæ contra Macedonium Constantinopoli est coacta, præsentibus omnibus Præsulibus & maximis sedibus præsidentibus, Damaso scilicet Romano, Alexandrino, Hierosolymitano & Antiocheno*.

Et

Et in jure Græco-Romano nescio cujus Constantinopolitani Patriarchæ de Episcoporum translationibus Decretum habet: *In secunda Synodo, in præsentia Pontificum, Damasi Papæ Romani, Timothei Alexandrini, Meletii Antiocheni, & Cyrilli Hierosolymitani, Sancto Gregorio Theologo confirmatus est Episcopatus Constantinopolitanus.* Quod ipsum scribunt & alii Græci. Fingunt Damasi præsentiam, ut Synodum faciant œcumenicam, atque ità stabiliant tertium ipsius Canonem. Rei veritatem scribit apud Leonem Allatium Nicetas Nicænus Scevophylax: *Sub Theodosio magno Imperatore, cùm thronus Constantinopolitanus evectus esset in secunda Synodo à centum quinquaginta Episcopis, cui locum tenentes Romani Pontificis non adfuere, divisio & turbæ exortæ sunt.* Nullus è Romano Patriarchatu Episcopus adfuit, nisi solus Acholius Thessalonicensis: Verùm sine mandato. Ut in secundam istic Synodum, & ab ipsa celebrandam novi Episcopi electionem invigilaret mandatum habuit à Damaso, at sine præsidentia ac legatione. Et videtur non adfuisse.

L. 2. c. 293.

L. 1. c. 13.

Eadem de Synodo scribit in prosphonetico ad Imperatorem Constantinum quartum sermone sextum Concilium: *Macedonius denegabat Spiritus Deitatem, & dominantem conservum prædicabat, sed Maximus Imperator Theodosius & Damasus fidei adamas, protinus obstiterunt.* Utique per indictum Constantinopolitanum Concilium. Et antiqua, per Constantinum Cajetanum è Vaticani Collegii Archivo descripta, ac per Martium Milesium publicata, Sancti Damasi vita exponit Apollinarii errores & Damasi adversùm illos Decreta, atque subnectit: *Et hanc sententiam Damasus confirmari præcepit in sancta secunda Synodo, quæ Præcepto & auctoritate ejus apud Constantinopolim celebrata est. Cui præfuerunt Timotheus Alexandrinus, Meletius Antiochenus, Cyrillus Hierosolymitanus, & Divinus Gregorius Constantinopolitanus.* Et quid opus testimoniis? Lucidè ad Damasum scribit secundus hujus Synodi conventus: *Mandato litterarum anno superiori à vestra Reverentia post Concilium Aquilejense ad sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum, ad iter dumtaxat Constantinopolim usque faciendum nos præparavimus, atque de uno concilio celebrando consensum Episcoporum, qui in Provinciis manserunt, nobiscum attulimus.* Palàm profitentur primam istam Synodum fuisse indictam à Damaso, ac ejus Præcepto celebratam. Hinc censuerunt unà cum Timotheo Alexandrino & Antiocheno Patriarcha Meletio adfuisse sibi etiam Damasum, atque ita istam Synodum fuisse omninò œcumenicam ac plenè generalem. Absit ut crediderint posse sine Romano Episcopo fieri aut consistere ejusmodi Synodum.

Et quòd Occidentales in Occidente, Orientales in Oriente quandoque celebrarint generale Concilium, rectè dixit in Aquilejensi Synodo Sanctus Ambrosius. Etenim adversùs Arium Latinum Sancto Sylvestro Episcopi Romanum, Græcum sunt ejusdem Pontificis Legatione Antistites egerunt Concilium Nicænum. Adversùs eumdem Arium Papa Liberius ac Imperator Constantius ab Occidentalibus Ariminense, ab Orientalibus Episcopis jusserunt fieri Seleucienſe Concilium. Et ad Arium plenè eradicandum Sanctus Damasus simul indixit Romanum Concilium atque Constantinopolitanum. Fiebant quandoque simul, Occidentale aliquando præcedebat: Ut nempè hujus judicium Apostolica Legatio deferret ad Orientale Concilium, ipso muniret suum suffragium, atque ita ejus prærogativam redderet irrefragabilem. Quod ita factum sit in sexta Synodo, habemus lucida documenta. Et quin factum sit etiam in aliis, non permittimur dubitare. Etenim quod ad Thessalonicensem, quæ Sancti Joannis Chrysostomi causam debebat retractare, totius Occidentis ac Orientis Synodum Innocentius primus non tantùm suas litteras, ac suum in ipsis suffragium, sed etiam *totius Occidentalis Concilii Commonitorium* miserit, in Palladii Helenopolitani Episcopi Dialogo testatur Theodorus Romanæ Ecclesiæ Diaconus. Etiam Gallicanæ Ecclesiæ judicium transmittere ad Chalcedonensem Synodum optavit Leo Magnus. Uterque iste Occidentis & Orientis conventus erat unicum Concilium: Alteri enim propria Pontificis persona, alteri præsidebat ipsius Legatio. Et omnia sua Acta debebat hic referre Pontifici, & suspendere ad ejus arbitrium; Pontifex autem illa revidere, retractare, confirmare. Et hinc de Constantinopolitana Synodo dixit in prosphonetico ad Imperatorem Martianum sermone Chalcedonense Concilium: *Qui in hac Urbe Apollinaris detexerunt pestilentiam, Occidentalibus proprium innotuere Decretum.* Omnino loquitur de primo conventu. Lucet ex verbis sequentibus: *Horum Nectarius cum Gregorio tenuit Principatum.* Etenim certum est Nazianzenum Gregorium secundo conventui non adfuisse. Periit aut latet ista relatio. Reperta poterat nos plura docere. Et hæc est secunda ratio, cur secundi conventus relatio dicat primum conventum fuisse generalem Synodum. Et ista ejusdem Synodi in distantissima loca distributio non caruit rationibus. Palmaris ratio fuit evitatio molestiarum, quibus plenus & Orientis & Occidentis conventus non potuit non esse obnoxius.

C. 4.

Attamen ista divisio non fuit universalis. Etenim Imperatores Constantius & Constans, ac etiam Julius Pontifex Sardicense Concilium voluerunt ex utriusque Imperii Episcopis adunari in eundem locum. Et adversùs Ariminenſis ac Seleucienſis Synodi divisionem scripsit in singulari de ipsis libro Magnus Athanasius: *Primùm quidem ego admiror idemque arbitror quemlibet prudentem facere, quod cum universale Concilium esset indictum, idq; omnes expectarent, de repentè divisio facta sit, adeò ut illi illuc, isti istuc convenirent.* Apertè improbat divisionem, videturque neutram Synodum pro Œcumenica agnoscere. Nempè Eusebiana factio ab adunata Synodo metuebat sibi successum Sardicenſis Synodi, ideoque sibi obnoxium, & solum jam totius mundi Principem Constantium induxerat ad jubendam divisionem. Cum Athanasio sensit in quinto Concilio Vigilius Pontifex: Et Occidentales &

& Orientales Episcopos voluit adesse in pari numero. Quod ipsum propter appellatam Maximi Cynici causam Damasus faciendum censuit in sua Romana Synodo. Summi ponderis erat ista appellatio. De ipsa quippè Timotheus Alexandriæ Patriarcha & cuncta ipsius Diœcesis adversùm alios Orientales digladiabantur. Prætereà Nectarius ex neophyto erat contra Canones evectus in Regiæ civitatis Episcopum, scribitque de ipsa ad Imperatorem Theodosium laudata Damasi Synodus: *Nectarium cum nuper nostra Mediocritas Constantinopoli cognoverit ordinatum, cohærere communionem nostram cum Orientalibus partibus non videmus. Præsertim cum ab eisdem Nectarius dicitur illicò sine communionis consortio destitutus, à quibus fuerat ordinatus. Non mediocris igitur hic scrupulus.* Et adjungit: *Quanta nuper confusio facta sit, explicari non potest. Scripseramus dudum, ut quoniam Antiochena civitas duos haberet Episcopos, Meletium atque Paulinum, quos fide convenire putabamus, aut inter ipsos pax & concordia salvo ordine Ecclesiastico conveniret, aut certè si quis eorum altero superstite decessisset, nulla subrogatio in defuncti locum superstite altero gigneretur. At nunc Meletio defuncto, Paulino superstite, quem in communione nostra mansisse consortia, quæ à Majoribus inoffensè ducta, testantur, contra fas atque Ecclesiasticum ordinem, in locum Meletii non tam subrogatus, quàm superpositus asseritur. Atque hoc factum allegatur consensione & consilio Nectarii, cujus ordinatio quem ordinem habuerit, non videmus.* In primo Constantinopolitanæ Synodi conventu est promotus Nectarius, Meletius fuit vita defunctus. Et tertii Canonis vigore statim Patriarcham ille cœpit agere, licèt malè promotus. Hinc adversùs Paulinum persuasit in Meletii locum ordinari Flavianum, atque ita irregulari suæ promotioni addidit insigne crimen, quo turbavit omnem Antiochenum Patriarchatum. Hæc summa summarum rerum momenta definiri sine Orientalium pariter atque Occidentalium Episcoporum præsentia non posse judicavit Damasus, ideoque omnes simul jussit Romam advenire. Verùm Orientales, quòd se excessisse nossent, timuerunt Damasi præsentiam: Suspicati sunt jam præjudicatum de suis excessibus, ideoque detrectarunt accedere, & variis rationibus studuerunt Pontificem placare. Absit ut sua judicia voluerint esse suprema, inconcussa, atque inappellabilia. Etenim ab ipsis non tantùm Maximus Cynicus, cui favebat cum omni sua Diœceſi Timotheus Alexandrinus, Romam appellavit, sed & omnis ista Synodus sua circa Nectarium & Flavianum Acta submisit judicio Damasi, purgari supplicans atque firmari. De rationibus, per quas illa se à Romano accessu excusavit, scribit in Ecclesiastica Historia Theodoretus: *Verùm hi,* Orientales in ista Synodo Episcopi, *longinquam profectionem, velut inutilem futuram, deprecati sunt. Epistolam autem miserunt, in qua procellam contra Ecclesias excitatam significantes, illorum, utique Occidentalium, negligentiam denotabant.* Pertinacissimus Flaviani defensor fuit semper Theodoretus, ideoque pro ista Synodo loquitur duriùs adversùm Latinos Episcopos: Profitetur tamen Orientales ad se excusandum fuisse deprecatos, nequaquam usos intercessione pro suprema auctoritate suorum Synodalium judiciorum. Nam Flaviani causam posteà retractarunt Pontifices Damasus ac Syricius, necnon & Capuana Synodus: Et ad istam auctoritatem nemo unquam Græcus provocavit.

L. 5. c. 8.

Fateor tamen istos Episcopos proclamasse ad memoratam à Sancto Ambrosio consuetudinem de Occidentalium in Occidente, & Orientalium Synodo celebranda apud Orientem. Lucet hoc ex ejusdem Ambrosii ad Imperatorem Theodosium litteris: *Neque illum eorum,* utiquè Orientalium Episcoporum, *æstimandum convitium fuit, cum rogarentur ad Concilium Sacerdotes, quorum frequenter præsentior absentia fuit, quando in commune consulunt. Neque enim vel nos æstimavimus esse convitium, cùm unus Constantinopolitanæ Ecclesiæ Presbyter, Paulus nomine, intra Achaiam Synodum Orientalium juxtà atque Occidentalium posulaverit. Advertat Clementia vestra non fuisse irrationabile postulatum, quod etiam ab Orientalibus est petitum. Neque planè nos tamquam ex forma aliquid innovamus, sed sanctæ memoriæ Athanasii, qui quasi columna fidei fuit, & veteris sanctitatis Patrum nostrorum in Conciliis definita servantes, non evellimus terminos, quos posuerunt Patres nostri, nec hæreditariæ communionis jura violamus, sed debitam vestro Imperio honorificentiam reservantes, studiosos nos pacis & quietis ostendimus.* Totius Ecclesiæ in uno loco adunandum conventum de novitate palàm hic arguunt Orientales, & proclamant ad antiquam consuetudinem, & ad ipsam servandam supplicant Damasum compelli sacra jussione Principis. Addiderunt totam Orientalem Synodum evocari non posse sine convitio atque ignominia. Porrò apud Principem potens sermone & opere erat Ambrosius, ideoquè respondendi Provincia fuit ipsi imposita. Et respondit ad singula. Primò adfirmat istiusmodi Synodalem adunationem adeò non esse insuetam, ut nuper petita atque impetrata fuerit ab appellatione unius Pauli Presbyteri Constantinopolitani. Hujus personam & causam ignoro. Secundò adducit longè potentius exemplum atque auctoritatem magni Athanasii, qui istam divisionem improbarat in Ariminensi ac Seleucienſi Synodo, & ad cujus retractandam causam indicta fuerat plena utriusque Ecclesiæ Synodus apud Sardicam. Tertiò adserit hujus Sardicenſis Synodi Canones à Damaso servari. Hi quippè appellatas causas retractandi modum plenè permittunt arbitrio Romani Episcopi, titulantes illud sapientissimum. Quartò ait divisas Occidentalium & Orientalium Synodos esse utiles, quando utrique in commune consulunt: Profitetur Episcoporum absentiam tunc præsentiorem esse, sive utiliorem. Verùm adjungit hanc præsentiam non fuisse in Constantinopolitana Synodo, ideoque necessum esse, ut naviget Romam. Et hoc à Damaso exquiri, non convitiandi aut confundendi libidine, sed amore pacificandæ & quietandæ totius Christianitatis. Et propter *jura hæreditaria* com-

communionis. Hoc est, propter Antiochenum Patriarcham, cujus communionem semper foverat Occidentalis Ecclesia, Paulinum: Nam & hic adversùs Flaviani superordinationem appellaverat Romam. Hasce gravissimas causas adseveravit Ambrosius sine totius Christianitatis intra eandem civitatem Synodo non posse definiri. Et hinc liquet Joannem Launojum, qui ex laudatis Damasi & Ambrosii litteris tradit Orientales Episcopos non ad solum Romanum Pontificem, sed semper appellasse ad generale Concilium, insigniter hallucinari. Ex eisdem litteris videtur D. Petrus de Marca scripsisse: *In ea semper sententia fuerunt Occidentales Episcopi, ut existimarent communibus Orientis & Occidentis suffragiis definiendas esse querelas illustrissimarum Orientis Ecclesiarum, delatas in Occidentem*. Verùm uti una hirundo ver non facit, ita unicus actus non sancit regulam.

Septimus error est in his verbis: *Diœceses Ecclesiasticæ ordinatæ sunt ad exemplum civilis dispositionis Diœceseon, ita ut prima criminum Episcoporum cognitio pertineret ad Synodum Provinciæ, si verò de injusto judicio querela moveretur, deferri illa debebat ad Synodum Diœcesanam, quam Exarchus convocabat absque speciali permissu Imperatoris*. Exponit se in tertio ejusdem operis libro. Laudat Valentis, Gratiani, ac Valentiniani in sexto decimo Theodosiani codicis libro exstantem legem: *Qui mos est causarum civilium, iidem in negotiis Ecclesiasticis obtinendi sunt, ut si quæ sunt ex quibusdam dissensionibus levibusque delictis ad religionis observantiam pertinentia, locis suis, & à suæ Diœceseos Synodis audiantur*. Et commentatur: *Primi omnium Valens, Gratianus, & Valentinianus Imperatores Episcopis unius Diœceseos, ad exemplum Judicum & Honoratorum, concesserunt ut non solùm in singularum Provinciarum Synodis, sed etiam in generali totius Diœceseos Synodo in unum corpus, jure ordinario, sine mandato speciali, coire possent*. Et statim infrà: *Has Diœceseon & Regionum Synodos Concilium Constantinopolitanum aliquot annis posteà suo Canone confirmavit. Ex ea Diœceseon divisione manavit mos ille, ut Episcopi non ampliùs Provinciis tantùm distingueréntur, sed Diœcesibus & Conciliis Diœceseon. Inde frequens mentio Episcoporum Illyrici, Italiæ, Hispaniæ, & Africæ*.

Tit. 2. cap. 23.

Respondeo ad istam legem longè aliter scribi à Jacobo Gothofredo. Diœceses & Diœcesanas Synodos ostendit esse antiquissimas, & adjungit: *Hinc jam patet, quantoperè erret Marca, cum ait hac lege primos omnium Valentem, Gratianum, & Valentinianum Imperatores Episcopis unius Diœceseos concessisse, ad exemplum Judicum & Honoratorum, ut non solùm in singularum Provinciarum Synodis, sed etiam in generali totius Diœceseos Synodo in unum convenire, jure ordinario, sine speciali mandato possint. Immò enim Imperator Gratianus hac lege de Synodis Diœceseos agit tamquam usitatis, quasque jungit* LOCIS SUIS, *id est, Provincialibus Synodis. Tantùm audientiam earum quà amplificat, quà restringit*. Etenim Sanctus Cyprianus Africæ totius, Polycrates Ephesinus totius Asiæ, Sanctus Petrus Alexandrinus totius Ægypti, Firmilianus Cæsarææ in Cappadocia Antistes totius Ponticæ Diœceseos egit Synodum. Etiam Antiochena, quæ proprium Patriarcham Paulum Samosatensem dejecit, Synodus erat Diœcesana. Et plura sunt similium Synodorum antiquissima exempla. An *Diœceseos* vocabulum sit adeò antiquum in Romana Republica, est alia quæstio: Certum est rem esse antiquissimam, Etiam Ægyptiorum, Orientalium, Asiaticorum, Ponticorum, Italorum, Gallorum, Hispanorum, atque Afrorum Episcoporum mentio est omninò antiquissima. Ducit originem ab Apostolis. Et quomodo D. Archiepiscopus, qui Provincialium Synodorum judicia scripsit per Nicænos atque Apostolicos Canones esse suprema atque inappellabilia, jam supponit eadem appellationibus ad totius Diœceseos Synodum? Certè adfirmat & Gratianum Imperatorem, & Constantinopolitanam Synodum sanxisse atque edixisse adversùm Apostolicos atque Nicænos Canones, quos hæc protestatur à se innovari atque confirmari.

Octavus error est in his verbis: *Ex Diœceseon divisione manavit mos ille, ut Episcopi non ampliùs Provinciis tantùm distinguerentur, sed Diœcesibus & Conciliis Diœceseon*. Respondeo esse errorem istius nebulonis, qui dum Paulus quintus Pontifex disceptaret adversùs serenissimam Venetorum Rempublicam, edidit nequissimum Tractatum de libertate Ecclesiastica. Ipsum vulgavit Melchior Goldastus, & ad finem posita est hæc subnotatio: *Cætera desiderantur, per Papam Paulum quintum effecta, ut prohiberentur*. Nempè in Gallia cusum fuit infame & incompletum opus. Et habet inter cætera: *Ante Concilium Sardicense nihil quidquam penitùs de hac re*, utique de Romanis appellationibus, *cautum nominatim legitur, sed eo jure usam esse Ecclesiam Catholicam patet, ut appellationum extra Provinciam usus omninò ignoraretur. Hanc vim habebat observatio Formatarum. Non enim solvi poterat, qui censuræ vinculo fuisset innodatus, nisi ab illo ipso, qui nodum adstrinxerat. Cui bono igitur appellare? Nisi fortasse à Presbytero unius Ecclesiæ ad plurium Episcoporum consessum provocaretur: Inde ad Comprovincialium Synodum, cui etiam ille intererat, à quo appellabatur Patriarchalium sedium jura primis sæculis sunt ignorata. Romanæ quoque Ecclesiæ nullum hac in parte jus eximium fuisse, Marcionis exemplum lucidè demonstrat. Non tamen negamus jam illis temporibus exstitisse, qui in Provinciis suis sententiam passi vicinas Provincias penetrarent, Romam etiam interdum venirent, quò pacem impetrarent. Nam ita facilitatum aliquando, vel illud arguit, quòd in Canone trigesimo tertio Apostolico, ut vocant, certè antiquissimo, causa cur tam expresè caveatur, ne sine commendatitiis sui Præsulis quisquam peregrinus suscipiatur, adfertur hæc: Πολλοὶ γὰρ κατὰ συναρπαγὴν γινέσθαι. Quorum verborum sensus est: Eos Episcopos, qui sine Formatis Errones istos admittunt, & de ipsorum causis cognitionem sibi vindicant, furtivæ obreptione sæpè decipi. Quare etiam Cyprianus nobilissima illa ad Cornelium Papam Epistola adversùm istos circumcursatores desperatos & perditos homines, ut ipse loquitur, quitur, qui Romam ex Africa petebant, Statutum hoc adfert veteris Ecclesiæ æquum & justum, ut inquit ipse*: Uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum. *Quo Statuto ita appellationes omnes, & Romam & aliò extra Provinciæ fines, prohibentur, ut multùm subtiliati ingenii confidere illos oporteat, qui adversùs tam manifestam veritatem congredi non verentur*. Adfirmat solùm viginti esse Nicænos Canones, & nec verbum istic reperiri de appellationum jure, & statui in tertio Canone: *Auctoritas & confirmatio omnium, quæ in quaque Provincia geruntur, ad Metropolitanum spectat*. Et commentatur: *Unde intelligimus Patriarchalium sedium jura, de quibus tam multa posteriorum ætatum Synodi sanciverunt, nondum fuisse satis cognita, etsi Canon sextus eorumdem Patrum illas sedes jam usu quodam comprobatas firmet. Secuta est non multò pòst Antiochena Synodus, cujus Canon quartus docet depositis Episcopis unicam superesse spem restitutionis in alia Synodo. Porrò hanc Synodum jubent cogi sequentes Canones è solis Comprovincialibus, aut è vicina Provincia*.

Cap. 4.

Hic Tenebrio cœpit in Gallia omninò primus Romanas appellationes arietare. Et libet audire ejus putidum dogma. Hæc est fudamentalis adsertio: *A sententiis Synodalibus appellabatur illis temporibus ad majorem Synodum, vel ad Principem*. Docet & Romanas seu Papales, & Patriarchales appellationes olim fuisse ignotas: Appellari non potuisse, nisi ad Provinciæ Synodum, vicinam Provinciam, vel ad Augustum Principem. Addit quosdam damnatos Episcopos aut Clericos quandoque girasse ad remotas Provincias, atque ita etiam ad Romanam Ecclesiam: At per abusum. Probat ex famosa Sancti Cypriani ad Sanctum Cornelium Papam adversùs Felicissimi Diaconi factionem Epistola, ex Nicænis Canonibus, & ex Antiochenis. Insuper docet ita fuisse usque ad Sardicensem Synodum, addit ipsam non fuisse Œcumenicam, hoc notum esse etiam pueris, inductas ab ipsa Romanas appellationes fuisse jus novum, & probat ex Hosii Præsidis ad Collegas Episcopos præfatione: *Sancti Petri memoriam honoremus*. Et profequitur: *Si jure Divino, ut hodie declamatur, appellationes omnes fuissent ad Sedem Apostolicam relatæ, aut Canonibus Nicænis hoc ei jus esset attributum, quid opus erat hoc Canone, & aliquot sequentibus? Aut quis non intelligat rem introduci ab Hosio, de quæ nihil ad eum diem esset sancitum? Nam hoc evidentissimè significatum Hosius voluit, cum diceret: Si placet vobis, Sancti Petri memoriam honoremus*. Et pergit: *Zonaras, aliique juris Canonici Interpretes Græcorum, quoties de appellationum jure disputant, Sardicenses Canones interpretantur, de Romanis & eorum pravis interpretationibus gravissimè conqueruntur. Eidem Sardicensi Concilio duo Œcumenica opponunt, Constantinopolitanum & Chalcedonense, quibus eadem jura novæ Romæ Episcopis tribuuntur, ac veteris. Canone autem nono hujus appellationes omnes ad Regiam urbem Constantinopolim rejiciuntur: Quod utique intelligendum est de Provinciis Orientalis Imperii*. Joannes Zonaras & alii schismatici Græci, quò Romanum Primatum lædant atque evadant, adferunt Sardicenses Canones sancire de Romano dumtaxat Patriarchatu: Uti ex toto Occidente ad Romanum Episcopum, ita ex toto Oriente volunt appellandum ad Antistitem Constantinopolitanum. Ita utramque Romam credunt esse in omnibus æquales. Firmare hæc nituntur ex tertio Constantinopolitano, itemque ex nono & vigesimo octavo Canone Chalcedonensi. Et hæc omnia probat iste Tenebrio.

Etiam hæc sunt ejus verba: *Sciendum antiquos Patres ità attendisse gubernationi commissarum sibi peculiariter ovium, ut curam gregis universi alienam à se non ducerent*. Demonstrare id molitur multis exemplis atque testimoniis, & concludit: *Ostendimus veteres Episcopos tanti fecisse unitatem Ecclesiæ, ut singuli eorum universalis Ecclesiæ curam putarent pertinere ad se ratione quadam, ex quo fiebat, ut unius injuria omnes adverteret*. Ex hoc principio infert: *Adeò tunc temporis pulcherrimæ cuidam Aristocratiæ proprior erat administratio Ecclesiæ quàm illi, quæ posteà invehi cœpit, absolutæ & crudæ Monarchiæ*. Eusebiana factio solos tres Patriarchas, hic autem Tenebrio omnes & singulos Episcopos, præsertim Metropolitas, vult esse invicem æquales Aristocratores, atque ex ipsis constari monstrosam & multicipitem Hierarchiam. Romano Episcopo dat primum locum, istoque ex fonte censet natum, ut Marcion Ponticus, Felicissimus & Fortunatus Carthaginenses, Privatus Lambesitanus, Sanctus Athanasius Alexandrinus, Sanctus Paulus, Sanctus Joannes Chrysostomus, & Sanctus Flavianus, Constantinopolitanæ Ecclesiæ Antistites, ac alii plures per suas Synodos damnati Episcopi & Clerici accurrerunt Romam, ac ab ejus Papa opem poposcerunt. Et adjungit: *Qui hujusmodi exempla volunt esse appellationum ad Romanum Papam testimonia, si quæ de universalis Ecclesiæ cura diximus, omnium Episcoporum olim communi, attenderint, & dare locum veritati curaverint, aliter sentient. Nam etsi Prærogativa quadam bonoris eminebat Romana Sedes, atque adeò gratia & auctoritate plus aliquantò poterat, quàm cæterarum singulæ, quæ vel plurimùm valebant, si tamen jus spectetur, non magis Romam primis temporibus appellari solitum, quam vel Alexandriam, vel Antiochiam, vel Carthaginem, vel Mediolanum, vel aliò*. A cunctis olim Romam confugientibus vult imploratum atque impetratum fuisse fraternum dumtaxat solatium, non Hierarchicum Patris aut Principis auxilium. Quæ omnia ut firmet, vult olim nullos fuisse Patriarchas, nullos Primates, nullas Diœceses, nullos Ecclesiasticos Tractus, sed solas Provincias: Vult Ecclesiam tunc solis Provinciis & ipsarum Synodis, non Diœcesibus, aut harum conventibus fuisse distinctam ac gubernatam. Et hanc Præmissam cum non paucis ejus conclusionibus adsumit ac vendit etiam Dominus Petrus de Marca.

Respondeo motam hìc vocabuli, *Diœcesis*, significationem insigniter exponi à Theodoro Balsamone in commentario noni Canonis Chal-

cedonensis : *Diœcesis est quæ multas sub se habet Provincias*. Loquitur cum Innocentio primo Pontifice, qui de Antiochena Cathedra scribit ad ejus Patriarcham Alexandrum : *Super Diœcesin, non super aliquam Provinciam recognoscimus constitutam*. Id est, non unicæ Provinciæ Metropolitana seu Præfecta est, sed conflatæ ex pluribus Provinciis Diœcesi. Scio voci esse & alias significationes : Etenim quandoque pro Provincia, quandoque pro Episcopali Territorio, quandoque accipitur etiam pro Pagensi unius Presbyteri Parochia. Verùm hìc tractamus vocem in prima per Theodorum Balsamonem laudata significatione. Et ipsa est antiquissima. Etenim in relatione ad Sanctum Sylvestrum Pontificem scribit prima Arelatensis Synodus : *Majores Diœceses tenes*. Videlicet Italicam, Gallicanam, Hispanicam, Africanam, Illyricianam. Et in Eusebii Cæsareensis de sua vita libris Magnus Constantinus in habito ad Nicænam Synodum sermone memorat Diœcesin *Ponticum & Asiaticam*. Easdem memorat apud Ecclesiasticam Theodoreti historiam Imperator Theodosius, additque *Thracicam*. Est vox frequens in antiqua Romani Imperii notitia, ac in legibus Constantino posterioribus. Etenim Constantinus ad antiquas & suas novas Imperii partitiones melìus exponendas putatur primus fuisse usus ista voce. Quidquid sit, ipsius significatum est omnino antiquissimum. Etiam apud Ecclesiam. Quòd enim Sanctus Petrus Apostolus tres Apostolicas Cathedras, & tres ipsarum Patriarchales Tractus aut Diœceses instituerit, constanter docent & Latini & Græci. Quin & disertè id profitetur sextus Nicænus Canon : *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam, ac Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus omnium horum potestatem habeat. Quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter & apud Antiochiam, cæteraque Provincias suis privilegia serventur Ecclesiis*. Per cæteras Provincias intelligit tres autocephalas Diœceses : Thracicam, Ponticam, Asianam. Qui has à secundo primi Constantinopolitani Concilii Canone erectas existimant, infeliciter deviant. Nam quòd Neo-Cæsareensis in Ponto Ecclesia à Thaumaturgi Gregorii tempore semper respexerit Cæsareensem in Cappadocia Cathedram, disertè scribit in litteris ad Neo-Cæsareenses Magnus Basilius. Quòd Sanctus Armeniorum Apostolus Gregorius à Sancto Leontio, ejusdem Cæsareensis Cathedræ Episcopo, & se & suos semper successores consecrari voluerit, testantur ipsius authentica vita, Sanctus Nicon Monachus, Isaac Catholicus, & alii Armeniarum rerum Scriptores. Quòd idem Leontius Nicænæ Synodi Acta per Cappadociam, Paphlagoniam, Galatiam, Pontum, atque Armeniam publicarit, ut totius Diœceseos Exarchus, testatur Gelasius Cyzicenus. Quod tamen vacillat. Etenim non Leontium, sed ipsius successorem Hermogenem Nicæno Concilio adfuisse, atque ab ipso compositum Symbolum, disertè adfirmat in litteris ad Patrophilum Episcopum, & in litteris ad nescio quem Innocentium Magnus Basilius. Possit memoria lapsus Gelasius pro Hermogene scripsisse Leontium. Etiam toti Asiæ, & plurimis in ipsa Episcopis se præsidere testatur in litteris ad Victorem Papam, exstantibus apud Eusebium Cæsareensem, Polycrates Episcopus Ephesinus. Asiatica Diœcesis in antiqua Imperii notitia habet decem Provincias. Et ad tertium Sancti Esaiæ caput scribit Sanctus Joannes Chrysostomus, quod Sanctus Apostolus Paulus Timotheum, licèt juvenem, evexerit ad summam *amplitudinem*, ad altum *fastigium dignitatis Ecclesiasticæ, ad onera amplissimarum Ecclesiarum*. Quod ipsum repetit in prima Homilia ad populum Antiochenum. Exponit in commentario primæ Apostolicæ ad Timotheum Epistolæ : *Timotheo credita fuit Ecclesia, immò gens ferè tota Asiatica*. Et in commentario secundæ Epistolæ : *Timotheo Paulus Ecclesiæ, gentisque totius credidit gubernacula*. Quia nempè illum creavit Ephesinum Episcopum, quæ civitas erat Metropolis totius Asiæ, Sedes Romani Proconsulis. Quod ipsum demonstrari possit de Thracica Diœcesi, cujus Exarchus fuit Heracleensis Antistes, Metropolita Europæ. Et quis nesciat Sanctum Cyprianum, & omnes ejus in Carthaginensi Cathedra Antecessores toti Africæ præsedisse ? Quòd quisque, majoris præsertim civitatis, Episcopus olim potuerit alienis Ecclesiis se miscere, alienosve damnatos reparare, est insignis ignorantia, insignis impostura. Ex istiusmodi hinc indè excessibus natæ sunt plurimæ ac durissimæ Episcoporum contentiones, plurimis omni ævo Canonibus proscriptæ. Et posteriores, qui Patriarcharum ac Primatum jura stabilierunt, Canones dumtaxat stabilierunt avitam consuetudinem, datamque ab Apostolis regulam. Quocirca longè certissimum est Christianitatis non tantùm in Metropoliticas Provincias, sed etiam in Patriarchales ac Primatiales Tractus aut Diœceses divisionem esse omninò antiquissimam ; Esse Apostolicum Institutum.

Epist. 18. cap. 1.

Lib. 3. cap. 18.

Lib. 5. cap. 23.

Epist. 75.

Epist. 82.

Epist. 319.

Lib. 5. Cap. 23.

Hom. 15.

Ro-

Romana Sancti Athanasii Appellatio denuò examinatur.

ETiam circà hanc appellationem graviter errat D. Petrus de Marca. Audiamus ejus verba : *Adnotandum est, iniquum omninò visum esse Orientalibus, si Occidentales Episcopi etiam in plenario Concilio tentarent retractare judicia in Orientalibus Synodis facta, quod eo pacto harum Synodorum auctoritatem violari manifestum esset. Itaque vix credi potest, ita comparatos fuisse, ut solius Romani Pontificis auctoritatem sua superiorem esse confiterentur, præsertim cum schisma recenter adversùs illum fecissent, eumque ob hoc excommunicassent, quod caput esset eorum, qui leges Ecclesiasticas pessumdederant*. Et adducit Philippopolitani Conventiculi in Julium Pontificem verba : *Ut Ducem & Principem malorum, qui primus januam communionis sceleratis atque damnatis aperuit, cæterisque aditum fecit ad solvenda jura Divina*.

Lib. 1. cap. 6.

Respondeo omninò hunc fuisse quorumdam Orientalium sensum. Nempè totius Eusebianæ factionis. Hæc enim est, quæ à Julio Pontifice reparatum Athanasium, ac ipsi redditum Episcopatum noluit agnoscere ; quæ garrivit Ecclesiasticam Hierarchiam esse non Monarchicam, sed Aristocraticam, ex æquo divisam in tres Patriarchas ; quæ Orientalis Ecclesiæ Patriarchalia judicia voluit esse suprema, ideoque per Romanam Ecclesiam non posse retractari ; quæ istorum judiciorum supremam auctoritatem censuit esse Divinum atque Evangelicum jus ; quæ hoc jus garrivit in reparato Athanasio violatum à Julio ; quæ in Julium, tamquam Evangelii prævaricatorem, latravit excommunicationis convitium ; quæ Sardica fugit Philippopolim, atque illic omnia hæc scelerata facinora & dogmata stabiliit per sceleratas litteras, in quarum capite statim post Georgium Alexandrinum, & Amphionem Nicomediensem, scelerati Eusebii successorem, laudatur Donatus Carthaginensis Episcopus : Utique Donatus magnus, à quo Hæretici Donatistæ. Nempè uti nunc Lutherani & Calvinistæ, quo suam paucitatem consolèntur, & Romano Pontifici incommodent, conantur sibi adunare schismaticos Græcos ; ita tunc Eusebiana Arianorum factio eundem in finem studuit sibi adunare turbidos & Occidentales Donatistas. Et ex ista Epistola Donatistæ posteà conati sunt evincere suam communionem non concludi intra Africam, sed extendi in Orientem. Et ad ejus lectæ exordium Sanctus Augustinus, qui Sardicensia Acta distinctè non callebat, primùm obstupuit, & Julium Pontificem ob reparatum Athanasium damnari ab ipsa audiens, statim clamavit esse Arianam. Et ex ista scelerata Epistola D. Archiepiscopus probat suas adsertiones, creditque se adferre cum tota Orientali Ecclesia. Verùm non sentit cum Sancto Athanasio, nec cum Sancto Paulo Constantinopolitano, nec cum Marcello Ancyrano ; nec cum Lucio Adrianopolitano, nec cum Asclepa Gazensi, nec cum plurimis aliis orthodoxis per omnem Orientem Episcopis & Clericis ; qui cuncti à suis hæreticorum Patriarcharum aut Metropolitarum Synodis damnati Romam appellaverunt. Nec sentit cum Sardicensi Synodo, quæ adversùm istas sceleratas litteras edixit : *Sancti Petri Apostoli memoriam honoremus*.

Pergit D. Archiepiscopus : *Orientales per illas tempestates regulam hanc certam & indubitatam Ecclesiasticæ disciplinæ esse contendebant, res in Oriente judicatas retractari non posse in Occidente, nec è contrà. Ita namque adfirmavit Concilium Antiochenum in Epistola ad Julium Papam, in qua Episcopi adferunt exemplum damnationis Pauli Samosateni ab Orientalibus Episcopis decretæ, quam Occidens recepit, consensuque suo firmavit absque novo examine. Sicut etiam Oriens recepit, & approbatione sua confirmavit damnationem à Synodo Occidentali decretam adversùs Novatianum*. Respondeo Eusebianæ factionis schismatica & hæretica commenta hic denuò venum exponi pro certa ac indubitata Orientalis Ecclesiæ regula. Nam & Antiochena Synodus fuit istius factionis sceleratum conventiculum, deditque fundamenta & fomenta, ex quibus Philippopolitanum conventiculum firmavit suas sceleratas litteras. Audiamus quid de istius ad Julium litteris censeat Hermias Zozomenus : *Quibus*, utique per Julium facta Athanasii reparatione, & Apostolicis eadem de re litteris, *illi*, Eusebiani Episcopi, *graviter commoti, conveniunt Antiochiæ in unum, & Epistolam verbis elegantibus ornatam, & disertè, ut Rhetorum mos est, compositam, ad Julium scribunt, eamque plenam ironiæ, & minarum non expertem gravissimarum. Nam quamquam litteris suis fatebantur, Ecclesiam Romanam primas apud omnes ferre, utpotè quæ Apostolorum schola & pietatis Metropolis, licèt auctores Religionis Christianæ primùm ex Oriente venissent, jam ab initio fuisset ; tamen indignati sunt se posteriores ideò ferre, quod magnitudine Ecclesiæ superarentur. Idque cum virtute & pio vivendi studio longè superiores essent. Quin etiam criminis loco Julio objiciebant, quòd cum Athanasio & reliquis cum eo Episcopis communicaverat. Et ægrè admodùm ferebant, perindè ac si tum Concilium* Nicænum, *tum ipsorum sententia fuissent abrogata. Quod factum, ut iniquum, & à lege Ecclesiastica discrepans, insimularunt. His de causis cùm eum ad hunc modum criminati essent, & sibi factam injuriam testati, Julio pacem & communionem pollicebantur, si modò abdicationem eorum, qui ad ipsum profugerant, approbaret. Sin autem resisteret ipsorum Decretis, contraria*.

L. 3. c. 7.

traria se facturos prædicabant. Nam Episcopos & Sacerdotes Orientis, qui ipsos antegressi fuerant, minimè refragatos esse Episcopo Romano, cum Novatianus erat Ecclesia ab eo ejectus. Primò dicunt, quòd Romanus Episcopus primas teneat: verùm solius loci, non potestatis. Omnes tres Patriarchas volunt esse æquales & supremos, distinctos solo loci ordine. Hinc inferunt Patriarchales Orientalis Ecclesiæ sententias esse supremas atque inappellabiles, ideoque per Romanam Ecclesiam reformari non posse, aut retractari. Tertiò adfirmant sic statutum à Nicæna Synodo, utique à quinto ejus Canone. Quartò aiunt & istum Canonem & antiquam Ecclesiæ legem per receptum ac reparatum Athanasium esse violata à Julio, ipsum communicasse alienis damnatis, ideoque esse ab eodem Canone damnatum. Quintò ei reparationem promittunt, dummodo ab ista sua scabiosa communicatione cesset, & deinceps interponendis ad ipsum appellationibus renunciet. Sextò ipsum, nisi obediat, minantur irreparabiliter degradandum. Et hinc ad hasce litteras Julius rescripsit: *Non scio, cur vobis ita rem agere placuit, & nos in hanc opinionem redigatis, ut arbitremur nos sub specie reverentiæ pro ludibrio esse habitos, dictaque vestra irridentium fuisse, cum & Presbyteros nostros ad vos missos, quos cum gaudio remissos oportuit, cum luctu remiseritis ob ea, quæ istic geri conspiciebant. Ego certè, cùm litteras vestras evolverem, post varias ultrò citroque cogitationes, eas supprimendas cogitavi ea spe, quòd crederem saltem aliquos ex vestris adventuros, nec opus fore istiusmodi Epistolis, ne si illæ in publicum promerentur, multos hic dolore adficerent. Cæterùm ubi nullus vestrum supervenerat, necessum fuit ut eas proferrem. Credite mihi, omnes admiratione pleni vix induci poterant, ut crederent istiusmodi litteras à vobis profectas esse, in quibus rixandi potiùs, quàm charitatis adfectus eminebat. Quod si ambitione eloquentiæ ostentandæ ita exceptæ sunt à Dictatore, id certè studium ad alios spectavit. In rebus enim Ecclesiasticis non specimen eloquentiæ, sed Canones Apostolici requiruntur, operaque dari solet, ne quis ex parvis in Ecclesia scandalizetur. Expedit enim, secundùm Ecclesiasticum verbum, molem asiniariam suspendi è collo, atque ita demergi, quam unum è pusillis scandalizare.* Ejusmodi commenta sol usque tunc non viderat: Hinc omnis Romana Synodus fuit meritò admirata & scandalizata. Et ex istis sceleratis litteris D. Archiepiscopus firmat suas cogitationes, profiteturque se cum ipsis sentire.

Et Pauli Samosatensis exemplum nihil omninò facit ad ipsorum rem, sed plurimùm ad nostram. Etenim Paulus non appellavit Romam: Scie ns illic pertinacibus hæreticis non subveniri. Appellavit ad Imperatorem Aurelianum. Et hic hominem remisit ad Romanum Pontificem ac Italiæ Episcopos. Christianorum Canonum peritus Princeps norat istuc à damnatis Patriarchis appellandum. Et Pauli damnatrix Antiochena Synodus suum judicium retulit Dionysio Pontifici, ideoque & ad ejus arbitrium suspendit. Quòd enim relatio ad solum Superiorem fiat, & non minùs quàm appellatio suspendat omnia, cunctis Legum & Canonum peritis est exploratum. Etiam quòd sine prævia ad Apostolicam Sedem relatione, & dato ad ipsam Rescripto damnare Paulum Patriarcham non potuerit, profitetur eadem Synodus, allegat intermissæ hujus formæ gravissimas causas, adeoque suorum judiciorum omnimodam à Romano throno dependentiam plenissimè agnoscit. Et in suis litteris Iulius addidit: *Non omnium talem mentem fuisse arbitror.* Etenim Antiochena Synodus, licèt Eusebiani prævaluerint, habuit & orthodoxos Episcopos, qui non minùs has schismaticas insolentias, quàm Arianos errores fuerunt constanter detestati.

Pergit D. Archiepiscopus: *At Julius Papa respondens huic Epistolæ, non contradicit absolutè supremam orientalium Conciliorum auctoritatem, sed Athanasii tantùm factо inhæsit, explicandoque judicio, quod adversùs eum fuerat latum in Synodo Tyria. Ait enim illud esse irritum, quod adversùs Athanasium, Presbyterumque ejus Macarium, testimonia illis absentibus recepta fuerint à Judicibus delegatis, apertissimis Athanasii hostibus, & ab eo ejuratis, ideoque judicium illud integrum non fuisse, sed tantùm ἐν μορομερῶς, ex quo sequeretur illud executioni non esse mandandum. Cùm itaque Athanasium in suam communionem susceperat, nihil se Canonibus adversum egisse, quoniam sententia excommunicationis nulla erat.* Respondeo nec Athanasium provocare potuisse à justa sententia, nec justam sententiam à Julio rescindi. Quis enim nesciat interjectas adversùm justa judicia appellationes esse frivolas, refutandas, puniendas? Hinc ergo & suum & Athanasii factum purgaturus Julius, meritò demonstrat Tyrium judicium & in substantia, & in modo excessisse; per leges & Canones fuisse irritum, ideoque ab Athanasio rectè appellatum ad Apostolicæ Sedis tribunal, justè à se retractatum, reformatum, exsufflatum. Et quibus verbis agnovit Orientalium judiciorum supremam auctoritatem? Immò huic auctoritati patentissimè & constantissimè contradixit: *Jam ubi iidem, qui à vobis pro gravibus viris & fide digni habiti fuerunt, auctores mihi fuerunt, ut vos convenirem, certè id à vobis ægrè ferri non debuit, sed potiùs alacriter ad citationem occurrere. Quapropter indignatio eorum, qui hac citatione offenduntur, temeraria, & tergiversatio sistendi se in judicio, inhonesta, & suspiciosa videtur. An quisquam stomachari debet, si quæ ipse fecit, ab aliis fieri videat? Si enim, ut scribitis, inconcussam habet auctoritatem quælibet Synodus, & contumeliosè agitur cum Judice, cujus judicium ab aliis examinatur, considerate quæso, Dilectissimi, quinam sint qui Synodum improbant, & qui aliorum judicata rescindunt, ne singula excutiendo, certos homines gravem.* Palmaris istarum litterarum scopus est demonstrare, quòd Orientalium Synodorum Patriarchalia etiam judicia non sint inconcussa, aut Romam inappellabilia, ideoque & Athanasius, & Paulus Constantinopolitanus, & Marcellus Ancyranus, aliique plures ab istis Synodis damnati Episcopi & Cleri-

Clerici potuerint Romam appellare: Quod istas appellationes suscipere possit Pontifex, quòd possit partes citare ad suum Tribunal, quòd citati comparere debeant, & illic ex Judicibus demutari in reos aut accusatores. In lucidas res non est tempus expendendum.

Errorem continent & hæc D. Archiepiscopi verba: *Postremò ait Julius nihil adversùs Statuta Nicæni Concilii tentari, si quæ Synodus quæpiam statuat, in posteriori retractentur. Alludit autem ad Synodum Alexandrinam, cui centum Episcopi interfuerant, in qua damnatus fuit Arius, cujus causa de integro discussa est in Concilio Nicæno.* Respondeo nequaquam alludere ad istud dumtaxat exemplum. Alludit & ad plures Romanas ex Oriente appellationes, ad quas in Ecclesiastica historia alludit etiam Theodoretus: *Julius Ecclesiæ Canonem secutus, & eos,* utique Eusebianæ factionis Episcopos, *qui Athanasium damnarant, jussit Romam venire, & Divinum Athanasium, quò pro se in judicio ipse responderet, vocavit.* Notanda sunt hæc Julii verba: *Si igitur verè parem, eumdemque honorem in omnibus Episcopatibus censetis esse, neque ex magnitudine civitatum, ut vos sentitis, honorem ejus rei crescere arbitramini, &c.* Adfirmat omnes Patriarchales Sedes nequaquam esse pares, sed suam Romanam, uti loco, ita & potestate esse primam atque majorem, ideoque ad ipsam à cunctis posse provocari. Et quidem aliarum Synodorum judicata rescindere erat factioni familiarissima audacia: Etiam Synodorum ad ipsam non spectantium: Etiam ipsius Nicænæ Synodi. Hinc Pontifex miratur inter ejus Acta & Dicta tantam dissonantiam. L. 2. c. 4.

Pergit D. Archiepiscopus: *Adnotandum est, non dicere Julium redditas à se fuisse Ecclesias Athanasio & aliis Episcopis. Nam ea erat quæstio principalis, quæ reservata erat cognitioni Synodi quam Julius convocaverat rogantibus Orientalium Legatis, tametsi negarent dein Orientales id se Legatis suis dedisse in mandatis. Sanè iidem Orientales in sua Epistola Synodica, sub nomine Concilii Sardicensis edita, illud tantùm conqueruntur, receptos à Julio in communionem Athanasium, & reliquos Episcopos damnatos.* Et probat ex Epistolæ verbis de Athanasio: *Ad Julium Romam perrexit, sed & ad Italiæ quosdam ipsius partis Episcopos, quos seducens per Epistolarum fialsitatem ab eisdem præfractè in communionem receptus est.* Respondeo, illic per communionem omninò intelligi Alexandrinam Ecclesiam, ac ejus Episcopatum. Etenim aliud est Laica, aliud Clericalis, aliud Episcopalis communio: Et non solam Laicam, aut Clericalem, sed omninò Episcopalem communionem reddidit Athanasio Julius, id est, Ecclesiam ac Episcopatum. Et nota, hic Athanasium non ad generalem Synodum, sed accessisse ad solum Julium, ac ejus Provincialem Synodum: Item ab hac sola, in qua Julius ex Apostolico Canone erat omnia, illi redditam Episcopalem communionem. Etiam Sardicensi Synodo tamquam Canonicus Alexandriæ Episcopus interfuit, & adsedit Athanasius. Hæc fuit palmaris inter Orthodoxos, ac Eusebianos Episcopos contentio. Hi ipsum uti reum & degradatum, illi uti à Julio reparatum Episcopum voluerunt adesse. Et hi obtinuerunt. Hinc enim Eusebiani, Julii judicium nolentes revereri, fugerunt Philippopolim. Et cuncta Julii Gesta Synodus confirmavit. Etenim unicus, aut certè palmaris scopus hujus Synodi erat Julii pro Athanasio Gesta retractare.

Aliquid tamen veri habent hæc D. Archiepiscopi verba. *Ea erat quæstio principalis, quæ reservata erat cognitioni Synodi, quam Julius convocaverat.* Appellatæ causæ retractatio fieri non poterat inaudito primo Judice, ideoque appellantes Episcopos ità gradui restituit Julius, ut tamen definitiva non esset restitutio, sed sola appellationibus facta suspensivi effectus impartitio, in contradictorio totius Ecclesiæ judicio maturiùs retractanda. Hinc omnem Athanasii damnatricem factionem citavit ad suum tribunal, synodaliter daturam rationes sui facinoris. Verùm quòd illa moras necteret, fucos allegaret, palàm detrectaret se sistere, aliundè se instruxit de causa Pontifex, ac pergit in suis litteris: *Cùm igitur istiusmodi allegarentur, & tot testes pro Athanasio starent, & ipse tam justa pro se adferret, quid quæso nos oportuit facere? An non quod Ecclesiastici Canonis est, hominemque proindè non condemnaremus, sed potiùs reciperemus, eumque pro Episcopo, quemadmodum est, haberemus? Præter hæc omnia annum totum & integros sex menses apud nos hæsit, vestram præsentiam exspectans, aut quotquot comparere auderent, suaque præsentia pudefecit omnes. Non enim judicio stetisset, nisi sui fiduciam habuisset: Neque sponte, sed litteris nostris ad judicium vocatus comparuisset, quemadmodum vos per litteras citavimus, & tamen post tanta argumenta nos, veluti insolitum quid agentes, reprehenditis. Qui igitur sunt, qui contra Canones agunt? Nosne, qui cum tantis rerum documentis virum recepimus?* Ad retractandas hasce appellationes generalem Synodum indicere nullus Pontificem obligavit Canon, sed sola causæ gravitas, & facilioris exsecutionis spes induxerunt. Verùm quoniam adesse tergiversaretur, & palàm recusaret appellata & citata factio, jure suo usus est, & in suæ Provinciæ Synodo solus momentosissima negotia explevit. Lucidè adserit Athanasium esse à se redditum Episcopatui, & omnem hunc à se solo peractum in appellatæ causæ retractatione judicialem ordinem esse vetustum Ecclesiasticæ Hierarchiæ Canonem ac morem. Quæ omnia insigniter illustrat Hermias Zozomenus: *Athanasius fugiens Alexandria Romam adventavit. Eodem tempore Paulus etiam Constantinopolitanus Episcopus fortè illò accessit. Et Marcellus quoque Ancyræ, & Asclepas Gazæ Episcopus, qui cum doctrinæ Arianæ adversaretur, in crimen vocatus est ab Arianis, quòd Altare everterit, & fuerit propterea abdicatus. Cujus locum in Ecclesia Gazæ administrandæ obtinuit Quintianus. Item Lucius Episcopus Adrianopolitanus, ab aliis accusatus, sua, quam regebat, Ecclesia spoliatus, Romæ ætatem degit. Quorum criminationes cùm Romanus Episcopus intellexisset, & omnes fidei Concilii Nicæni consentientes re-*

periſſet, in communionem recepit. Et ci n propter Sedis dignitatem cura omnium ad ipſum ſpectaret, ſingulis ſuam Eccleſiam reſtituit, ſcripſitque ad Epiſcopos Orientis, eoſque incuſavit, quòd inconſultò de hiſce viris judicaſſent.

D. Archiepiſcopus dat hunc Commentarium;

L. 3. c. 7. *Cùm apud Zozomenum legis Julium recepiſſe in ſuam communionem Athanaſium ac reliquos Epiſcopos, & unicuique eorum ſuam Eccleſiam reddidiſſe, ob curam videlicet univerſalis Eccleſiæ, quæ ei incumbit propter dignitatem Sedis ſuæ, exiſtimare debes reſtitutionem illam Eccleſiarum non fuiſſe factam directè, ſed per conſequentiam, eò quod Epiſcopi illi à Julio in communionem recepti fuerint, velut Epiſcopi hujus aut illius Sedis.* Et ſtatim infrà: *Neceſſariam eſſe arbitratus ſum diſcuſſionem præcipuorum capitum hujus* Julianæ *Epiſtolæ, quod ea, æquè ac verba Zozomeni, perperam hactenùs accepta ſint ab iis, qui ea laudavere. Contendunt quippè factum Julii, quod nihil aliud eſt, quàm quoddam velut obſequii genus ad retinendam communionem Orientalium, à ſuprema ejus juriſdictione profectum eſſe, atque ex auctoritate caſſaſſe judicia Conciliorum Orientalium.* Reſpondeo Zozomeno conſonare etiam Socratem. Athanaſii, Pauli, Marcelli, Lucii, & Aſclepæ Romanam appellationem refert, ac ſubdit de Papa Julio: *Ille verò, quoniam Romana Eccleſia privilegium præ cæteris obtinebat, litteris ſuis ad Epiſcopos Orienti liberiùs perſcriptis illorum partes tueri ſtudet. In Orientem litteras mittit, quò & ſuus cuique locus reſtitueretur, & eos, qui illos temerè damnaverant, graviter reprehenderet. Illi diſcedunt Roma, & Julii litteris confiſi ad ſuas ipſorum Eccleſias redeunt. Litteras, ad quos ſcriptæ erant, mittunt.* Palàm adfirmat Epiſcopis iſtis non tantùm Epiſcopalem titulum, ſed inſuper Eccleſias à Julio fuiſſe redditas. Et hoc non ex amici officio, ſed ex Epiſcopali ſuper omnes auctoritate. Et hinc litteris confiſi Epiſcopi cum omni fiducia ad ſuas Eccleſias redierunt. Et hæc omnia à ſe fuiſſe facta ſecundùm Canones, adſiduè clamavit Julius, & Theodoretus confirmavit. Et aliam evaſionis viam neſciens Euſebiana factio, impudenter negavit Eccleſiæ Monarchiam, Catholicamque unitatem laceravit in tria capita. Quin & in ſecunda ſua Apologia ſcribit ipſe Magnus Athanaſius: *Quod ad nos attinet, judicio nullo opus eſt. Judicatum eſt enim non ſemel ſecundùm nos, ſed ſæpiùs. Primùm quidem in noſtra Provincia, cùm ad id cojiſſent propemodum centum Epiſcopi. Secundò Romæ, nobis & cæteris Euſebii adverſariis ad ejus criminoſas litteras in judicio comparentibus. Fuerunt autem in eo conſeſſu plures quàm quinquaginta Epiſcopi. Tertiò iterum in magno Sardico Concilio.* Diſertè adfirmat ſe Romæ non per aliquod obſequii genus, ſed per Synodalem auctoritatem eſſe abſolutum. Et in fragmentis ad Euſebianam factionem ſcribit Sanctus Hilarius: *Ignoraſſe vos negabitis Athanaſio, cujus damnationem à vobis Valens, Urſacius, Saturninus exigunt, ab Hoſio, Maximino, Julio redditam communionem.* Nempè Sardicenſi Synodo Hoſius præſederat, & Romano Julii Concilio Maximinus Trevirenſis adfuerat, & Athanaſii reparatianem ſingulariter adjuverat. Quin & ipſa Sardicenſis Synodus ſcripſit ad Alexandrinam Eccleſiam: *Qua ex re*, utique ex Euſebianæ factionis fuga, *æquitas judicii fratris & Co-Epiſcopi noſtri Julii liquidiſſimè apparuit, qui non temerario conſilio, ſed cum matura deliberatione ſententiam tulit, adeò ut nihil relinquatur dubii de communione fratris noſtri Athanaſii.* Non qualemcumque, ſed Epiſcopalem communionem appellantibus Epiſcopis reddiderat Julius: Et Epiſcopalis communio nequit eſſe ſine Eccleſia. Nec enim ex realibus titulares dumtax ſeu annulares Epiſcopos creavit Julius, quales ſolius honoris gratia fuiſſe in quibuſdam Monaſteriis ſcribit Hermias Zozomenus. Non ſolam dignitatem reddidit, ſed inſuper Cathedram atque Eccleſiam.

Quid ſibi volunt hæc verba, *Exiſtimari debet reſtitutionem illam Eccleſiarum non fuiſſe factam directè, ſed per conſequentiam*? Quodnam hoc ſophiſma? Quæ ceſpitantis mentis anguſtia? Nempè in mala cauſa deficit omne bonum ingenium. Hinc aliud neſcit, quàm devias cogitationes denuò firmare ex Synodali Philippopolitani Conventiculi Epiſtola, & ex ipſa concludere: *Orientales Sardicæ congregati pertinaciter adhærent ſententiæ Concilii Antiocheni, cauſaſque ſeceſſionis ſuæ rejiciunt in Occidentales, qui adversùs veterem Eccleſiæ conſuetudinem cognoſcere vellent de cauſis Orientalium.* Reſpondeo hæc non apud Sardicam fuiſſe acta, ſed apud Philippopolim. Scelerata eſt iſta Epiſtola, damnatiſſima ab omnibus ſub cœlo Eccleſiis: Et ecce orthodoxus Archiepiſcopus profitetur ſe ex ipſa & cum ipſa ſentire. Et ipſius temeritates atque errores, quos conſtat eſſe ſolius Euſebianæ factionis, adſcribit toti Orientali Eccleſiæ. Fateor Julii de Athanaſio judicium non fuiſſe miſſum in exſecutionem. Rationem dat in libro adversùs Imperatorem Conſtantium Sanctus Hilarius: *Mutati Præfecti, electi Judices, corrupti populi, commotæ plebes, ne ab Athanaſio Chriſtus prædicaretur.* Utique apud Alexandriam. Ab Athanaſio reparato per Julium.

Ad Ariminenſem Synodum ſcripſit idem Auguſtus Conſtantius: *Non enim de Orientalibus Epiſcopis in Concilio veſtro patitur ratio aliquid definiri. Proindè ſuper his tantùm, quæ ad vos pertinere cognoſcit Gravitas veſtra, tractare debetis.* Et infrà: *Quæ cùm ita ſint, adversùm Orientales nihil ſtatuere vos oportet. Aut ſi aliquid contra eoſdem, prædictis abſentibus, volueritis definire, id quod fuerit uſurpatum, irrito evaneſcet effectu. Non enim illa vires habere poterit definitio, cui noſtra teſtatur jam nunc robur & copiam denegari.* Hæc verba laudat D. Archiepiſcopus, & adjungit: *Quænam fuerit Orientalium mens, manifeſtè docet Epiſtola Imperatoris Conſtantii, data ad Concilium Ariminenſe, quod conſtabat ex Epiſcopis Occidentis,* Reſpondeo Imperatorem Conſtantium fuiſſe Euſebiana lepra plenum, & Philippopolitani Conventiculi pertinacem patronum. Lucet ex Liberii Pontificis ad ipſum Reſcripto, in quo ſe ab omni Romanæ Cathedræ ambitu fuiſſe ſemper

ſemper immunem proteſtatur, atque adjungit: *Secutus morem, ordinemque Majorum, nihil addi Epiſcopatui urbis Romæ, nihil minui paſſus ſum.* Nempè de ampliata Romani Epiſcopatus ſupra Orientales Patriarchas & Synodos auctoritate arguerat ex ſchiſmaticis Philippopolitani Conventiculi commentis Conſtantius: Et Pontifex ſe purgat per morem & ordinem Majorum, proteſtaturque Romano Epiſcopatui, uti nihil addendum, ita nec minuendum. Attamen Conſtantius videtur non ex hac radice ſcripſiſſe ad Ariminenſem Synodum. Ita ſuadent hæc ejus verba: *Si aliquid volueritis contra eoſdem, prædictis abſentibus, definire.* Laudant antiquam Eccleſiaſticorum judiciorum normam, ex qua ad eundem Principem, dum in Mediolanenſi Concilio ſe offerret in Athanaſii abſentis accuſatorem, repoſuerunt orthodoxi Epiſcopi: *Quonam modo accuſator eſſe poſſis, non præſente reo? Eſto ut accuſator ſis, abſentia tamen rei facit, ut in cauſa judicare non liceat. Non enim de re Romana judicium eſt, quo tibi ut Imperatori fides habeatur, ſed de Epiſcopo agitur. Et oportet in hoc judicio pari jure tum reo & accuſatore agi. Quomodo autem accuſabis eum, qui ob longinquitatem loco adeſſe non potuit?* Ita habes apud Athanaſium in Epiſtola ad Solitarios. Ex iſta igitur regula Conſtantius voluit Arimini non judicari de exiſtentibus apud Seleuciam Orientalibus, prædixitque irritum fore iſtiuſmodi judicium. Reſcriptum iſtud palàm agnoſcit Ariminenſes potuiſſe judicare de Seleucienſibus; At eos monet, ne quid attentent contra judicialem ordinem. Et hinc ſimiles litteras Conſtantius non miſit ad Seleucienſes: Quòd nempè exploratum eſſet ipſos non poſſe judicare de Ariminenſibus. Hinc item Ariminenſis Synodus non dumtaxat Auxentium Mediolanenſem, Valentem Murſienſem, ac Urſacium Singidunenſem, Occidentales Epiſcopos; ſed etiam damnavit Germinium, hominem Syrum, Cyzici Epiſcopum ac Helleſponti Metropolitam, nec non & Cajum, Epiſcopum item Orientalem. Quòd nempè eſſent præſentes Synodo. Ita quidam exiſtimant. Verùm quod Cajus, licèt forſan homo Orientalis, fuerit Panno, adeoque Occidentalis Epiſcopus, Athanaſius diſertè teſtatur in Epiſtola ad Epictetum Epiſcopum Corinthiorum. Et Germinium fuiſſe Cyzico translatum in Syrmienſem Eccleſiam adfirmat in litteris ad Solitarios. Quapropter iſta adſertio probanda eſt ex litteris ad Epiſcopos Africanos: *Vos dilectiſſimi compertum habetis ex iis, qui ex veſtro numero ad Concilium Ariminenſe ſe contulerunt, quomodo Urſacius & Valens illic præſtò fuere, & unà cum illis Demophilus, eoſque ideò depoſitos & exauctoratos eſſe, quod alia, quàm quæ in Nicæno Concilio decreta ſunt, conſcribere vellent.* Porrò Demophilum, qui poſteà Conſtantinopolim tranſiit, fuiſſe Berrhææ in Thracia Epiſcopum, ideoque ſpectaſſe ad Orientalem Eccleſiam, habet antiquus Byzantinorum Epiſcoporum catalogus, exſtans in jure Græco-Romano. Etiam quoſdam Ægypti Epiſcopos adfuiſſe Ariminenſi Concilio, teſtantur

Lib. 2. f. 29.

in exhibitis Magno Theodoſio precibus Romani Presbyteri Fauſtinus ac Marcellinus. Etiam ipſos poterat Synodus judicare. Quocircà quod apud Seleuciam exiſtentes judicare non potuerit, abſentia & neceſſarius judiciorum ordo fuerunt cauſa, non defectus poteſtatis.

D. Archiepiſcopus proſequitur: *Negari certè non poteſt, quin aliter ea tempeſtate viſum ſit Occidentalibus. Verùm longè aberant ab opinione eorum, qui noſtra ætate tractarunt de controverſiis fidei, qui pronunciant appellationes Epiſcoporum Orientalium judicandas eſſe apud urbem Romam à Summo Pontifice. Nituntur hi, ut ipſi exiſtimant, præjudicio Epiſtolæ Julii Papæ, quæ exſtat apud Athanaſium, cujus ſenſum detorquent ad mentem ſuam, cùm tamen ex ea conſtet jura Sedis Apoſtolicæ temperamento quodam prudenter adhibito per eas tempeſtates explicari ſolita. Nihil enim aliud ab Orientalibus exigebant Julius & Romana Synodus, quàm ut cauſæ Eccleſiarum Apoſtolicarum, in primis verò Alexandrinæ, quoties de depoſitione Epiſcoporum iſtarum Sedium ageretur, cum Papa & Synodo Romana communicarentur, antequam Synodi Orientales cognitionem de iis inſtituerent, ut communi conſenſu componi poſſent magnæ Eccleſiæ. Quod ſi poſt judicium Orientalium querela manifeſtæ oppreſſionis deferretur ad Synodum Occidentalem, tum retractandum eſſe negotium in Concilio Occidentalium & Orientalium. Unde conſtat in ea Epiſtola non agi de appellatione, ſed de prima tantùm cauſæ cognitione, aut reviſione, neque excitatam controverſiam de omnibus Epiſcopis, ſed de iis tantùm qui Apoſtolicis Sedibus præſiderent, in primis autem de Alexandrino, ac tamen judicium reddi non debere à ſolo Epiſcopo Romano cum Epiſcopis Occidentalibus, ſed ab Epiſcopis Occidentis & Orientis in unam ſententiam conſpirantibus. Iſta enim colliguntur ex Epiſtola Julii, qua Orientales objurgat in cauſa Athanaſii Alexandrini, & Marcelli Ancyrani, quos Orientis Concilia damnaverant inconſulto Romano Epiſcopo.*

Errores varii. Primus eſt, quòd ſoli Occidentales fuerint in iſta ſententia. Etenim iſte ſchiſmaticus, quem toti Orientali Eccleſiæ perperam adſcribit D. Archiepiſcopus, error fuit ſolius Euſebianæ factionis. Nec ſolus Athanaſius, & cuncti alii in Julii Epiſtola memorati Epiſcopi & Clerici, ſed etiam Euſtatius Sebaſtenſis Epiſcopus, primæ Armeniæ Metropolita, ac omnis ejus factio ſenſerunt cum Julio & Occidente. Nam & hi à ſuis Synodis damnati appellarunt ad Liberium Pontificem, fuerunt per ipſum reparati, cum ipſius litteris redierunt ad Thyanenſem in Cappadocia Synodum ac ſuas Eccleſias, & fuerunt recepti. Et gratis demus alium tunc totius Orientalis, alium fuiſſe ſenſum totius Occidentalis Eccleſiæ. Certè cum hac nos omnes Occidentales oportet ſentire: Sentire debemus cum matre Catholica, in qua nati ſumus, atque renati. Ita Pelagianorum Goliath Juliano, ad Orientalem Eccleſiam provocanti pro ſuis erroribus, olim reſpondit Sanctus Auguſtinus.

Secundus error eſt, quòd Julii Epiſtola non ſtatuat de cunctis Orientalibus, ſed de ſolis illic

lic Apostolicarum Ecclesiarum Episcopis. Etenim agit non de solo Athanasio ac Marcello, sed etiam de Lucio Adrianopolitano Episcopo. Porrò hic, licèt in Thracica Diœcesi fuerit Hæmi montis Metropolita, attamen nec Apostolicam Sedem habuit, nec Ecclesiam. Epistola agit de Paulo Constantinopolitano Episcopo, quem certum est nec Patriarcham tunc fuisse, nec Metropolitam, sed dumtaxat Provincialem Episcopum in Europæ Provincia sub Metropolita Heracleensi. Agit de Asclepa Gazæ Episcopo, apud Palæstinos Suffraganeo Metropolitæ Cæsareensis. Agit de plurimis aliis Episcopis & Clericis: *Nec solùm Athanasius & Marcellus Episcopi cum querimoniis de illatis injuriis, sed & plurimi alii Episcopi ex Thracia, Cœlesyria, Phœnicia, Palæstina huc convenere. Presbyteri item non pauci, partim ex Alexandria, partim aliundè ad hoc Concilium occurrerunt, & coram omnibus Episcopis ibi congregatis inter reliqua dicta conquesti sunt vim & injuriam Ecclesiis illatas esse, suasque Ecclesias eadem, quæ Alexandrina, passas esse, & in aliis Ecclesiis similia designata.*

Rectè tamen D. Archiepiscopus adserit Epistolam præsertim agere de Sancto Athanasio Alexandriæ Patriarcha, & de Marcello Ancyræ Episcopo, Metropolita primæ Galatiæ. At tertius error est in his verbis: *Nihil aliud ab Orientalibus exigebat Julius, quàm ut causæ Ecclesiarum Apostolicarum, inprimis verò Alexandrinæ, quoties de depositione Episcoporum earum Sedium ageretur, cum Papa & Romana Synodo communicarentur, antequam Synodi Orientales cognitionem de ea instituerent, ut communi consensu componi possent magnæ Ecclesiæ.* Hæc sunt Julii verba: *Oportuit scribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus, quod justum esset, decerneretur. Episcopi enim erant, & non vulgares Ecclesiæ, qui ista patiebantur, sed quas ipsi Apostoli suamet opera ad fidem instruxerant. Cur igitur, & in primis de Alexandrina civitate, nihil nobis scribere voluistis? An ignari estis hanc esse consuetudinem, ut primùm nobis scribatur, ut posteà, quod justum est, definiri possit? Quapropter si hujusmodi istic suspicio in Episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit.* Affirmat Alexandrinum Patriarcham sine prævia ad Apostolicam Sedem relatione, & accepto ad ipsam Rescripto judicari non potuisse aut damnari. Quod ipsum habet locum etiam in Antiocheno Patriarcha, & cunctis autocephalis Primatibus. Quòd prima de his damnandis instantia spectet ad Apostolicam Sedem ex Apostolico Canone, est suprà demonstratum. Verùm quòd omnes Apostolicarum Ecclesiarum Episcopi sint olim isto jure gavisi, nullo nititur fundamento. Nam & Colossensis apud Phryges Ecclesia fuit Apostolica: Et tamen ejus Antistes, quòd dumtaxat Provincialis esset, non solùm ab Ephesino Asiaticæ Diœceseos Exarcho, sed etiam à proprio Metropolita potuit degradari. Est res extra dubium.

Hinc quæstio est, Cur ergo Julius istud jus adscribat etiam Marcello Ancyrano? D. Archiepiscopus respondet: *Magna erat per istas temperates dignitas Ecclesiarum Apostolicarum, id est, earum Ecclesiarum, quas Apostoli fundaverant, Alexandrinæ nimirùm, Antiochenæ, Ephesinæ, Ancyranæ, quæ erat Metropolis Galatiæ, Corinthiensis in Achaja, Thessalonicensis in Macedonia, in primis verò Romanæ, quam Principes Apostolorum suo sanguine consecrarant. Quamobrem cùm ageretur de causa Athanasii Episcopi Alexandrini, & Marcelli Ancyrani in Galatia, quorum Ecclesiæ erant Apostolicæ, æquum prorsùs videbatur, ut accusatio adversùm eos instituta judicaretur ab Episcopis Occidentis & Orientis.* Respondeo aliud esse Apostolicam Ecclesiam, aliud Apostolicam Sedem. Hæ sunt dumtaxat tres: Romana, Alexandrina, Antiochena. Et harum dumtaxat duarum Episcopi, dum ad criminale judicium postularentur, gaudebant isto prævio relationis jure. Etiam Heracleensis, Ephesinus, & Cæsareensis apud Cappadoces: propter autocephalam Exarchiam. Ancyranum constat Cæsareensi semper subfuisse, ideoque & ab illo sine prævia ad Papam relatione potuisse damnari. Et lucidè Julius aliter de Athanasio, aliter loquitur de Marcello. Et sui pro ipso Rescripti dat aliam causam: *Marcelli fides confessioque Nicææ spectata est, cum Arianis contradiceret.* Exponit in factæ ad Julium appellationis, apud Sanctum Epiphanium exstante, libello ipse Marcellus: *Cùm nonnulli ex iis, qui quod parùm integrè de fide sentirent, antè condemnati sunt, quique à me in Nicæna Synodo convicti sunt, contra me ad Pietatem tuam scribere non dubitaverint, me non rectè nec cum Ecclesiæ doctrina consentaneè de fide statuere, ut crimen suum in me transferrent, propterea necessariò Romam mihi veniendum putavi.* Et in litteris ad suos Monachos Magnus Athanasius: *Nulli non constat Eusebianos à Marcello de hæresi reprehensos, hæreseos recriminationem pro talione illi vicissim impegisse, seque hominem in exilium ejecisse.* Marcellum ergò, ejusque zelum & rectam fidem singulari elogio probarat Nicæna Synodus: Hinc hujus de illo judicium censuit Julius sine prævio Apostolicæ Sedis adsensu non potuisse retractari.

Lib 71. c. 7.

Quartus error est in his verbis: *Quod si post judicium Orientalium querela manifestæ oppressionis deferretur ad Synodum Occidentalium, tum retractandum esse negotium in Concilio Occidentalium & Orientalium. Undè constat in ea Epistola non agi de appellatione, sed de prima tantùm causæ cognitione, seu revisione.* Et in his: *Verùm longè aberant ab opinione eorum, qui nostra ætate tractarunt de controversiis fidei, qui pronuntiant appellationes Episcoporum Orientalium judicandas esse apud urbem Romam à Summo Pontifice.* Respondeo hunc ipsum sensum tunc omninò fuisse Julii Pontificis, Episcoporum Occidentalium, & omnium ubivis orthodoxorum. Etenim se non ad generalem Synodum, sed ad Julium Pontificem provocasse testatur assiduè ac disertè Magnus Athanasius. Et de Marcello scribit ad suos Monachos: *Ille autem Romam profectus se innocentem docuit, & ut jussus ab illis fuerat, scripto suam fidem reddidit.* Et ejus apud Sanctum Epiphanium appellatorius libellus dirigitur ad solum Julium *Beatis-*

simum Collegæ Julio Marcellus in Christo salutem. Et post edictas Eusebianorum in se injurias prosequitur: *Propterea necessariò Romam mihi veniendum, & te commonendum putavi, ut eos, qui contra me scripserunt, accerseres, & cùm advenissent, à me convincerentur.* Non plenam Ecclesiæ totius Synodum, sed solos suos damnatores rogat citari Romam, è Judicibus demutari in accusatores, & sic cum ipsis confligere coram solo Pontifice, & ab ipso solo judicari. Quod ipsum pluribus testimoniis est suprà demonstratum, ac infrà demonstrandum. Julius quidem ad dirimendas hasce causas convocavit generalem Synodum: Quòd nempè tanta cunctæ Orientalis Ecclesiæ turba censeretur aliter vix componenda. Ast quia Eusebiana factio adesse noluit, suo jure & antiquo more perrexit ille, & omnes appellantes Episcopos in suæ Provinciæ Synodo solus reparavit. Nec dumtaxat revisio fuit, sed Canonica appellatio. Etenim priores Judices demutavit in accusatores, & peperit effectum plenè suspensivum. Pergit enim in Epistola Pontifex: *Qui sunt qui contra Canones agunt, nosnè qui cum tantis rerum documentis Athanasium recepimus, an qui solùm ad triginta sex suffragia eorum, qui Antiochiæ fuerunt, externum hominem Episcopum salutarunt, eumque militari manu Alexandriam deduxerunt? Quod ne tunc quidem factum est, cùm Athanasius in Galliam ablegaretur. Quod tum haud dubiè factum fuisset, si pro verè damnato habitus fuisset.* Eusebianam factionem arguit, quòd appellantem Athanasium habuisset pro degradato, atque ita in ejus locum intrusisset Georgium Cappadocem: Hoc est, quòd suum de Athanasio judicium ob interjectæ appellationis reverentiam ab executione non suspendisset. Etenim degradatoria Orientalium Synodorum præsertim de Patriarchis judicia usque ad Romanam confirmationem semper fuerunt suspensa, nec ad novam creationem potuerunt procedere, licèt isti non appellassent. Judicium referri debuit, relatio suspendit ipsum, & sola Apostolica ad istam rescriptio hoc firmavit. Insigniter hoc docet Antiochenæ, quæ Paulum Samosatensem degradavit, Synodi ad Dionysium Papam relatio: *Illum igitur tam Deo adversarium, tamque contumacem, eramus coacti Ecclesia & fidelium congregatione interdicere, excludereque, & alium Episcopum in ejus locum substituere.* Utique Domnum. Adfirmant sese ad utrumque fuisse coactos: Quòd nempè sine coactivis rationibus neutrum potuissent. Ex quo vides Sardicensem Canonem, qui in appellantis Episcopi thronum vetat imponi alium, non esse novum jus, sed antiquum Ecclesiæ morem. Item vides convinci errorem, quo D. Archiepiscopus adfirmat Synodalium judiciorum revisionem non à Romano Episcopo, sed ab Augusto Principe usque ad Sardicense Concilium fuisse petendam atque petitam. Quæ de Maximi Cynici Romana appellatione movet D. Archiepiscopus, sunt alibi explanata.

Eluci-

Elucidantur alia Exempla.

DE Cyrillo Hierosolymæ Episcopo, per Acacium Luscum suum Metropolitam Cæsareensem damnato, scribit Socrates: *Cyrillus simul atque de gradu esset dejectus, appellationis libello ad eos, qui ipsum dejecerant, misso ad majores Judices provocavit. Cui quidem appellationi Constantius Imperator est suffragatus. Atque à Cyrillo solo & primo, perinde ac si res apud Laicos Judices ageretur, contra Canonis Ecclesiastici consuetudinem est provocatum.* D. Archiepiscopus commentatur: *Undè colligere possumus nondum receptum ea ætate fuisse appellationem à minori Synodo ad majorem, neque à Provinciali ad Patriarchalem. Nam Concilium Antiochenum, quod novemdecim antè annis collectum fuerat, quam Seleuciense haberetur, non tribuebat facultatem appellandi ab una Synodo ad aliam. Unica ei mens fuit præscribere, quandonam depositio Episcopo liceret Principis Rescriptum ad majus Concilium impetrare ad obtinendam revisionem, quæ primos Judices non vetabat secundo judicio interesse. Nihilominùs Cyrillus simpliciter appellavit ad majus Concilium, appellationemque suam primis Judicibus denunciavit, cùm mos postulare videretur, ut Rescriptum Principis impetraret. Expostulatio itaque adversùs eum facta ei prorsùs similis est, quæ adversùs eum fieret, quem Parlamenti Consultum damnasset, si is scripto provocaret, Judicibusque appellationem suam denunciaret, qui potiùs sibi pro judicio deberet impetrare litteras Cancellariæ quas vocant, & proposita erroris exceptione. At Cyrillus ultrà progressus est. Nam præter innovationem ab eo introductam Rescriptum quoque Constantii obtinuit, secundùm morem, quo causa eadem retractari jussa in Concilio Seleucienſi, cujus auctoritate restitutus est Cyrillus. Hunc autem Socratis locum explicare placuit, quòd vir eruditissimus ejus sensum non benè ceperit, ut neque Canonis Antiocheni.* Notat D. Cardinalem Perronium.

Lib. 2. cap. 32.

Lib. 70. cap. 2.

Respondeo hæc sibi mutuò non cohærere. Etenim si Patriarchalis aut alia quævis major Synodus minoris judicium tunc retractare non poterat, quomodo Princeps retractandum delegabat? Sacras enim delegationes sacris Canonibus deservire debuisse, & non potuisse adversari, est nimis exploratum. Sacri igitur Canones omninò permittebant, immò & jubebant istam, dum à damnatis Episcopis postularetur, retractationem. Et quia ipsam Metropolitæ, ac præsertim Patriarchæ potentia & iniquitas quandoque morabantur, quandoque etiam opus fuit refugio ad Principem, ac sacro ipsius Rescripto. Insigniter hoc lucet ex longorum fratrum, quos consutis calumniis oppresserat Alexandriæ Patriarcha Theophilus, ad Sanctum Joannem Chrysostomum precibus: *Pater, nos non utcumque vulneratos Theophili Papæ vesania curare stude, si tamen valueris nostrorum tumoribus vulnerum adducere cicatrices. Nam si ipse quoque nos despicis, juxta Episcopos reliquos, nihil jam superest nobis, nisi ut profecti ad Imperatorem, ipsius opera pessima ad injuriam Ecclesiæ publicemus. Itaque si opinionis Ecclesiasticæ tibi cura est, persuade illi, ut nobis permittat in Ægypto remorari.* Habes hæc in Dialogo Palladii Helenopolitani Episcopi cum Theodoro Diacono Romanæ Ecclesiæ. Non tantùm à suo Patriarcha Theophilo damnati, sed insuper à cunctis ubique Episcopis, illius potentiam & consuetas violentias metuentibus, deserti erant optimi Monachi: Et tamen antequam ad sacra Rescripta perfugiant, Regiæ civitatis Episcopum, qui Theophilum timere non debebat, Joannem censuere tentandum, & invocandum ut mediatorem. Quoniam istud perfugium erat Ecclesiæ injuria ac ignominia. Et hinc in Apologia ad Imperatorem Constantium, de occultis cum fratre suo Constante machinationibus accusantem, scribit Magnus Athanasius: *Profectus sum Alexandria, non ad castra fratris tui, aut alium quempiam, sed Romam dumtaxat, me meaque Ecclesiæ commendaturus.* Adfirmat se sua Sede denuò ejectum, non ad sacra Rescripta, sed ad solam Apostolicam Sedem provocasse & accessisse. Purgat se adversùs duodecimum Canonem Antiochenum, quem certum est prodiisse in odium Athanasii. Adfirmat se non Constantis Augusti auribus fuisse molestum, sed conversum ad majorem Synodum, utique Synodum Romanæ Ecclesiæ. Et revera Sardicensem Synodum non Athanasius à Constante Augusto flagitavit, sed Papa Julius. Quare insignem lapsum continent hæc D. Archiepiscopi verba: *Concilium Antiochenum non tribuebat facultatem appellandi ab una Synodo ad aliam.* Etenim lucidus est Concilii textus: *Si quis à Synodo fuerit damnatus Episcopus, & Imperatoris auribus molestus exstiterit, oporteat ad majus Episcoporum converti Concilium.* Eusebiana factio fuit zelosissima Patriarchicæ auctoritatis. Et istum Canonem firmavit Constantinopolitana Synodus, mandans damnatum à suæ Provinciæ Synodo Episcopum appellare ad Patriarchalem, & non nisi post hujus judicium recurri ad Sacra Rescripta, & generalem Synodum postulari. Generalem Synodum censuit sine Principis adsensu non cogendam. Et hoc est unum è capitibus, ob quæ istos Canones non admisit Romana Ecclesia. Etenim generalem, ad quam Eusebianos citavit, Romanam Synodum sine facta ad Principem relatione indixerat Julius. Et licèt hanc libertatem obtinere vix potuerit Apostolica Sedes, illi tamen adversos Græcorum Canones numquam admisit. Censuit Canonis nomine indignos. Adversùm istas Principum delegationes plurimæ sunt, non tantùm Romanorum

C. 7.

manorum Pontificum, sed & quorumvis Episcoporum querimoniæ & contradictiones. Et hinc patet, quòd D. Archiepiscopus pessimè adserat ipsarum olim jus competiisse Augustis Principibus: Quòd pessimè adserat solam istius Augusti juris communionem fuisse Romano Episcopo à Sardicensi Concilio impartitam.

Porrò Socrates plura frequenter & varia compendio concludit: Et quàm ejus compendia sint quandoque inconcinna, docent ea quæ scribit de secundo Canone Constantinopolitano. Canonem cum penitus disparata magni Theodosii lege confundit. Eodem hic modo tractat Cyrilli delictum. Videtur Cyrillus à suæ Provinciæ Synodo damnatus confugisse ad Augustum Constantium, atque ita impegisse in duodecimum Canonem Antiochenum: Et quidem omnium primus. Videtur intra Orientem primus feciſſe, quod primi in Occidente fecerunt Donatistæ, de quibus ad se appellantibus scripsit Magnus Constantinus: *Perquirunt sæcularia judicia, relinquentes cœlestia. O rabida furoris audacia. Sicut in causis gentium fieri solet, appellationem interposuerunt. Etenim gentes minora interdum judicia refugientes, ubi justitia deprehendi potest, magis ad majora judicia, auctoritate interposita, se conferre sunt solitæ. Quid hi detractores legis, qui renuentes cœleste judicium, meum putaverunt postulandum, sic sentire de Christo Salvatore?* Eos arguit, non quod majorem Synodum, sed quod majorem Judicem, ipsum nempè Principem, gentili more postulassent. Nam quòd non ad Principem, sed ad generalem Synodum debuissent provocare, scribit etiam Sanctus Augustinus. Eosdem, quod non more Ecclesiastico tamquam Episcopi, sed forensi ritu tamquam Caussidici agerent in Carthaginensi Collatione, in hujus Breviculo arguit. Hoc forensi more non ad majorem Synodum, sed ad ipsum Principem videtur appellasse etiam Cyrillus, & Imperator Constantius, omnia Divina consuetus tractare in Palatio, profanam appellationem admisisse. Nam & ad Thraciæ Episcopos dudum

Ep. 96.

posteà scripsit Magnus Leo: *Tanta sæculi Potestates circa Sacerdotalem Ordinem reverentia prævaluere. Etiam hi, quos sub Imperiali nomine terris Divina Potentia præcepit, ut jus distinguendorum negotiorum Episcopis Sanctis juxta Divalia Constituta permiserint. Quod cum & juris antiqui formulis, & illibatis frequentiùs sit legibus confirmatum, præsenti tamen tempore à plerisque invenimus fuisse calcatum. Nam prætermisso Sacerdotali judicio, passim ad examen sæculare transiere. Quocircà nobis visum est, ut hanc & sacræ Legis, & nostri Ordinis contumeliam & ad præsens ulcisceretur plena districtio, & observandam formulam constitueret in futurum. Censemus itaque, ut quicumque prætermisso Sacerdote Ecclesiæ suæ, ad disceptationem venerit sæcularium, sacris liminibus repulsus, à cœlesti arceatur Altari.* Adeò Cyrillus intra Orientem, licèt fuerit primus in hac audacia, non fuit ultimus. Quidquid sit, & Romanas & Patriarchales appellationes lucidè agnoscit ac profitetur Socrates: Singularis hic ipsius locus non debet nos morari.

Pergit D. Archiepiscopus ad Occidentalem Ecclesiam. *Necdum etiam recepti erant Canones Sardicenses ætate Innocentii primi. Jus enim, quod ille vindicat sedi suæ, prorsus petit à Canonibus Synodi Nicænæ, quorum sensum quoad jura Romani Pontificis in Occidente primus ille aperuit in Epistola ad Victricium Rothomagensem Episcopum.* Et infrà: *Concilia Provincialia, quorum suprema erat auctoritas quoad depositionem Episcoporum, adeò ut nondum ea tempestate esset in Occidente permissa provocatio, relationes tamen interdum suas mittebant ad Sedem Apostolicam, quibus continebantur ea, quæ adversùs Episcopum dejectum decreta fuerant. At Innocentius primus, audaciæ subsidium à dignitate sedis suæ petens, atrox vulnus inflixit auctoritati Synodi Macedoniæ, cujus judicium retractavit in causa Bubalii & Tauriani, ab ea Synodo damnatorum. Id ægrè tulerunt Episcopi per Macedoniam constituti, qui de ea novitate apud Innocentium questi sunt. Quid faceret Summus Pontifex? Erat hic sanè locus proferendi auctoritatem Canonum Sardicensium, si tunc illi in usu fuissent: Nec sanè eos omisisset Pontifex. Sed neque Concilium Nicænum laudavit: Quod tamen non omisisset, si Canone aliquo Synodus illa Romanæ Sedi jus tribuisset retractandi judicia Provinciarum. At fortasse attulit consuetudinem Antecessorum suorum, quemadmodum ab eo usurpatum videmus in plurimis occasionibus? Non ità sanè. Solam ergò æquitatem prætendit, aiens veritatem magis splendescere cùm exagitatur, fructumque Divinum esse, cùm veritas sæpè examinatur.* Adducit hæc Innocentii verba: *Grave non oportet videri pusillis mentibus vestris, cujuscumque retractari judicium. Quia veritas exagitata sæpiùs, magis splendescit in luce, & pernicies revocata in judicium, & gravius & sine illius, qui primus judicavit, pœnitentia condemnatur. Nam fructus Divinus est justitiam sæpiùs recensere.* Pergit in sequenti capite: *Primus omnium Zozimus Papa Canones Sardicenses protulit, contenditque ut in Occidente vim legis obtinerent. Arbitror autem id eum consilii cepisse, quòd Honorius & Arcadius Imperatores paulò ante objecissent jus concedendi Rescripta pro retractando judicio Episcoporum depositorum. Existimavit itaque Zozimus gratum Episcopis futurum, si revisiones non omninò abolerentur, sed contra decernerentur auctoritate Sedis Apostolicæ.*

Lib. 7. c. 12.

Cap. 14.

Errores varii. Primus est, quòd Romani Imperatores unquam habuerint jus Sacrarum delegationum, seu concedendorum Rescriptorum pro retractandis damnatorum Episcoporum Synodalibus judiciis. Quis enim Evangelista, quis Apostolus, quis Apostoli Discipulus, quæ Synodus istud jus impartivit, probavit, aut laudavit? Certè inter crimina, quæ Sancto Hieronymo improperavit Ruffinus Presbyter, fuit & hoc: *Quando Papæ Theophili sententiam sequi cœpisti, eique fidei communione sociatus es? Tunc credo, quando Paulum, quem ille damnaverat, summo nisu & omnibus studiis defendebas, quando eum per Imperiale Rescriptum recipere Sacerdotium, quod Episcopali judicio amiserat, instigabas.*

L. 2. c. 5. *bas*. Et vocalis Hieronymus hoc unum ſcivit reponere: *Non priùs pro me reſpondebo, quàm de aliorum injuriis loquar. Cujus eſt humanitatis, cujuſve clementiæ, inſultare aliorum miſeriis, & vulnera cunctis aliena monſtrare? Si Papæ Theophili ſententiis delectaris, & nefas putas Pontificum Decreta convelli, quid de cæteris dicis, quos ipſe damnavit? Nec hoc dico, quòd de Epiſcoporum ſententiis judicem, aut eorum cupiam Statuta reſcindi, ſed quòd unuſquiſque ſuo periculo faciat, quod ſibi videtur*. Hæc altè clamant nullum Auguſtis Principibus fuiſſe jus: Fuiſſe uſurpatam, & ab omni Eccleſia damnatam violentiam, cujus impetrandæ conſilium nemo niſi clandeſtinè, & ſuo periculo poterat agitare. Notà hic Dominum Marianum Victorium, Epiſcopum Reatinum, qui per Paulum exiſtimat à Sancto Hieronymo intelligi Paulinum Antiochiæ Patriarcham, palàm deviare. Etenim Alexandrinus Patriarcha nequiit degradare Antiochenum. Et quòd Theophilus Paulino numquam adverſatus fuerit, lucet ex Actis Synodi Capuanæ. Et Paulinus, quòd Romana Eccleſia ipſius communionem foveret, à nulla unquam Orientali Synodo fuit damnatus. Iſte igitur Paulus fuit neſcio quis Ægypti Epiſcopus.

Secundus error eſt, quòd iſtam Reſcriptorum ſeu Sacrarum delegationum violentiam primi depoſuerint Arcadius & Honorius. Etenim Jacobus Sirmondus vulgavit Gratiani ac Valentiniani ſecundi ad Aquilinum Vicarium Divale Reſcriptum, quod Urſicinum Sancti Damaſi Anti-Papam in Agrippinam Coloniam, & ejus congerrones Epiſcopos relegat in alias civitates, omnem deinceps degradatum Epiſcopum mandat exulare ad centum millia paſſuum à ſua amiſſa Cathedra, & adjungit: *Volumus ut quicumque judicio Damaſi, quòd ille cum conſilio quinque ve ſeptem habuerit Epiſcoporum, vel eorum qui Catholici ſunt judicio vel concilio condemnatus fuerit, ſi injuſtè voluerit Eccleſiam retentare, ut qui evocatus ad Sacerdotale Judicium per contumaciam non iviſſet, aut ab Illuſtribus viris Præfectis Prætorio Galliæ atque Italiæ, ſive à Proconſulibus, vel Vicariis, auctoritate adhibita, ad Epiſcopale judicium remittatur, ut ad urbem Romam ſub proſecutione perveniat, aut ſi in longinquioribus partibus alicujus ferocitas talis emerſerit, omnis ejus cauſæ dictio ad Metropolitæ in eadem Provincia Epiſcopi deducatur examen, vel ſi ipſe Metropolitanus eſt, Romam neceſſariò, vel ad eos, quos Romanus Epiſcopus Judices dederit, ſine dilatione contendat*. Criminales Epiſcoporum cauſas deinceps non per Divalia Reſcripta delegari mandat, ſed cogi ad ordinarios Judices: Sancit ut Prætoriorum Præfecti, Proconſules, & ipſorum Vicarii hæc ſtrenuè exſequantur. Deſumpſit verba ex factis ad ſe à Romana Damaſi Synodo precibus, ipſa inſeruit ſuo Reſcripto, & impartivit auctoritate legis. Verùm nec Arcadius, nec Honorius ſunt pietatem proſecuti. Quis enim neſciat, quòd Theophili Alexandrini Patriarchæ cauſam Sancto Joanni Chryſoſtomo, & hujus cauſam illi delegarit Arcadius, manifeſtè contra Nicænos Canones? Et ad Quintianum Presbyterum ſcribit Sanctus Auguſtinus: *Plebs Vegeſilitana, ſi Epiſcopum in plenario totius Africæ Concilio degradatum ſuſcipere noluerit, ſano capite faciet, & nec cogi poteſt, nec debet. Et quiſquis eam violenter coegerit, oſtendet qualis ſit, & qualis antè fuerit, quando de ſe nihil mali credi volebat, faciet intelligi. Nullus enim ſic proditur, qualem cauſam habuerit, quàm ille, qui per ſæculares Poteſtates, vel quaslibet violentias, cum perturbatione & querela conatur recipere honorem, quem perdidit. Non vult enim volenti Chriſto ſervire, ſed Chriſtianis nolentibus dominari*. Nempè degradatus ille Epiſcopus ab Honorio Auguſto Sacrum Reſcriptum, & à delegatis per ipſum Judicibus victoriam obtinuerat, atque ita volebat violenter redire in ſuam Eccleſiam. Sacræ delegationes ſunt violentia ſemper damnata per Eccleſias, & ſemper graſſata. Ep. 235.

Tertius error eſt, quòd Zozymus Papa Sardicenſes Canones protulerit propter ſacrarum delegationum factam à quovis Principe ceſſionem, & ad gratificandum damnatis Epiſcopis per aliquod reſiduæ reviſionis remedium. Eſt inſignis fabula. Iſtos namque Canones Zozymus protulit ex occaſione Apiarii, Siccenſis in Mauritania Presbyteri, qui à ſuo Epiſcopo damnatus Romam appellarat, atque à Zozymo fuerat reparatus. Hinc enim tamquam cicadæ aliscorreptæ ebullierunt omnes Afrorum Epiſcopi, proteſtantes violari antiquiſſimam & probatiſſimam Africanæ Diœceſeos conſuetudinem, quæ inferiorem Clerum ſemper excluſit à Romana appellatione, & Primatialis Synodi judicio juſſit eſſe contentum. Hinc factum ſuum purgaturus ac firmaturus Zozymus protulit Canones Sardicenſes, adfirmans eſſe Nicænos: Adfirmans hos *leſſe* Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos, ideoque ipſis adverſam conſuetudinem eſſe corruptelam. Nec ipſos ex latebris produxit, ſed ex Romanæ Eccleſiæ archivis. Etiam ex conſueto Anteceſſorum more titulavit Nicænos. Quod à Principibus ceſſum delegandæ reviſionis remedium non penitùs exſtingui, ejus poteſtatem transferre in Sedem Apoſtolicam, atque ita degradatos Epiſcopos ſolari voluerit Pontifex, credat Judæus Apella.

Quartus error eſt, quòd Innocentius primus non agnoverit, aut in ſuis judiciis non uſitarit Sardicenſes Canones. Etenim quòd ipſe Sancti Joannis Chryſoſtomi appellationem direxerit per iſtos Canones ac judicarit, ſuprà oſtenſum eſt, ac res ipſa clamat. Appellationi ſuſpenſivum effectum dedit, ipſum admiſit ut Epiſcopum, novum ipſi Epiſcopum ſuperordinari noluit, ſuperordinatum Arſacium damnavit ut intruſum, Laicaque etiam communione privavit, & ſapientiſſimo ſuo arbitrio voluit cauſam in generali Synodo retractari. Et Actorum ſuorum rationes daturum Theophilum eò citavit. Et ad eundem Theophilum, qui ex Antiochenis Canonibus damnarat Joannem, reſcripſit: *Si conſcientiæ confidis, tu quoque judicio accurre ad Synodum proximè in Chriſto celebrandam, & illic juxtà Nicæni*

æni Concilii Canones & Decreta contende. Alios quippè Canones Romana non admittit Eccleſia. Exſtat Epiſtola in Dialogo Palladii Epiſcopi Helenopolitani. Et per Nicænos Canones omninò intelliguntur Sardicenſes. Quis enim Nicænus Canon appellatos Romam Patriarchas aut alios Epiſcopos demutat ex judicibus in reos, & mandat ad indictam à Pontifice Synodum accedere? Antiqua quidem Eccleſiæ conſuetudo id habet, at ipſam nullus Nicænus Canon confirmavit, confirmans autem Sardicenſis eſt manifeſtus. Et quid opus multis? Adversùs Antiochenum, quo uſus in Joannem Theophilus, Canonem dicit ibidem Palladius: *Et iſta quidem regula, ut nequam & à nequiſſimis edita, in Sardicenſi Concilio à Romanis & Italis, Illyriciſque & Macedonibus, & Græcis, ut ipſe meliùs noſti, optime Theodore, eliminata eſt*. Utique per tertium, quartum, & quintum Canones Concilii Sardicenſis. Optimus ille Theodorus erat Romanæ Eccleſiæ Diaconus, ideoque ad ipſum dicit Ponticæ Diœceſios Epiſcopus Palladius: *Ut ipſe meliùs noſti*. Quòd nempe iſti Canones Occidentalibus, quàm Orientalibus Eccleſiis eſſent notiores & chariores. Apud Nicephorum Calixtum exſtat alia ejuſdem Sancti Innocentii ad Clerum & populum Conſtantinopolitanum Epiſtola, de Arſacii in Joannis thronum intruſione hæc ſcribens: *Numquam ſanè Patres noſtros talia auſos fuiſſe, ſed potiùs vetuiſſe cognovimus, ne cui in locum viventis per conſecrationem aliud conſtituendi ſit poteſtas. Minimè enim conſecratio ſeu electio reproba honorem adimere Epiſcopo poteſt: Quandoquidem neque Epiſcopus ille eſſe poteſt, qui iniquè ſubſtituitur. Quoniam hæc contra Canonum obſervantiam ſunt. Canonibus porrò obſequendum eſſe ſcribimus, qui Nicææ ſunt decreti, quos ſolos confiteri decet Eccleſiam Catholicam, & juxtà illos judicare*. Quis Nicænus Canon vetat appellanti Epiſcopo ſuperordinari alium? Omninò nullus. Manifeſtè autem id vetat ex vetuſta Eccleſiæ conſuetudine quartus Sardicenſis. Hinc Antiochenos non ſequendos, ſed damnandos adſerit denuò Pontifex, & adjungit: *Quemadmodum antèà in Sardicenſi Concilio ab Epiſcopis, qui nos præceſſerunt, factum eſt*. Quin & ad Damaſum Pontificem ſcripſit univerſa Conſtantinopolitana Synodus: *De adminiſtrationibus, quæ cujuſque Eccleſiæ ſunt propriæ, cùm vetus, uti noſtis, lex obtinuit, tum ſanctorum Patrum in Nicæno Concilio Deciſo, ut videlicet ſingularum Provinciarum Antiſtites unà cum finitimis, modò ipſis ita viſum fuerit, Epiſcopis Miniſtros ad Eccleſiarum commodum in ſuis ipſorum Provinciis ordinent*. Quis Nicænus Canon ſuadet aut permittit, ut ad peragendam Epiſcopi conſecrationem, dum in propria Provincia defuerint, invitentur Epiſcopi finitimæ Provinciæ? Profectò nullus. Id verò ſuadet atque permittit ſextus Sardicenſis. Apud quoſdam eſt quintus. Nec deſunt alia teſtimonia, quæ altè clamant Sardicenſes Canones non ſolùm Romanæ & omni Occidentali, ſed & toti Orientali Eccleſiæ fuiſſe tunc notiſſimos, uſitatos, & comprehenſos ſub Nicænis. Hinc enim ſuum cap. 7.

Lib. 13. c. 32.

ſecundum partim ex iſtorum ſexto, partim ex ſexto Nicæno formavit, atque exinde Sancto Damaſo commendavit Synodus Conſtantinopolitana.

Quintus error eſt, quod uſque ad primi Innocentii Pontificatum Synodalia Occidentalium Provinciarum judicia fuerint ſuprema atque inappellabilia. Plura enim jàm adducta exempla contrarium demonſtrarunt. Et hinc in ſua Romana Synodo ſtatuit Sanctus Damaſus Pontifex: *Certè ſi vel Metropolitani, vel cujuſque alterius Sacerdotis ſuſpecta gratia vel iniquitas fuerit, vel ad Romanum Epiſcopum, vel certè ad Concilium quindecim Epiſcoporum finitimorum liceat provocari*. Quem Canonem per datas ad Aquilinum Vicarium Divales litteras confirmarunt Gratianus & Valentinianus Auguſti, & addiderunt: *Modò ne poſt examen habitum, quod definitum fuerit, integretur*. Non nova ſibi donari, ſed avita, per Anti-Papæ Urſicini ſchiſmaticas violentias læſa jura Apoſtolicæ Sedi dumtaxat reparari poſtularat Damaſus, Romanaque Synodus & laudati Principes confirmarunt. Apoſtolicæ Sedi adversùs Urſicinum fecerunt iſtud ipſum, quod Alexandrinæ Cathedræ adversùs Meletianam factionem olim fecerat ſextus Canon Nicænus.

Adducta per Gratianum ac Valentinianum appendix ſancit deductis in rem judicatam, præſertim ſi per Apoſtolicam Sedem retractata & confirmata fuerint, Provinciarum judiciis ſervari reverentiam: Sancit retractatoria judicia eſſe maturiſſima, & non iterari. Et ex hoc principio Macedones Epiſcopi reclamarunt adversùm Innocentii primi Acta pro Bubalio ac Tauriano. Lucet ex Epiſtolæ verbis jam laudata ſubſequentibus: *Verùm illud video moviſſe animos veſtros, quòd in multis Bubalius ſæpè fallaciis deprehenſus, objecerit exemplaria factarum quaſi à nobis litterarum, cum pro conſuetudine hominis nihil, quod proferret, jam fide digniſſimum videretur. Sed ſileatur omne jam de tali negotio murmur, & convicti diaboli ipſi anhelitus comprimantur. Subjunximus autem his priores, quas per Epiſcopos miſeramus, quibus ita plenaria ſenſuum noſtrorum ſententia deſignata eſt, ut dum relegeritis, nihil requirendum in hac cauſa de cætero reperiatis*. Et in ſuæ Provinciæ Synodo, & in retractatorio appellatæ apud Apoſtolicam Sedem cauſæ judicio damnati Bubalius ac Taurianus finxerunt, aut per obreptionem obtinuerunt contrarias litteras, quibus Pontifex ipſorum cauſam adhuc retractandam aut ſibi reſervabat, aut aliis delegabat. Et ita illi ſuam Provinciam acriter vexarunt, & compulerunt ad graves de Pontifice querimonias. Nec enim Theſſalonicenſium Metropolita, & Innocentii per Illyricum Vicarius Rufus de admiſſa appellatione, ſed de ſæpiùs retractata cauſa, & ſæpiùs auditis frivolè appellantium fallaciis fuit queſtus. Hinc ſe purgans Pontifex nec Nicænos, nec Sardicenſes adduxit Canones, ſed ſolam æquitatem. Quòd nempè iterata retractatio ad gratiam, non ad juſtitiam ſpectet, ideoque nullo Canone, ſed ſola nitatur æquitate.

Sextus error est in his verbis: *Relationes tamen interdum suas mittebant ad Sedem Apostolicam, quibus continebantur ea, quæ adversùs Episcopum dejectum decreta fuerant.* Est atrox in Occidentales Episcopos injuria. Præsertim in Gallicanos. Etenim ad Viennensis Provinciæ Antistites scribit Magnus Leo: *Nobiscum vestra Fraternitas recognoscat Apostolicam Sedem pro sui reverentia à vestræ etiam Provinciæ Sacerdotibus esse innumeris relationibus consultam, & pro diversarum, quemadmodum vetus consuetudo poscebat, appellatione causarum aut retractata aut confirmata fuisse judicia.* Ampliat hæc, & adversùs Hilarium Arelatensem Metropolitam adjungit: *Hunc tramitem semper inter Majores nostros bene tentum, & salubriter constitutum Hilarius, Ecclesiarum statum & concordiam Sacerdotum turbaturus novis præsumptionibus, excessit.* Magnus hic Pontifex adfirmat ex unica Galliæ Provincia innumeras ad Apostolicam Sedem fuisse factas relationes & appellationes, istius Provinciæ de appellatis causis judicia fuisse Romæ aliquando reformata, aliquando confirmata, hanc esse veterem consuetudinem, & salubriter constitutum Majorum tramitem, Chelidonii Vesontionensis & Projecti in nescio qua civitate Episcopi appellationes susceptas ex hac regula, Hilarii de utroque judicium cassavit, & utrumque plenè reparavit. Et ecce D. Parisiensium Archiepiscopus scribit Romanas Occidentalium Episcoporum relationes dumtaxat interdum missas, & appellationes usque ad primum Innocentium non fuisse permissas. Imitatur Hilarium: *Majorum salubriter constitutum tramitem, Ecclesiarum statum, & Sacerdotum concordiam novis præsumptionibus turbat.* Ad Sanctum Cælestinum Pontificem scribit etiam Sanctus Augustinus: *Existat exemplo, ipsa Sede Apostolica judicante, vel aliorum judicata firmante, quosdam pro culpis quibusdam nec Episcopali spoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos. Quæ ut à nostris temporibus remotissima non requiram, recentia memorabo.* Adfirmat ac variis exemplis demonstrat Africanos è quavis Provincia Episcopos semper appellasse Romam, & Africana de ipsis judicia fuisse per Apostolicam Sedem liberrimè retractata, confirmata, mitigata, exsufflata. Quod ipsum de Hispanis, Illyricianis, ac aliis Occidentalibus Provinciis possit demonstrari.

Ep. 89 cap. 2.

Ep. 261.

Hæc Magni Leonis adversùm Hilarii Arelatensis insolentias & in ipsis contumaciam Acta memorat D. Archiepiscopus etiam in alio loco, & commentatur: *Intellexit Leo difficilem in Gallia fore exsecutionem judicii adversùs Hilarium facti, tum ob magnam viri dignationem, ex sanctitatis ejus opinione profectam, tum etiam ob infractos Canones in causa Chelidonii, quæ Romæ fuerat definita. Itaque constitutionem à Valentiniano Augusto impetravit, quæ præcipit ut judicium illud mandetur executioni. Verùm additio, quæ sequitur, magni momenti est. Edicto enim perpetuo inter alia decernitur, quòd si aliquis Episcopus Galliarum, aut aliarum Provinciarum, Romam citatus, Summi Pontificis judicio se sistere recuset, adesse cogatur per Gubernatorem Provinciæ Rescriptum illud non solum ratum esse decernit Decretum in causa Chelidonii factum, sed etiam novum jus introducit adversùs Canones Sardicenses; Episcopo enim Romano tribuit potestatem Episcopos Romam evocandi. Sed Galli existimarunt sic obsequendum esse Pontifici, ut interim nihil detrahatur de auctoritate Canonum Sardicensium.*

Lib. 7. c. 17.

Rursùm errores varii. Primus est in his verbis: *Intellexit Leo difficilem in Gallia fore executionem.* Etenim longè aliud in laudata lege scribit ipse Imperator: *Et erat quidem ipsa sententia per Gallias etiam sine Imperiali sanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis auctoritati in Ecclesias non liceat?* Quousque viguit Romanum Imperium, Gallia fuit Apostolicæ Sedi obedientissima: Episcoporum, qui ejus istic mandatis recalcitrarunt, Hilarius est omninò primus. Quòd Romanarum evocationum prima apud Gallos remora provenerit à Romani Imperii laceratoribus Barbaris, disertè testatur, atque ut miserandam servitutem lamentatur Sanctus Avitus Archiepiscopus Viennensis. Ejusmodi remoras esse non Christi legem, sed Barbarorum consuetudines rectè adseveravit, & suo glorioso sanguine sigillavit etiam Sanctus Thomas Primas Cantuariensis. Et ex ista servitute, uti prima radice, manavit omnis deformatio, quam à Merovingiis Regibus passa fuit Gallicana Christianitas. Undè & hujus apud nos reparator Sanctus Bonifacius ante omnia reparavit Romanam obedientiam: Romanas appellationes ac evocationes liberrimo pede fecit ambulare. Omnis reformationis voluit hoc esse fundamentum. Et illæ ambularunt usque ad versatile Caroli Calvi Regis & Hincmari Remensis Metropolitæ ingenium: De quibus quid senserint habitantes in Germania Franci, edicunt ipsorum Fuldenses Annales. Et omnem illam contumaciam Hincmarus tandem ejeravit. Quàm libero pede Romana appellatio ac evocatio ambularint sub tertia Francorum Dynastia, abundè testantur Sanctus Ivo Carnutensis Episcopus, Goffredus Abbas Vindocinensis, Sancti Dionysii Abbas Sugerius, ac Sanctus Bernardus. Ita ambularunt usque ad Bonifacii octavi adversùs Philippum Pulchrum Regem quæstiones: Immò usque ad Schisma Clementinum. Ex istis fontibus manarunt famosæ, utinam Superis placeant, Gallicanæ Ecclesiæ libertates. Divina miseratio nos Belgas præservet ab ejusmodi servitutibus.

Secundus error est in his verbis: *Ob infractos Canones in causa Chelidonii.* Et in his: *Rescriptum illud introducit jus novum, adversùs Canones Sardicenses. Episcopo enim Romano tribuit potestatem Episcopos Romam evocandi.* Respondeo Rescriptum illud non sancire aliud, quàm quod ad Aquilinum Vicarium rescripserunt Gratianus & Valentinianus secundus: *Volumus ut quicumque judicio Damasi, quod ille cum consilio quinque vel septem habuerit Episcoporum, condemnatus fuerit, si injustè voluerit Ecclesiam retentare, ut qui evocatus ad Sacerdotale judicium per contumaciam non iviſſet, aut ab Illustribus viris Præfectis Prætorio Galliæ atque*

atque Italiæ, sive à Proconsulibus vel Vicariis, auctoritate adhibita, ad Episcopale judicium remittatur, ut ad urbem Romam sub prosecutione perveniat, aut si in longinquioribus partibus alicujus ferocitas talis emerserit, omnis ejus causæ dictio ad Metropolitæ in eadem Provincia deducatur examen, vel si Metropolitanus est, Romam necessariò, vel ad eos, quos Romanus Episcopus Judices dederit, sine dilatione contendat. Sunt Sancti Damasi, & ipsi adfidentis, cui adfuit & Magnus Ambrosius, Romanæ Synodi verba, adversùs rebellem Anti-Papę Ursicini factionem postulata confirmari, & per laudatos Imperatores repetita & confirmata. Hisce vocibus, *Si in longinquioribus partibus*, incluſum temperamentum non ligat manus Pontificis, sed est indulta per ipsum gratia, ejus sapientissimo, per Sardicenses Canones laudato, beneplacito dispensanda. Absit, ut tanta Synodus Sardicenses, quos non minùs quàm Nicænos semper venerati sunt Romani Episcopi, Canones prævaricata sit, & juvenes Principes induxerit ad ipsos prævaricandos. Ipsos adversùm factiosos Ursicini congerrones est exsecuta. Quòd enim quòsvis etiam ex extremo Oriente Episcopos ad Apostolicum tribunal evocandi potestatem Apostolicus Canon impartiat Papæ Romano, ac ipsam omninò firmarit Sardicense Concilium, multis exemplis ac testimoniis est jam demonstratum.

Et hanc veritatem ipsa etiam, Romanarum appellationum atque evocationum inimicissima, Eusebiana factio est professa. Constantem Liberii Pontificis animum infregit tandem, & ad damnandum Athanasium circumscripsit. Adversùs Athanasii à Julio Pontifice & Sardicensi Synodo factam reparationem appellavit ad lapsum Liberium, & impetravit has, in Sancti Hilarii fragmentis custoditas, infelices litteras: *Studens paci & concordiæ Ecclesiarum, posteaquam litteras Charitati vestræ de nomine Athanasii & cæterorum factas ad nomen Julii beatæ memoriæ Episcopi accepi, secutus traditionem Majorum, Presbyteros urbis Romæ è latere meo Alexandriam ad Athanasium direxi, ut ad urbem Romam veniret, & in præsenti id, quod Ecclesiæ disciplina exigit, in eum statueretur. Litteras etiam ad eundem dedi, quibus continebatur, quòd si non veniret, sciret se alienum esse ab Ecclesiæ Romanæ communione.* Hæ litteræ non quempiam Galliæ aut Hispaniæ Provincialem Episcopum, sed ipsum totius Ægypti Patriarcham evocabant ad Romanum tribunal. Et non ad quempiam Italum aut Occidentalem Antistitem, sed ad Romanarum appellationum ac evocationum conjuratam hostem Eusebianam in Oriente factionem constanter scribit Liberius hanc esse *traditionem Majorum.* Nempè lucidissima erat ista traditio, non nisi ad excutiendam Athanasii reparationem negata per factionem istam, ideoque nec lapsus Pontifex duxit tacendam. Et factio, dummodò damnaretur Athanasius, libenter admisit. Proinde absit, ut Leo Pontifex aut tertius Imperator Valentinianus induxerint jus novum. Non infregerunt Sardicenses Canones, sed stabilierunt. Etenim Valentinianus disertè testatur se statuere juxtà *consuetudinem veterem*, & se velle servari omnia, quæ *Divi Parentes sui Romanæ Ecclesiæ detulerunt.*

Tertius error est in his verbis: *Leo constitutionem à Valentiniano Augusto impetravit, quæ præcipit ut judicium illud mandetur executioni.* Et in his: *Rescriptum illud esse ratum decernit Decretum in causa Chelidonii.* Respondeo ipsum Rescriptum longè aliter loqui: *Hilarius Arelatensis contumaci ausu inlicita quædam præsumenda tentavit, & ideò transalpinas Ecclesias abominabilis tumultus invasit, quod recens maximè testatur exemplum. Hilarius enim, qui Arelatensis civitatis Episcopus vocatur, Ecclesiæ Romanæ urbis inconsulto Pontifice indebitas sibi ordinationes Episcoporum sola temeritate usurpans invasit. Nam alios incompetenter removit, indecenter alios invitis & repugnantibus civibus ordinavit. Qui quidem quoniam non facilè ab his, qui non elegerunt, recipiebantur, manum sibi contrahebant armatam, & claustra murorum hostilem in morem vel obsidione cingebant, vel adgressione referabant, & ad sedem quietis pacem prædicaturos per bella ducebant. His talibus & contra Imperii Majestatem, & contra reverentiam Sedis Apostolicæ admissis, per ordinem religiosi viri urbis Papæ cognitione discussis, certa in eum ex his, quos malè ordinaverat, lata sententia est. Et erat quidem ipsa sententia per Gallias etiam sine Imperiali sanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis auctoritati in Ecclesias non liceat? Sed nostra quoque præceptio & ratio probavit, ne ulteriùs vel Hilario, quem adhuc Episcopum nuncupari sola mansueti Præsulis permittit humanitas, nec cuiquam alteri, Ecclesiasticis rebus arma miscere, aut Præceptis Romani Pontificis liceat obviare. Ausibus enim talibus fidei & nostri reverentia violatur Imperii. Nec hoc solum, quod est maximi criminis, submovemus; verùm ne levis saltem inter Ecclesias turba nascatur, vel in aliquo minui religionis disciplina videatur, hoc perenni sanctione decernimus, ne quid tam Episcopis Gallicanis, quàm aliarum Provinciarum, contra consuetudinem veterem liceat sine viri venerabilis Papæ urbis æternæ auctoritate temptare. Sed illis, omnibusque pro lege sit, quidquid sanxerit Apostolicæ Sedis auctoritas, ita ut quisque Episcoporum ad judicium Romani Antistitis evocatus venire neglexerit, per Moderatorem ejusdem Provinciæ adesse cogatur, per omnia servatis, quæ Divi Parentes nostri Romanæ Ecclesiæ detulerunt.* Exponit hæc in laudata ad Viennensis Provinciæ Antistites Epistola ipse Magnus Leo: *Non nobis ordinationes vestrarum Provinciarum defendimus, quod poterit forsan ad depravandos vestræ Sanctitatis animos Hilarius pro suo more mentiri, sed vobis per nostram solicitudinem vendicamus, ne quid ulteriùs liceat novitati, nec Præsumptori locus jam ultra pateat privilegia vestra cassandi. Nostræ enim gratulationi hoc solum crescere profitemur, si Apostolicæ Sedis diligentia apud vos illibata servetur, & per Sacerdotalis disciplinæ custodiam honori vestro perire, quod suum est, pro novis usurpationibus non sinamus.* Apostolicis vicibus, quas Patroclo Arela-

tenſi Epiſcopo per Gallias olim dederat Papa Zozymus, nec non Sancti Trophymi, à quo Arelatenſium primo Epiſcopo adfirmabat Evangelii gratiam illatam Galliæ, meritis fretus Hilarius ſibi adrogabat Primatum per plures Provincias, & ipſarum Epiſcopos prætendebat tamquam Primas & confirmare & conſecrare. A civitatum Clero ac populo electos, ac ab ipſarum Metropolitis confirmatos & conſecratos ejiciebat armata manu, & ſuos eadem violentia intrudebat. Ita non ſolas conſecrationes, ſed & Canonicas Antiſtitum electiones violabat ac invadebat. Et hanc ejus inſolentiam præventura ac evaſura Ebredunenſis, Alpium maritimarum Metropolitana, Eccleſia præcipitanter ſibi elegit Armentarium, & per duos dumtaxat Epiſcopos fecit conſecrari contra Canones, atque ita fecit obnoxium degradationi, inflictæ per Synodum Rejenſem. Hinc item Chelidonium, maximæ Sequanorum Provinciæ Metropolitam, quòd ſine ſuo interventu promotus eſſet, excuſſurus Hilarius fuit calumniatus de bigamia. Et hiſce facinoribus laſſatus Leo Pontifex Hilarium citavit Romam: Et Hilarius omninò obedivit atque acceſſit. Quòd pedes cum omni humilitate acceſſerit, teſtatur ejus vita. Verùm dum Pontifici ſuas non poteſt perſuadere inſolentias, & caſtigari timet, ipſo inſalutato redivit in Galliam, atque ita crimina criminibus adcumulavit. Quin & redux plura de optimo Leone mentitus eſt, garriens quod ipſe Gallicanorum Antiſtitum conſecrationes, & alia Metropolitarum jura vellet invadere: Gallicanos Epiſcopos, quos tanquam ſuburbicarios ſperavit nolle Romam accedere conſecrationis gratia, tentavit in ſuas cupiditates circumſcribere. Hinc Viennenſem Provinciam inſtruxit Pontifex, adfirmans ſe non pro amplianda Romanæ Cathedræ poteſtate, ſed pro reparandis & cuſtodiendis Gallicanorum Metropolitarum privilegiis agere, ac demonſtrans Gallicanas ad Apoſtolicam Sedem relationes, appellationes, ac evocationes eſſe antiquiſſimas, & ſemper fuiſſe frequentiſſimas. Et hæc omnia Auguſta lege impetravit confirmari. Hic eſt ſcopus iſtius legis. An etiam adversùm Chelidonii ac Projecti reparationem Hilarius recalcitrarit, adeoque & hæc ejus contumacia neceſſitatem Pontifici injecerit invocandi auxilium Imperialis brachii, certus non ſcio, nec in rem dubiam volo tempus expendere. Certum eſt hanc non fuiſſe cauſam principalem. Quare inſignem errorem continent hæc D. Archiepiſcopi verba: *Galli exiſtimarunt ſic eſſe obſequendum Pontifici, ut interim nihil detraheretur de auctoritate Canonum Sardicenſium.* Hæc enim exceptio, quæ & in Papalibus & in Imperialibus litteris nihil fundamenti habet, Gallicanis Epiſcopis nec in mentem cadere potuit. Ambæ litteræ veterem Eccleſiæ conſuetudinem, adeoque & Sardicenſes Canones exſequebantur, & innovabant. Et quòd ipſe Hilarius offenſum Pontificem humillimis tandem obſequiis placarit, exceſſum & Canonum prævaricationem pœnitens agnoverit, atque ita in virum ſanctum evaſerit, eſt omnibus notum.

Expo-

Exponitur quoddam horum errorum temperamentum.

DOminus Archiepiſcopus vidit hæc omnia inſigniter deviare, ideoque addidit hoc temperamentum: *Auctoritas Conciliorum Orientalium his limitibus circumſcribi debet, ut decernere tantùm potuerit de adminiſtrationibus & gubernationibus Provinciarum, ut loquuntur Canones, id eſt, de controverſiis quæ incidunt in executione Canonum de diſciplina Eccleſiaſtica latorum. Nam quoad cauſas quæ fidem ſpectant, aut regulas generales Eccleſiæ univerſæ, certum eſt eas definiri non potuiſſe abſque interventu auctoritatis Epiſcopi Romani.* Audi rationes temperamenti: *Neceſſarium viſum eſt hæc per tranſennam adnotare, ut ſi qua fortè ſuſpicio in quorumdam animis ſuborta eſſet adversùs ea quæ ſuperiùs dicta ſunt, quaſi illa convellerent reverentiam, quæ Sedi Apoſtolicæ debetur, iis ſcrupulus omnis eximatur, tum etiam ut hinc occaſionem peteremus hic agendi de quorumdam Orientalium Epiſcoporum in ſuis Synodis depoſitorum appellationibus ad Sedem Romanam. Conſtat enim Epiſcopis illis irrogatas eſſe injurias ob cauſam fidei.* Adfirmat & multis probare ſtudet in ſola fidei cauſa potuiſſe ab Orientalibus Epiſcopis degradatis invocari Apoſtolicam Sedem ac appellari: Et hoc ſufficere ad Romanum Primatum. Eſt aliquid. Etenim ſi nec in fidei cauſa liceat Romana appellatio, Apoſtolica Sedes reverà nullum habet Primatum. Eſt ſolo loco prima, non poteſtate.

Lib. 7. c. 6.

Nihilominùs eſt frivolum ac erroribus obnoxium temperamentum. Orientalem Eccleſiam cum Euſebiana factione, & utriuſque diverſiſſimum ac adverſiſſimum ſenſum miſcet denuò, & confundit. Etenim Euſebiana factio, uti in diſciplina, ita & in fidei judiciis garrivit Patriarchales in Oriente Synodos eſſe ſupremas atque inappellabiles, orthodoxa autem Orientis Eccleſia de utriſque judiciis conſtanter ſenſit oppoſitum. Primum lucet ex contumaci dictæ factionis ad Julium Pontificem Epiſtola, cujus compendium habemus apud Hermiam Zozomenum: *Dicebant Epiſcopos Orientis, qui ipſos antegreſſi fuerant, minimè refragatos eſſe Romano Epiſcopo, cùm Novatianus ab eo erat Eccleſia ejectus.* Et in Julii Reſcripto: *Quòd ſi, quemadmodum ſcribitis, pro exemplis in Novatianum & Paulum Samoſatenſem editis Decreta Synodorum obſervari oportet, &c.* Adſerebat factio, uti Romanam, quæ Novatianum damnarat, ab Orientali, ita & Antiochenam, quæ Paulum Samoſatenſem damnarat, Synodum ab Occidentali Eccleſia non fuiſſe retractatam, nec potuiſſe retractari: Et ex hiſce exemplis prætendebat Patriarchalia utriuſque Eccleſiæ judicia eſſe ſuprema, & nullis obnoxia provocationibus. Porrò prior de ſchiſmate, poſterior Synodus manifeſtè fuit de hæreſi, adeoque iſta factio non ſola circa diſciplinam, ſed etiam circa fidem Patriarchalia judicia nemini voluit ſubeſſe.

At verò orthodoxa Orientalis Eccleſia ſemper credidit utraque ſubeſſe Romanis appellationibus. Lucet ex appellationibus Magni Athanaſii, Pauli Conſtantinopolitani, Aſclepæ Gazenſis, Lucii Adrianopolitani, & plurium tunc Orientalium Epiſcoporum, de quibus D. Archiepiſcopus: *Quoniam conſervatio veræ religionis adversùm hæreſes præcipuè ſpectabat ad Sedem Apoſtolicam urbis Romæ, hinc factum, ut quoties Epiſcopi illi litteras Epiſcopi Romani in Orientem deferrent, in quibus contineretur eos in communionem ejus fuiſſe receptos, ſedibus ſuis reſtituerentur ab Epiſcopis Catholicis. Cujus rei exſtant illuſtria exempla. Non loquor de Athanaſio, aliiſque Orientis Epiſcopis, quorum ſuprà mentionem feci: Quoniam cauſa eorum examinata fuit, tamquam ad diſciplinam pertineret. Tametſi fatendum eſt habitam quoque fuiſſe ab Occidentalibus rationem oppreſſionis, quam Epiſcopi illi patiebantur ob cauſam fidei.* Profitetur hos Epiſcopos, non ob fidei, ſed ob prætextas diſciplinæ prævaricationes fuiſſe degradatos ab Orientalibus Synodis. Et tamen data in ipſos judicia retractavit & exſufflavit Julius Pontifex, ejuſque omnia Acta confirmavit & rata habuit Sardicenſe Concilium, probatum & admiſſum ab omni orthodoxo etiam Oriente. Proindè alia circa hanc rem fuit Orientalis Eccleſiæ, alia ſententia Euſebianæ factionis. Ipſas truncat, & truncatas commiſcet Dominus Archiepiſcopus, atque ita conflat monſtrum, quod neque orthodoxum ſit, neque Euſebianum.

Quòd ſua & circa fidem & circa diſciplinam Synodalia judicia ad Romanam Eccleſiam deferri, per ipſam retractari, ac etiam reformari permiſerint omnes Orthodoxi Orientales Epiſcopi, inſigniter demonſtrat Magni item Baſilii ad Occidentales Antiſtites Epiſtola. Euſtatium Sebaſtenſem Epiſcopum, primæ Armeniæ Metropolitam, adfirmat & ipſius Hæreſiarchæ Arii & Euſebii, à quo Arianorum ſignifero Euſebiana factio traxit originem & nomen, Nicomedienſis per Bithyniam Metropolitæ Epiſcopi fuiſſe diſcipulum, in Ancyrana, Seleucienſi, & Conſtantinopolitana Synodo actitaſſe hæretica, ac proſequitur: *Atque ita Epiſcopatu ejectus, propterea quòd jam Melitinæ depoſitus eſſet, viam ſibi ipſi, per quam reſtitueretur, excogitavit. Eam videlicet, ut ad vos proficiſceretur. Quæ verò ſint illi à beatiſſimo Liberio propoſita, & ad quæ conſenſerit, nobis clam eſt: Niſi quòd Epiſtolam attulit, per quam reſtitueretur. Eam ubi Synodo* Ep. 74.

Thyanensi exhibuit, in suum locum restitutus est. Ipse itaque jam fidem illam, in quam receptus est, depopulatur, & cum illis facit, qui Homousion anathemate percellunt. Deinde & hæresi patrocinatur eorum, qui Spiritum Sanctum spoliant Divinitate. Quoniam igitur istinc vires accepit lædendi Ecclesias, & publicandæ suæ impietatis fiducia, quam vos dedistis, ad subversionem multorum usus est, necesse est ut istinc quoque veniat malorum istorum correctio, scribaturque Ecclesiis, quibus quidem conditionibus ad communionem susceptus sit: Simul verò adjiciatur, quomodò jam immutata sententia gratiam à Patribus, qui tunc erant, acceptam reddat irritam. Eadem de re scribit ad suos Monachos:

Ep. 73. *Est autem Nicæna fides, quam Occidentales attulerunt, ac Thyanensi Synodo tradiderunt, à qua & susceptus est, utique Eustatius & reliqui per* Orientales Synodos damnati Episcopi, qui appellarant ad Papam Liberium. *Sed habent astutum dogma, ad ejusmodi suas mutationes paratum. Nam fidei verbis Medicorum more utuntur, pro temporis occasione aliter sese ad affectionum rationem & varietatem attemperantes.* Rationes, ob quas Eustatium damnavit Seleucienſis Synodus, edicit

Lib. 4. c. 23. Hermias Zozomenus: *Eustatius accusabatur primùm, quòd cum esset Presbyter, à Patre Eulalio Cæsareæ Cappadociæ Episcopo condemnatus fuisset, & à precum communione segregatus. Deinde, quòd Neo-Cæsareæ, quod est Ponti oppidum, à Concilio communione Ecclesiæ interdictus, & ab Eusebio Constantinopolitano Episcopo, propterea quòd quarumdam rerum malè administraturum, quas habebat sibi commissas, condemnatus, fuerit abdicatus. Tum quod à Concilio Gangrensi propterea Episcopatus gradu dejectus erat, quòd aliter quam debuerat docuisset, sensisset, scripsisset. Quòd etiam in Concilio Antiocheno esset perjurii convictus. Et quòd Decreta Concilii apud Melitinam coacti evertere adgressus fuisset. Et cum multis criminibus teneretur implicatus, judicis partes suscipere, & eos, qui alterius erant opinionis, incusare non dubitasset.* Addit Socrates de Seleucienſi Synodo: *Eustatio*

Lib. 2. c. 33. *Sebastiæ Episcopo ne sui quidem purgandi dabatur potestas, quòd ab Eulalio, suo ipsius Patre, & Episcopo Cæsareæ Cappadociæ, jampridem propterea abdicatus fuerat, quòd se habitu Sacerdotii dignitati parum decoro & congruente vestiverat.* Proinde partim propter dogmatis, partim propter disciplinæ delicta Eustatius erat damnatus. Et licèt tot incrustratus elogiis, tamen appellavit Romanam Ecclesiam, atque accessit. Nec ipse solus, sed etiam Sylvanus Tarsensis Episcopus, primæ Ciliciæ Metropolita, ac Theophilus Castabalorum in secunda Cilicia Antistes, Lampsaceni in Hellesponto, Smyrnensis in Asia, ac aliorum istic Conciliorum Legati. Cuncti istarum Synodorum Episcopi erant Macedonianæ factionis: Quòd illos Eudoxianæ factionis, seu puri Arianismi fautor Augustus Valens pararet relegare, à Romana Ecclesia supplicarunt auxilium, præsertim adversùm data in se judicia per Synodum Seleucienſem. Hæc enim fuerat non unius Patriarchæ, sed plena totius Orientis. Nec ipsi deerat Romana auctoritas. Et illos omnes, quod Nicænam fidem deinceps servare profiterentur, à cunctis tot Synodorum vinculis exsolvit, suisque sedibus reddidit, aut certè in ipsis stabilivit Liberius Pontifex, ejusque judicium & reverita & amplissimè exsecuta est orthodoxa ac numerosa Thyanensis in Cappadocia Synodus, cui præsidebat Eusebius Cæsareensis ibidem Archiepiscopus, Exarchus Ponticæ Diœcesios, proximus Anteceſſor Magni Basilii. Et appellationis & restitutionis litteræ exstant apud Socratem. Eustatius erat dolosissimus vertumnus. Hinc & Liberium consutis æquivocationibus circumscripserat, & è Thyanensi Synodo in Armeniam redux fecit, quod ad Theodotum Nicopolitanum istic Episcopum scribit Magnus Basilius:

Ep. 196. *Ubi de profunditate hypocriseos cogitamus, qua se nobis blandiusculè toto tempore insinuavit Eustatius, stupore quodam præ consternatione corripimur.* Ita Primatem suum, sine quo norat se non posse stabiliri in reddito per Romanam Ecclesiam Episcopatu, scivit circumducere. At verò apud alios adeò effutivit seu Arium, seu Macedonium, ut dictus Theodotus eidem Primati suo Basilio communicare noluerit, ipsumque non dumtaxat ab Ecclesiasticis precibus, sed etiam à sua, cui ille debebat præsidere, Synodo excluserit, tamquam hæretica Eustatii communione pollutum. Latè hæc refert in Epistola ad Comitem

Ep. 107. Terentium ipse Basilius, & adjungit: *Hujus autem dissociatæ communionis causam nobis adsignavit ipse Theodotus, quòd venerandissimum Episcopum Eustatium in communionem receperimus.* Ejus à se recepti causam edixit idem Basilius in

Epist. 74. litteris ad Occidentales Episcopos: *Quoniam Eustatius istinc vires accepit lædendi Ecclesias, ac publicandæ suæ impietatis fiducia, quam vos dedistis, ad subversionem multorum usus est, necesse est ut istinc quoque veniat istorum malorum correctio, scribaturque Ecclesiis, quibus quidem conditionibus ad communionem susceptus sit, simul verò adjiciatur, quomodo jam immutata sententia gratiam à Patribus, qui tunc erant, acceptam reddat irritam.* Apostolicum de Eustatio judicium nec retractare, nec exsufflare, tamquam obreptione extortum, non præsumpsit, sed ab ipsa Apostolica Sede retractandum & circumducendum postulavit Magnus Basilius, noscens Apostolicum, à nostri septimi Gregorii Dictatu hic innovatum, Canonem: *Sententia Papæ à nullo debet retractari, & ipse solus omnium retractare potest.*

Et Romana Ecclesia, quòd inauditos damnare nollet ad qualiacumque testimonia, traxit moras. Interim Theophilo Castabalorum Episcopo adjunctus Eustatius palàm cœpit Arium prædicare, in variis Synodis damnare & scriptis libris impetere Basilium, ac hæretico more semetipsum segregare atque damnare. Quin & consecratos intra Catholicam Matrem Episcopos & Clericos resacrare præsumpsit, atque adeò inaudita usque tunc audacia turbare Ecclesias. Tunc quòd nec Æthiops æthram pellem, nec pardalis maculas, nec errores unquam deponere possit vetustus hæreticus, agnovit Basilius, atque

que ita hominem tamquam omni Apostolica Liberii gratia exutum est detestatus. Habes hæc in laudatis litteris ad Theodotum. Et tunc scriptas existimo acres illas ad Gregorium Nazianzenum adversùs Romanam Ecclesiam & omnes Occidentales Antistites litteras, quibus nihil auxilii ab ipsorum supercilio & fastu exspectandum lamentatur Basilius, & adjungit: *Occidentales veritatem neque norunt, neque discere sustinent, verùm falsis opinionibus præpediti illa nunc faciunt, quæ priùs in Marcello patrarunt, nempè cum iis, qui veritatem ipsis adnunciant, contendentes, hæresim autem per semetipsos stabilientes.* Quæritur quòd uti in Sardicenſi Synodo Julius Pontifex Marcellum Ancyræ Episcopum, dolosum hæreticum reparavit, ita nunc à Liberio reparatum fuisse cum suis congerronibus versutum Eustatium, & adversùs ipsum relapsum nullas rationes à Damaso fuisse admissas. Quidquid sit de hoc puncto, lucet Orientalium Synodorum tam in disciplinæ quàm in dogmatis prævaricatores judicia semper potuisse provocari ad Apostolicam Sedem, & cunctos orthodoxos Orientis Episcopos hisce provocationibus cum omni reverentia obediisse.

Epist. 10.

Quod ipsum clarissimè lucet ex appellatione Sancti Joannis Chrysostomi, quem constat non ob fidem, sed ob læsam dumtaxat disciplinam fuisse accusatum atque damnatum. Hæret hic

L. 7. c. 3. D. Archiepiscopus, & scribit: *Vulgò scribitur appellatum à Joanne Chrysostomo fuisse Innocentium primum Pontificem Romanum, hunc verò cassasse judicium à Synodo Orientali latum adversùs Chrysostomum. Sed si negotium istud penitiùs introspiciatur, constabit eam in hac causa fuisse Romani Pontificis auctoritatem, ut egressa non fuerit modum, qui per illas tempestates illi præscriptus erat, sed auctoritatem illum suam totam integrum retinuisse, non ita tamen ut appellationem judicaverit, tamquam devolutam ad Sedem Apostolicam, ut vulgò existimant.* Exponit rei seriem, atque prosequitur: *Ex hac narratione colligitur, non quidem Chrysostomum provocasse ad Summum Pontificem, aut appellationem ejus à Papa judicatam fuisse, sed appellationem ab eo interpositam ad Concilium Œcumenicum esse susceptam ab Imperatore, pro more illius sæculi, ei porrò appellationi consensisse Papam & Episcopos Italos, qui cura sua id dein egerunt apud Imperatores, ut Concilium convocaretur. Sed non eo loci subsistit Innocentius. Censuit enim cum Episcopis Italis appellationem interpositam ante depositionem, ac posteà renovatam, & manifestas judicii hujus nullitates judicii effectum suspendisse, communionemque suam subtraxit Orientalibus, donec illi sententiæ suæ accederent.*

Errores varii. Primus est, quòd Sanctus Joannes Chrysostomus appellarit, non ad Innocentium Pontificem, sed ad generale Concilium. Licèt enim à Theophilo citatus interjecerit protestationem de irregulari ipsius Synodo, legitimamque postularit, adserens *paratum se præsentibus & centum & mille Episcopis objecta crimina refellere*, omninò tamen intellexit de vera Synodo, quæ juxta Apostolicos, Nicænos, ac Sardicenſes Canones judicaret, & quam sua præsidentia ac sapientissimo judicio regeret Romanorum Episcopus. Hinc enim quatuor Episcopos & duos Diaconos legavit ad Innocentium Pontificem cum hisce mandatis: *Ut ad vestram curreret Sanctitatem, omnibusque lucidè expositis maturè tantæ cladi remedium dari salubre postularent.* Similes ad Venerium Mediolanenſem & Chromatium Aquilejenſem Metropolitas adjunxit litteras: Ut nempè illi Papalem animum ad festina remedia inclinarent. Si Synodalia Orientalium Patriarcharum in degradatos ob læsam disciplinam Episcopos judicia fuerunt tunc suprema atque inappellabilia ad Romanum Episcopum, qua fronte Joannes invocavit Innocentium, quomodò quatuor diversarum gentium Episcopi susceperunt ipsius Legationem, quomodò illum Theophilus de hoc novo crimine non incusavit? Quin immò de Theophilo dicit in Palladii Helenopolitani Episcopi Dialogo Theodorus Romanæ Ecclesiæ Diaconus: *Primus omnium profectus est ad nos Alexandrinæ Ecclesiæ Lector cum Papæ Theophili litteris, quibus indicabat Joannem à se depositum.* Factam à se Joannis degradationem Theophilus statim retulit Apostolicæ Sedi, utpotè sciens sine hujus examine & confirmatorio judicio non esse ratam, sed per appellationem posse elidi. Norat Sardicenſes Canones: Hos enim, utique in Sancti Athanasii gratiam editos, nulla post Romanam Ecclesiam fuit magis venerata, quàm Alexandrina.

Secundus error est, quòd Joannis causam Innocentius non judicaverit. Etenim Theophili relationem fuisse variè vitiosam, ideoque rejectam à Pontifice, ac exinde adveniſse Joannis appellantis Legatos & litteras addit laudatus Theodorus, atque prosequitur: *Ad hæc rescripsit beatissimus Papa Innocentius, communioneque utriusque partis admissa, Theophili judicium cassum atque irritum esse decrevit, dicens oportere conflari aliam irreprehensibilem Synodum Occidentalium & Orientalium Sacerdotum, cedentibus Concilio amicis primùm, deinde inimicis. Neutrarum quippe partium, ut plurimùm, rectum esse judicium.* Et in hac sententia Innocentius etiam post pleniorem Theophili relationem & transmissa Synodalia Acta permansit immobilis, rescribens: *Itaque si conscientiæ confidis, tu quoque judicio accurre ad Synodum proximè in Christo celebrandam, & illic juxtà Nicæni Concilii Canones & Decreta contende. Alios quippe Canones Romana non admittit Ecclesia.* Theophili Synodale de Joanne judicium decernere irritum & cassum, nonnè erat Joannis causam judicare? Istud Orientale judicium non solummodò concussit, sed etiam excussit Pontifex, & pleno jure sibi subesse monstravit. Etiam Patriarcham Theophilum è judice demutavit in reum aut accusatorem: Qui est propriissimus character susceptæ propriissimæ appellationis. Theophili judicium excussit, quòd ex Antiochenis, per Romanam Ecclesiam circumductis, Canonibus contra Nicænos, qui Thraciæ Diœcesis Episcopum ab Ægyptiorum Patriarcha vetant judicari, emanasset. Non fuit præcipitatum

latum aut violentum judicium: Utpotè latum ex transmissis Actis, & probatissimis multorum Episcoporum & Clericorum testimoniis, laudatis in eodem Palladii ac Theodori Dialogo. Nec dumtaxat interlocutorium fuit, sed omninò definitivum, ac independens ab omni generali Synodo. Nec in solam Episcopalem communionem, sed insuper in Constantinopolitanam Cathedram jussit Joannem reponi. Palàm hoc lucet ex Innocentii Pontificis, Imperatoris Honorii, Chromatii Aquilejensis, Venerii Mediolanensis, plurium aliorum Antistitum, ac totius Occidentalis Concilii ad Thessalonicensem Synodum litteris atque mandatis: *Non oportere Joannem judicium ingredi, nisi illi priùs Ecclesia, communioque redderetur, ut omni dilatione occasionis sublata, sua sponte Concilium ingredi posset.*

Et cunctus rectæ mentis Oriens hocce judicium promptissimè atque fortissimè admisit. Etenim Cyriacum Emesenum in secunda Phœnicia Episcopum adfirmat Romam venisse Theodorus Diaconus, atque prosequitur: *Post Cyriacum advenit Eulysius, Apameiæ Bithyniæ Episcopus, adferens litteras à quindecim Episcopis de Joannis Concilio, & à præclaro Sene Anysio Thessalonicensi Episcopo, in quibus illi quidem & præcedentem, & quæ tunc erat, Constantinopoleos totius deprædationem, vastitatemque signabant. Anysius verò Romanæ Ecclesiæ judicium se sequi fatebatur. Porrò Eulysius ipse consona Cyriaco per omnia dixit. Vix mensis fluxerat, cum Palladius quoque Helenopolitanus Episcopus absque litteris venit, qui & ipse se fugisse dicebat vesaniam Principum. Post Palladium Germanus Presbyter, Cassianusque Diaconus Joannis, viri magnæ religionis, litteras ab omni Clero Joannis attulerunt, continentes Ecclesiam suam esse passam tyrannidem, Episcopo per vim militum ejecto, & in exilium misso. Ostenderunt & Breviculum, ubi ornamenta sub judicibus testibus tradunt, subscriptum manu Studii, Prefecti urbis, & Eutychiani Prætoris, Joannis Comitis Thesaurorum, & Eustachii Quæstoris & Tabularii, in auro & argento, & vasis, ut Joannis Episcopi calumniam diluerent. Post istos venit secundò Demetrius Episcopus Pessinuntis, secundæ Galatiæ Metropolita, qui pervagato Oriente prædicaverat communionem Romanæ Ecclesiæ cum Episcopo Joanne, testibus Papæ Innocentii litteris, adferens Epistolas ab Episcopis Cariæ, in quibus Joannis amplectebantur communionem. Ab Antiochenæ itidem Ecclesiæ Presbyteris, ubi Romanorum sequuntur disciplinam, laudantes integritatem judicii. Post hos omnes venit Domitianus Sacerdos, Constantinopolitanæ Dispensator Ecclesiæ, & Vallagas quidam Nisibis Presbyter, exponens Monasteriorum Mesopotamiæ gemitum & ejulatum.* Urbis Præfectus Studius est ille nobilissimus vir, cujus posteà successor & hæres sub Leonis Imperio fundavit à suo nomine Studianum Monasterium mille Monachorum. Cassianus Diaconus est toti Occidenti, & Gallicanæ præsertim Ecclesiæ, optimè notus. Et cum ipsis fuerint alii plurimi Episcopi, Clerici, Monachi, Laici. Hi omnes profitebantur Innocentium judicasse de Joanne, & bene judicasse. Ipsius circumferebant, & per omnem Orientem vulgabant Apostolicas litteras, atque ex ipsis demonstrabant Joannem non esse degradatum, sed verum ac legitimum Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopum, utpotè Apostolica Innocentii auctoritate solutum ab ingestis per Theophilum vinculis, & sedi restitutum. Et pro hoc Evangelio plurimi Episcopi vincula, exilia, carceres, flagella, extremam paupertatem tolerarunt: Deportati etiam in Oasin. Omninò, omninò pro hoc Evangelio. Quòd enim Romanus Episcopus quorumvis Episcoporum appellationes admittere, quarumvis Orientalium Ecclesiarum Synodalia judicia retractare ac reformare, nec non damnatos per ipsa Episcopos reparare valeat, non ab hominibus habet, sed ab ipso JESU Christi Evangelio. Nec solummodò quoad dogma, sed etiam quoad disciplinam. Nemo rectæ mentis apud Orientem, immò nec ullus è Theophili factione Episcopus tantos viros unquam calumniatus est de violata Orientalis Ecclesiæ aut Orientalium Synodorum auctoritate. Nam & ipse sub Syricii Papatu Theophilus in Capuana Synodo retractavit appellatam causam Flaviani Patriarchæ Antiocheni.

Porrò Apostolicæ Sedis Decreta per imploratam Augusti brachii violentiam morari atque suspendere est antiqua iniquitas, præsertim Græcorum. Hanc adversùs Sancti Joannis Chrysostomi Romanam reparationem imploravit etiam Theophili factio, & impetravit tria Edicta, adducta in laudato Palladii ac Theodori Dialogo. Primum fuit hoc: *Si quis non communicat Theophilo, Arsacio, & Porphyrio, Episcopatu arceatur. Amittat verò, si quam videtur habere, substantiam pecuniarum, sive prædiorum.* Alterum est hoc: *Quicumque occultaverit Episcopum aut Clericum, sive in domum suam susceperit, qui Joanni communicat, ejus domus publicetur.* Hoc est tertium: *Rectores Provinciarum moneantur, ut conventus eorum arceantur inliciti, qui orthodoxorum Religione suffulti, spretis Sacrosanctis Ecclesiis, aliò convenire conantur, his qui ab Arsacii, Theophili, Porphyrii, reverendissimorum Sacræ Legis Antistitum communione dissentiunt, ab Ecclesia procul dubia repelleudis.* Hæc est Theodosiani Codicis sexta lex ad titulum de his qui super Religione contendunt. Quarta ibidem & quinta sunt ejusdem farinæ. Arsacius est ille profanus atque inutilis senex, quem in degradati Joannis locum intrusit Theophilus. Porphyrius est ejusdem generis Patriarcha Antiochenus. Post modicum tempus exstincto Arsacio successit per similem intrusionem Atticus, qui ut Constantinopolitanum Clerum ac populum cogeret ad suam communionem, eguit eisdem Legibus atque Edictis. Utriusque intrusionem adeò detestatus fuit Innocentius Pontifex, ut etiam defuncti Arsacii nomen radi jusserit è Sacris Ecclesiæ tabulis, ipsumque Christiano etiam nomine, seu Laica communione privarit. Quòd nempè non tantùm in Romam appellantis, sed etiam in jam restituti Joannis thronum esset contra Sardicenses Canones ac perpetuam Ecclesiæ consuetudinem superordinatus atque intrusus. Et hoc Papale judicium tanto zelo veneratus est cunctus sanæ mentis Oriens, ut paganas à Christiano Principe persecutiones sustinere maluerit, quàm ab isto deviare. Et nota, quòd non dumtaxat Arsacii aut Attici, sed etiam Theophili communionem omnes sanæ mentis Orientales fuerint detestati. Nempè Pontifex recesserat ab hoc suo priori ad Theophilum Rescripto: *Frater Theophile, nos & te & fratrem nostrum Joannem communionis nostræ decernimus.* Theophilum, quòd Apostolico judicio parere, & Joannis reparationem nollet admittere, ab Ecclesiæ communione secreverat. Et huic etiam judicio sanus Oriens constantissimè adhærebat.

Ast hanc obedientiam persequebatur violentia offensi Principis. Et hinc Pontifex fecit, quod in laudato Dialogo habet Theodorus Diaconus: *Non tulit ultrà Innocentius Pontifex, indignitate summa permotus, scripsitque ad Honorium Imperatorem, litterarum hujusmodi sensum distinctè subjiciens. Desunt litteræ.* Grandi Ecclesiasticæ eruditionis damno. *Motus his litteris Princeps præcepit Synodum Occidentalium Episcoporum congregari, & cùm in unam sententiam convenissent, ad se referre. Congregati Italiæ Episcopi Imperatorem orant, ut scriberet Arcadio fratri suo, ut juberet Thessalonicæ Synodum fieri, quò facilius possent utræque partes Orientis & Occidentis concurrere. Addentes perfectam Synodum non numeri quantitate, sed qualitate sententiæ, certam & irrefragabilem tulisse sententiam. His inflammatus Imperator Episcopo quidem Romano scribit, ut mittat Episcopos quinque, Presbyteros duos Romanæ Ecclesiæ, Diaconum unum, qui ipsius ad fratrem Epistolas ferrent.* Quapropter ad retractandam degradati Joannis appellationem nec totius Ecclesiæ, nec totius Occidentis, nec totius Italiæ Synodum Pontifex convocavit, aut judicavit necessariam: Solus in suæ Provinciæ Synodo explevit hoc judicium. Verùm enim verò quòd à Theophili factione circumscriptus Arcadius obedire nollet, totum turbaret Orientem, & Christiana illic tempora fœdaret Paganis persecutionibus, Acta sua subjecit generali, voluitque istic retractari.

Processit in reparati à se Joannis causa, uti in reparati à se Athanasii causa processerat Antecessor Julius. Uti ob Eusebianæ factionis turbulentias hic Sardicensi, ita ob Theophili factiosam rebellionem ille suum judicium retractandum submisit Synodo Thessalonicensi. Et cum hac pari condicione: *Non oportet Joannem judicium ingredi, nisi illi priùs Ecclesia, communioque redditur, ut omni dilatione occasionis sublata, sua sponte Concilium ingredi possit.* Suum de Joanne judicium voluit ante omnia mitti in plenam exsecutionem, nec ex ullo fuco suspendi. Nam & Athanasium in Sardicensi Concilio ita tractari jusserat Julius. Ex Pontificis motu Honorius adjunxit & hanc condicionem: *Hoc autem ante omnia à tua Mansuetudine postulo, ut Theophilum Alexandrinum, invitum etiam, adesse præcipias. Per hunc enim mala omnia emersisse memorantur. Ut advenientium Episcoporum Synodus, in nullo impedita, congruam temporibus nostris adferat pacem.* Theophilum vult non adsidere ut Episcopum, sed stare ut reum, & compelli ad reddendas rationes sui per Apostolicam Sedem damnati judicii, suæque adversùs istam damnationem rebellionis. Et in hoc puncto fuit Innocentius Julio rigidior. Hic enim Eusebianæ factionis Episcopos permisit adsidere Sardicensi Concilio, & aviti circa Romanas appellationes Canonis rigorem dispensatoria in illos gratia mitigavit.

At quodlibet agere vel pati, quàm Athanasii reparationem atque Episcopatum agnoscere maluit Eusebiana factio. Hunc adeò averšata fuit, ut de nocte fugerit Sardica Philippopolim, & horrenda, quæ sol usque tunc non viderat, schismatis facinora istic patrarit in Apostolicam Sedem. Pari odio Sancti Joannis reparationem aversata fuit Theophili factio. Etenim de missis ab Innocentio Pontifice ad Thessalonicensem Synodum Legatis pergit Theodorus Diaconus: *Profecti Constantinopolim post quatuor menses redierunt, narrantes nobis Babylonias res.* C. 4. Hoc est, res non Christianæ Ecclesiæ, sed Babylonicæ confusioni congruas & dignas. Demonstrat & Legatos & adhærentes illis Orientales Episcopos fuisse ejectos, carceratos, percussos, & adnectit hæc ipsorum, dum ad Pontificem redierunt, verba: *Postridie miserunt ad nos, sive Regis Aulici, sive Atticus, nescimus, ipse enim ferebatur Ecclesiæ invasisse thronum, qui tria millia numismatum darent, ut communicaremus Attico, & de Joannis judicio omninò taceremus. Quibus minimè obtemperare voluimus.* Proinde mortuus tunc erat Arsacius. Hæc omnia compendio refert etiam Hermias Zozomenus, & adjungit: *Joannis hostes apud Constantinopolim hanc rem quasi in contumeliam* Arcadiani *Imperii fieret, calumniati sunt, & ut* Romani Legati *tamquam transmarini Imperii turbatores ablegarentur, effecerunt.* L. 7. C. 29. Eusebianum schisma resumere noluit, utpotè orthodoxa, Theophili factio, sed ignavi & circumventi Principis violenta potentia Apostolicæ Sedis judicium & conatum morata est, atque suspendit. Et tunc iratus Pontifex excommunicavit Arcadium, Atticum, Theophilum, & omnem factionem ipsis appendicem. Et sic conflatum est istud schisma, seu ista Ecclesiasticæ communionis intercisio, cujus calamitates exponit in Ecclesiastica historia Theodoretus: *Quot Episcopi illius,* utique Sancti Joannis, *causa fuerint exturbati suis Ecclesiis, & ad extremas orbis partes relegati,* Lib. 5. C. 34. *quot etiam Monachi simili supplicii genere multati, hoc loco percensere supervacaneum existimo, eoque pacto historiam longiùs provehere, præsertim cum mea quidem sententia, ea quæ tristitiam adferant, contrahenda sunt in augustum, & errata eorum, qui sunt fidei societate nobiscum conjuncti, silentio tegenda. Atqui complures eorum, qui erant injuriarum auctores, pœnas persolverunt, quorum supplicia aliis attulerunt non parùm commodi. Istud iniquum facinus contra Joannem admissum Episcopi Europæ suprà cæteros detestati sunt, & se ab auctorum communione sejunxerunt. Ad quos Illyrici etiam Episcopi accessere. Orientalium verò civita-*

vitatum plurimi communionem quidem factoris viderunt, Ecclesiæ tamen corpus non distraxerunt. Sed & defuncto orbis terrarum Magistro, Episcopi Occidentales non priùs Episcoporum Ægypti, & Orientis, & Bosphori, & Thraciæ communionem admiserunt, quàm Divini viri nomen inter defunctos Episcopos retulissent. Et Arsacium quidem, qui ei suffectus fuerat, nec salutatione dignati sunt. Atticum verò Arsacii successorem post multas Legationes & pacis petitiones tandem recipiunt, cum tabulis nomen inscripsisset. Infelix & portentosa Imperatricis, & omnium malorum auctricis Eudoxiæ mors & Arcadio & Attico aperuit oculos, atque ita per multas preces tandem Romanæ Ecclesiæ pacem recuperarunt. Ea lege ut Joannem Sacris Ecclesiæ tabulis redderent. Non Laicorum tabulis, sed defunctorum Episcoporum. Et ut Arsacii nomen perpetuò raderent. Hoc est, ut Joannem perpetuis futuris temporibus profiterentur fuisse legitimum Episcopum Constantinopolitanæ Ecclesiæ, Arsacium autem fuisse adulterum invasorem, contra Canones intrusum. Ut profiterentur Joannem legitimè appellasse ad Romanam Ecclesiam, à Papa Innocentio fuisse legitimè reparatum, hujus de illo judicium extitisse Canonicum, & per Theophili factionem iniquè ab exsecutione suspensum. Quare apud Photii Bibliothecam errorem continent hæc Georgii Patriarchæ Alexandrini verba: *Tandem Arsacius Joannis nomen in Dypticha retulit.* Certum est fuisse factum ab Attico. Etiam de Alexandro Antiochiæ Patriarcha scribit Theodorerus: *Hic Magni Joannis nomen primus Ecclesiasticis Dyptichis adscripsit.* Quòd ipse etiam in suæ mortis lecto Theophilus Joannis imaginem sibi jusserit adferri, & pœnitens ab ipso veniam supplicarit, ex authenticis documentis adfirmat Sanctus Joannes Damascenus. Ipsius tamen successor & nepos Cyrillus nomen necdum statim reddidit Ecclesiasticis tabulis. Et tunc prodiit hic Carthaginensis Canon: *De dissensione Romanæ inque Alexandrinæ Ecclesiæ ad sanctum Papam Innocentium scribatur, quo utraque Ecclesia pacem, quam præcepit Dominus, teneat.* Agit de sola Alexandrina Ecclesia: Quòd nempè & Antiochena, & Constantinopolitana, & omnis alia Orientalis Diœcesis atque Parochia nomen istud jam in tabulas admisisset. Et tandem etiam Cyrillus admisit. Ipsius & Attici mutuas hac de re litteras integras habes apud Nicephorum Calixtum, ipsarum fragmenta apud Facundum Episcopum Hermianensem. Quin & Sanctus Proclus Constantinopolitanus Episcopus Joannis corpus retulit in Regiam civitatem, magnis adfecit honoribus, & Pontificaliter ornatum posuit in Patriarchali Cathedra: Quo solemniter profiteretur ipsum à Romana Ecclesia fuisse legitimè reparatum. Quòd populo Episcopalem benedictionem dederit, atque ita Divina Majestas hæc omnia miraculo confirmarit, testantur gravissimi Scriptores. Græci Episcopos suos in Episcopali Cathedra sedentes, & Episcopaliter ornatos sepeliunt: Exemplum istud demonstrat morem esse antiquum. Et ex omnibus his lucidissimè patet Sanctum Joannem non ad œcumenicam Synodum, sed appellasse ad solam Romanam Ecclesiam, ab ipsa sola fuisse reparatum, ita tandem censuisse omnem Orientalem Ecclesiam, & solemniter fuisse professam. Quin & hæc semper ita censuit & credidit. Etenim Theophili factio non ex Eusebiano errore, sed ex Caino odio Joannis reparationem impugnavit, & per Regiæ auctoritatis violentiam ab exsecutione suspendit.

Lib. 8. c. 31.

Et hinc tertius D. Archiepiscopi error est, quòd Joannis ad generalem Synodum appellatio fuerit pro istius temporis more suscepta ab Imperatore, & quòd ipsi Papa ac Italiæ Episcopi consenserint, qui cura sua id dein egerint apud Imperatores, ut Concilium convocaretur. Etenim longè aliud adserit in laudato Dialogo Theodorus Diaconus: *Non tulit ultrà Innocentius Pontifex, indignitate summa permotus, scripsitque ad Honorium Imperatorem. Motus litteris Princeps præcepit Synodum Occidentalium Episcoporum congregari, & cum in unam sententiam convenissent, ad se referre. Congregati Italiæ Episcopi Imperatorem orant, ut scriberet Arcadio fratri suo, ut juberet Thessalonicæ Concilium fieri.* Non itaque Joannes, sed Innocentius Pontifex à Principe postulavit Synodum. Et circa hanc non Italiæ Antistites Imperatori consenserunt, sed Imperator istis Episcopis. Et Joannes non ab Honorio, sed ab Arcadio debebat supplicare Synodum: Quomodò ipsam à suæ damnationis auctore, aut certè patrono impetrasset? Et quis Canon, aut quis Canonicus mos damnatorum à suis Synodis Episcoporum appellationes tunc sanxit aut permisit excipi à Laico Principe, & circa ipsas aliud non fieri à Romano Episcopo, quàm consentiri? Figmenta hæc sunt jam abundè destructa. Similibus antiquorum Canonum & morum depravationibus scatet istud opus. Præsertim odit Romanas inferioris Cleri appellationes. Hinc scribit: *Adriani secundi & Joannis octavi Successores, ruptis Canonum cancellis, appellationes Presbyterorum admiserunt, adeò ut Gregorius septimus in Decretis suis, quæ vulgò Dictatus Papæ dicuntur, hoc quoque præcipiat;* Ut nemo audeat condemnare Sedem Apostolicam appellantem. *Quod in jus nunc versum est in Decreto Gratiani, & Libris Decretalium.* Adfirmat antiquos Ecclesiæ Canones à Dictatus subversos. Quæ omnia horrendè deviare, suo loco demonstrabitur. In Apostolici Dictatu gratiam fuerunt hic pauca dicenda, atque ita demonstranda libri istius auctoritas.

CANON

BIBLIOTECA CAPITULAR

CANON XXI.

QUòd majores causæ cujuscumque Ecclesiæ ad Apostolicam Sedem referri debeant.

SCHOLION.

DUplex est in Romano jure relatio: Alia Principis ad Senatum, alia inferiorum Magistratuum ad scientiam vel auctoritatem Principis. Prior erat propositio rei tractandæ cum suffragii prærogativa. Posterior erat Principis à subdito Magistratu consultatio de rebus actis vel agendis. Hujusmodi relationibus suarum Epistolarum libros impleverunt Plinius secundus Bithyniæ Præfectus, & Symmachus Præfectus Almæ urbis. Easdem frequenter laudant Ammianus Marcellinus, & alii Romanarum rerum Scriptores. Et tam in Justinianæo, quam in Theodosiano codice exstant tituli de relationibus & consultationibus. *Vetus*, inquit in Ecclesiastica Historia Eusebius Cæsareensis, *apud gentium Magistratus & Præfectos invaluerat consuetudo, ut si quæ nova & inaudita apud illos fortè contingerent, ei qui Regium in eos Imperium obtinebat significarent.* Hinc etiam Domini nostri JESU Christi admirabilem mortem, & admirabiliorem Resurrectionem scribit à Pontio Pilato Syriæ Præside ad Tiberium Imperatorem fuisse relata. Quod ipsum in libro Apologetico adfirmat Tertullianus. Et in Apostolicis Actis Festus Palæstinæ Præses de Pauli Apostoli, qui Romam ad Principem appellarat, legali causa instrui rogat ab Agrippa Judæorum Rege. Quòd omnis appellatio referri, & omnis relatio deberet esse lucida ac distincta. Addit in lege ad Claudium Photianum Lucaniæ & Brutiorum Correctorem Imperator Constantinus: *Super paucis, quæ juridica sententia decidi non possunt, nostram debes consulere Majestatem, ne occupationes nostras interrumpas.* Exstat lex in undecimo libro codicis Theodosiani. Præter appellationes ad Principem referri poterant solæ causæ dubiæ & majores. Hinc & Plinius laudat *majorum rerum causas*. Referre debebat omnis Magistratus: Non soli Provinciarum, sed etiam Præfecti Almæ urbis, atque Prætoriorum. Longa & erudita est hæc materia, verùm non nostri fori.

L. 2. c. 2.

Tit. 29. cap. 1.

De Meletio Lycopolitano Episcopo, apud Ægyptios Thebaidos Metropolita, rectè scribit Sanctus Epiphanius: *Meletius secundum à Petro* Alexandriæ Patriarcha *locum obtinebat, utpotè illius adjutor, sed eidem tamen subjectus, & ad ipsum de causis Ecclesiasticis referens.* Relationis obligationem adfirmat esse partem & characterem subjectionis. Relatio est supremus, non minùs quàm appellatio, Apostolici Primatus & Majestatis character, ideoque nullum umquam Patriarcham, nullum suum Legatum, nullum Vicarium, nullam generalem etiam Synodum Apostolica Sedes ab ipso absolvit. Hinc enim Anastasium Thessalonicensem Episcopum, suum in omni Illyrico Vicarium, qui Atticum Nicopolitanum Episcopum, veteris Epiri Metropolitam, sine Romana relatione & prævio Rescripto judicare præsumpserat, graviter arguit Sanctus Leo Magnus, & adjungit causam: *Vices nostras ita tuæ credidimus Charitati, ut in partem fis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.* Cunctorum Metropolitarum causæ semper fuerunt majores, & privativè spectarunt ad Patriarchæ tribunal, ideoque ipsas in Occidente sine prævia ad Pontificem relatione ac speciali delegatione judicare erat invasio incommunicabilis Apostolicæ auctoritatis. Etiam graviores Provincialium Synodorum causas idem Vicarius debebat referre. Quod onus Arelatensi item Vicario, ac posteà Senonensi Apostolica Sedes imposuit. Etiam Arii causam Sanctus Alexander Patriarcha Alexandrinus Sancto Sylvestro, & ejus Successor Sanctus Cyrillus Nestorii lapsum retulit Sancto Cælestino. Et Sanctum Flavianum Constantinopolitanum Episcopum, quòd Eutychetis Acta tempestivè non retulisset, graviter arguit Sanctus Leo Magnus. Et ad Theophilum Alexandriæ Patriarcham, cui Flaviani Antiocheni Patriarchæ causam delegarat Capuana Synodus, scripsit Sanctus Ambrosius: *Sanè referendum arbitramur ad sanctum Fratrem nostrum Romanæ Sacerdotem Ecclesiæ, quoniam præsumimus ea te judicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant.* Addit ipsum nihil posse judicare, nisi quod *comprobet Romana Ecclesia*. Laudata Synodus, ut ipsa ad Pontificem referre debuerat, ita Theophilum ab isto onere non potuit liberare. Retulit enim etiam Synodus Nicæna, Constantinopolitana, Ephesina, Chalcedonensis, cunctæ generales. Omnia ipsarum Acta, quibus relatio defuit, fuerunt caduca & infirma. Exstat Bonifacii primi ad Rufum Thessalonicensem Antistitem Epistola, quæ lucidè demonstrat omnes Patriarchales sedes semper retulisse. Et hinc Romanas non tantum appellationes, sed omnem Romanum super Patriarchas & ipsorum Diœceses Primatum eversura Eusebiana factio malè ex Antiochenæ olim

Epist. 84. cap. 1.

Epist. 9.

adversùs

adversùs Paulum Samosatensem Synodi exemplo admisit se obligari ad relationem: Sibi ipsi contradixit. Nec enim æqualis ad æqualem, sed solus subditus obligatur ad Principem referre.

Etenim uti Evangelium suum atque Ecclesiam in Romano præsertim Imperio prædicari atque vigere voluit Divina providentia, ita utriusque regimen voluit esse Monarchicum, & fermè ejusdem per omnia formæ. Hinc consultativa relatio, uti ad Augusti Principis, ita ad Romani Episcopi semper spectavit Majestatem. *A sanctis Patribus*, adversùs Constantinopolitanam, quæ sine relatione Sanctum Patriarcham Ignatium degradaverat, Synodum scribit ad Michaelem Imperatorem Nicolaus primus Pontifex, *& deliberatum & observatum existit, qualiter absque Romanæ Sedis, Romanique Pontificis consensu nullius insurgentis deliberationis terminus daretur*. Exstat Epistola in Actis Synodi octavæ. Act. 4. Adfirmat semper fuisse ita observatum, quod nempè sit Apostolicum atque Evangelicum Statutum. Et hinc ad Sanctum Victricium Rothomagensem Episcopum rescripsit Sanctus Innocentius primus: *Si majores causæ in* Provincialis Synodi *medium fuerint devolutæ, ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, & beata consuetudo exigit, post judicium Episcopale referatur*. Non solùm Nicænam aut Sardicensem Synodum, sed & avitam laudat consuetudinem, nequaquam inductam ab istis Synodis, sed probatam dumtaxat & confirmatam. Quòd enim Antiochena olim in Paulum Samosatensem Patriarchalis Synodus Acta sua retulerit ad Sanctum Dionysium Pontificem, jam suprà est dictum, exstatque relatio apud Ecclesiasticam Eusebii Cæsareensis Historiam. Exstant & aliæ plures. Etiam Sancti Cypriani Epistolæ abundant Romanis relationibus, & ad Julium Pontificem scripsit laudata Sardicensis Synodus: *Hoc optimum, & valdè congruentissimum esse videbitur, si ad caput, id est, ad Petri Apostoli Sedem de singulis quibusque Provinciis Domini referant Sacerdotes*. Epist. 1. Ipsam Innocentius primus, aliique passim Pontifices appellant Nicænam, quòd nempè illius appendix atque interpres sit, obscuriora ipsius Decreta lucidiùs & largiùs exponens. Et de lapso in hæresim ac apertam ejus prædicationem Nestorio Episcopo Constantinopolitano scripsit ad Sanctum Cælestinum Pontificem Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus: *Longa Ecclesiarum consuetudo suadet, ut ejusmodi res Sanctitati tuæ communicentur*. Lib. 1. Ep. 14. Exstat Epistola in Actis Ephesinis. Et ad Agenichiam viduam Sanctus Hieronymus: *Cum in chartis Ecclesiasticis juvarem Damasum Romanæ Urbis Episcopum, & Orientis atque Occidentis Synodicis consultationibus responderem*. Epist. 11. De Prudentum, seu Romani juris Consultorum, ex sola proprii studii fiducia respondere olim consuetorum, nova Disciplina habent Digesta de Origine juris: *Primus Divus Augustus, ut major juris auctoritas haberetur, constituit ut ex auctoritate ejus responderent. Et ex illo tempore peti hoc pro beneficio cœpit*. Lib. 1. tit. 2. c. 2. Ejusmodi Divini atque Ecclesiastici juris Consultos ad latus suum semper habuerunt etiam Romani Pontifices, ac inter ipsos fuit apud Damasum Sanctus Hieronymus, & Latinæ & Græcæ linguæ insigniter peritus, ideoque & ad Occidentalis & Orientalis Ecclesiæ consultationes respondens. Quapropter errant, qui existimant fuisse simplicem Secretarium.

Notanda sunt ejus verba, *Synodicis Consultationibus*: Evincunt quasvis non solùm Occidentis, sed & Orientis Synodos ad Papam semper retulisse. Etiam Synodos Provinciales. Ita enim & à Nicæna Synodo & beata consuetudine juberi, supra nobis dixit Innocentius primus. Et de Provincialibus in Illyrico Synodis scripsit ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum, suum istic Vicarium, Sanctus Leo Magnus: *Si fortè de majoribus peccatis causa nascatur, quæ Provinciali nequeat examine definiri, Fraternitatem tuam de totius negotii qualitate Metropolitanus curabit instruere*. Ep. 84. cap. 7. Et ad Illustrem virum Senarium Sanctus Avitus Metropolita Viennensis: *Scitis Synodalem legem esse, ut in rebus quæ ad Ecclesiæ statum pertinent, si quid fuerit dubitationis exortum, ad Romanæ Ecclesiæ Maximum Sacerdotem, quasi ad caput nostrum membra sequentia, recurramus*. Ep. 36. Eandem legem laudat in litteris ad Faustum & Symmachum Romanos Senatores, dolens jam in Gallia ob Francorum & Burgundionum diversa Regna vix fieri Synodos, ideoque non per ipsas, sed per Episcopos fieri singulares relationes. Antiquam de ipsis Gallicanæ Ecclesiæ consuetudinem demonstrat in litteris ad Viennensis & Narbonensis Ecclesiæ Episcopos Magnus Leo. Earumdem necessitatem in litteris ad Michaelem Augustum extollit etiam Nicolaus primus, affirmans ex ipsarum à Græcis neglectu omnia passim ipsorum schismata pullulasse. Futuro item Bulgarorum Archiepiscopo, ac ejus Synodo injungit quamvis dubiarum rerum & majorum negotiorum relationem, addens hunc esse morem universalis Ecclesiæ.

Notanda sunt Sancti Leonis verba: *Metropolitanus curabit instruere*. Etiam verba ibidem sequentia: *Si coram positis fratribus, nec tuo fuerit res sopita judicio, ad nostram cognitionem, quidquid illud est, transferatur*. Apostolica omnium Ecclesiarum sollicitudo non erat superfluis relationibus obtundenda. Hinc Clericus ad Episcopum, Episcopus ad Metropolitanum, Metropolita ad Primatem, Patriarcham, aut Apostolicum Vicarium, hi demum ad Papam poterant referre. Hinc Theodoro Forojulienſi Episcopo, per semetipsum referre auso, laudatus Leo Pontifex rescripsit: *Sollicitudinis tuæ hic ordo esse debuerat, ut cum Metropolitano tuo primitùs de eo, quod quærendum videbatur, conferres, & si id, quod ignorabat Dilectio tua, etiam ipse nesciret, instrui vos pariter posceretis, quia in causis quæ ad generalem observantiam pertinent omnium Domini Sacerdotum, sine Primatibus nihil oportet inquiri*. Ep. 91. cap. 1. Et infrà: *Hæc, Frater charissime, quæ ad interrogationem Dilectionis tuæ respondi, ne aliquid contrarium sub ignorantiæ excusatione gereretur, in Metropolitani tui notitiam facies pervenire*. Et de facta

facta ad se per Perigenem Corinthiorum Metropolitam relatione scripsit ad Rufum Thessalonicensem suum Vicarium Sanctus Bonifacius primus: *Nolumus Coepiscopo Perigeni nostram paginam destinare, priusquam tuas accipiamus epistolas*. Epist. 7. Per nullum Illyrici Metropolitam, sed per solum suum istic Vicarium sibi voluit referri. Ipsi à cunctis illic Episcopis obediri, sine ejus prævia confirmatione nullum consecrari Episcopum, nullam fieri Provincialem Synodum sine ejus facultate, ad ipsum referri à cunctis jussit etiam Cælestinus primus, atque adjunxit: *Per eum etiam ad nos, si quid est, referatur*. Ep. 13. Quod ipsum in litteris ad ejusdem Diœcesis Episcopos, nuper publicatis per Illustrissimum Lucam Holstenium, Sixtus tertius confirmavit. Eandem potestatem varii Pontifices dederunt suo Vicario Arelatensi. Et quidem etiam Theodoro Forojulienſi Episcopo respondere non debuerat magnus Leo: Fuit quæpiam in Metropolitam injuria. Quæstionis gravitas extorsit Responsum, & debita Metropolitæ reverentia jussit ipsum illi communicari.

Licet ergò non omnes, plures tamen per Occidentem Metropolitæ ad Papam immediatè potuerunt referre. Dico, *Per Occidentem*: Orientales enim Metropolitæ omnes aut Patriarcham habuerunt, aut autocephalum Primatem, ideoque non nisi ad ipsos immediatè potuerunt. Occidentalis Ecclesia nullum olim Primatem habuit nisi Carthaginensem, nullumque Apostolicum Vicarium nisi Thessalonicensem ac Arelatensem, ideoque cuncti extra has Diœceses Metropolitæ ad Papam olim proximè referre & poterant & debebant. Nec tantum è suis Synodis, sed quoties causa exigebat. Plurima sunt istiusmodi exempla. Et hinc intellige Sancti Leonis Magni litteras ad Episcopos Viennensis Provinciæ: *Nobiscum vestra Fraternitas recognoscat Apostolicam Sedem, pro sui reverentia, à vestræ etiam Provinciæ Sacerdotibus, innumeris relationibus esse consultam*. Apostolicæ Sedis Papalem Primatum adversùs Hilarii Arelatensis Episcopi præsumptiones quidam existimant prædicari. Malè. Eum quippè nec Hilarius, nec ullus eo usque Gallicanus Episcopus impugnaverat. Arelatensis Ecclesiæ in aliquot Provincias Primatum non Zozimi Pontificis in suum Antecessorem Patroclum beneficio, sed Sancti Trophymi meritis ac Episcopatui ille adscripsit: Huic Primatum illum dixit datum à Sancto Paulo Apostolo, à Zozimo dumtaxat reparatum, ideoque Apostoli institutionem à Sancto Leone non posse cassari. Repositi verò Pontifex Viennensis & vicinarum Provinciarum ad Apostolicam Sedem Relationes, non per Arelatensem Archiepiscopum, sed per proprios Metropolitas fuisse anteà semper factas, ideoque Primatum istum fuisse ignotum. Fatetur Relationes privativè ad Primatem spectare, atque ita Hilarii prætensionem ab anteriori Ecclesiarum praxi subverti. Quisque referre debuit ad suum immediatum Prælatum. Quæ Regula docet exemptos ac Sedi Apostolicæ immediatè subjectos Episcopos, non ad suæ Provinciæ Metropolitas, sed referre potuisse ad Papam. In litteris adversùs nepotem suum Hincmarus Metropolita Remensis rectè addit in causis, quas adversùs Metropolitam movet, quemvis Provincialem in Occidente Episcopum posse ad Pontificem, utpotè suum Patriarcham, proximè referre. Ep. 33. c. 6.

Quædam opponi possint. Etenim ad Sanctum Exuperium Tholosæ Episcopum scribit Sanctus Innocentius primus: *Dilectio tua, Institutum secuta prudentum, ad Sedem Apostolicam referre maluit, quid de rebus dubiis custodire deberet, potius quàm usurpatione præsumpta, quæ sibi viderentur de singulis obtinere*. Exuperius, licèt Provincialis dumtaxat Episcopus, laudatur ad Papam retulisse, adeoque hisce etiam Episcopis videtur id licuisse. Ad eundem item Pontificem Decentius Eugubinus, Felix Nucerianus, & quidam Apuliæ Episcopi retulerunt. Septimius quoque Ep. 85. Altinas in Venetiarum Provincia Episcopus à Sancto Leone Magno de facta ad ipsum relatione laudatur. Et ad Theodoretum Cyrensem in Euphratesia Provincia Episcopum de Nestorii & Eutychetis per omnem Antiochenum Patriarchatum grassantibus reliquiis scripsit idem Pontifex: *Unde in hoc quoque tuæ Vigilantiæ sollicitudine volumus adjuvari, ut tua relatione currente, quid apud illos religionis doctrina Dominica proficiat, Apostolicam Sedem festines instruere, quatenùs illius regionis Sacerdotes adjuvemus*. Nec desunt alia hujusmodi exempla. Respondeo tamen Regulam nostram esse certam, ac in litteris ad nobilem virum Senarium laudari etiam à Sancto Avito Archiepiscopo Viennensi: *Cum à Provincialibus meis consulor, respondere etiam ego, ni Priorem*, Romanum utique Pontificem, Ep. 36. *consulam, non præsumo*. Etiam in quæstionibus, quas ipse non intelligit, ait à Provincialibus Episcopis, non Pontificem, sed sè Metropolitam esse consulendum. Et hinc Septimium Altinatem Episcopum, quoniam periculosissimos Pelagianæ hæresis dolos referebat, laudavit quidem Magnus Leo, attamen non ipsi, sed ejus Metropolitæ Nicetæ Aquilejensi Episcopo rescripsit suum Decretum. Præterea, non tantùm dolos istos, sed & dicti Metropolitæ sui de ipsis negligentiam Septimius retulerat. Porrò & Nestoriana, & Eutychiana hæresi, ac exinde multis Episcoporum discordiis laborabat tunc Antiochenus Patriarchatus, varii Metropolitæ erant suspicionibus obnoxii, Theodoretus autem in Chalcedonensi Concilio suam pro Romana fide, & Apostolicæ Sedis auctoritate constantiam insigniter ostenderat, pleneque purgaverat suum in Ephesina Synodo lapsum. Hinc hæresios illius statum & motum referendi potestatem laudatus Pontifex illi fecit. Pro singulari ista materia erat facultas dispensatoria ac singularis. Eugubium, Nuceria, Apulia, Calabria, & omnis ista Italia nullum tunc habebat Metropolitam, nisi Romanum. Hinc præfati Episcopi ad Innocentium primum, non uti ad Papam, sed uti ad Metropolitam retulerunt ac referre debuerunt. Sancti Exuperii ad eundem

Pontificem relatio fuit singularis: Summis ejus in omnem Ecclesiam meritis indulta. Etiam tunc Barbaris calamitatibus plena erat omnis Narbonensis Provincia, atque ita ejus forsan Metropolita non potuerat referre.

Referri non potuerunt causæ quælibet, sed majores dumtaxat, ac difficiles, seu dubiæ, quas Metropolita, Primas, Patriarcha, aut ipsorum Synodi ex Canonicis Scripturis, Sacris Canonibus, aut aliis Ecclesiasticis fontibus non poterant lucidè & plenè definire. Pro lucida quæstione recursum esse non relationem, sed superfluam Pontificis inquietationem rectè adfirmat in litteris adversùs nepotem suum Hincmarus Remensis. Loquitur ex Sancti Leonis Epistola ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum, Apostolicæ Sedis in Illyrico Vicarium: *Si fortè* in Provinciali Synodo *de majoribus peccatis causa nascatur, quæ Provinciali nequeat examine definiri, Fraternitatem tuam de totius negotii qualitate Metropolitanus curabit instruere, & si coram positis partibus, nec tuo fuerit res sopita judicio, ad nostram cognitionem, quidquid illud est, transferatur*. Transferri vult non quasvis causas, sed solas istas, quas Vicarius non potuerit sopire. Sola *majora negotia, & difficiles causarum exitus* mandat referri, & sub suæ sententiæ exspectatione suspendi. Et Sanctum Exuperium laudavit Innocentius primus, quòd *referret ad Sedem Apostolicam, quid de rebus dubiis custodire deberet*, & depositа verecundia mallet discere, quàm omninò nescire. Et adjunxit: *Mibi quoque ipsi de collatione docilitas accedit, dum perscrutatis rationibus ad proposita respondere compellor. Eoque fit ut aliquid semper addiscat, qui postulatur ut doceat*. Eas solas, quibus decidendis & ipse cogatur studere, quæstiones adfirmat sibi referendas. Et ad diversarum in Gallia Provinciarum Episcopos scripsit Hilarus Papa: *In dirimendis gravioribus causis, & quæ illic non potuerunt terminari, Apostolicæ Sedis sententia consulatur*. Et ad Sanctum Bonifacium, suum in Francia Vicarium Pontifex Zacharias: *Si novi aliquid acciderit quod tua Fraternitas minimè per Canonum Instituta discernere possit, hoc nobis non te pigeat insinuare*. Plurima sunt ejusmodi testimonia. Et hinc ad Paschalem secundum non malè olim scripsit Clerus Leodiensis: *Provinciales Synodorum ex antiqua traditione tenemus, & quidquid ibi de Scripturis sanctis definitum fuerit, Romam non refertur, usque ad graviora negotia, de quibus non reperitur in Scripturis sanctis auctoritas*. Per graviora negotia nequaquam majora intelligunt, sed dubia seu difficilia, *quæ magnam*, scribit ad Nicetam Aquilejæ Episcopum Sanctus Leo, *difficultatem dijudicationis videntur adferre*. Hæc igitur omnia licèt non majora, omnino fuerunt referenda. Nec tantùm post, sed omninò ante quamvis decisionem. Ante Papale Responsum nullus Metropolita, nullus Primas, nullus Patriarcha, nullus Apostolicus Vicarius aut Legatus, nulla ipsorum Synodus potuit se relatæ causæ miscere. Relatio ipsam Apostolicæ Sedi devolvebat & reservabat. Ita palàm lucet ex adductis testimoniis. Et ad Ægypti Orthodoxos in Palæstina exulantes Episcopos, de Marcelli Ancyrani olim Episcopi dubia causa ausos statuere, rectè scripsit Magnus Basilius: *Vobis ipsis rem tanti momenti permisisse non debuistis, sed quotquot sunt vestræ communionis, seu per Occidentem, seu per Orientem, eorum exspectasse calculos & sententiam*. Eos arguit, quòd sermones suos in judicio non dispensassent. E Romana Republica desumptam esse hanc Regulam dixit suo olim Clero & populo Sanctus Augustinus: *Etiam in negotiis sæcularibus, quando causæ dubitatio ad majorem Potestatem refertur, pendente relatione, nihil audent Judices commutare*. Quod ipsum repetit in litteris ad Felicem & Hilarinum Episcopos, additque causam: *Ne superiori Cognitori fiat injuria*. Christianam Ecclesiam non tantùm in dogmate & fide, sed etiam in moribus & disciplina oportet esse concordem & unam, ideoque cuncta de illis dubia per supremam ipsius unitatis Cathedram sunt decidenda.

Majores causæ sunt variæ. Primum locum habet dogma & fides, ideoque cuncta de illis nova quæstio, omnisque adversùs illam, aut ipsius, licet dumtaxat Clericos aut Laicos, auctores vel Sectarios Synodalis decisio fuit semper Romam referenda. Ita Arii Presbyteri sui causam, suum de ipso judicium & Acta varia, Alexander Patriarcha Alexandrinus retulit Sancto Sylvestro Pontifici, & hic ad ista componenda in Ægyptum legavit Hosium Episcopum Cordubensem. Etiam Origenis Presbyteri novitates fuisse Fabiano Pontifici relatas, lucet ex Sancti Hieronymi Epistola ad Pammachium. Pelagii item & Cælestii, dumtaxat Monachorum, causas Innocentio primo retulerunt Episcopi Africani. Sine negligentiæ culpa non potuisse id à se omitti professa fuit Milevitana Synodus, reposuit verò Pontifex hanc esse antiquam traditionem, atque Ecclesiasticam disciplinam, & in Rescripto ad Carthaginensem Synodum adjunxit: *Quòd Instituta Patrum Sacerdotali custodientes officio non censetis esse calcanda, quòd illi non humana, sed Divina decrevere sententia, ut quidquid de disjunctis remotisque Provinciis ageretur, non priùs ducerent finiendum, nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret, ubi tota hujus auctoritate, justa quæ fuerit pronunciatio, firmaretur*. Cujuscumque Synodi de quavis hæresi aut Hæretico judicium adfirmat non dumtaxat referendum Pontifici, sed & ab ipso confirmandum: Et hanc non humanam esse legem, sed Divinam. Et pluribus confirmat. Omnino omnem de fide novitatem ex antiqua Ecclesiarum consuetudine esse referendam scripsit ad Cælestinum Pontificem etiam Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus. Quòd & Atticus Constantinopolitanus Episcopus suam de Cælestii dogmate & tentata ad generalem Synodum appellatione sententiam retulisset, in litteris ad ejus Successorem Nestorium testatur & laudat laudatus Pontifex Cælestinus. Exstant Epistolæ in Actis Ephesini Concilii. Et hinc inter cætera vitia, ob quæ Diospolitanam Synodum Innocentius primus dixit aut suppositiam aut caducam, fuit omissio relationis. Vide ejus litteras ad Aurelium & alios quatuor Episcopos Africanos. Et Sanctum Flavianum Constantinopolitanum Episcopum, quòd suum de Eutychetis Presbyteri lapsu ac damnatione Synodale judicium non statim retulisset, meritò Sanctus Leo Magnus increpavit, indignatus istud sibi ex damnati appellatione priùs innotuisse. Ejus item Successorem Anatolium, quòd Atticum Presbyterum suum, de Eutychiana lepra suspectum, tempestivè non retulisset, idem Pontifex increpavit. Ex quibus vides non solùm Hæresiarchas, & novos ac nondum damnatos Errones, sed etiam jam damnatorum sequaces Clericos fuisse Romam referendos. Et hinc adversùs Petrum Abaelardum, à Senonensi Synodo appellantem ad Romanum Pontificem, non rectè scripsit Sanctus Bernardus: *Appellavit ab Electis Judicibus, quod putamus non licere*. Ab Electorum enim Judicum inappellabili auctoritate eximuntur fidei quæstiones, quæ non solùm per appellationem, sed & per relationem ad Sedem Apostolicam debent semper devolvi ac suspendi. Et hinc laudata Synodus dictam appellationem *reverentiæ causa* tandem admisit. Attamen causa hæc, dum quidem liquida est, non nisi post Episcopale judicium debet referri. Ita enim de cunctis majoribus ad Victricium Rothomagensem Episcopum Innocentius primus ex Nicæno Canone & beata Ecclesiarum consuetudine rescripsit. Quod intelligo de damnationis, non de absolutionis judicio. Cujuscumque enim Hæretici absolutio semper fuit Apostolicæ Sedi reservata. Nec tantùm in Occidentali Ecclesia, sed etiam in Orientali. Hinc enim ex Asiatica Praxeam, & ex Pontica Diœcesi Marcionem fuisse pro absolutionis gratia Romam profectos testantur Tertullianus & Sanctus Epiphanius. Eam nulla Synodus sine prævia relatione attentare poterat. Quod est alibi elucidandum.

Secunda gravior causa sunt negotia spectantia ad generalem Ecclesiæ disciplinam, statum, aut pacem. Hinc enim quosdam Ægypti apud Palæstinæ Diœcesareæam exulantes Confessores Episcopos, quòd sermones suos in judicio non disposuissent, suprà arguit Magnus Basilius. Nempè de Marcelli Ancyrani Episcopi, quæ omnem tunc movebat Ecclesiam, causa nescio quid statuerant, nec retulerant ad Romanam Sedem. Et Nectarii Constantinopolitani Episcopi factam à prima ibidem Synodo ordinationem ex Romanæ relationis defectu fuisse caducam atque infirmam, statim audiemus à Sancto Bonifacio primo Pontifice, & Magno Imperatore Theodosio. Nempè & ex ipsa pendebat pax Ecclesiasticæ inter Orientem & Occidentem communionis. Et Carthaginensem Proconsularis Provinciæ Synodum, quòd suum de Pelagiano errore judicium retulisset, laudans Innocentius primus addidit: *Per cunctas terrarum orbis Ecclesias omnibus unà quod profit, decernendum esse deposcitis*. Et ad Milevitanam Byzacenæ (*a*) Provinciæ Synodum: *Retulit Dilectio vestra, quod per totum mundum possit omnibus Ecclesiis in commune prodesse*. Ad firmat quasvis generale Ecclesiæ bonum tangentes causas esse ad Apostolicam Sedem à quavis Synodo referendas. Adjungit esse perpetuam Ecclesiarum consuetudinem. Ex eodem fonte non dumtaxat fidei Decretum, sed & disciplinæ Canones referre semper debuerunt etiam Œcumenica Concilia. Hinc enim adversus tertium, cui suum vigesimum octavum superædificarat Chalcedonensis Synodus, Constantinopolitanæ Synodi Canonem scripsit ad Anatolium ejusdem civitatis Episcopum Magnus Leo: *Persuasioni tuæ in nullo penitus suffragatur quorumdam Episcoporum ante sexaginta annos facta subscriptio, numquamque à Prædecessoribus tuis ad Apostolicæ Sedis transmissa notitia, cui ab initio sui caducæ, dudumque collapsæ, sera nunc & inutilia subjicere fomenta voluisti*. Eum dicit etiam dudum plenè collapsum, & à sui exordio fuisse caducum, quòd sui ipsum auctores ad Apostolicam Sedem numquam retulissent. Et ad Clerum ac populum Constantinopolitanum scribit Sanctus Innocentius primus: *Canonibus obsequendum esse scribimus, qui Nicææ sunt decreti, quos solos consectari decet Ecclesiam Catholicam, & juxta eos judicare. Si alii à quopiam proferuntur, à Nicænis Canonibus dissonantes, & hæreticos auctores referentes, ii à Catholicis Episcopis rejiciuntur. Hæreticorum namque Inventa Catholicis Canonibus non sunt adnectenda*. Agit in Antiochenos Canones, quibus sua in Sanctum Joannem Chrysostomum judicia firmare conabatur profana ad Quercum Synodus, & quorum caducitatem non ex auctorum hæresi, sed ex alio principio desumunt Socrates & Hermias Zozomenus: *Julius* Pontifex ad Antiochenam *Synodum scripsit, atque increpuit, quòd contra Ecclesiæ leges ipsum ad Concilium non vocassent. Nam legem esse spectantem ad Sacerdotii dignitatem, quæ pronunciat Acta illa irrita esse, quæ præter sententiam Romani Episcopi constituuntur*. Ipsorum Decreta Julius culpat de duplici vitio: Quòd sine suo mandato prodiissent, & quòd ad ipsum non fuissent relata. Et certè in nervoso suo ad dictam Synodum Rescripto nullam facit Canonum mentionem: Quòd nempè etiam istius relatio nullam feciſſet. Quotquot habemus à generalibus Synodis authenticos Canones, relati fuerunt & approbati: Aut sanè quis successor Pontifex, aut longus Ecclesiarum consensus supplevit vitia, & ex caducis fecit firmos. Cuncta istarum etiam Synodorum, licèt ad Apostolicæ Sedis mandatum ac suffragium facta, Decreta semper habuerunt onus & relationis faciendæ & accipiendæ confirmationis.

Tertia major causa est degradatio cujuscumque Episcopi. At quæstio est, An ita sit ex jure antiquo? Rationem dubitandi faciunt Gallicani Episcopi, qui Rothaldum Suessionensem Episcopum degradarant in Sylvanectensi Synodo, atque adversùs Romanam ejus appellationem scripserunt ad Nicolaum primum Pontificem: *Judicia Episcoporum non sunt majora negotia, nec difficiles quæstionum exitus*. Quod ipsum in suis ad eumdem Pontificem litteris variè confirmavit istius Synodi Præses Hincmarus Remensis.

Cap. 34.

Ep. 4. c. 9.

Ep. 1. c. 7.

Ep. 79. c. 1.

Ep. 3.

Ep. 77.

Ep. 137.

Ep. 136.

Ep. 189.

Ep. 190.

Ep. 65. c. 4.

Ep. 91.

Ep. 293.

L. 1. Ep. 1420.

(*a*) Numidiæ. *Adn. Noris.*

L. 3. c. 9.

Ep. 47.

sis. Respondeo dictam Synodum longè aliter censuisse & egisse. *De Rothaldi damnatione*, inquit in suo ad ipsam Rescripto laudatus Pontifex, Ep. 21. *Apostolicæ Sedi jure referre studentes, petistis ut nostra etiam auctoritate rata esse probarentur, quæ de eo apud vos in Concilio acta esse perhibuistis.* Rothaldi damnationem non ab illo appellante, sed ab ipsa statim Synodo laudat fuisse relatam. De majoribus causis referendis notanda sunt verba Innocentii primi: *Post Episcopale judicium referantur.* Talem Episcopalium degradationum relationem semper admisit Gallicana Ecclesia, neque de ipsa adversùs Apostolicam Sedem umquam disceptavit. Disceptavit de sola facienda ante Episcopale judicium. A supposititiis, per Isidorum Mercatorem deportatis in Galliam, antiquorum Pontificum Decretalibus Episcopis persuasus Nicolaus primus nullum sine prævia ad se relatione & prævia sua venia voluit degradari posse Episcopum, ideoque Rothaldi, licèt non appellasset, damnationem esse irritam & nullam. Constanter id cum dicta Synodo negavit Hincmarus, asseverans tanta paratura ad solos Metropolitas, nequaquam ad Provinciales Episcopos, suis Synodis permissos à quinto Nicæno Canone, damnandos esse opus. Firmo fundamento nitebatur, causam tamen obtinuit Romana Ecclesia, atque ita ex illo tempore nullus etiam Provincialis Episcopus sine prævia relatione potest degradari. Quòd autem Provincialium Episcoporum damnatio post Episcopale judicium fuerit semper relata, lucet ex Vigilii Pontificis ad Eutherium Episcopum Rescripto: *Ad Romanam Ecclesiam summa Episcoporum negotia, & judicia, atque querelæ, quasi ad caput, semper referenda sunt.* Ipsorum degradatione nullum est majus negotium aut judicium. Hic enim *non tam de humanis Constitutis, quàm de Divinæ quodammodo Benedictionis refragatione tractari*, ad Natalem Salonitanum Episcopum, Dalmatiæ Metropolitam, rectè scripsit Magnus Gregorius. Et Contumeliosi Rejensis Episcopi degradationem Joanni secundo retulit Sanctus Cæsarius Arelatensis Episcopus, Apostolicæ Sedis in Gallia Vicarius. Omnes item à se degradatos Episcopos Julio primo retulit Synodus Sardicensis. Et de quarumdam causarum omissa relatione redargutus Sanctus Cyprianus Carthaginensis Episcopus, Africanæ Diœceseos Primas, respondit Sancto Cornelio: *De hoc tibi non scripseram, quando hæc omnia contemnantur à nobis, & miserim tibi proximè nomina Episcoporum istic constitutorum, qui integri & sani in Ecclesia Catholica fratribus præsunt. Quod utique ideò de omnium nostrorum consilio placuit scribere, ut erroris diluendi ac percipiendæ veritatis compendium fieret, & scires tu & Collegæ nostri, quibus scribere, & litteras mutuò à quibus vos accipere oporteret. Si quis autem præter hos, quos Epistola nostra complexi sumus, scribere vobis auderet, sciretis eum vel sacrificio, vel libello maculatum, vel unum de Hæreticis perversum & profanum.* Quocirca cujuscumque Episcopi de isto catalogo per degradationem ratio erat Pontifici omnimodo referenda. Hinc Privatum Lambesitanum Exepiscopum addit & Donati Antecessoris sui & Fabiani Pontificis litteris fuisse severissimè notatum: Quòd nempè ejus degradationem Donatus Fabiano retulisset. Eundem Africanæ Ecclesiæ morem laudat Sanctus Augustinus, de Secundi Tigisitani Episcopi, tunc per Numidiam Primatis, Carthaginensi Cæciliani & ejus Ordinatorum Episcoporum Damnatrice Synodo scribens ad Donatistas: *Quia non erant quæ in Cæcilianum & Ordinatores ejus transmarino judicio probarentur, propterea nec priusquam in eum sententias dicerent, differre voluerunt, nec posteaquam dixerunt, perseveranter id agere, ut Ecclesiæ Transmarinæ in notitiam perferretur, quorum Traditorum in Africa damnatorum communionem vitare deberet.* In dicta Synodo culpat duo. Primo, quòd à Cæciliano ob legitimas rationes recusatus Secundus causam non remiserit ad Sedem Apostolicam, à qua ille, utpotè totius Africæ Primas, erat etiam in prima instantia judicandus. Secundò, quòd damnatorum Episcoporum nomina etiam post suum Episcopale judicium non retulerit Romam, utpotè sciens ipsum fuisse temerarium ac perversum. Referendum fuisse dicit, ut Roma sciret, quorum Traditorum in Africa damnatorum communionem vitare deberet. Ob ejus relationis & confirmationis defectum addit judicium istud à Cæciliano & ejus Collegis non fuisse curatum, quòd nempè ambæ illæ essent de hujus substantia, ideoque ipsarum omissio hoc redderet nullum penitus & vanum.

L. 2. Ind. 11. Ep. 8.

Epist. 55.

Ep. 162.

Quarta causa major sunt conjugalia Regum divortia. Etenim Lotharii Francorum Regis à Theutberga Regina divortium Nicolao primo Pontifici retulit, & se ad referendum obligari professa olim fuit Synodus Aquisgranensis. Et quòd causa ista non solum major, sed insuper dubia esset atque difficilis, non dumtaxat post, sed omninò ante judicium debuisse referri laudatus Pontifex asseveravit. Etiam apud Radulphum de Diceto exstat Cælestini tertii ad Michaelem Senonensem Metropolitam Epistola, & ipsum & alios Galliæ Episcopos graviter arguens, quòd Philippi Augusti Regis cum Regis Daniæ sorore matrimonium sine prævia ad Apostolicam Sedem relatione dissolvissent. Egisse adfirmat contra avitum Gallicanæ Ecclesiæ, immò & totius Christianitatis morem, cassatque omnia. Unde ad ejus Successorem Innocentium tertium eadem causa fuit rursum devoluta. Hodie omnes ferè Reges sunt ab Episcoporum potestate exempti, & ab ipsis nec excommunicari, nec interdici, nec puniri possunt: Hinc in illos sine prævia relatione nihil possit ab Episcopis attentari. Omnes majores causas compendio edicit Basilensis Synodus: *Romanus Pontifex Consistoria publica teneat, in quibus negotia Ecclesiarum Cathedralium, Monasteriorum, Principum, ac Universitatum, aliaque magni ponderis audiat.* Eadem omnia, dum ab Episcopis aut Synodis tractantur, Pontifici esse referenda noster Gregorius dictavit.

Nec solum majores, sed etiam quasvis dubias

bias aut difficiles causas omnis semper Metropolita, Patriarcha, atque Synodus debuerunt referre. Etenim ad Milevitanam Byzacenæ Provinciæ Synodum scripsit primus Innocentius: *Diligenter & congruè Apostolico consulitis honori, super rebus anxiis quæ sit tenenda sententia. Antiquæ scilicet Regulæ formam secuti, quam toto semper ab orbe mecum nostis esse servatam.* Et dubiam causam Epist. 36. quærenti viro illustri Senario respondit Sanctus Avitus Viennensis Archiepiscopus: *Dum à Provincialibus meis consulor, respondere etiam ego, ni Priorem, utique Apostolicam Sedem, consulam, non præsumo.* Apostolicus Canon omnes, non solum Metropolitanos, sed etiam Provincias les Episcopos accipiendæ consecrationis gratia mandat accedere ad Patriarchæ manus, aut certè non nisi ad prævium ejus examen & litteras consecrari. Eustatiani schismatis diuturnitas hocce Antiocheni Patriarchæ jus graviter læserat per omnem Orientalem Diœcesim. Metropolitæ suos Suffraganeos suo passim nutu consecrabant. Post exstinctum schisma Alexander Patriarcha laudatum Apostolicum Canonem reparare conatus est, verùm Metropolitis favebat vetusta consuetudo. Hinc anxium & difficilem casum ille Ep. 18. retulit Innocentio primo, & exstat hujus Rescriptum. Quævis olim Basilica habere non poterat nisi unicum Altare: Et antiqua Græcorum consuetudo in eodem iterari eodem die sacrificium non permisit. Plures & vastas Basilicas habebat Alexandrina civitas, nihilominùs numerosissimo populo quandoque non sufficiebant. Magnis in festis aut iterari in eodem Altari sacrificium, aut magnam populi partem oportebat illo Ep. 81. privari. Hunc etiam arduum casum Magno Leoni retulit Patriarcha Dioscorus, & exstat illius Rescriptum. Arianum Valentis Imperium, ac ejus in Nicænam fidem violentia Catholicam Orientalis Ecclesiæ communionem multis nævis ac perplexitatibus intricaverat, ideoque ad Damasum Pontificem scripsit Magnus Basilius: Ep. 220. *Horum certè malorum remedium esse unicum arbitramur miserationis tuæ visitationem, & sollicitudinem.* Non Rescripta, sed Legatos adfirmat necessarios, atque concludit: *Prorsus nihil intempestivum cupimus, sed quod beatis olim viris & Deo carissimis in more positum fuit, & omnium imprimis familiare vobis ipsis. Novimus enim partim beneficio memoriæ per successionem rerum à Patribus ad nos deductarum, partim per litteras edocti intelligimus, quæ sunt etiamnum apud nos custoditæ, Dionysium illum beatissimum Episcopum, qui olim apud vos celeberrimus erat, per litteras suas Ecclesiam nostram Cæsarienſem curasse, & misisse huc de suis qui fratres liberaret à captivitate. At verò præsens nostrarum rerum status multò est, quàm ille fuit, difficilior, multo depressior & calamitosior, & multò majorem flagitat sollicitudinem.* Ex quibus lucet non solum à spectantibus ad Romanum Patriarchatum Metropolitis, sed etiam ab autocephalis per Orientem Primatibus, ac ipsis Patriarchis dubias & difficiles causas fuisse semper relatas ad Apostolicam Sedem, & hanc esse perpetuam consuetudinem. Et hinc ad Rufum Thessalonicensem Episcopum rectè scripsit Bonifacius primus: *Quia res postulat, approbandum est documentis, maximas Orientalium Ecclesias in magnis negotiis, in quibus opus esset disceptatione majori, sedem semper consuluisse Ro-* Ep. 10. *manam, & quoties usus exegit, ejus auxilium postulasse.* Probat exemplis variis, quorum adducò unicum: *Clementissimæ recordationis Princeps Theodosius Nectarii* Constantinopolitani Episcopi à Constantinopolitana Synodo factam *ordinationem propterea quia in nostra notitia non esset, habere non existimans firmitatem, missis è latere suo Aulicis cum Episcopis, Formatam huic à Sede Romana dirigi regulariter depoposcit, quæ ejus Sacerdotium roboraret.* Nectarii igitur Episcopatum, quousque & relatus ad Apostolicam Sedem, & ejus Rescripto firmatus esset, Theodosius noverat esse infirmum atque caducum. Erat enim causa difficilis, & ad universalis Ecclesiæ pacem spectabat.

Quidam Romanum Primatum truncare aut contrahere studentes, Romanas ex alienis præsertim Patriarchatibus appellationes affirmant introductas à Sardicensi primum Synodo, & anteà viguisse solas graviorum, & dubiarum causarum relationes. Graviter labuntur. Attamen laudatum Primatum, licèt decurtent, non evertunt. Etenim relatio habet omnes appellationis effectus, devolvit atque etiam suspendit omnia, & ita referentium Synodorum & Patriarcharum judicia Romano Episcopo plenè subjicit, atque ad ejus usque confirmationem profitetur nutare, & non esse rata. Quare Sanctus Pontifex Nicolaus primus, dum Episcoporum degradationes non amplius post, sed deinceps ante datam sententiam voluit referri ad suam sedem à Provinciarum Synodis, fecit aliquam Antiqui moris & Canonis mutationem, sed valde modicam: Nam etiam posterior relatio suspendebat sententiam, & non nisi per Papalem confirmationem permittebat transire in rem judicatam. Et hinc eruditus, & astutus Remensium Metropolita Hincmarus dixit Provincialium Episcoporum degradationes non esse causas majores, ideoque nec referendas. Evincere sic speravit Nicolai Decretum esse penitùs novum, ac Provinciarum Synodis nimis injuriosum, ideoque circumducendum. Verùm ædificabat in arena: Provincialium enim Episcoporum degradatio semper fuit inter majores Ecclesiæ causas.

Exponitur quoddam Corollarium.

EX hiſce ſubvertuntur, ac ſurſum deorſum cadunt omnia, quæ ad Joannem Molendinum ſcripſit Joannes Launojus. Exhibeamus illi charitatem ac reverentiam, quam humanum ſuum errorem zelanti Sancto Cypriano exhibuit in libris de Baptiſmo adverſùm Donatiſtas Sanctus Auguſtinus. Dicteria, quibus Sanctum Stephanum Pontificem irata pacifici Epiſcopi lingua percuſſerat, nec memoranda ille duxit nec refutanda, ſed ſepelienda ſempiterno ſilentio. Etiam à dicto Doctore præcipitata in Eminentiſſimos Sancti Officii Præfectos Dominos Cardinales verba conemur nos circumducere, & radere de omnium Lectorum memoria. Errorem breviter revincamus. Hæc laudati Sancti Officii verba, *Ad Sedem Apoſtolicam dumtaxat pertinet controverſias fidei, & morum univerſalis Eccleſiæ definire*, durè inſectatur memoratus Launojus: Ab illis ſubverti exiſtimat omnem & Provincialium & generalium Synodorum utilitatem atque auctoritatem, immò omnem Eccleſiæ Hierarchiam. Verùm ſine fundamento.

Etenim ad Eutychetem Archimandritam & & Hæreſiarcham, de Sancti Flaviani Conſtantinopolitani Epiſcopi Synodico in ſe judicio conquerentem, reſcripſit Sanctus Petrus Chryſologus Ravennæ Archiepiſcopus: *In omnibus hortamur te frater honorabilis, ut his quæ à beatiſſimo Papa Romanæ civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas, quoniam Beatus Petrus, qui in propria ſede vivit & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro ſtudio pacis & fidei, extra conſenſum Romanæ civitatis Epiſcopi, cauſas fidei audire non poſſumus.* Petrus Chryſologus nequaquam erat Curialis Theologus, ſed Metropolitanus numeroſæ Synodi Epiſcopus, & tamen profitetur fidei cauſas à ſe nec audiri poſſe, ſed privativè id ad Romanum Epiſcopum pertinere. Eademque videtur fuiſſe ratio omnium ad Romanum Patriarchatum ſpectantium Metropolitarum.

Quæ diſciplinæ forma viguit etiam in Alexandrino Patriarchatu. Etenim poſt damnatum ejus à Chalcedonenſi Synodo Patriarcham Dioſcorum, & pronunciatum atque à cunctis Epiſcopis ſubſcriptum fidei contra Eutychianam perfidiam Decretum, ad ſubſcriptionem poſtulati & Ægyptii Epiſcopi interceſſerunt per libellum, quo in Sancti Marci & Succeſſorum Epiſcoporum fide ſe firmos perſiſtere ſunt proteſtati, atque omnes uſque ad Neſtorium priores hæreſes anathematizarunt, verùm de Eutychiana penitùs tacuerunt. Libellus Synodo diſplicuit, & in ipſum omnes Epiſcopi exclamarunt: *Dogma Eutychis quare non anathematizarunt? Cum impoſtura petitiones porrexerunt. Epiſtolæ Leonis ſubſcribant, anathematizantes Eutychem & dogmata ejus. Conſentiant Epiſtolæ Leonis. Illudere nos volunt, & decipere.* Et Diogenes Cyzici Epiſcopus ac Helleſponti Metropolita adjunxit: *Synodus propter Eutychen facta eſt, & non propter aliquid aliud.* Quales interlocutiones fecerunt & alii plures Epiſcopi. Et Ægyptii per Hierachum Aphnaitarum Epiſcopum repoſuerunt: *Si quis præter iſta, quæ à nobis in petitionibus porrecta ſunt, ſapit, ſive Eutyches, ſive alter aliquis, anathema ſit. De Epiſtola autem Sanctiſſimi Archiepiſcopi Romani Leonis ſciunt omnes ſanctiſſimi Patres noſtri, quia in omnibus exſpectamus ſententiam Beatiſſimi noſtri Archiepiſcopi, & petimus veſtram Clementiam exſpectare Præſidis noſtri ſententiam, quia eum in omnibus ſequemur. Quia & ſanctiſſimi Patres, qui in Nicæa congregati ſunt trecenti decem & octo, hanc Regulam dederunt, ut ſequatur omnis Ægyptiaca Regio Archiepiſcopum magni nominis civitatis Alexandrinæ, & nihil abſque ipſo agatur ab aliquo ei ſubjacente Epiſcopo.* Erat peremptoria exceptio. Et hinc Euſebius Dorylæi in Phrygia Epiſcopus, ac primus Eutychetis accuſator reddidit cum impetu: *Mentiuntur.* Moderatiùs reſpondit Florentius Sardenſis Epiſcopus ac Metropolita Lydiæ: *Oſtendant quod dicunt.* Poſt multos etiam Apoſtolici Legati per ſuum Principem Sanctum Paſchaſinum ſunt interlocuti: *Tot annorum Epiſcopi in Eccleſia ſeneſcentes, uſque ad hoc tempus fidem rectam & Catholicam ignorant, & exſpectant alienam ſententiam?* Ad quod Oraculum omnes Epiſcopi exclamarunt: *Qui non ſubſcribit Epiſtolæ Sanctiſſimi Archiepiſcopi Leonis, hæreticus eſt.* Et Acacius Ariarathiæ in Armenia Epiſcopus: *Incongruum eſt univerſalem Synodum prætermittere, & in unam perſonam attendere, quæ ſuſceptura eſt Epiſcopatum Alexandriæ magnæ civitatis. Intentio enim his eſt, ſicut in Epheſo perturbaverunt omnia, & ſcandalis compleverunt univerſum mundum, & nunc iſtam ſanctam & magnam Synodum perturbare. Petimus ut eis non concedatur, ſed aut conſentiant epiſtolæ, aut Regularem damnationem ſuſcipiant, & cognoſcant quia excommunicati ſunt.* Et Photius Tyri Epiſcopus ac maritimæ Phœniciæ Metropolita: *Quomodo conantur ordinationem facere non eadem ſapientes huic ſanctæ & univerſali Synodo? Si enim recta ſapiunt, oſtendant propriam intentionem, qualis eſt circa fidem, & ſuſcipiant epiſtolam Sanctiſſimi Archiepiſcopi Leonis. Si autem nolunt, excommunicati ſunt.* Et omnes Epiſcopi acclamarunt: *Omnes hæc dicimus, omnes ſic ſapimus.* Per plures iſtiuſmodi interlocutiones facta eſt dura concertatio. Quòd ſine ſui Patriarchæ auctoritate & conſenſu aliquid de fide ſynodaliter judicare non poſſent Ægyptii Epiſcopi, viſum

ſum eſt rationabile, verùm quòd definitivo generalis Synodi judicio non poſſent aſſentire & ſubſcribere, multi Epiſcopi non comprehenderunt: judicarunt eſſe dolum, quo hanc venerabilem & pacificam Synodum vellent denuò demutare in Epheſinum Latrocinium, & novis turbis totum Romanum Imperium arietare. Hinc illos dixerunt Hæreticos, & indignos qui ad novi Patriarchæ electionem redire in Ægyptum permitterentur. Voluerunt degradatos, & juxta Gratiani Imperatoris legem deportatos. Et Cecropius Sebaſtopolitanus in Armenia Epiſcopus addidit: *Univerſalis hæc Synodus Ægyptiaca Regione major eſt, & fide dignior. Et non eſt juſtum decem hæreticos audiri, & prætermitti mille ducentos Epiſcopos. Non enim nos nunc exigimus, ut pro aliis fidem ſuam oſtendant, ſed dicimus ut ipſi pro ſua perſona rectæ fidei conſentiant.* Et Euſebius Dorylæi Epiſcopus: *Procuratores ſunt iſti omnium Ægyptiorum, & debent univerſalem Synodum ſequi.* Et ad Magnificentiſſimos Judices Lucentius Eſculanus Epiſcopus ac Sedis Apoſtolicæ Legatus: *Hi errant. Doceantur per veſtram Magnificentiam. Quia non poſſunt decem homines præjudicium facere Synodo ſexcentorum Epiſcoporum, nec Catholicæ fidei.* Nihilominus poſt ejuſmodi plura iſti decem Epiſcopi perſtiterunt: *Extra voluntatem Archiepiſcopi noſtri non poſſumus ſcribere. Occidimur: Miſeremini noſtri. Morimur: Per veſtigia veſtra miſeremini noſtri. Moriamur à vobis, & non illic. Fiat hic Archiepiſcopus, & ſubſcribimus, & conſentimus. Miſeremini Canonum noſtrorum. Detur hic Archiepiſcopus. Novit Dei amantiſſimus Archiepiſcopus Anatolius, quia talis conſuetudo in Ægyptiaca Regione obtinuit, ut omnes Epiſcopi obediant Archiepiſcopo Alexandriæ. Non quia non obtemperamus Synodo, ſed occidemur in patria. Miſeremini noſtri, poteſtatem habetis, ſubditi ſumus, non recuſamus. Meliùs eſt nos mori à Domino mundi, & à veſtra Magnificentia, & ab hac Sancta Synodo, quàm illic. Propter Deum miſeremini iſtorum Canonum: Parcite decem hominibus, parcite. Meliùs eſt hic mori. Miſericordes ſunt Domini. Novit conſuetudinem Anatolius Archiepiſcopus. Hic ſumus uſque dum fiat Archiepiſcopus. Sedes noſtras volunt, tollant: Nolumus eſſe Epiſcopi. Solummodò non moriamur. Date Archiepiſcopum, & ſi contradixerimus, punite nos. Conſentimus his quæ decretat veſtra Poteſtas. Non contradicimus, ſed eligite Archiepiſcopum. Hic exſpectamus uſque dum ordinetur.* Anatolius Conſtantinopolitanus Epiſcopus anteà fuerat Alexandrinæ Eccleſiæ Archidiaconus: Hinc ad ejus conſcientiam conſtanter appellaverunt. Et ad hæc omnia audita atque conſiderata Glorioſiſſimi Judices, licet multis Epiſcopis reclamantibus, mutarunt mentem, atque edixerunt: *Quoniam Reverendiſſimi Epiſcopi Ægyptiorum, non ut repugnantes Catholicæ fidei, ſubſcribere in præſenti diſtulerunt Epiſtolæ Sancti Archiepiſcopi Leonis, ſed dicentes conſuetudinem eſſe in Ægyptiaca Regione extra ſententiam & juſſionem Archiepiſcopi nihil tale ſe poſſe, poſſunt autem ſuſtinere, donec conſecretur Epiſcopus qui ordinandus eſt magnæ civitatis Alexandriæ, rationabile nobis & clemens eſſe apparuit, ut in eodem habitu exſpectent in Regia civitate, & dilationem habeant uſque ad ordinationem Archiepiſcopi magnæ civitatis Alexandriæ.* Quæ ſententia Sancto Paſchaſino perplacuit, ideoque Glorioſiſſimi Judices perrexerunt: *Sanctiſſimi Paſchaſini ſit firmum judicium. Undè permanentes in proprio habitu Reverendiſſimi Epiſcopi Ægyptiorum aut dent fidejuſſores, ſi hoc illis eſt poſſibile, aut per Sacramentum eis credatur, quia exſpectant ordinationem futuri Epiſcopi magnæ civitatis Alexandriæ.* Quod Edictum eſt tantæ auctoritatis, ut plures antiqui Codices ipſum referant inter hujus Synodi Canones.

Ægyptiaca Diœceſis fuit vaſtiſſima. Etenim in Tractoriis ad ſecundam Epheſinam Synodum litteris Patriarchæ Dioſcoro ſcripſit Imperator Theodoſius: *Sanctitas tua, ſumptis ſecum decem Reverendiſſimis Metropolitis Epiſcopis, qui ſub tua degunt Diœceſi, Epheſum convenire feſtinet.* Totidem Provincias iſti Diœceſi adſcribit Epiſcopalium Sedium notitia, edita per Leonem Sapientem. Et quin quævis Provincia habuerit ſuam Synodum, non eſt quod dubitemus. Et ipſarum quævis fidei controverſias adeo definire non potuit ſine auctoritate Patriarchæ, ut nec generalis Synodi de fide Decretum potuerit habere ratum, aut ſubſcribere. Omnes iſtic Metropolitas atque ipſorum Synodos conſtrinxit laudata per Sanctum Petrum Chryſologum regula: *Nos extra conſenſum Alexandrini Epiſcopi cauſas fidei audire non poſſumus.* Et ad Patriarchalem Sancti Athanaſii obedientiam è Meletiano ſchiſmate rediens cum ſuo Clero Arſenius Hypſelitarum Epiſcopus fecit hanc profeſſionem. *Nos diligentes pacem & unanimitatem cum Eccleſia Catholica, cui tu per Dei gratiam præfectus es, volenteſque Eccleſiaſtico Canoni pro veteri inſtituto ſubjici, ſcribimus tibi Pontifex Dilecte, promittimuſque in nomine Domini, nos deinceps citra tuam Metropolitani Epiſcopi ſententiam nullum de Epiſcopis aut alio dogmate communi & Eccleſiaſtico Decretum edituros, ſed ceſſuros Canonibus antea ſuſceptis.* Exſtat profeſſio in ſecunda Apologia laudati Athanaſii. Et in Meletiano ſchiſmate ſcribit Sanctus Epiphanius: *Mos eſt Alexandrinorum Archiepiſcoporum, ut per totam Ægyptum, Thebaidem, Mareotidem, Lybiam, Ammoniacam, & Pentapolim, Eccleſiaſtica negotia adminiſtrent.* Lib. 68. c. 1.

Et de primo poſt ipſos Metropolita Meletio ſubjungit: *Cæteris quidem Ægypti Epiſcopis antecellit*, Patriarchæ *tamen ſubjectus, & ad ipſum de cauſis Eccleſiaſticis referens.* Quòd nempè ſine prævia ad Patriarcham relatione, & ante acceptum ejus oraculum nihil definire poſſet aut judicare. Et ad Auguſtalem Ægypti Præfectum Optatum reſcripſit Magnus Imperator Theodoſius: *Quibuſcumque mota fuerit quæſtio, quæ ad Chriſtianam pertineat ſanctitatem, eos decebit ſub eo Judice litigare, qui Præſul eſt in ſuis partibus omnium Sacerdotum, id eſt, per Ægypti Diœceſim.* Non coram Metropolita, ſed coram Patriarcha, Eſt in Theodoſiano Codice tertia Extravagans de judicio Epiſcopali. Et Ægyptii Epiſcopi

in

in Chalcedonensi Synodo rectè provocarunt ad Nicænos Canones. Hoece enim Patriarchæ jus est vetus illud, in laudata Arsenii Episcopi professione laudatum, Alexandrinæ Ecclesiæ Institutum, de quo adversùs laceratorem ejus Meletium edixit sextus Nicææ Canon: *Antiqua consuetùdo servetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem.*

Et adjungit: *Quia & urbis Romæ parilis mos est.* Et certè Alexandrinam Ecclesiam ac Patriarchatum Sancti Petri Apostoli Discipulus Evangelista Marcus fundavit. Quin Romanam Hierarchiæ formam illic plantarit, non est dubitandum. Et quòd parilis iste mos plenè viguerit in omnibus suburbicariis, id est, ad Almæ urbis Metropoliticam potestatem spectantibus Ecclesiis, audivimus suprà à Sancto Petro Chrysologo, firmatque Presbyter Ruffinus. Etenim laudatus Petrus tunc adhuc erat suburbicarius Episcopus, aut certè retinuerat talis Episcopi naturam. Nempè ad Valentiniani tertii preces Sanctus Leo Ravennatem Ecclesiam erigi in Metropoliticam permiserat salvis Romanæ Catheder juribus: Undè & Ravennas etiam Archiepiscopus fuit, suburbicario more, semper Romæ consecratus. Quin & in cunctis ad Romanum Patriarchatum spectantibus Metropolitis ac Provincialibus Synodis viguisse istum parilem morem, docet Romana Melchiadis, non ex solis Italis, sed etiam ex Gallis Episcopis adversùm Donatistas collecta, & in solum Papale nomen concepta Synodus, in qua solus Pontifex dicit: *Censeo.* Ita testatur Sanctus Optatus Episcopus Milevitanus. Quòd nempè in omnem suam Patriarchalem Synodum, & cunctos ad ipsam spectantes Episcopos Papa haberet plenissimam potestatem, ideoque nullus vel intra vel extra ipsam haberet suffragium nisi consultativum. Et hinc Joannes Launojus in Epistola ad Ludovicum Maresium affirmans Capuanam Synodum non fuisse generalem, & ipsi tamen subfuisse Siricium Pontificem, errat toto cœlo. Eandem supremam Romani Patriarchæ in suos ubique Episcopos potestatem agnoverunt plures olim Gallicani Episcopi, de quibus in libro de Ecclesiasticarum rerum dispensatione Sanctus Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus: *Sunt qui Gallicanos Canones aut aliarum Regionum putent non recipiendos, eò quòd Legati Romani in eorum constitutione non interfuerint.* Et in libro contra barbaras Burgundionum leges: *Canones Gallicani quasi superflui aut inutiles à quibusdam respuuntur, eò quòd Neoterici Romani eos non commendaverint, cùm antiqui religiosè eos venerati sint, quoniam venerandi & sancti viri eos ediderunt.* Per Neotericos Romanos intelligit sui sæculi Pontifices, qui lapsam in Gallia Christianitatem per Sanctum Bonifacium repararant. Et hi & ipsis consentientes Episcopi non juxta Gallicanos, sed juxta solos universales Ecclesiæ Canones volebant progredi & perfici reparationem, asserentes istos esse nullius ponderis, quòd ipsorum auctoritibus Provincialibus Synodis non præsedisset Apostolica legatio: Hoc est, quòd nulla Provincialis Synodus, juxta Sancti Petri Chrysologi professionem, sine Romani Episcopi consensu possit Catholicæ fidei aut generalis disciplinæ causis se miscere. Quòd Francorum & Burgundionum in Gallia regnantium adversùs Romanum Imperium æmulatio nec referri permitteret ad Apostolicam Sedem, queritur in litteris ad Faustum ac Symmachum Romanos Senatores Sanctus Avitus Viennensis Episcopus: Hinc servandæ illic Christianitatis zelo majorem Provinciarum Synodis cum sui Patriarchici juris decremento auctoritatem Apostolica Sedes dissimulando indulsit. Nec enim singulare fuit istud Alexandrini jus, sed commune omnibus Patriarchis. Hinc meliores in Gallia ex Magni Caroli stirpe Reges nacti Pontifices conati sunt ipsum sibi reparare. Quod per præsentem Canonem denuò fecit Gregorius septimus. Quid si quis dicat Eminentissimos Dominos ex his principiis locutos? Certè ista responsio subvertit omnes contumelias Joannis Launoii.

C. 20.

C. 12.

Attamen existimo ipsos non de Patriarchali, sed de Papali ac universalis Apostolicæ Sedis potestate locutos. Provinciales in Occidente Synodos fateor ex avito more posse statuere etiam de fide & generali Ecclesiæ disciplina. Verùm cum moderamine laudato per Sanctum Augustinum in libris de Baptismo adversùm Donatistas: *Quomodo potuit ista* de non iterando Baptismo *res tantis altercationum nebulis involuta ad plenarii Concilii luculentam illustrationem confirmationemque perduci, nisi primò diutiùs per orbis terrarum Regiones multis hinc atque inde disputationibus & collationibus Episcoporum pertractata constaret?* Et in alio ejusdem operis libro scribit de alia circa hanc rem quæstione: *Nobis tutum est in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico Regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata sunt.* Non tantùm à Provinciarum, sed etiam à Regionum seu Diœcesium Synodis adfirmat dogmaticas quæstiones incipi, disputari, conferri, tractari, præparari, verùm à solis generalibus plenè illustrari, confirmari, ac terminari. Nempè & Provinciales & Diœcesanæ Synodi poterant de istis quæstionibus conferre, disputare, interloqui, verùm nondefinire. Judicabant enim cum onere faciendæ, quæ devolvebat ac suspendebat omnia, ad Romanum Episcopum relationis, ideoque dumtaxat interlocutorium erat ipsarum judicium, non definitivum. Quod ipsum valuisse in universalem Ecclesiæ disciplinam aut etiam pacem concernentibus quæstionibus, ostendi possit lucidis documentis, atque abundè patet ex superiùs laudata Magni Basilii Epistola ad Ægypti Confessores Episcopos, exulantes apud Palestinæ Diœcesaream. Duæ tunc gravissimæ quæstiones vexabant Ecclesiam. Prima erant nova Apollinarii Laodicensis in prima Syria Episcopi dogmata, altera erat inter Occidentalem & Orientalem Ecclesiam de Marcelli Ancyrani Episcopi dogmate, quem adversùs Eusebianæ factionis accusationes Orthodoxum declaraverat Synodus Sardicensis. De his sce

L. 2. c. 4.

L. 7. c. 53.

sce quæstionibus nescio quid deciderant laudati Episcopi. Zelum probavit Basilius, at improbavit præcipitantiam, qua sermones suos in judicio non disposuissent. Asseruit ab istis quæstionibus pendere universalem Ecclesiæ pacem, ideoque ipsorum potestate esse superiores, ac ad Occidentalem Ecclesiam, & Romanum Episcopum fuisse referendas. Et quid dico de Provinciarum aut Diœcesium Synodis? Etiam Œcumenicæ habuerunt idem referendi debitum: Etiam ipsarum relatio devolvebat omnia atque suspendebat. Verùm non de his, sed de solis Provincialibus aut Regionalibus dixerunt Eminentissimi Patres: *Ad Sedem Apostolicam dumtaxat pertinet controversias fidei, & morum universalis Ecclesiæ definire.* Et benè dixerunt.

Examinatur alia circa hæc quæstio.

DE generalibus Synodis novam quæstionem nobis movet Joannes Launojus. Adversùs Domini Roberti Cardinalis Bellarmini, qui etiam docet omnibus generalibus Synodis semper fuisse istud faciendæ relationis & acciendæ confirmationis onus, doctrinam scribit in Epistola ad Jacobum Bevilaquam: *Gratis & sine auctorum æqualium vel supparum testimonio dicitur Nicænam Synodum Actorum suorum confirmationem à Sylvestro petiisse, & Sylvestrum confirmationem dedisse, quomodo Bellarminus & petitam & datam esse contendit.* Multis conatur ostendere à laudata Synodo nihil fuisse postulatum, nihil ipsi à Sylvestro datum. Multa antiquorum Patrum, Synodum istam laudantium atque exponentium, verùm Apostolicæ confirmationis nullam facientium memoriam, conglomerat testimonia, atque indè concludit confirmationem nec petitam fuisse nec datam. Videtur cum alio hujus sæculi eruditissimo viro relationem à confirmationis postulatione distinguere, admittere istam, & ab hujus dumtaxat debito generales Synodos absolvere. Et certè hæc sententia non caret fundamentis.

Etenim prima Arelatensis Synodus, licèt Œcumenica non fuerit, fuit tamen amplissima, ipsique adfuit atque præsedit Apostolica Legatio. Hæc, inquam, Synodus sua circa appellatam Donatistarum causam Acta refert Sylvestro Pontifici, & prosequitur: *Non tamen hæc sola nobis visa sunt tractanda, ad quæ fueramus invitati, sed & consulendum nobismetipsis censuimus, & cùm diversæ sint Provinciæ, ex quibus advenimus, ita & varia contingunt, quæ nos censemus observare debere.* Relatio est mutila: Interim Acta, quorum ergo fuerat indicta Synodus, dumtaxat refert; aliorum verò, quæ suo motu addidit, omninò videtur postulasse confirmationem. Et fuit necesse. Etenim priora Pontifex jam probaverat, ipsa per Legatos Synodo retulerat, seu tractanda proposuerat, habuerat suffragii prærogativam, hoc probaverat Synodus, & unanimi calculo confirmaverat, atque ita videtur his aliud non fuisse necessarium, quàm sola ad Pontificem relatio. At verò de posterioribus nec mandatum dederat Pontifex, nec ipsa tractanda retulerat, nec de ipsis sententiam dixerat, atque ita caduca erat ipsorum constitutio, & supplenda per Pontificem, ratificanda & confirmanda. Quare quin illis confirmationem postulaverit Synodus, non est dubitandum. Eandem quippè Regulam lucidè secuta videtur Synodus Chalcedonensis. Circa fidei Decretum & Dioscori Alexandrini Patriarchæ degradationem Apostolica & relationis & suffragii jura Sanctus Leo Magnus partim per litteras, partim per Legatos plenè expleverat, nequaquam verò circa Canones, præsertim circa vigesimum octavum, quo cum aliorum Patriarcharum ac Primatum injuria ampliabatur dignitas Cathedræ Constantinopolitanæ. Hinc igitur laudatum cum ista degradatione Decretum Synodus dumtaxat retulit, verùm de Canonibus adjunxit: *Indicamus quia & alia quædam pro rerum ipsarum ordinata quiete, & propter Ecclesiasticorum Statutorum definivimus firmitatem, scientes quia & vestra Sanctitas addiscens, & probatura & confirmatura est eadem.* Lucidè incedit per vias ac Regulas Arelatensis Synodi. Constantinopolitano Episcopo à se delatam dignitatem adfirmat vetustam, addit & à Principe & à Senatu desiderari Synodalem ipsius firmitatem, conatur demonstrare non adversam Canonibus, multis studet demulcere Pontificem, atque concludit: *Rogamus igitur, & tuis Decretis nostrum honora judicium, & sicuti nos capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic & Summitas tua filiis quod decet adimpleat. Sic enim & pii Principes complacebunt, qui tamquam legem tuæ Sanctitatis judicium firmaverunt.*

Notanda sunt verba: *Summitas tua filiis adimpleat.* Lucidioribus vocibus non potuerat profiteri Synodus se Pontifice inferiorem. Notanda sunt & hæc: *Tamquam legem tuæ Sanctitatis judicium firmaverunt.* Edicunt quòd Martianus, non

non Justinianus, Apostolicæ Sedis Decretis, & Ecclesiasticis Canonibus vim legis primus dederit. Et quidem Justinianus dolo malo: Uti vigesimum octavum, de quo hic agimus, à Sancto Leone circumductum Canonem vivificaret. Voluit ipsum, si non ut Canonem, certè ut legem vivere ac vigere. Breviter ac eleganter hoc notat in Breviario Liberatus Diaconus:

C. 13. *Licet Sedes Apostolica nunc usque contradicat, quod à Synodo firmatum est Imperatoris patrocinio permanet quodammodo.* Ad nostram præsentem rem notanda sunt hæc verba: *Sicut nos capiti in bonis adjecimus consonantiam.* Et superiora de Fidei Decreto ac degradato Dioscoro: *Hæc sunt quæ tecum effecimus.* Asserunt hæc duo non per Synodum, sed per Sanctum Pontificem facta, & à sese dumtaxat comprobata, ideoque referunt solummodò, nec postulant confirmari. Quòd suum suffragium Papa non possit recantare. Verùm Canones sine Papali sententia emanarant, ideoque hanc suppleri rogant, & ita istos confirmari. Eadem de causa Imperator Justinianus nullas sibi fecit cogitandi ferias, quousque quintam Synodum Vigilius confirmasset. Definiverat enim dicta Synodus citra Papalem relationem, sine Apostolici suffragii prærogativa, imò adversùs Papalem de hisce juribus protestationem. Hinc etiam Constantinopolitana Synodus Apostolica confirmatione eguit, & ipsam omninò postulavit. Etiam ejus relatio sua ad Nicænum symbolum additamenta conatur demonstrare necessaria, reliqua sua Decreta multis rationum coloribus exornat, & concludit: *Quibus rebus tamquam legitimè, & secundùm Ecclesiæ Canones à nobis constitutis, obsecramus vestram Reverentiam, ut congratuletur, spirituali charitate nos mutuò devinciente, & timore Divino omnem humanam affectionem reprimente, Ecclesiarumque ædificationem amori illi & benevolentiæ, qua singuli singulos complectuntur, longè anteponente. Quòd si doctrina fidei in hunc modum communi consensu stabilita sit, & charitas Christiana in nobis confirmata, posthac desinemus dicere: Ego quidem Pauli, ego autem Apollo.* Quis inficietur per lucida adeò verba postulari Decretorum confirmationem? Et omninò oportebat. Etenim etiam hæc Synodus laboravit illo Ariminensis Synodi vitio, de quo in litteris ad Illyricianæ Diœcesis Episcopos Romana Sancti Damasi Synodus: *Romani Episcopi sententia erat præ cæteris exspectanda.*

Eisdem vestigiis ambulavit Ephesina Synodus. Tres ad Cælestinum Pontificem fecit relationes. Primam post formatum fidei Decretum, degradatum Nestorium, ac Joannis Patriarchæ Antiocheni in hæc Acta turbas. Periit aut latet hæc relatio, ipsam tamen laudat in exstantibus post Synodum litteris ad Clerum & populum Constantinopolitanum laudatus Cælestinus: *Nec nos gestarum rerum putetis ignaros, quarum nobis ordinem fratris nostri Cyrilli relatio patefecit.* Agit de laudatæ degradationis relatione. Exstat ejus ad ipsam Rescriptum, transmissum cum novis Legatis, Arcadio & Projecto Episcopis ac Philippo Presbytero, habetque hæc verba: *Direximus pro nostra sollicitudine Sanctos fratres & Consacerdotes nostros Arcadium & Projectum, & Philippum Presbyterum, qui iis quæ aguntur interfint, & quæ à nobis anteà statuta sunt exsequantur. Quibus præstandum à vestra Sanctitate non dubitamus assensum, quando id quod agitur videatur pro universalis Ecclesiæ securitate decretum.* Quibus verbis Synodi Decreta & Acta lucidè confirmat. Et hinc ad lectas litteras unanimi voce Synodus acclamavit: *Hoc justum judicium. Novo Paulo Cælestino, Cælestino cum Synodo concordi, Cælestino universa Synodus agit gratias.* Quod nempè Synodi judicium confirmasset, & illius legasset exsecutores. Hinc item Theodotus Ancyræ Episcopus ac primæ Galatiæ Metropolita post varia est ad Legatos interlocutus: *Justam esse sanctæ Synodi sententiam demonstravit universorum Deus per litteras Cælestini reverendissimi Episcopi huc allatas, & vestræ Pietatis adventum.* Quibus verbis quis non videat laudari Apostolicam confirmationem? Et quin ipsam relatio postulaverit, non est quod dubitemus. Peti omninò debuit. Etenim licèt ad Apostolicum mandatum, propositionem, ac suffragii prærogativam Synodus egisset omnia, Joannes tamen Antiochiæ Patriarcha cum suæ Diœcesios & factionis Episcopis potentissimè interceserat, fecerat causam esse dubiam ac difficilem, ideoque non referendam solummodò, sed insuper ab Apostolica confirmatione suspendendam.

Alteram Relationem fecit hæc Synodus post restitutum à novis jam laudatis Legatis Cyrillum, & datam sententiam in factionem ac personam memorati Patriarchæ Antiocheni. De hac expressum mandatum aut suffragium non dederat Pontifex, sed videtur Legatorum prudentiæ permisisse, ideoque habet Relatio: *Indignitate rei meritò commoti, ejusmodi in Joannem & alios sententiam legitimè proferre deliberavimus, cujusmodi ipse tulerat illegitimè contra eos, qui de nullo crimine condemnati fuerant. Verùm quò illius temeritatem longanimitate vinceremus, etiamsi illam justissimè legitimèque subjisset, Pietatis tuæ judicio hoc reservavimus. Interim illos excommunicationi subjicientes, omnique Sacerdotali potestate exuentes, ita ut nullum suis sententiis lædere queant.* Quòd plenum mandatum non haberet, ideoque non nisi sub futuro Pontificis beneplacito Joannem degradare posset Synodus, rem tantam illi reservare maluit, quàm à confirmationis incerto pendere. Joannem dumtaxat excommunicavit. At verò de Juliano & aliis, qui à Cælestini in se judicio appellaverant, Pelagianis Episcopis longè aliter scribit Relatio: *Quæ à tua Pietate de ipsis decreta & constituta sunt, judicavimus & nos ea solida firmaque permanere debere. Et idem omnes tecum statuimus, eos pro depositis habentes.* Quòd juxta Apostolicum suffragium judicasset Synodus, solummodò retulit, non postulavit firmitatem. Ex omni enim parte firmum fuisse videtur istiusmodi judicium.

Tertia hujus Synodi Relatio fuit de electo & consecrato in degradati Nestorii Sedem Maximiano.

miano. Latet aut periit. Exstant tamen plura Sancti Cælestini ad ipsam Rescripta, quæ Naximiani personam & electionem lucidè confirmant. Nec enim eligendi personam Pontifex designaverat, & electum aliqui de ambitu accusaverant: Hinc confirmativo Pontificis suffragio fuit omninò opus. Etiam Sardicensis Synodus tria sua Decreta Julio Pontifici dumtaxat retulit, ipsorum nulli petiit firmitatem. Quòd nempè omnia tria ex Julii mandato, ad ejus per Legatos factam relationem, & juxta ejus per litteras suffragium emanassent. Et hæc quidem omnia suadent cunctis similibus generalium Synodorum Decretis nullam Apostolicæ sedis confirmationem esse necessariam.

Respondeo tamen esse necessariam. An necessitatem hanc Dominus Cardinalis Bellarminus authenticè demonstraverit, est alia quæstio: Interim ipsa omninò potest authenticè demonstrari. Exordiamur à Synodo Nicæna. Fuisse à Sancto Sylvestro confirmatam quidam probant ex Sancti Athanasii litteris ad Episcopos Africanos: *Nicæno Concilio universus orbis assensum præbuit. Et quamquam multæ habitæ sunt Synodi, omnes tamen hujus sunt memores, tam per Dalmatiam, Dardaniam, Macedoniam, Epiros, Græciam, Cretam, aliasque Insulas, Siciliam & Cyprum, tum per Isauriam, Pamphiliam, Lyciam, & universam Ægyptum, & Lybias. Et plerique in Arabia hanc gnoverunt, & admirati sunt, & subscriptione approbarunt.* Ita habet versio Petri Nannii. At verò Dominus Lucas Holstenius posteriora verba correxit in hunc modum: *Et admirati sunt eos qui subscripserunt.* Et reverà sic fuerat vertendum. Vult Athanasius Nicæna Decreta ab omnium ubique Provinciarum Synodis fuisse examinata & probata. De istis enim fecerat Sanctus Sylvester, quod de sexta Synodo postea fecit Leo secundus, ejus Acta mittens ad Hispaniæ Ecclesias, & ipsa mandans à cunctis Provinciis synodaliter probari. Lucent hæc ex quarta decima, quæ solius Carthaginensis Provinciæ fuit, Synodo Toletana. Sancti autem Sylvestri factum docet nos in litteris ad Illyrici Episcopos Romana Sancti Damasi apud Theodoretum Synodus:

L. 2. c. 22. *Vestra Integritas manifestè videt hanc fidem solam, quæ auctoritate Apostolica Nicææ stabilita est, firmè perpetuò tenendam esse.* Videtur asserere Nicænam fidem Apostolicæ Sedis auctoritate confirmatam esse, ideoque ab omnibus tenendam. Ita quidam laudata verba exponunt.

Verùm præposterè. Etenim per Apostolicam auctoritatem non Apostolicam Sedem, sed Sanctorum Apostolorum doctrinam Damasus lucidè intelligit. Undè & ita in nova sua Theodoreti translatione vertit Jacobus Sirmondus. Athanasii locus aliquid innuit, sed nihil evincit. Et Nicæna Acta non per solum Sylvestrum, sed per varios Primates gentium Episcopos fuerunt transmissa ad Provincias. Hinc pro mea assertione alii adducunt testimonium secundæ Romanæ sub Felice tertio Synodi in litteris ad Regiæ Civitatis atque Bythiniæ Clerum. Ex hac Domini ad Petrum Apostolum voce, *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, laudat Romanæ Ecclesiæ Primatum & prosequitur: *Quam vocem sequentes trecenti decem & octo sancti Patres apud Nicæam congregati, confirmationem rerum atque auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ detulerunt. Quam utramque usque ad ætatem nostram Successores omnes custodiunt.* Septuaginta septem Episcopos habuit hæc Romana Synodus, ideoque Nicæna Acta non potest ignorasse. Videtur adfirmare illa & relata fuisse ad Romanam Ecclesiam, & petitam atque datam ipsorum confirmationem. Et hæc verba adeò percutiunt oculos Joannis Launoii, ut aliud nesciat quàm ipsa de spuriis natalibus accusare: *Postrema clausula suppositionem aut certè interpolationem objicit. Nam si quod Nicænæ Synodo tribuitur, Successores omnes usque ad Felicis tempus custodierunt, cur Eusebius, cur Julius, cur Athanasius, cur Liberius, cur Hilarius, cur Syricius, cur Leo, cur Socrates, cur Theodoretus ante Felicem tertium monimentis illud non consignarunt suis? Cur suos in usus non derivarunt? Cur Vigilius post Felicem tacuit in Sedis Apostolicæ diminutionem? Profectò si qua in clausula veritatis umbra reperiretur, hanc Pontifices illi omnes, & laudati auctores secuti essent.*

Respondeo esse secutos. Verùm ut rem tunc omnibus notam confignarent litteris, nulla exigebat necessitas. Quòd Apostolicam generalium Synodorum regulam servassent Nicæni Patres, omni Ecclesiæ erat manifestum. Et laudatam Romanæ Synodi Epistolam quis interpolavit, quis illi intrusit spuriam clausulam? Producamus ab isto additamento libera Epistolæ authentica exemplaria, aut desinamus in veneranda Christianæ antiquitatis documenta tam horrendè pro vanis nostris cogitationibus grassari. Et quidem grassatio hæc, uti nullum fundamentum habet, ita & nullam necessitatem. Nec enim Felicis tertii laudata Synodus factam Sylvestro Nicænam relationem laudat, aut huic ab illo datam confirmationem. Ad hunc scopum non direxit oculos. Adfirmat Italicam Synodum Romano Episcopo subesse per omnia, hujus solius suffragium esse istic decisivum, omnium ibidem Actorum confirmationem & auctoritatem esse ab illo uno, & ita fuisse agnitum & firmatum à sexto Nicæno Canone. Proindè fateor, pro Nicænæ Synodi ad Romanam Sedem relatione, aut illius per hanc confirmatione nullum huc usque lucidum & authenticum inveni antiquitatis testimonium. Verùm Apostolica generalium Synodorum lex non finit me de ipsis dubitare.

Quòd generales Synodi & faciendæ ad Romanum Episcopum relationis, & ab ipso exspectandæ confirmationis onus & debitum habeant ex Apostolico Canone, demonstrat magna Synodus Chalcedonensis. Etenim hæc non solùm suos Canones, sed etiam fidei Decretum ac Dioscori degradationem, licet ex Sancti Leonis mandato, & ad ejus propositionem, & juxta ejus suffragium judicasset, omninò retulit eidem Pontifici, & supplicavit ab ipso confirmari.

Lucidè

Lucidè id in litteris ad Leonem Augustum testatur ac profitetur Agapetus Rhodiorum Episcopus ac Provinciæ Insularum Metropolita : *Patres Chalcedonenses non aliud quidquam præter immobilem & fundatam rectæ fidei expositionem decrevisse cognovimus. Ob quam rem & pene omnes Occidentalium partium Deo amabiles Episcopi consentientes sibimet, & pariter decernente Sanctissimo atque Beatissimo Leone Romanę urbis Archiepiscopo, litteris propriis & oris sui confessione, ea quę ab ipsis sanctis Patribus Chalcedone collectis interpretata seu explanata sunt de Domini nostri* JESU *Christi Incarnatione, confirmaverunt atque consignaverunt.* Et his Agapeti litteris Comprovinciales Episcopi, licèt non synodaliter ob hibernæ navigationis periculà, tamen singuli in suis Sedibus sunt adstipulati. Quod ipsum testatos esse cunctos, quos laudatus Imperator Leo consuluit, Orientalium Provinciarum Synodos, adfirmat ac demonstrat in famosa, quam Magnus Gregorius Romanæ Ecclesiæ tunc Diaconus creditur composuisse, ad Eliam Aquilejæ Metropolitam Epistola Pelagius secundus. Et quid opus testibus ? Ipse Magnus Leo Pontifex ad Imperatorem Martianum, omnes Eutychiani veneni reliquias evellere conantem, scribit : *Quod facilius Clementia vestra arbitratur implendum, si per universas Ecclesias definitiones sanctę Synodi Chalcedonensis Apostolicę Sedi placuisse doceantur.* Ad istas evellendas reliquias censebat pissimus Princeps & Acta synodalia & Apostolicam ipsorum confirmationem per omnes sub cælo Ecclesias ab ipso Pontifice publicanda. Et Leo prosequitur : *De quo quidem ratio non fuit ambigendi, cum ei fidei omnium subscribendo consensus accesserit, quę ad me secundùm formam Apostolicę doctrinę & paternę traditionis missa est. Et per fratrem meum Lucianum Episcopum talia & ad Gloriam vestram & ad Constantinopolitanum Antistitem Scripta direxerim, quę evidenter ostenderent me ea, quę de fide Catholica in prędicta Synodo definita sunt, approbare.* Synodalium Actorum relationem ad Romanum Episcopum, & illis ab ipso dandam confirmationem lucidè adfirmat esse traditionem paternam & Apostolicam doctrinam. Item docet in litteris ad Juvenalem Hierosolymæ, ac omnes Palæstinæ Episcopos : *Omnem Fraternitatem vestram nosse non ambigo definitionem sanctę Synodi, quę ob confirmationem fidei in Chalcedonensi civitate celebrata est, toto corde me fuisse complexum. Quia nulla finebat ratio, ut qui unitatem Catholicę fidei dolebam ab Hereticis fuisse turbatam, non exultanter in integrum redisse gauderem. Hoc autem non solùm ab ipso beatissimę consensionis effectu, sed etiam ex epistolis meis, quas post reditum meorum ad Constantinopolitanæ urbis Antistitem dedi, potuissetis agnoscere, si vobis responsionem Sedis Apostolicæ manifestare voluisset. Ne ergò per malignos Interpretes dubitabile videatur, utrùm quæ in Synodo Chalcedonensi per unanimitatem vestram de fide statuta sunt approbem, hęc ad omnes fratres & Episcopos nostros, qui prędicto Concilio interfuerunt, Scripta direxi, quæ Gloriosissimus & Clementissimus Princeps, sicut popposcit, in notitiam vestram mittere pro Catholicæ fidei amore dignabitur, ut & Fraterna universitas & omnium fidelium corda cognoscant, me non solùm per fratres, qui vicem meam exsecuti sunt, sed etiam per approbationem Gestorum Synodalium, propriam vobiscum iniisse sententiam : In sola videlicet fidei causa, propter quam generale Concilium placuit congregari. Damnatis Hæreticis, qui si corrigi voluissent, nulla penitus resideret de Domini nostri* JESU *Christi Incarnatione dubitatio.* In eodem Rescripto fidei Decretum cum Dioscori degradatione confirmaverat, reliqua autem Acta omnia, præsertim Anatolii ambitum, rejecerat Sanctus Leo, ideoque Anatolius Epistolam suppresserat. Et ex hoc fonte videntur horrendi illi apud Palæstinos in Synodum motus sumpsisse originem. Pseudomonachi Theodosii factio videtur blatarasse Synodum Romæ non fuisse confirmatam. Hinc Rescripti sui substantiam repetere per præsentem ad Palæstinæ Antistites Epistolam & innovare compulsus fuit Pontifex, ac Marciani Augusti auctoritas per omne Imperium publicare. Et quidem Rescriptum istud, seu Apostolica Synodi confirmatio huc usque latet cum grandi Ecclesiæ damno : Adeò malè de ipsa meritus est Anatolius. De Attico Constantinopolitanæ Ecclesiæ Presbytero pergit in alia epistola ad eumdem laudatum Anatolium Pontifex : *Atticus Chalcedonensis Synodi definitionem de fide, cui etiam Dilectio tua subscribendo consensit, & quam Apostolicę Sedis firmavit auctoritas, profiteatur se per omnia servaturum.* Eandem confirmationem laudant Gelasius Pontifex, Facundus Hermianensis Episcopus, & laudata Epistola secundi Pelagii. Circa eamdem hæsit tota trium Capitulorum famosa atque infelix quæstio. Etenim cum suis sequacibus memoratus Facundus omnia præter Anatolii ambitum Chalcedonensia Acta, quinta Synodus volebat solum fidei Decretum, & Dioscori degradationem fuisse confirmata à Magno Leone : Utraque interim pars Apostolicam confirmationem & interveniisse, & fuisse necessariam, unanimiter profitebatur. Ex quibus lucet, quàm infeliciter asseratur Apostolica confirmatio etiam Chalcedonensis Synodi laudatis Decretis fuisse superabundans. Et quidem quinti Concilii judicium tandem probavit Romana, ac omnis præter Hispanos Latina Ecclesia. Et sic lucet infeliciter etiam à quibusdam dici solus Anatolii ambitus fuisse à Sancto Leone improbatus.

Epist. 47.

Epist. 59.

Ep. 61.

Apostolicam confirmationem postulavit sextum Concilium in relatione ad Sanctum Pontificem Agathonem : *Exstinximus hęresim, orthodoxæ autem fidei splendidam lucem vobiscum prædicavimus, quam ut iterum per honorabilia vestra Rescripta confirmetis, vestram oramus Paternam Sanctitatem.* Et hisce supplicibus precibus universa Synodus subscripsit. Adfirmat ac multis prædicat se ex Papali mandato, ad factam ab ejus Legatis propositionem, & juxta Apostolicarum litterarum suffragium de omnibus judicasse, tamen supplicat sua Acta per nova Apostolica Rescripta iterum confirmari. Verum relatio invenit

nit defunctum Pontificem, ideoque Successor Sanctus Leo secundus, iterata Principis Relatione & supplicatione pulsatus, respondit : *Sancta universalis & magna sexta Synodus Apostolicam in omnibus Regulam, & probabilium Patrum doctrinam secuta est. Et quia definitionem rectæ fidei plenissimè prædicavit, quam & Apostolica sedes Sancti Petri Apostoli veneranter susscepit, idcircò & nos, & per nostrum officium hæc veneranda Sedes Apostolica concorditer ac unanimiter his, quæ definita sunt ab ea, consentit, & Beati Petri auctoritate confirmat, sicut suprà solidam Petram, quæ Christus est, ab ipso Domino adeptis firmitatem.* Quæ omnia à septima etiam & octava Synodo, nec non ab Adriano primo ac Adriano secundo fuisse facta, possit facilè demonstrari.

Epist. 13.

Et hinc de omni generali Synodo scribit ad Dardaniæ Episcopos Sanctus Gelasius : *Primæ Sedes unamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit.* Confirmat non sola observantia, sed etiam auctoritate. Pergit Pontifex in opusculo de Vinculo anathematis : *Ne fortè, quod solent* Eutychianistæ, *dicant, quod si Synodus Chalcedonensis admittitur, omnia constare debeant, quæ illic videntur esse deprompta. Aut enim ex toto eam admitti oportere, aut si ex parte repudiabilis est, firmam ex toto constare non posse. Cognoscant igitur illud secundùm Scripturas sanctas, traditionemque Majorum, secundùm Canones Regulasque Ecclesiæ, pro fide communi & veritate Catholica & Apostolica, pro qua hanc fieri Sedes Apostolica delegavit, factamque firmavit, à tota Ecclesia indubitanter admitti; alia autem quæ per incompetentem præsumptionem illic prolata sunt vel potius ventilata, quæ Sedes Apostolica gerenda nullatenùs delegavit, mox à Vicariis Sedis Apostolicæ contradicta manifestum est, quæ Sedes Apostolica, etiam petente Principe, nullatenùs approbavit, nulla ratione sustinet.* Et infrà : *Totum in Apostolicæ Sedis positum est potestate. Ita quod firmavit in Synodo Sedes Apostolica, hoc robur obtinuit. Quod refutavit, habere non potuit firmitatem. Et sola rescindit, quod præter ordinem congregatio Synodica putaverat usurpandum.* Lucidè adfirmat generales Synodos non solùm prævio mandato, agendorum propositione, ac suffragii prærogativa, sed insuper Actorum examine & ipsis impartita auctoritate esse à Romano Episcopo confirmandas. Adfirmat hanc esse in sacris litteris fundatam Majorum traditionem ac Ecclesiæ Regulam, ideoque Romanum Episcopum posse ex ejusdem Synodi Actis firmare unum, aliud vacuare. Quæ omnia etiam Facundus Hermianensis Episcopus, Pelagius secundus in laudata Epistola, ac in litteris ad Michaelem Imperatorem clamant & supponunt Pontifex Nicolaus.

Hoc ipsum clamat & supponit per Synodos facienda, quam à Joanne Launojo admitti crediderim, ad Romanum Episcopum Relatio. Ejus etiam quoad illa, quæ ad Apostolicum mandatum, propositionem atque suffragium sunt acta, necessitatem edicit Constantini Augusti ad Sanctum Leonem secundum Relatio : *Cur in hac narratione longiores sumus, cum ea in Actis subtiliùs & accuratiùs explicentur ? Quæ cum ad vos missa sint, omnium quæ mota & tractata sunt cognitionem investigate.* Et in suo ad ipsam Rescripto laudatus Leo : *Gestorum Synodalium seriem recensentes, curiosaque diligentia singula quæ gesta sunt flagitantes, eadem quæ Apostolicæ Sedis Legati narraverint, scriptis consonantibus convenire reperimus.* Apostolici mandati, propositionis, aut suffragii limites aut modos excedere, & variis modis prævaricari poterant & ipsi Legati & Synodales Episcopi : Hinc omnem Actorum seriem Pontifici referre & inspiciendam mittere per redeuntes Legatos debebat Synodus, & ipsa Pontifex discutere per omnia, & tunc novo suæ auctoritatis suffragio firmare. Facta ad examinaturum Principem Relatio devolvit ac suspendit omnia, & usque ad ipsius Rescriptum nulla est Actorum firmitas. Synodalis igitur relatio confirmationis accipiendæ preces, licet non exprimat, omninò comprehendit atque supponit. Sunt relationi conditio intrinseca.

Porrò Chalcedonensis Synodus aliter fidei Decretum ac Dioscori degradationem, aliter suos, præsertim vigesimum octavum, Canones meritò retulit, & istius dumtaxat confirmationem expressis verbis supplicavit. Quòd nempè is citrà Apostolicæ Sedis mandatum, relationem, atque suffragium, & citra Legatorum scientiam decretus esset, atque ita non tamquam sanus & integer confirmari, sed tamquam caducus & claudus per Pontificem deberet sanari & suppleri. Eademque fuit ratio primæ & secundæ Constantinopolitanæ Synodi. Provinciarum aut Diœcesium Synodis, dum de turbata apud se fide judicant, passim non adsunt Apostolica Legatio, aut Apostolicum cum mandato suffragium. Etiam ipsarum de tanta ad universam Ecclesiam spectante causa judicium est infirmum ac debile. Est dumtaxat interlocutorium, solaque ad Romanum Episcopum facta relatione, & accepto per ipsum confirmationis complemento proficit in definitivum. Hinc Eminentissimi Domini Cardinales rectè scripserunt fidei Christianæ aut aliarum ad universalem Ecclesiæ Disciplinam spectantium causarum definitionem ad solum Romanum Pontificem spectare. Ante datam ab ipso firmitatem nec generalis Synodi judicium est definitivum, aut certè non transit in rem judicatam.

Exponitur alia Quæstio.

AT ecce hinc Joannes Launojus in Epistola ad Joannem Gerbasium movet aliam quæstionem: An generalis Synodus sine Pontifice non valeat de fide definire? Et adfirmat valere. Probat ex Constantiensi Synodo, quæ Tyrannum privata auctoritate occidi non posse sola definivit. Et definitionem, licet confirmationis Bullæ non indiderit Martinus quintus, admisit omnis Ecclesia. Deinde famosa Eugenii quarti ad Patres Basileenses scripta Regula sancit circa quæstionem, de qua solus Pontifex ab unanimi Concilio discordat, prævalere Papale suffragium, *nisi fortè quæ statuenda forent, Catholicam fidem respicerent, vel si non fierent, universalis Ecclesiæ statum principaliter perturbarent. Quia tunc Concilii sententia esset potiùs attendenda.* Addit Joannes Launojus, & primam Constantinopolitanam Synodum, quæ sola sine Damasi Pontificis assistentia fecit larga ad Nicænum Symbolum additamenta, atque ita sola adversùs Macedonium & Apollinarium de fide definivit. Ejusdem sententiæ fuisse videtur in sua Summa Augustinus Triumphus: *Licet in quæstionibus terminandis auctoritas Papæ, dum est Papa, sit necessaria, dum tamen definit esse Papa per crimen hæresis, auctoritas illa remanet in Ecclesia, sicut ipso mortuo.* Sess. 16.

Respondeo hæc adversari primis ac fundamentalibus Ecclesiasticæ Hierarchiæ principiis. Etenim quòd non per Imperatorem, sed per Pontificem convocanda atque indicenda sit legitima Synodus, est adeò certum, ut oppositum errorem Græci in Florentino Concilio recantaverint. Etenim ad ipsos in plena Synodi congregatione dixit Andreas Latinus Rhodiorum Archiepiscopus: *Papæ est convocare Synodos, ut per vestros testes ostenditur. Nam Doctor vester Stephanus, quem & novum Martyrem vocatis, Patres Constantinopoli congregatos incusavit, cumque vellent hæretici Synodum celebrare, prodiit in medium ille dicens: Quomodo vos Synodum convocare audetis, & illegitimum vestrum habere Conventum, non præsente summo Romanorum Pontifice, aut alio quopiam illius vicem agente?* Hic est Magnus ille Stephanus, apud Bythinos in Sancti Auxentii monte sanctissimus Monachus, quem flagitiosis ac facinorosis suis erroribus constantissimè obsistentem Constantinus Caballinus crudelissimè trucidavit. Et laudato Andreæ nemo Græcus contradixit. Et generales Synodos non tantum indicere debet Romanorum Episcopus, sed etiam per semetipsum aut suos Vicarios adesse ac præsidere. Omnium item tractandorum relationem seu propositionem habet, & primum cum summa prærogativa suffragium. Et hinc præter ejus Vicarios nullus referre aliquid aut proponere possit, nec ipsi Vicarii sine speciali ejus mandato. Singulorum defectus facit Synodalia Decreta esse caduca subsantialiter ac nulla. Quòd enim sine Romani Episcopi auctoritate nec Synodus fieri, nec ipsa Regulas aut Decreta possit facere, ideoque Antiochena Enceniorum Synodus fuerit frivola, suprà audivimus ab Innocentio primo, cui attestantur Socrates & Hermias Zozomenus. Ariminensem, quòd Romani Episcopi sententiam, seu relationem ac primum suffragium non exspectasset, Synodum fuisse ejusdem farinæ, audivimus à Romana Sancti Damasi Synodo, cui adfuit Magnus Ambrosius. Et in degradatoria Nestorii Constantinopolitani Episcopi sententia dixit universa Ephesina Synodus: *Coacti per sacros Canones, & Epistolam Sanctissimi Patris nostri & Comministri Cælestini Romanæ Ecclesiæ Episcopi, ad lugubrem hanc sententiam necessariò venimus.* De eadem Synodo scripsit ad Illyrici Episcopos Sixtus tertius: *His constitutis, quæ præter nostra Præcepta Orientalis Synodus decernere voluit, creditis vos non teneri, præter id quod de fide nobis consentientibus judicavit.* Exstat Epistola in Bonifacii secundi Romana Synodo, pubblicata per Dominum Lucam Holstenium. Et dum Eusebius Dorylei in Phrygia Episcopus suos adversùm Ephesini latrocinii Acta libellos præsentaret, Sanctus Paschasinus Legatus dixit ad universam Chalcedonensem Synodum: *Notum est huic Deo amabili Concilio, & ad Beatum, & Apostolicum, & Catholicum Papam Leonem sacras esse litteras destinatas, quatenùs huic sancto Concilio se præsentare dignaretur. Sed quia neque antiqua hoc tenuit consuetudo, neque generalis temporis necessitas permittere videbatur, nostram Parvitatem huic sancto Concilio pro se præsidere præcepit. Ideoque necessarium est hæc, quæ in medium proferuntur, per nostram interlocutionem disceptari. Propter hoc igitur porrectus libellus à religiosissimo fratre & Coepiscopo Eusebio susceptus recitetur.* Lucidè asseverat sine sua interlocutione seu propositione nullum posse admitti libellum, nullam quæstionem ventilari. Et hinc Chalcedonenses Canones, & varia præter fidei Decretum & Dioscori degradationem de personis Statuta Magnus Leo affirmavit caduca, quandoque ex sui mandati, quandoque ex factæ per Legatos suos Relationis, quandoque ex defectu dati per ipsos suffragii. Quivis enim è singulis defectus plenè sufficiebat. Hinc item, dum Ephesini latrocinii Gesta retractari & novam Synodum permitti suasit, ad Theodosium secundum Imperatorem scripsit Valentinianus tertius: *Quare beatissimus Romanæ civitatis Episcopus, cui principatum Sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de fide ac Sacerdotibus judicare.* Notanda sunt plena ponderis verba. Non dicunt, *Ut nova Synodus, sed ut Romanus Episcopus facultatem habeat de fide ac Sacerdotibus judicare.* Quidam existimant omnem judicii decisionem soli Pontifici, Synodo adscribi solam consultationem. Verùm errant. Laudata enim verba dumtaxat asserunt Romani Episcopi suffragium esse totius Synodi fundamentum, sine quo omnia per ipsam Acta sint infirma & caduca. Et hinc vides non esse novum, ut generalium Synodorum Decreta in solum Romani Episcopi nomen concipiantur atque edantur. Pro Papalis suffragii fundamentali necessitate superiùs adduxi plura testimonia, nec vacat repetere. Repeto unicum Vigilii Pontificis in famoso de tribus capitulis Constituto pronunciatum, quo quintam Synodum rogat, *ut antiquum & regularem custodiens ordinem, ante sicæ, id est, Apostolicæ promulgationem sententiæ quidquam proferre tentaret.* Epist. 17.

Et adducta in oppositum argumenta sunt nullius ponderis. Etenim Macedonii hæresim jam dudum damnaverat Nicæna Synodus, addens suo Symbolo: *Et in Spiritum sanctum.* Etiam Apollinarium, ac ejus discipulum Timotheum damnarat Romana Sancti Damasi Synodus, atque ita hæc omnia in memoratos Errones exsequi sine speciali Romani Episcopi mandato poterat Constantinopolitana Synodus. Quapropter quæstio est de solis ad Nicænum Symbolum additamentis. Licet enim necdum exstaret Ephesinus Canon, exstabat tamen Sardicense Concilium, quod adversùs Eusebianam mutandi ac novandi Symboli libidinem edidit simile Decretum. Quidquid sit, licentiam istam Ecclesia damnabat. Et quidem an hæc additamenta sint Constantinopolitanæ Synodi opus, videtur non constare. Etenim ante Synodum defunctus Magnus Basilius scribit ad Epiphanium Episcopum: *Nihil nos posumus, ne vel syllabam unam ad Nicænam illam fidem adjicere, excepta de Spiritu sancto Doxologia, cujus rei Majores illi nostri velut in transcursu meminerunt, necdum mota de Spiritu sancto quæstione. Attexta autem illi confessioni dogmata de Domini nostri Incarnatione, quippe quæ nostrum transcenderent intellectum, neque velut rejectitia vel recepta habuimus, illud utique scientes, quòd cum fidei semel simplicitatem loco motam admittimus, disputandi nullos limites circumscribemus, ulteriùs abrepti contradictionis æstu, atque animas insuper simpliciorum conturbabimus novorum dogmatum superinducta inventione.* Et in litteris ad Eupaterium: *Quoniam illa quæstio, quæ nuper emersit in disquisitionem apud eos, qui semper innovare aliquid contendunt, silentio præterita apud sæculum prius, eò quod non erat à quoquam contractum, indiscussa prorsus relicta est, intelligo illam de Spiritu sancto, addenda est & hujus explicatio, ad mentem & sententiam Scripturæ sacræ. Videlicet nos credere, quemadmodum baptizamus: Quemadmodum credimus, ita glorificamus.* Facta de Spiritu sancto additamenta lucidè laudat atque probat. Præsertim hanc avitam Ecclesiæ Doxologiam, aut potiùs hocce immobile ex ipsa desumptum fundamentum: *Qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur.* Lucidè memorat & facta de Divina Incarnatione adversùs Apollinarium additamenta: Et licet etiam circa ipsa unumquemque in suo sensu abundare permittat, ipse tamen improbat ob duas rationes. Primò, quòd ista addendi licentia nullis se patietur circumscribi finibus. Deinde quòd hæc additio fœdam Apollinarii hæresim deducet ad simplicis vulgi notitiam; & ita fieri poterit ut quosdam scandalizet. Lucet ergò hæc additamenta esse Constantinopolitano Concilio antiquiora. Ep. 325. Ep. 387.

Laudatum ergò Concilium hæc, quòd apud Ecclesias controverterentur, additamenta dumtaxat probavit & confirmavit. Quod certum est sine Romani Episcopi mandato & suffragio non potuisse fieri. Et certum est utrumque à ratificante Romana Ecclesia fuisse suppletum. Quando & qualiter, res longa est suo loco utcumque elucidata, & adhuc elucidanda. Et quoniam aliud est rata, aliud ratificata Synodus, Hæresiarcha Eutyches sprevit ista adversùs Magistrum suum Apollinarium facta additamenta, & duxit esse parvi ponderis. Et in Synodalibus ad Leonem Imperatorem litteris Eutychiana Timothei Æluri factio magno fastu profitetur Nicænum Symbolum, atque adjungit. *Ea quæ à Sancto Spiritu dicta atque conscripta sunt, fas non est aliquo modo retractari, nec augmentum aliquod, nec imminutionem eis inferre.* Et infrà: *Synodum centum quinquaginta nescimus.* Loquitur cum Magistro ac Patriarcha Dioscoro, qui etiam in Ephesino latrocinio laudavit solam Nicænam fidem, & nullius pensi duxit Constantinopolitanam. Et adversùs istam Epistolam Synodaliter ad eumdem Imperatorem scripsit Evoptius Cyzici Episcopus ac Hellesponti Metropolita: *Si Concilium factum contra hæreses respuunt, quale est & sub Nectario in maxima civitate Regia ex diversis Provinciis congregatum, palàm est quòd illas hæreses prohibere nolint, sed ipsas potiùs amplectantur, quas Sanctissimi Patres hæc piè constituentes anathemati subdiderunt. Qui ergò hanc Synodum refutant ita Sanctam & reverendam, quam præ cunctis quidem veritas confirmavit, deinde & tanto tempore robur accepit, certum est quia non in uno capitulo sustinent scandalum, sed in multis hæresibus languere noscuntur. Nam qui legem veritatis adjutricem refugiunt, aperti sunt veritatis ipsius inimici. Quando hanc Synodum, quam se ignorare confingunt, & Proterius Deo amabilis tunc Alexandrinæ civitatis Episcopus, vir anima venerandus, unà cum eis præsens & ipse firmavit.* Eutychetem in Chalcedonensi Concilio primus de spretis hisce additamentis accusavit Diogenes Cyzicenus Episcopus, ideoque ipsa constantissimè defendit Successor Evoptius. Eorum auctricem Synodum omni argumento conatur stabilire: Confirmatam asserit ab ipsa veritate, longo temporis tractu, seu diuturno Ecclesiarum consensu, nec non & nupera Sancti Proterii Alexandrini Patriarchæ professione. Quòd nempe non solus Eutyches, sed etiam cum Ephesino latrocinio Dioscorus ista sprevisset additamenta, ejus Successor Proterius ante inthronizationem compulsus Ep. 47.

pulsus fuit eadem cum ipsorum auctrice Synodo solemniter profiteri. Verùm Apostolicæ Sedis confirmationem non laudat Evoptius. Hinc aliqui existimant ipsam usque tunc non interveniſſe. Et certè nullum antiquum atque authenticum habemus pro data per Damasum confirmatione testimonium. Et quomodo non solùm Eutyches atque Dioscorus, sed etiam tot in Ephesino latrocinio Episcopi præsumpsissent firmatam à Romana Ecclesia Synodum perfricta fronte contemnere? Etiam Ephesina Synodus recitari sibi fecit solum Nicænum Symbolum, non Constantinopolitanum. Quidquid sit, utrumque sibi recitari fecit, Actis inseruit, & ad Sanctum Leonem retulit Chalcedonense Concilium, atque exinde utrumque habuit irrefragabilem ac parem firmitatem. Interim hinc lucet Constantinopolitanam Synodum, quo usque Apostolicæ Sedis defuit suffragium, fuisse caducam ac infirmæ auctoritatis.

Etiam adversùm hæc in Epistola ad Joannem Molendinum intercedit Joannes Launojus. Laudat Constantinopolitanam Synodum, & prosequitur: *Hæc omnia, in quibus inscio Romano Pontifice & damnantur hæreses, & fidei symbolum editur, Inquisitores nostri*, utique Eminentissimi Domini Cardinales, *penitus ignorant, cùm aiunt; Ad Sedem Apostolicam dumtaxat pertinet controversias fidei, & morum universalis Ecclesiæ definire. Et nisi fateantur omnia hæc ignorare se penitus, ab intolerando errore numquam eximentur, si tamen eximi possint. Crassa & pinguis est ignorantia, quæ in ipsis pueris non verbis tantùm, sed etiam verberibus castigaretur. Hoc unum metuendum est, ne quæ ex Synodica Constantinopolitani Concilii Epistola retulimus, fabulosis narrationibus adscribant, quo minùs videantur ignorare quod ignorant. Si audent illa fabulosis narrationibus adscribere, continuò damnabuntur ab Ephesina Synodo, quæ Constantinopolitani Concilii symbola refert & confirmat.*

Hæc in supremos Ecclesiæ Antistites dicteria malo erubescere, quàm refutare. Utinam supprimere potuissem, & radere de Joannis Launoii Epistola. Dumtaxat dico Constantinopolitanum symbolum ab Ephesina Synodo nec relatum fuisse nec confirmatum. Nestorii causam discussura prima actio recitari jussit Nicænum symbolum, deindè Sancti Cyrilli quasdam Epistolas, & ex hisce Regulis de controversis erroribus judicavit. In suo suffragio plerique Episcopi laudant Nicænum symbolum, nullatenus Constantinopolitanum. Symbolum, quo fidem suam professus est Presbyter Charisius, habet quidem aliqua additamenta, verùm longè diversa à Constantinopolitanis. Existimo illa per Lydiam fuisse usitata, atque ita Constantinopolitana nequidem per omnem Orientalem Ecclesiam tunc fuisse admissa. Apud varias Ecclesias videntur fuisse varia. Et Ephesinus Canon, qui deinceps vetat addi ad symbolum, palàm loquitur de solo Nicæno. Quapropter prima Constantinopolitanorum additamentorum confirmatio videtur esse à Sancto Leone Pontifice, confirmante plenum Decretum fidei Chalcedonensis.

Dico, *Videtur*: Quoniam illi, qui laudata additamenta volunt probata & firmata à Sancto Damaso, non destituuntur fundamento. Etenim Maximus Cynicus Constantinopolitanus Episcopus, contra tertium Constantinopolitanæ Synodi Canonem, ab illo firmatam suam degradationem, ac promotionem Nectarii appellavit ad Sedem Apostolicam, appellationem admisit Sanctus Damasus, atque ex sua Romana Synodo ad istorum Actorum defensorem Theodosium Augustum rescripsit: *Cùm Maximum Episcopum receperint in communionem nostra consortia, quoniam eum à Catholicis constitit Episcopis ordinatum, nec ab Episcopatus Constantinopolitani putavimus petitione removendum. Cujus allegationem præsentibus partibus æstimavimus esse pendendam. Nectarium autem cùm nuper nostra Mediocritas Constantinopoli cognoverit ordinatum, cohærere communionem nostram cum Orientalibus partibus non videmus, præsertim cum ab eisdem Nectarius dicatur illicò sine communionis consortio destitutus, à quibus fuerat ordinatus. Non mediocris igitur hic scrupulus, nec quædam nos angit de domestico studio & ambitione contentio, sed communio soluta & dissociata perturbat. Nec videmus eam aliter posse convenire, nisi aut is reddatur Constantinopoli qui prior ordinatus est, aut certè super duorum ordinatione sit in urbe Roma nostrum Orientaliumque Concilium.* Exstat Epistola apud Jacobum Sirmondum in appendice Codicis Theodosiani. Verùm in postea datis ad Sanctum Acholium Thessalonicensem Episcopum litteris idem Damasus ejusdem Maximi ordinationem amplissimè exsufflat & damnat ex variis causis, præsertim quòd impensa fuisset homini gestanti *habitum idoli*, ideoque indigno habere communionem non tantùm Episcopi, sed & Laici Christiani. Has litteras nuper cum Bonifacii secundi Romana Synodo publicavit Illustrissimus Lucas Holstenius. Et in aliis ibidem ad Rusum Thessalonicensem Epi- Ep. 10.
scopum litteris scribit de laudato Damaso Bonifacius primus: *Clementissimè recordationis Princeps Theodosius Nectarii ordinationem, propterea quia in nostra notione non esset, habere non existimans firmitatem, missis è latere suo Aulicis cum Episcopis, Formatam hujus à Sede Romana dirigi regulariter depoposcit, quæ ejus Sacerdotium roboraret.* Et omnino impetravit. Hinc enim de sua è Neophyto in Episcopum consecratione scribit ad Vercellensem Ecclesiam Sanctus Ambrosius: *Ordinationem meam Occidentales Episcopi judicio,* Ep. 25.
Orientales etiam exemplo probarunt. Exemplo ordinati Nectarii. Hujus ergò ordinationem tunc omninò probaverat Romana Ecclesia: Alioquin tantùm ei testimonium Sanctus Ambrosius non perhibuisset. Proindè plura hujus Synodi Acta omnino probavit atque firmavit Damasus. Et quoniam omnia Synodorum Acta præcellit ac præcedit fidei Decretum, videtur ipsum ante omnia etiam prædicasse Theodosius apud Damasum, ac ejus confirmationem obtinuisse. Pluribus hæc suprà deduxi. Quidquid sit, Decretum istud, hoc est, Constantinopolitanum cum suis additamentis symbolum S. Leo firmavit.

Alia est ratio Constantiensis Concilii. Erat legitimè indictum & congregatum. An porrò legitimè congregata Synodus, ac ipsi præfecta Romani Episcopi legatio, per ejusdem Episcopi naturalem aut civilem mortem incurrat suæ potestatis interpolationem aut suspensionem, non est præsentis temporis quæstio, nec spectat ad nostrum Propositum. Certè per Sancti Fabiani Martyrium vacante Apostolica Cathedra, Romanæ Ecclesiæ Clerus censuit nullam sibi esse potestatem, qua deductis ad se Ecclesiarum gravioribus causis, ac nova Disciplinæ Decreta exigentibus relationibus responderet. Et Romanam *vice Pastoris* custodivit atque rexit Ecclesiam, & su- Ep. 3.
per totius Ecclesiæ corpore excubavit, avitos Ep. 30.
Canones ac disciplinam strenuè exsecutus est, verùm à Sancto Cypriano & aliis hinc indè Primatibus Gentium Episcopis de pœnitentia functis idololatris danda contra priorem Canonem pace rogatus respondit: *Nobis differendæ hujus rei necessitas major incumbit, quibus post excessum nobilissimæ memoriæ viri Fabiani nondum est Episcopus propter rerum & temporum difficultates constitutus, qui omnia ista moderetur, & eorum qui lapsi sunt, possit cum consilio & auctoritate habere rationem.* Et infrà: Ep. 31.
Cujus temperamenti moderamen nos hic tenere quærentes, diu & quidem multi, & quidem cum quibusdam Episcopis vicinis nobis & appropinquantibus, & quos ex aliis Provinciis longè positis persecutionis istius ardor ejecerat, ante constitutionem Episcopi nihil innovandum putavimus, sed lapsorum curam mediocriter temperandam esse credimus, ut interim dum Episcopum dari à Deo nobis sustinetur, in suspenso eorum, qui moras possunt dilationis sustinere, causa teneatur. Aliquid interloquuntur, nihil audent definire. Cur generalis Synodi non sit eadem ratio? Nam & ipsa tunc est sine capite. Etiam Apostolici per Illyricum Vicarii potestas desinebat per Pontificis mortem: Certè synodalis Legatus habet pariformes vices. Durare possint usque ad revocationem: Certum est debere per novum Pontificem ratificari. Quod ipsum creditum fuisse à Joanne Gersone, est suprà ostensum. Quocirca Constantiense contra Sicarios Decretum, nisi à Martino quinto probatum sit & firmatum, potest esse verum, sed non habet synodalem auctoritatem. Nam sexta Synodus, licèt juxta Apostolicum mandatum & suffragium peracta, firmitatem, quam morte præventus non dederat Sanctus Agatho, petivit ac impetravit à Sancto Leone secundo: Nec antea se credidit firmam. Augustinus Triumphus non de Concilio, sed de universa Ecclesia loquitur. Et ipsum sequuntur Alvarus Pelagius, & Cardinalis Panormitanus. Falli ipsos existimo. Romanæ per Sancti Fabiani mortem vacantis Ecclesiæ Clerus est potiùs audiendus. Viduata Ecclesia à Spiritu sancto regitur & custoditur, errare non potest, ideoque novas definire quæstiones, aut novos condere Canones numquam attentabit.

Quæstionem, de qua ad Basileense Concilium rescripsit Eugenius quartus, proponit in Ad-

ventuali ad Constantiensem Synodum Sermone Petrus Cardinalis de Aliaco: *Auctoritas decernendi & definiendi non est attribuenda soli Pontifici, sed toti Concilio generali. Undè manifestè reprobatur error quorumdam pernicioſissimus, qui adulando potestati Papali ità detrahunt auctoritati sacri Concilii, ut dicere præsumant quòd Papa non posset necessariò sequi deliberationem Concilii, immò standum esset sententiæ Papæ, si Ecclesiæ vel generali Concilio contradicat.* Existimo Constantinopolitanam, Chalcedonensem, Quintam, Trullanam, ac Septimam Synodos non fuisse Papalis potestatis adulatrices: Et tamen suos Canones & alia quædam Acta, quòd solus Papa contradiceret, confessæ sunt esse infirma & caduca. Adulari est minus crimen, quàm detrahere aut furari. Undè & Petro Aliacensi adversam Eugenii quarti Regulam admisit Synodus Basileensis. Eandem quæstionem in Synodalium rerum libris proponit etiam Fredericus Nausea Episcopus Viennensis: *Patribus in Concilio à Papa vel ejus Legato dissentientibus, cujus judicio sit standum?* Et respondet: *Prima fronte non videtur accedendum uni solique Papæ, præsertim in causa fi-* L. 5. c. 3.
dei, cùm satis periculosum videatur fidem nostram unius hominis arbitrio committi. Nec usque adeò superbum esse Papam credimus, quòd ipse solus & unus homo toti congregationi suum judicium præferat, perinde atque si ipse Spiritum sanctum habeat, maximè quòd major urbe sit orbis. Ne itaque navigandum sit inter Scyllam & charibdim, plerique omnes Doctores arbitrantur, sententiæ Papæ prorsùs esse standum in negotio fidei priùs per Apostolicam Sedem definito, quod ipsi Patres vellent aut refutare, aut immutare. In ipso verò fidei negotio necdum definito, sed per Concilium definiendo, standum potiùs esset judicio Patrum totius Concilii. Quod ipsum cum Cardinali à Turre-cremata sequitur eruditus ex Fratrum Minorum Ordine Cardinalis Clemens
Monilianus, atque adjungit: *Si talis controversia* C. 33.
orta esset, licèt Universitati Patrum adhærendum esset ratione prædicta, nihilominus nihil videretur convenienter concludendum, quousque Papa & Patres concorditer in unam convenirent sententiam. Est casus fictus atque imaginarius: Per Dei gratiam non evenit usque huc, & usque ad sæculi finem speramus non eventurum. Etenim omnes Joannis duodecimi excessus fuerunt conversationis vitia, non prædicationis. Et Evangelicum dogma aut fundamentalem Ecclesiæ Disciplinam pertinaciter impugnanti Pontifici esset non tantùm à generali Synodo, sed à quovis singulari Christiano contradicendum. Et hinc præsentem Regulam libenter admisit atque obtulit quartus Eugenius.

At quid si circa dubium fidei articulum eveniat ista Pontificis & Synodi discordia? Respondeo tunc sequendum Cardinalis Moniliani consilium, & factum Sancti Leonis noni, qui difficilem de Simoniacorum ordinationibus quæstionem retulit ad Divinam Majestatem, & omni Ecclesiæ generales preces indixit. Et Sancti Augustini consilium, qui in libris de Baptismo adversùs Donatistas scripsit de similiter difficili

Lib. 7. c. 33. quæstione: *Si quis fortè me* in universalis Ecclesiæ *Concilio constitutum, ubi talium rerum quæstio versaretur, non præcedentibus talibus, quorum sententias sequi mallem, urgeret ut dicerem quid sentirem, Divinum judicium per alicujus revelationis oraculum, concordi oratione, & impensis supplici devotione gemitibus, implorandum esse censerem, ità sanè ut post me dicturos sententias, ne quid jam exploratum & cognitum adferrent, humiliter exspectarem.* Talis interim Synodus sine Papali mandato ac suffragio non judicaret. In omnes sine hocce suffragio judicantes aut tractantes Synodos dici omninò potest supra laudatum Sancti Gelasii elogium: *Alia quæ per imcompetentem præsumptionem illic prolata sunt, vel potiùs ventilata, quæ Sedes Apostolica nullatenus delegavit, mox à Vicariis Sedis Apostolicæ contradicta manifestum est. Quæ Sedes Apostolica, etiam petente Principe, nullatenus approbavit, nulla ratione sustinet.* Et infrà: *Totum in Apostolicæ Sedis positum est testate. Ita quod firmavit in Synodo Sedes Apostolica, hoc robur obtinuit, quod refutavit, habere non potuit firmitatem. Et sola rescidit, quod præter ordinem congregatio Synodica putaverat usurpandum.* Lucidè adfirmat solius Pontificis suffragium unanimi totius Synodi suffragio esse potentius ac prævalere. Adfirmat isto suffragio ac mandato destitutas Synodos nihil judicare posse, immò nec ventilare. Hinc Orientalibus Patriarchis atque Episcopis, quos ad talem Synodum convocare minabatur Imperator Michael tertius, scripsit Nicolaus primus: *Vos, ut antiquum morem servetis, neque judicetis, neque approbetis quidquam sine nostra auctoritate.*

Exponitur antiquus Gallicanæ Ecclesiæ sensus.

QUòd nullus Episcopus, nullus Patriarcha, nulla Diœcesis, nulla etiam œcumenica Synodus sine Romani Episcopi atque Romanæ Ecclesiæ auctoritate definire possit de dogmaticis quæstionibus, Gallicana olim Ecclesia constantissimè tenuit, atque ita certum est nobis rem novam à Joanne Launojo prædicari. Evidenter hoc lucet ex causa Gilberti Porretani, Pictavensis Episcopi. Quatuor circa Divinæ Majestatis substantiam errores ille docuerat, atque ità à suis Archidiaconis, quòd publicè in Ecclesia monitus noluisset acquiescere, erat appellatus ad Apostolicum Tribunal Eugenii tertii. Regios Romanæ evocationis obices tunc ignorabat Gallia, atque ita utraque pars statim accessit. Verùm à turbulenta Arnaldi Brixiensis Monachi factione vexatus Eugenius descendebat in Gallias, & cum accusatoribus Archidiaconis Episcopum excepit apud Senas, remisit domum, ipse secuturus, & istic causam cogniturus. Gilbertus erat Doctor Scholasticus, Artium & Sacræ Theologiæ in variis Galliæ Gymnasiis veteranus Professor, Paleatricæ acrimoniæ magnus amator, atque ità ex malè intellectis Sanctorum præsertim Hilarii & Augustini libris lapsus in voces potiùs novas & scandalosas, quàm in mentis errores. At verò istas, tunc grassari incipientes in Ecclesia, scholæ subtilitates pessimè, nec sine fundamentis, oderat Sanctus Bernardus: Hinc Archidiaconi illum obtinuerunt sibi patronum, isto Episcopo durum & constantem adversarium. Omnibus enim Gallicanis Episcopis Bernardus erat mens & lingua. Porrò Gilbertus erat, ac semper fuerat immaculatæ vitæ & famæ: Hinc ejus, licèt non erroribus, tamen personæ favebant quidam Domini Cardinales, aut potiùs de favore hoc erant apud Bernardum suspecti. Rationem dat in libris de Gestis Frederici primi Imperatoris Otho Episcopus Frisingensis: *Bernardus tam ex Christianæ Religionis fervore erat zelotypus, quàm ex habitudinali consuetudine credulus, ut & Magistros, qui humanis rationibus, sæculari sapientia confisi, nimiùm inhærebant, abhorreret, & si quidquam ei Christianæ fidei absonum de talibus diceretur, facilè aurem præberet.* Lib. 1. c. 46. 47.

Etiam ipse Eugenius æstimabat Gilbertum. Hinc ipsum invitavit ad suum Remense Concilium: Non ut reum, sed ut integrum & Canonicum Episcopum. Et ut talem fecit adfidere. Ejus causam discussit post dimissam Synodum. Et accusatos articulos, & ipsorum apologetica fundamenta curavit sibi redigi in Scriptum. Et ipsum cum Sancto Bernardo disputantem, non tantùm patienter, sed etiam delectabiliter audivit atque attendit. Audiamus laudatum Othonem: *Finita Synodo*, prudentiores & viciniores *Episcopi ad causam Gilberti terminandam* à Papa Eugenio *reservantur*. Et infrà: *Quam auctoritatem cum determinare vellet Clarevallensis Abbas, aliqua verba, quæ Cardinalibus displicerent, protulit, Episcopo Pictavino dicente*; Et hoc scribatur. *Ad quod ille respondit:* Scribatur stylo ferreo in ungue adamantino. Moxque *ad publicum progressus, omnes quos poterat convocavit. Ibi cum Archiepiscopis, virisque religiosis & eruditis contra quatuor, quæ Pictavino Episcopo imponebantur,*

tur, Capitula fidem in hunc modum ipse cum aliis, & alii cum ipso exposuerunt. Exponit in Sancti Bernardi vita Goffredus Monachus Clarevallensis: *Considerans Bernardus nonnullos ex his, qui præsidebant, jam quidem animadvertentes blasphemiam in doctrina, adhuc tamen avertentes injuriam à persona, accensus est zelo, & domesticam sibi Ecclesiam seorsim convocat Gallicanam. Communi denique consilio, à Patribus decem Provinciarum, aliis autem Episcopis & Abbatibus plurimis, dictante viro Dei, novis dogmatibus opponitur symbolum novum.* Hoc est, novum fidei Decretum. *Cui etiam subscribuntur nomina singulorum. Ut eorum scilicet omnium, sicut irreprehensibilis fides, sic irreprehensibilis zelus cæteris innotesceret.* Et in litteris ad Albanensem Episcopum Gaufredus Cistertiensis Monachus refert Bernardi & Gilberti coram Dominis Cardinalibus disputationem, atque prosequitur: *Sub eo tenore discessum est, ut dicerent Domini Cardinales,* Quia ecce audivimus quæ proposita sunt, deinceps judicabimus qualiter debeant definiri. *Quod verbum eatenus movit corda multorum, ut sequenti die apud Sanctum Bernardum convenirent Archiepiscopi decem, Episcoporum quoque & Abbatum, ac Magistrorum plurima multitudo. Et quia judicium sibi videbantur reservasse, quos noverant ferè omnes errantis potiùs, quàm erroris fautores, providerunt oportere cum Capitulis illis Gilberti Episcopi, suæ & fidei symbolum mitti, ut scirent melius, undè judicarent. Scripserunt ergo Capitula totidem, quàm expressiùs potuerunt, illius verbis suam confessionem contrariam in omnibus, & per omnia proponentes, quam de communi omnium conveniente, non sine multa deliberatione dictatam judicaturis facerent exhiberi. Nec tamen verebantur, ne contrarium aliquid judicarent, sed credebant nonnullos eorum ad hoc tendere, ut sine aliqua definitione Concilium solveretur. Propter quod eidem scripturæ, quam novissimam vobis mittimus, subscripta sunt singulorum nomina, qui aderant, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, & Magistrorum, de consensu & convenientia universorum. Et electæ sunt tres personæ, Episcopi duo reverendissimi, Hugo Antisiodorensis,* primus è Cistertiensi ordine evectus ad Pontificalem thronum, & ex Præmonstratensi ordine *Milo Morinensis, & Sugerius Abbas Sancti Dionysii, qui eamdem scripturam Domino Papæ & Cardinalibus præsentarent, & dicerent eis: Pro vestra reverentia sustinuimus minùs dignos acceptione sermones, donec tandem audivimus, quòd de eis judicare velletis. Offerimus ergò & nos nostram confessionem, ut non de parte, sed de partibus judicetis. Tenetis confessionem hominis illius scriptam: Convenit ut teneatis & nostram. Verumtamen ille vobis sub hoc tenore tradidit suam, ut paratus esset corrigere, si quid vobis aliud videretur; nos hujusmodi conditionem penitùs excludentes, sic vobis nostram offerimus, ut noveritis quòd in hoc sumus, in hoc perseverabimus, nihil penitùs immutaturi.*

L. 3. c. 5.

Hæc posteriorum verborum fiducia Dominos Cardinales offendit: Visa est anterioribus non cohærere. Visa est non institutionem continere, sed definitionem. Nam & oblata charta titulabatur Symbolum, seu fidei Decretum. Et in simili Decreti formam erat subscripta ab omnibus. Hinc pergit Otto Episcopus Frisingensis: *Quod Gallicanæ Ecclesiæ factum tam graviter sacer Cardinalium Senatus accepit, ut in magna mentis indignatione Curiam intraret, & tamquam unum corpus effecti, una omnes voce Pontifici suo dicerent; Scire debes, quòd à nobis, per quos tamquam per cardines universalis Ecclesiæ vertitur axis, ad regimen totius Ecclesiæ promotus, è privato universalis Pater effectus, jam deinceps te non tuum, sed nostrum potiùs esse oportere, nec privatas & modernas amicitias antiquis & communibus præponere, sed omnium utilitati consulere, Romanæque Curiæ culmen ex officii tui necessitudine curare & observare debere. Sed quid fecit Abbas tuus, & cum eo Gallicana Ecclesia? Quæ fronte, quo ausu cervicem contra Romanæ Sedis Primatum & apicem erexit? Hæc est enim sola, quæ claudit, & nemo aperit; aperit, & nemo claudit. Ipsa sola de fide Catholica discutere habens, à nullo, etiam absens, in hoc singulari honore præjudicium pati potest. Sed ecce Gallici isti etiam faciem nostram contemnentes, super Capitulis, quæ his diebus, nobis adsidentibus, agitata sunt, tamquam finitivæ sententiæ ultimam manum apponendo, nobis inconsultis, fidem suam scribere præsumpserunt. Certè si in Oriente, utpotè Alexandriæ aut Antiochiæ, coram omnibus Patriarchis hujusmodi tractaretur negotium, nihil firma stabilitate solidum sine nostra definiri valeret auctoritate. Quinimmò juxta antiquorum Patrum Instituta vel exempla, Romano servaretur examini terminandum. Quomodo ergo isti in nostra præsentia usurpare audent, quod etiam remotioribus, & Majoribus nobis non licet? Volumus igitur huic tam temerariæ novitati celeriter adsurgas, ipsorumque contumaciam punire non differas.*

Per remotiores & se majores intelligunt Orientales Patriarchas, atque ita lucet Cardinales Episcopos tunc his aduc cessisse. Quare Sanctus Petrus Damiani, ad Cadaloum Anti-Papam scribens ab illis *non modò quorumlibet Episcoporum, sed etiam Patriarcharum atque Primatum jura transcendi*, non de Orientalibus & veris, sed de Occidentalibus & adscititiis Patriarchis est intelligendus. Domini Cardinales lucidè adseverant nullos Episcopos, nullum Patriarcham, nullam Synodum posse definire de fide, sed hunc esse privativum honorem Romanæ Ecclesiæ. Et hanc esse paternam atque avitam regulam & consuetudinem. Oppositum Attentatum esse temeritatem sine exemplo, & contumaciam exemplariter castigandam. Nec solos Gallicanos Episcopos arguunt, sed & ipsum Eugenium. Causam edicit Gaufredus Monachus: *Quibus*, Gallorum Episcoporum Legatis, *Dominus Papa respondit, & universis, qui eos miserant, renuntiare præcepit, quòd ab eadem confessione eorum in nullo prorsùs Romana Ecclesia dissentiret. Et si stare visi fuerant aliqui pro persona, sed non stabant aliquatenùs pro doctrina.* Domini Cardinales existimabant pessimam Gallorum audaciam fuisse admissam & probatam ab Eugenio, ideoque & ipsum de Romanæ Cathedræ & Apostolici privilegii prævarica-

L. 1. Ep. 29.

rication arguerunt. Deo gratias, quòd inter sapientissimos istius Conventiculi Magistros nostros non fuerit Joannes Launojus: Quantis elogiorum plaustris optimos Cardinales non onerassent?

Pergit Episcopus Otto: *Romanus Pontifex Cardinales blando mitigans eloquio, Abbate ad se vocato, de hoc facto, qualitatevè factit solerter inquirit. Cui ille humiliter, & cum reverentia respondit se vel Dominos Episcopos nihil de præfatis Capitulis definiisse, sed quia ab Episcopo Pictavino audierat, ut fides sua scriberetur, idcircò quia solus nollet, illorum auctoritate & testimonio simpliciter se, quod sentiret exposuisse. Hocque tam humili, quàm modesto ipsius Responso prædicta Cardinalium indignatio conquievit, ita tamen ut præfatum Scriptum, tamquam inconsulta Curia prolatum, velut auctoritatis pondere carens, pro symbolo in Ecclesia, quod in Conciliis contra hæreses congregatis fieri solet, non haberetur.* Ex omnium Gallicanorum Episcoporum atque Doctorum mente loquebatur Bernardus, atque hinc addit Otto Episcopus: *Benedictus per omnia Deus, qui sic Ecclesiæ suæ sponsæ providit, ut nec vel summa membra à capite suo dissiderent, vel tantus religiosarum & discretarum personarum Gallicanæ Ecclesiæ, aliquod judicii pondus exspectans à Sede Romana, schismatis non parvi occasio esset.*

Notanda sunt hæc verba: *Ita tamen ut præfatum Scriptum, tamquam inconsulta Curia prolatum, velut auctoritatis pondere carens, pro symbolo in Ecclesia, quod in Conciliis contra hæreses congregatis fieri solet, non haberetur.* Orthodoxum, & Gilberti erroribus retundendis aptissimum erat istud symbolum: Nam & ut tale prædicari statim audivimus ab ipso Papa Eugenio. Ipsum tamen circumduci, ab omni auctoritate circumscribi, ac penitùs aboleri Cardinales voluerunt: Ex ista dumtaxat causa, quòd sine Romanæ Cathedræ interventu esset, vel potiùs putaretur attentatum. Etenim non ex definiendi, sed ex solo instruendi animo processerat. Et postulationi omnis Gallicana consensit Ecclesia. Hinc pergit Frisingensis Otto: *De primo tantùm* Gilberti articulo *Romanus Pontifex definivit, utpotè majoris momenti, in quo totius quæstionis cardo verteretur.* Adducit Papalem definitionem, atque concludit: *Episcopus* Gilbertus *summi Pontificis sententiam reverenter excipiens, ad propriam Diœcesim remeavit.* Conditum igitur à Gallicana Ecclesia symbolum circumduxit atque abolevit Pontifex, & ipse usque hodiè altissima voce clamat ad omnes ubique fideles: *Non Gallicana Ecclesia, sed solus Romanorum Episcopus potest dogmaticas quæstiones definire.* Nam & alio edito symbolo Eugenius quæstionem istam definivit. Et omnia hæc Acta non solus Gilbertus, nec sola tunc Gallicana Synodus, sed omnis sub cælo Ecclesia usque huc probat & veneratur. Etenim scribit Goffredus Monachus: *Demùm Apostolico judicio, & auctoritate universalis Ecclesiæ, error ille damnatur.* Quin & Gallicana Ecclesia fuit protestata se malè intellectam à Dominis Cardinalibus: Istud symbolum non definiendi, sed solo Pontificis instruendi animo fuisse emissum. Quòd igitur sola Apostolica Sedes de fide aut generali totius Ecclesiæ disciplina definire possit, rectissimè ex avito Gallicanæ etiam Ecclesiæ sensu dixerunt nuper Domini Cardinales, & Joannes Launojus sine fundamento impugnat.

Quomodo Gallicana Ecclesia posset recedere à perpetuo, quem ipsi etiam servarunt Apostoli, & suo exemplo fixerunt in immobilem Canonem, totius Christianitatis more? Etenim nullus Apostolus, nequidem ipse Paulus, licèt ad ineffabilia Arcana raptus in tertium cælum, & istic ab ipsa sacrosancta Trinitate creatus Gentium Doctor, potuit sine Sancto Petro dogmaticas fidei quæstiones definire. Hujusmodi primam in Ecclesia quæstionem exponit in Actis Sanctus Lucas: *Et quidam descendentes de Judæa docebant fratres, quia nisi circumcidamini secundùm morem Moysi, non poteritis salvari. Factà ergò seditione non minima Paulo & Barnabæ adversùs illos, statuerunt ut adscenderent Paulus & Barnabas, & quidam alii ex aliis, ad Apostolos & Presbyteros in Hierusalem super hac quæstione.* Paulus pro veritate multam seditionem, seu disceptationem fecit, verùm adversarii non detulerunt, sed provocarunt ad Apostolos, & alios Episcopos, qui erant Hierosolymis: Erat enim istic Petrus. Et Paulus de sua Apostolica auctoritate atque infallibilitate non excepit, & obedivit provocationi, & usque ad Synodale Petri judicium permisit istos in suo sensu abundare. Eadem de re scribit ad Galatas: *Deindè post annos quatuordecim*, utique ab accepta per Apostolorum manus Episcopalis consecratione, & per ipsum Dominum Deum Apostolica potestate, *iterum adscendi Hierosolymam cum Barnaba, adsumpto & Tito. Adscendi autem secundùm revelationem. Et contuli cum illis Evangelium, quod prædico in gentibus. Seorsim autem iis, qui videbantur aliquid esse. Ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem.* Quæ postrema verba altè clamant, quòd Paulus omnem suam, à Deo firmatam tot miraculis, apud gentes prædicationem, & adversùs ipsam motas quæstiones retulerit, submiserit, ac suspenderit ad futurum Petri judicium, ipse non ausus decidere. Et hoc *secundùm revelationem*. Quia nempè Sanctus JESU-Christi spiritus ipsum, non suo, sed Sancti Petri Synodali judicio stare jusserat, & sine ipso non definire. Quinimmò in suis super Epistolam ad Galatas commentariis Theodoretus scribit, non judaizantes Pauli adversarios, sed ipsum Paulum ad Hierosolymitanam sub Petro Synodum provocasse. Exponit judaizantium dogma, & pergit: *Sed magni veritatis Præcones Barnabas & Paulus prolatam ab eis doctrinam repulerunt. Volentes autem fidelium cœtui persuadere, id quoque magnis videri Apostolis, in Judæam contenderunt, & quæ ab illis facta fuerant, Apostolos docuerunt, litterasque attulerunt, quæ apertè præciperent jugum legis non imponere gentibus.* Quod ipsum scribit in Præfatione commentariorum super Epistolam ad Ephesios.

Non nego Apostolos omnes, præsertim Sanctum

Paulum, fuisse circa fidem infallibiles: Dumtaxat adsero ipsos, licèt infallibiles, sine Petro non potuisse dogmaticas quæstiones definire. Adsero ex definitivo Decreto quinti Concilii. Quinto Concilio adesse, aut adsensum præbere constanter noluit Vigilius Pontifex, protestatus suæ sedi competere Synodi auctoritatem, seu omnium tractandorum relationem, & de ipsis primum cum Prærogativa suffragium: Protestatus sine his non fieri Synodum, sed acephalum conventiculum. Hæc veritate niti norant Græcorum Episcopi, ideoque ad sua Attentata firmanda apposuerunt suo Decreto hanc medicinalem præfationem: *Licèt Sancti Spiritus gratia & circa singulos Apostolos abundaret, & non indigerent alieno consilio ad ea quæ agenda erant, non tamen aliter voluerunt de eo quod movebatur*, Si oporteret gentes circumcidi, *definire, priusquam communiter jam congregati, Divinarum Scripturarum testimoniis unusquisque sua dicta confirmaverunt.* Disertè profitentur & singulos Apostolos fuisse circa fidem infallibiles, & tamen ipsorum nullum sine Synodali per Petrum directo Conventu potuisse de motis adversùs ipsam quæstionibus decidere. Ex his principiis Vigilium conantur in suas partes deducere. Profitentur infallibilitatem etiam ipsi competere, & cuivis Romano Episcopo: Addunt hac de causa Synodalem Conventum ab ipso non debuisse refutari. Et hinc vides illos, qui Romanæ Ecclesiæ infallibilitatem & generalium Synodorum necessitatem existimant non cohærere, insigniter hallucinari. Et quidem adducta verba non sunt hujus aut istius Episcopi suffragium, sed sunt totius Concilii Decretum. Quòd ista Apostolorum congregatio non mereatur Synodi nomen, apud Sylvestrum Sguropulum in Florentini Concilii Historia malè dixit Marcus Antistes Ephesiorum. Et quòd Cardinalis Julianus Cæsarinus isti Paradoxo nihil reposuerit, idem Sylvester meritò admiratur.

Hac porrò in Synodo Sanctus Petrus Apostolus lucidè functus est officio Romani Episcopi. Et tractanda propositurus, & de ipsis dixit primum cum Prærogativa suffragium. Et de Synodali ad ista quæstione turbatam Antiochenam Ecclesiam transmisso Decreto pergit Sanctus Lucas: *Illi*, Synodales Legati, *dimissi descenderunt Antiochiam, & congregata multitudine tradiderunt Epistolam. Quam cum legissent, gavisi sunt super consolatione.* Et infrà: *Paulus perambulabat Syriam & Ciliciam, confirmans Ecclesias, præcipiens custodire Præcepta Apostolorum & Seniorum.* Et in sequenti capite: *Cum pertransiret civitates, tradebat eis custodire dogmata, quæ erant Decreta ab Apostolis & Senioribus, qui erant Hierosolymis.* Laudat Apostolum, quòd non sibi, sed Apostolicæ Synodo hanc dogmaticam definitionem adscriberet, ipsam ubique publicaret & exsequeretur, ac suam tam præteritam, judaizantium dura intercessione turbatam, quàm præsentem prædicationem ex ipsa confirmaret. Quod ipsum disertè & variè profitetur & ipse Paulus in Epistola ad Galatas. Palmaris illi scopus est, ut demonstret suam in Galatia prædicationem esse nunc Synodaliter firmatam à Petro & aliis Apostolis, ideoque perperam fuisse culpatam à judaizantibus, & hos stultè à Galatis auditos. Non ampliùs contendit aut disputat, sed pleno imperio jubet & cogit. Quin & invectivis abundat Epistola: Galatas titulat stultos, insensatos, fascinatos. De prædicationis suæ firmitate non minùs antè quàm post Synodum erat certus: Unde igitur dumtaxat nunc utitur tanto impetu? Cur usque ad Synodum non damnavit Galatas, sed judaizandi libertatem illis quasi indulsit? Quòd tunc censeret solus, ideoque nec definire posset motas quæstiones, nec ipsarum duros tutatores pleno judicio compescere. Et adjunxit: *Licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus, anathema sit.* Adfirmat Synodale Petri judicium nec à se, nec ab ullo Apostolo, immo nec à Sanctis Angelis posse retractari. Adeo antiqua atque fundata est Synodorum auctoritas.

De Sancti Petri in Judaicam simulationem lapsu scribit in litteris ad Sanctum Hieronymum Sanctus Augustinus: *Magis arbitror hoc Petrum fecisse ante illud Hierosolymitanum Concilium.* At longè rectiùs in laudatis super Epistolam ad Galatas commentariis Theodoretus adfirmat contigisse post Concilium. Hæc Pauli ad Petrum verba, *Quomodò gentes cogis judaizare*, commentatur: *Tuum est Decretum, ne hi ex lege vivant.* Petrum Paulus arguit, quòd suum ipse Decretum prævaricaretur. Et hinc videtur scripsisse: *Si nos, aut non solùm Petrus, sed etiam quis de cœlo Angelus aliud evangelizet, anathema sit.* Petri lapsus videtur firmasse Galatas in errore, ideoque tam acrem medicinam exposulasse. Et sanè si profanum Cherintum, quem hujus contentionis fuisse judaizantem auctorem scribit in Panario Sanctus Epiphanius, & seductos ab ipso Galatas, in suo sensu abundare, & ad Synodum provocare permisit ante laudatum Decretum Sanctus Paulus, quomodo Primatem suum Petrum præsumpsisset damnare? Interim lucet nec Paulum, nec quemlibet Apostolum potuisse sine Petro de motis in dogma quæstionibus definire. Hoc etiam tunc privativè spectabat ad Petri è Synodali Cathedra judicium. Et hanc prærogativam omninò ille firmavit in sua Romana Cathedra. Et ita semper professa fuit omnis vera Christianitas. Oppositum est damnanda novitas.

Act. 8. C. 15. C. 2. Lib. 6. cap. 6. C. 15. C. 2. C. 16. C. 1. Epist. 19. cap. 2. C. 4. Lib. 2. c. 2. 3. 4.

CANON XXII.

QUòd Romana Ecclesia numquam erravit, nec in perpetuum, Scriptura testante, errabit.

SCHOLION.

ALiud esse Ecclesiam quampiam, aliud ejus Episcopum, est manifestum. Hinc inter Romanam Ecclesiam & Romanum Pontificem hic etiam Dictatus lucidè distinguit. Quin & aliud est Episcopus, aliud ejus Cathedra: Aliud Apostolica Sedes, aliud Pontifex Romanus. Hinc & in Evangelio dixit Dominus: *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi*. Cathedram immaculatam sedentes affirmavit variè maculosos. Et in libris adversùs Julianum Pelagianæ perfidiæ restauratorem scribit Sanctus Augustinus: *Quid Innocentius Pontifex potuit Africanis respondere Conciliis, nisi quod antiquitus Apostolica Sedes, & Romana perseveranter tenet Ecclesia?* Innocentium Pontificem, Apostolicam Sedem, & Romanam Ecclesiam lucidè ab invicem discernit. Et adversùs Græcorum quorumdam Episcoporum, quasi ob Dioscori Alexandrini, & Domni Antiocheni Patriarchæ lapsus, ipsorum etiam Sedes humiliare, & Constantinopolitanam exaltare conantium, in Chalcedonensi Synodo Decretum scripsit ad Maximum Antiochiæ Patriarcham Sanctus Leo Magnus: *Et si diversa nonnumquam sint merita Præsulum, tamen jura permanent Sedium*. Et in litteris ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum: *Aliud sunt Sedes, aliud Præsidentes*. Et in libro contra Collatorem Sanctus Prosper: *Sacrosancta Beati Petri Sedes ad universum orbem Papæ Zozymi sic ore loquitur*. Et in litteris ad Honorium Salonitanum Episcopum ac Dalmatiæ Metropolitam Sanctus Papa Gelasius: *An nescitis Pelagianam hæresim ab Apostolica Sede per Innocentium, Zozymum, Bonifacium fuisse prostratam?* Pontificis personam ab Apostolica Sede, tamquam à toto corpore os, lucidè discernunt. Consonat in sextæ Synodi confirmatorio ad Constantinum quartum Imperatorem Rescripto Sanctus Leo secundus: *Per nostrum officium hæc veneranda Sedes Apostolica concorditer his, quæ definita sunt, consentit, & Beati Petri auctoritate confirmat*. Et in litteris ad Francorum Episcopos Gregorius quartus: *Honoranda est Cathedra Pontificalis, & propter Cathedram sedens in illa. Vos autem fidelem Pontificem debonestandum prædicatis absque injuria Sedis: Quod omninò falsum est*. Hinc frequenter legimus Cathedram vario sui Episcopi merito honorari aut maculari. Hinc Henricus quartus Imperator, ejus successores Henricus quintus & Ludovicus quartus, Philippus Pulcher Francorum Rex, aliique plures adversùm Ecclesiastica jura digladiantes, nequaquam sese Sedi Apostolicæ, sed huic dumtaxat aut isti Pontifici adversari fuerunt protestati: Hinc item aliud est Romanum Pontificem ex proprio privati Doctoris sensu, aliud ex Sancti Petri Apostoli Cathedra & privilegio loqui aut definire. Proindè distinctio hæc fundata est, antiquissima, & multis elucidandis necessaria.

L. 1. c. 4.

Epist. 62. cap. 3.

Epist. 53. cap. 5. C. 10.

Verùm quæstio est, Quidnam hìc intelligatur per Apostolicam Cathedram, quid per Ecclesiam Romanam? Respondeo Romanam Ecclesiam accipi quatuor modis. Primò, pro omni Romana communione, seu pro omni sub cœlo Ecclesia, Romanam ut caput & rectæ fidei radicem venerante. Et sic Romana Ecclesia est idem, quod Ecclesia Catholica seu universalis. Hinc in primo de Apostolorum Principibus sermone Sanctus Leo scribit Romam esse urbem Sacerdotalem & Regiam, quæ per sacram Petri Sedem caput orbis effecta, latiùs præsideat Religione Divina, quàm dominatione terrena. Per laudatam enim Sedem non solis Romani Imperii, sed cunctis etiam Barbararum Gentium Ecclesiis præsidet. Ita non est Barbarus aut Schyta, sed omnis Barbarus, dummodo verè Christianus, est Romanus. Secundò accipitur pro solo Romano Patriarchatu. Uti Alexandrina aut Antiochena Ecclesia idem quandoque est quod hic aut ille Patriarchatus; sic est & de Romana. Hoc sensu, ob Sancti Cyrilli Alexandrini & Joannis Patriarchæ Antiocheni natas in Ephesina Synodo lites dicuntur Alexandrina & Antiochena Ecclesia dudum discordasse: Et ob Sancti Joannis Chrysostomi iniquam degradationem etiam Romana & Constantinopolitana. Ecclesia est istic idem quod tota Patriarchatus communio. Tertiò accipitur pro sola Romanæ Metropolios Provincia, latissima olim, utpotè quæ comprehenderet omnem Campaniam, Thusciam, Picenum, Brutios, Apuliam, Calabriam, atque Siciliam. Quartò accipitur strictissimè pro sola Ecclesia Almæ urbis. Et quoniam non pro Romano Pontifice, nec pro Apostolica Sede, sed pro sola Romana Ecclesia hìc dictavit septimus Gregorius, quæstio est, in quanam istarum quatuor acceptionum specie sumpserit Ecclesiam Romanam?

Quo-

Quomodo Ecclesia quævis ac ejus Episcopalis Cathedra distinguantur, edicit in exhortatorio ad castitatem libro Tertullianus: *Differentiam inter Ordinem & Plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per Ordinis consessum sanctificatus*. Episcopalis, inquam, Cathedra non est solus Episcopus, sed quotquot ipsi in publico Ecclesiæ Conventu assident, & in illa administranda eidem suo consilii aut judicii suffragio cooperantur. Quocirca Provincialis Episcopus suum Presbyterium, Metropolita, Patriarcha, Papa pro Sede sua habent suas Synodos, quarum sunt præsides, os & lingua. Et dum ex eorum communi judicio ac suffragio agunt, statuunt, decidunt, loquuntur, dicuntur ex Cathedra agere, decidere, statuere, loqui. Episcopus, Cathedra, & Ecclesia habent se ut pars & totum: Episcopus est pars Cathedræ, Cathedra pars Ecclesiæ, sed quæ totam suam Ecclesiam repræsentet. Et hinc uti quadruplex est Romana Ecclesia, ita & Apostolica ejus Cathedra. Et Generalis, & Patriarchalis, & Provincialis, & sola Urbica Synodus, seu solum Dominorum Cardinalium cum Domino Papa consistorium sunt Apostolica Sedes.

Verùm Ecclesia & ejus Cathedra ob dictam illius ab hac repræsentationem frequentissimè confunduntur. Et ità hic Romanam Ecclesiam cum Apostolica Sede omninò confudit noster Gregorius. Dictavit enim propter Wigbertini schismatis defensores, quos inter Venericus Vercellensis Episcopus in libro de conservanda Ecclesiæ unitate docuit veram Romanam Ecclesiam in fide nec errasse umquam, nec errare posse, ejus autem invasorem & adulterum Hildebrandum in multis erasse. Eundem, quòd de Berengariano dogmate dubitaverit, ideoque fuerit Hæreticus, accusat Cardinalis Benno, & prosequitur: *Ut Liberii festum celebraretur jussit. Hoc Præcepto ejus hæresim firmavit*. De pluribus ipsum erroribus infamat, & edicit causam: *Postquam aliundè adscendit* in Papatum, *à consilio removit Cardinales sacræ Sedis. Cum quibus personis consilia sua diebus ac noctibus habuit, Roma vidit & audivit. Ejectis à consilio & custodia ejus Cardinalibus, vita ejus & fides, & doctrina fuit sine testibus*. Gregorium non ex Cathedra, sed ex proprio arbitrio affirmat judicasse, ideoque lapsum à Sancti Petri privilegio, atque erasse. An Romani Pontificis persona fuerit aliquando lapsa in hæresim, est scabrosa quæstio. Quin labi possit, antiquitas non dubitavit. Hasce ambages ingredi noluit noster Gregorius, ideoque de sola, cui ipse præsidebat, Romana Ecclesia, seu ejus Apostolica Cathedra, ac se loquente ex ipsa Pontifice dictavit.

Quæstio est, Quam Cathedram intellexerit? An solam generalem, an Patriarchalem, an etiam Provincialem Synodum? Et an etiam Consistorium solorum Dominorum Cardinalium? Cardinalis Nicolaus Cusanus in opere de Catholica concordantia vult olim intelligendam fuisse solam generalem Synodum, nunc autem intelligi posse & Patriarchalem, quòd ad eam generalis jam contracta sit, ideoque & suam dignitatem ac privilegia omnia in ipsam transfuderit, Romanum Pontificem extra generalem Synodum vult etiam circa fidem posse falli. Verùm à Gregorio nostro solum etiam Dominorum Cardinalium Consistorium, adeoque & Provincialem Synodum fuisse intellecta, abundè nobis dixerunt schismatici Benno & Venericus. Et jure merito. Etenim istam Romanam Ecclesiam, seu Apostolicam Sedem non posse in fide labi, constanter admiserunt octo generalia apud Græcos celebrata Concilia, uti in ipsorum Notis est abundè ostensum. Adeò Sanctus Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Archiepiscopus, ejus Successor Sanctus Basilius, & alii quidam Romanis offensi Græcorum Patres oppositam suam sententiam non potuerunt suis Collegis persuadere. Eam tamen in Florentina Synodo tenuerunt Græci, & longa ac intricata quæstione differri unionem nolens Eugenius quartus duxit dissimulandum. Præsentem interim Dictatum omnis olim Latina Ecclesia constantissimè defendit, quod ostendere hìc velim de sola Africana & Gallicana.

Incipiamus ab Afrorum Carthaginensi ac Milevitana Synodis, Pelagii atque Cælestii errores damnantibus. De ipsarum enim per Innocentium primum Pontificem data confirmatione declamavit ad populum in sermonibus de Apostoli verbis Sanctus Augustinus: *Jam de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam Rescripta venerunt. Causa finita est*. Quia nempe Sedis istius de fide judicium credebat infallibile, quod non posset exsufflari. Errones gravissimè id pupugit, neuter tamen adversùs ipsum excipere vel provocare præsumpsit: Ipsum à se per omnia admitti & probari sunt professi, & à solis memoratis Synodis quasi ad meliùs informandum Pontificem appellarunt. Nempe in Britannia, ad Gallicanam Diœcesim tunc spectante, natus atque renatus Pelagius semper crediderat Romanam Cathedram in dogmatico judicio non posse falli. Verùm ubi Zozymus Pontifex non solùm sui Antecessoris, sed etiam laudatarum Synodorum disertissimè firmavit judicium, & encyclicis ad universos sub Cœlo Episcopos litteris rigidissimè ac lucidissimè damnavit errores singulos, Erronum crevit audacia. Eorum Ravennam ad Honorii Imperatoris Comitatum profecta Legatio postulavit retractari causam, asserens ipsam sine legitimo examine, adeoque non juxta Apostolici Privilegii Regulam ex Petri Cathedra, sed ex privato Zozymi affectu definitam. Accusavit solam Pontificis personam. Verùm Princeps ipsos adeò non audivit, ut tamquam turbulentos Hæreticos ab Alma urbe & cunctis suburbicariis Regionibus jusserit expelli. Et ipse causam habuit pro legitimè finita.

Serm. 2. c. 10.

Ejusdem mentis fuit Atticus Constantinopolitanus Episcopus, ac ejus successor Sisinnius. Quòd enim ejusdem factionis Legatos, ab Honorio Augusto denegatam causæ retractationem postulantes ab ejus nepote & Collega Theodosio,

Con-

Constantinopoli expulerit, & iporum errores denuò damnaverit synodaliter uterque Episcopus, testantur in Carmine de Ingratis Sanctus Prosper, & in litteris ad Sisinnii Successorem Ep. 20. Nestorium, exstantibus in prima Ephesini Concilii parte, Sanctus Pontifex Cœlestinus. Tunc in rabiem actus factionis Goliath Julianus Episcopus, omnes facundæ suæ in Africanam ac Romanam Ecclesiam maledicentiæ laxavit habenas, ab utriusque judicio appellavit ad generale Concilium, & Rufum Thessalonicensem Episcopum, Apostolicæ Sedis in Illyrico Vicarium, omnesque illi subjectas Ecclesias ad Romanæ Cathedræ communionem deferendam concitavit. Ipsam non erroris tantummodò accusavit, sed & tyrannidis: *Utpotè quæ toto penitùs Occidente non minùs stultum, quam impium dogma suscepisset, à simplicibus Episcopis, sine congregatione Synodi in locis suis sedentibus, extorsisset subscriptionem, & tam justæ causæ examen & Episcopale judicium denegaret.* Neque hæc solus, sed cum octodecim blateravit Episcopis. Verùm in libris ad Bonifacium Pontificem reposuit Sanctus Augustinus: *Adhuc flagitant audientiam, cum damnati debeant agere pœnitentiam.* Et in alio ejusdem Lib. 1. C. 34. operis libro: *Aut verò congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur, quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi congregatione damnata sit, cum potiùs rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas talis necessitas exstiterit, multoque sint atque incomparabiliter plures, quæ ubi exstiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitandæ innotescere potuerunt. Verùm istorum superbia, quæ tantum se extollit adversùs Deum, ut non in illo velit, sed in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem commovere conantur, cum potiùs vigilantia & diligentia Pastorali post factum illis competens sufficiensque judicium, ubicumque isti lupi apparuerint, conterendi sint, sive ut sanentur atque mutentur, sive ut ab aliorum salute atque integritate vitentur.* Et in priori adversùs Julianum opere: *Vestra apud competens judicium communium Episcoporum causa finita est. Nec amplius vobiscum agendum est, quantum ad jus examinis pertinet, nisi ut prolatam de hac re sententiam cum pace sequamini. Quòd si nolueritis, à turbulenta vel infidiosa inquietudine cohibeamini. Similes estis Maximianistis, qui cupientes exiguitatem suam nomine saltem certaminis consolari, & ideò videri aliquid apud eos quibus contemptibiles erant, quia inire nobiscum finerentur examen, interpellantes eos, & libellum dantes, provocantesque contempsimus. Magis enim de certamine nominari desiderabant, quàm formidabant in certamine superari, nec sperabant victoriæ gloriam, sed famam requirebant collationis, quia multitudinis non habebant.* Per Errones mota quæstio quandoque intricata est & multæ indaginis, ideò ut ejus abyssus videatur per solam Romanam Ecclesiam non posse penetrari, aut nimias per Regiones diffusa lues timeatur ejus solius judicio non esse acquietura: Hisce solis est indulgenda generalis Synodus, cæteræ controversiæ per solam Petri Cathedram sunt citra appellationis aut retractationis periculum finiendæ.

Dices Augustinum non de Apostolica Romanorum Cathedra loqui, sed de Provinciarum natas apud se hæreses damnantium Synodis, adeoque hæc omnia ad rem non pertinere. Respondeo illum omninò loqui de ejusmodi Synodis, verùm non de ipsis solis & nudis, sed de referentibus ad Petri Cathedram, ac per ipsam confirmatis. Quòd enim nulla Synodus sine ejusmodi relatione potuerit de fide definire, quòd nullius item definitio sine obtenta laudatæ Sedis confirmatione robur habuerit, est suprà abundè ostensum. Et hinc Pelagianam causam finitam dixit jam statim idem Augustinus, non quòd jam dicta duo de ipsa essent habita Concilia, nec quòd missa seu relata essent ad Sedem Apostolicam, sed quòd eorum confirmatoria Rescripta ab Innocentio Pontifice venissent. Idem censet Epistola illa, quam uti totius Africanæ Ecclesiæ confessionem ac suffragium ad Ephesinam Synodum misit per Bassulam Diaconum Capreolus Carthaginensis Archiepiscopus: *Vestram Sanctitatem iterùm atque iterùm rogatam cupio, ut novas doctrinas & ante hac Ecclesiasticis auribus inusitatas, priscæ auctoritatis robore instructi, è medio profligetis, tantaque constantia ac virtute, quibuscumque novis erroribus resistatis, ne hos, quos pridem impugnavit Ecclesia, hisque temporibus repullulantes Apostolicæ Sedis auctoritas, Sacerdotumque in unum consonans sententia oppressit, secundæ disputationis prætextu vox jam dudum oblata renovare videatur.* Et post quædam: *Quis ea, quæ jam olim dijudicata sunt, denuò in disputationem vocari sinat? Is sanè aliud nihil facere censebitur, quam de fidem ipsamet dubitare.* Loquitur adversùm Pelagianos, de quibus ad Ephesinam hanc Synodum scripsit etiam Sanctus Pontifex Cœlestinus: *Spem de Synodo hucusque gesserunt.* Licèt Par. 3. variis Romanorum Augustorum legibus proscripti Ep. 20. ad Hæreticos ac perpetuum silentium dicti Hæretici, numquam tamen cessarunt clamare ad Synodum, ideoque & amico sibi Nestorio adversùs Apostolicam suæ hæreseos damnationem suaserunt clamorem eundem, & persuaserunt. Tunc in tres se divisérunt turmas. Alii Nestorio, alii Joanni Patriarchæ Antiocheno, alii etiam Sancto Cyrillo, Primatibus hujus Synodi Episcopis, sese adjunxerunt, ubique venantes novum suæ causæ examen. Et adversùm hasce artes protestatur Capreolus, aseverans litem istam jam finitam à Sede Apostolica, ideoque illis fine lucida, non solùm istius Sedis, sed & ipsius Christianæ fidei injuria, examen novum non posse concedi. Et ita omninò egisse Synodum, lucet ex ejus ad laudatum Pontificem relatione: *Perlectis à sancta Synodo Commentariis Actorum in depositione impiorum Pelagianorum & Cœlestianorum, Cœlestii, Pelagii, Juliani, Persidii, Flori, Marcellini, Orentii, & eadem cum illis sentientium, quæ à Pietate tua de ipsis decreta & constituta sunt, judicavimus & nos ea solita*

da, firmaque permanere debere, & idem omnes tecum statuimus, eos pro depositis habentes. Quin etiam Innocentii ac Zozymi Pontificum in ipsos Decreta ac Acta perlegerit atque confirmaverit Synodus, non est dubitandum.

Ejusdem tunc sententiæ fuisse Gallicanam Ecclesiam, lucet ex Sancti Prosperi libro contra Cap. 41. Collatorem: *Cœlestinus Pontifex, sciens damnatis non examen judicii, sed solùm pœnitentiæ remedium esse præstandum, Cœlestium, quasi non discusso negotio audientiam postulantem, totius Italiæ finibus jussit extrudi. Adeò & Præcessorum suorum Statuta & Decreta Synodalia inviolabiliter servanda censebat, ut quod semel meruerat abscindi, nequaquam admitteret retractari.* Sancti Augustini de Divinæ gratiæ ac prædestinationis efficacia doctrinam Sulpitius Severus, Lerinensis Vincentius, aliique olim Gallorum Clerici & Monachi oderant pessimè, adeoque infamabant, ut maledicendi studio semetipsos apud omnem posteritatem reddiderint famosos. Apostolicam, quà doctrinam istam declaravit authenticam laudatus Cœlestinus, Epistolam non minùs oderant. Verùm quid? Sedis illius dogmaticum judicium impugnare, aut devocare in dubium Gallia tunc ignorabat. Aureum illud Vincentii pro fidei Catholicæ antiquitate Commonitorium, ad instar Canonum Antiochenorum, est malæ radicis non malus per omnia fructus. Ostendere conatur, non Augustini, sed suorum dogmata esse avita, ideoque hæc, non ista per Cœlestinum fuisse comprobata. Epistolam, quòd impugnari non posset, ita placuit detorqueri. In postremo Commonitorii capite hæc exsequitur, verùm stylo adeò pavido, ut se Vincentium scribere ausus non fuerit, sed vendere quasi nescio quem Peregrinum. Hac interim arte non solùm suos solari, & optimam Galliæ plebem deludere, sed & Sixtum tertium Pontificem, de Pelagiani dogmatis amicitia olim suspectum, tentavit ad Antecessoris sui Decretum ita interpretandum circumscribere. Et hinc tria posteriora sui contra Collatorem libri capita non adversùs Collatorem, sed adversùs hunc Peregrinum omninò scripsit Sanctus Prosper, & concludit: *Confidimus Domini protectione præstandum, ut quod operatus est in Innocentio, Zozymo, Bonifacio, Cœlestino, operetur & in Sixto, & in custodia Dominici gregis hæc sit pars gloriæ huic reservata Pastori, ut sicut illi lupos abegere manifestos, ita hic depellat occultos.* In Apostolo Petro, dum ejus fidem ab omni lapsu stabilivit Dominus, affirmat fuisse non hunc aut istum, sed omnes omninò Romanos Pontifices, ideoque post omnium dogmaticum è Cathedra judicium asseverat damnatis nunquam novum examen, sed solùm semper pœnitentiæ remedium fuisse & fore præstandum.

Beatum Cæsarium, Arelatensem Archiepiscopum, & Apostolicæ Sedis in Gallia Vicarium, ad celebrandam secundam Arausicanam Synodum compulerunt novi Semipelagianorum animi, quos ipsis fecerant libri Fausti Episcopi Rejensis. Adversùm illos edidit Cæsarius ista Capitula, quæ in virorum illustrium Catalogo laudat Gennadius Massiliensis: *Cæsarius edidit de gratia & libero arbitrio testimonia, Divinarum Scripturarum & sanctorum Patrum judiciis munita, ubi docuit hominem de proprio nihil agere boni posse, nisi eum Divina gratia prævenerit.* Et hæc Capitula per Felicem quartum Pontificem impetravit probari. Ex Hormisdæ item Pontificis ad Possessorem nescio cujus in Africa civitatis Episcopum litteris didicerat authentica de iisdem quæstionibus Capitula fervari in Romanæ Ecclesiæ scriniis: Ex ipsis viginti quinque scopo suo conducentia obtinuit, & per laudatam tredecim Episcoporum Synodum fecit acceptari. At necdum fuit finis. Etenim probatus, apud Antonium Barales in Lerinensis Monasterii Chronico exstans, auctor scribit in vita laudati Cæsarii: *Æmuli multi surrexerunt, qui Cæsarii & hujus Synodi resisterent doctrinæ de gratia. Susurris & mala interpretatione quorumdam oboritur in Galliarum partibus contra prædicationem hominis Dei siniſtra suspicio.* Hinc ille accepta à Felice quarto Capitula, suamque de ipsis Synodum retulit ad Sedem Apostolicam, meruitque eam à Bonifacio secundo confirmari. Confirmatricem, quæ magno Ecclesiasticæ eruditionis damno dudum latuerat, Epistolam publicavit Jacobus Sirmondus. Et ex Laudunensis ac Fossatensis Cœnobiorum antiquis codicibus adjunxit hanc annotationem: *In hoc codice continetur Synodus Arausicana, quam per auctoritatem Sanctus Papa Bonifacius confirmavit. Et ideò quicumque aliter de gratia & libero arbitrio crediderit, quàm vel ista auctoritas continet, vel in ista Synodo constitutum est, contrarium se Apostolicæ Sedi, & universæ per totum mundum Ecclesiæ esse cognoscat.* Notanda sunt verba, *Per auctoritatem confirmavit*: Edicunt non in communi, sed omninò in singulari, quæ Apostolicæ Sedis irretractabili infallibilitate donet, forma fuisse confirmatam hanc Synodum, ideoque receptam ab universali Ecclesia, & à nullo Catholico posse refutari. Fateor laudatam annotationem esse alicujus Scriptoris Monachi, ideoque non summi ponderis: Interim ille ex semetipso non fuit locutus. Locutus fuit ex Valentina Synodo, quæ Apostolicæ confirmationis ignara convenerat adversùs laudatam Arausicensem, & ad quam lecto affixus Cæsarius misit doctiores Episcopos & Clericos, præsertim Sanctum Cyprianum Tholonensem Episcopum, de quo laudata vita apud Annales Lerinenses: *Valentinæ Synodi intentionibus homo Dei dedit veram & evidentem ex traditione Apostolica rationem. Nam bonæ memoriæ Bonifacius, Romanæ Ecclesiæ Papa, eadem collucutione cognita, calcata intentione jurgantium, prosecutionem Sancti Cæsarii Apostolica auctoritate firmavit. Ita, donante Christo, Ecclesiarum Antistites receperunt, quod optaverat Diabolus repentina animositate cessare.* Factam à Bonifacio ex auctoritate, seu ex Cathedra confirmationem labi non potuisse agnovit etiam hæc erratica Synodus, atque ita rediit ad mentem.

Gallicanam Rempublicam fortissimis, Gallica-

nam autem Ecclesiam doctissimis semper abundasse viris, ideoque summæ semper & ubique fuisse auctoritatis, rectè in libro adversùs Vigilantium scripsit Sanctus Hieronymus. Hinc dogmaticam suam, qua datam à Sancto Flaviano Constantinopolitano Episcopo in Eutychetis errores sententiam confirmarat, Epistolam roborare volens Sanctus Leo Magnus, discutiendam & probandam submisit Synodo Ravennii Archiepiscopi Arelatensis, sui per Galliam Vicarii. Laudata Epistola esse debebat Papale in Chalcedonensi Synodo suffragium, Synodi Regula atque Directrix. Quòd ipsam suo corpori superpositam miraculo confirmasset Sanctus Petrus Apostolus, affirmat in Prato spirituali Sanctus Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus. Laudatus Pontifex insuper consulendam censuit Gallicanam Ecclesiam, nec nisi ab ipsa probatam epistolam mittere Chalcedonem, sciens tunc à Græcorum Episcoporum nemine respuendam. Verùm Gallicanæ Diœceseos latitudo, & hiberna cœli inclementia Ravennium impedierunt à cogenda Synodo: Eam cogere non potuit, nisi post peractam Chalcedonensem. Tunc tamen voluit cogere, suumque & illius de laudata Epistola judicium Pontifici referre. Ipsam mirè laudat, atque adjungit: *Quæ Apostolatus vestri Scripta, ita ut Symbolum fidei, quisquis redemptionis Sacramenta non negligit, tabulis cordis adscripsit, & tenaci, quo ad confundendos Hæreticorum errores paratior sit, memoriæ commendavit.* Loquitur de Apostolorum symbolo, quo post Canonicas litteras Ecclesia nihil habuit sanctius: Et huic Papalem Epistolam æquiparavit. Ab ipsa, non à Chalcedonensi Synodo affirmat exstinctam Eutychetis hæresim: Quòd nempè hæc per istam exstinxisset. Et hæc omnia fundat in *authoritate Apostolicæ Sedis, undè religionis fons & origo manavit.* Ita olim sensit Gallicana Ecclesia.

Verùm hisce omnibus graviter obstare videtur Sancti Cypriani Carthaginensis Archiepiscopi Synodus, & controversia adversùs Sanctum Papam Stephanum. Africana olim, uti & Romana; ac omnis ferè sub cœlo Ecclesia foris baptizatos hæreticos atque schismaticos semper sine novo baptismate admisit per solam impositionem manus pœnitentialis. Cypriani Antecessor Agrippinus, quem aliqui à suo Presbytero Septimio Tertulliano volunt seductum, primus mutavit morem, exsufflavit istiusmodi Baptisma, atque iteravit. Quid tunc censuerit aut egerit, an ignoraverit novitatem, an dissimulaverit Romana Ecclesia, nescitur. Quidquid sit, à multis Africorum Episcopis numquam admissum, à multis rejectum errorem resumpsit Sanctus Cyprianus, & per multas multorum Collegarum Synodos confirmavit. At seriò & graviter intercessit Sanctus Ep. 74. Stephanus Pontifex, rescribens: *Si quis à quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.* Quòd obedire recusantes Episcopos *abstinendos putaverit*, testatur in litteris ad Pompeium Episcopum ipse Cyprianus, & in libro C. 14. de unico Baptismo confirmat Sanctus Augustinus. Quòd Firmilianum Cæsareensem in Cappadocia Metropolitam ac Ponticæ Diœceseos Primatem, itemque Helenum Tharsensem Ciliciæ Metropolitam, & omnes illis adhærentes Episcopos, omninò excommunicaverit, affirmat in Ecclesiastica historia Eusebius Cesareensis. Et L. 7. c. 4. eis non soli Cappadoces & Cilices, sed insuper Galatæ, Lycanoes, & Phryges adhæserant; fecerantque varias adversùs Stephanum Synodos, præsertim Iconiensem ac Synnadensem. Et hinc quòd plurimos cum suis gregibus Episcopos Stephanus absciderit, scribit ad Cyprianum Firmilianus. Et pergit de Cypriani ad Stephanum Legatis: *Legatos Episcopos patienter satis ac leniter susceptt, ut eos nec ad sermonem saltem colloquii communis admitteret, adhuc insuper communionis & charitatis memor, præciperet fraternitati universæ, ne quis eos in domum suam reciperet, ut venientibus non solùm pax & communio, sed & tectum & hospitium negaretur.* Addit quòd propter asserendos Hæreticos scinderet fraternitatem, & *Cyprianum diceret Pseudo Christum, Pseudo-Apostolum, Operarium dolosum.* Quæ omnia suadent etiam cum adhærentibus Episcopis Cyprianum fuisse excommunicatum.

Fœda & periculosa fuit ista discordia. Hinc Sanctus Dionysius Alexandriæ Patriarcha gravibus ad Stephanum ac ejus Cardinales Presbyteros Dionysium & Philemonem litteris componere studuit, solvi suadens injectum vinculum, & permitti circa rem dubiam ab unoquoque in suo sensu abundari. Verùm quòd nihil obtinuerit à constante Stephano, laudatus testatur Eusebius. Etiam in sua sententia perstitit Cyprianus, asseverans assertam à Romanis consuetudinem non esse traditionem Apostolicam, & Stephanum uti Hæreticorum fautorem oneravit multis læsi animi elogiis, de quibus in libris de Baptismo rectè Sanctus Augustinus: *Quæ in Stephanum Cyprianus irritatus effudit, retractare nolo.* Admodum laudat hanc ejus Synodalem præfationem: *De hac re sin-* L. 5. c. 25. *guli quid sentiamus, proferamus, neminem judicantes, aut à jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes. Neque enim quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem Collegas suos adigit, quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non possit, quàm nec ipse potest alium judicare. Sed exspectamus universi judicium Domini nostri* JESU *Christi, qui unus & solus habet potestatem & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro judicandi.* Manifestè agit in Stephanum Papam, qui quosdam Decreto suo adversantes Episcopos à communione semoverat, & omnes semovere minabatur, qui se asseverabat Episcoporum Episcopum, ac in definiendo infallilem, ideoque immobili imperio omnes Collegas ad obsequendi necessitatem postulabat. Loquitur ex Magistro suo Tertulliano, qui ad Montanum delapsus derisit Zephyrinum Pontificem, quòd se in simili Edicto scriberet Pontificem Maximum, ac Episcopum Episcoporum. Episcopos omnes in fidei causa asserit esse æquales, nullum

lum posse judicari ab altero, omnium Judicem unicum esse Christum Dominum, ideoque à Romanæ Ecclesiæ non tantùm infallibilitate, sed etiam à Primatu videtur fuisse omnino alienus.

Longè firmior in eadem sententia fuit Firmilianus: *Eos, qui Romæ sunt, non ea in omnibus observare quæ sunt ab origine tradita, & fruſtra Apostolorum auctoritatem prætendere, scire quis etiam inde potest, quòd circa celebrandos dies Paschæ, & circa multa alia Divinæ rei Sacramenta videat apud illos esse aliquas diversitates, nec observari illic omnia æqualiter, quæ Hierosolymis observantur. Secundùm quod in cæteris quoque plurimis Provinciis multa pro locorum & nominum diversitate variantur, nec tamen propter hoc ab Ecclesiæ Catholicæ pace atque unitate aliquando discessum est. Quod nunc Stephanus ausus est facere, rumpens adversùs vos pacem, quam semper Antecessores ejus vobiscum amore & honore mutuo custodierunt. Adhuc etiam infamans Petrum & Paulum beatos Apostolos, quasi hoc ipsi tradiderint, qui in Epistolis suis hæreticos execrati sunt, & ut eos evitemus monuerunt. Unde apparet traditionem hanc esse humanam, quæ hæreticos asserit, & baptisma, quod non nisi solius Ecclesiæ est, vos habere defendit.* Hierosolymitana Ecclesia tunc Pascha agebat eadem die cum Judæis, ipsamque omninò ita docuerat Petrus Apostolus. Hinc adversam Romanorum consuetudinem, non ab ipso Apostolo, sed ab ejus in Romano Episcopatu Successoribus mutatam vult Firmilianus, eandemque esse rationem consuetudinis de non exsufflando extra Ecclesiam accepto baptismo. Istiusmodi mutationes, ac inde natos Ecclesiarum varios mores non damnat: Esse affirmat adiaphora, ideoque Stephanum, hac de causa scindentem Ecclesias, admodum excessisse. Non solùm Romanos Episcopos, sed & ipsam Romanam taxat Ecclesiam, quòd suos ritus, uti Apostolicas traditiones, velit omni genti potenter imponere, & pergit de hoc rebaptismo: *Nos veritati & consuetudinem jungimus, & Romanorum consuetudini consuetudinem, sed veritatis opponimus, ab initio hoc tenentes quod à Christo & ab Apostolo traditum est. Nec meminimus hoc apud nos aliquando cæpisse, cum semper istic observatum sit, ut non nisi unam Dei Ecclesiam nosceremus, & Sanctum Baptisma non nisi Sanctæ Ecclesiæ computaremus.* Ab omni Ponticæ Diœceseos Ecclesia acceptum vel datum in hæresi baptisma affirmat semper fuisse exsufflatum, ita istic traditum à Sancto Paulo Apostolo, ideoque errare Stephanum, & istum morem ab ipso non posse mutari. Eundem onerat multis elogiis, & quòd non Ecclesias à se, sed se ab Ecclesiis dividat, pomposè declamat. Aliam suæ, aliam Africanæ, à qua Romanum morem usque ad Agrippini Episcopatum Cyprianus fatebatur observatum, Ecclesiæ asseverat causam, ideoque à se, licet ille deficeret, nunquam deserendam. Agit verum Cappadocem. Ei adstipulatos fuisse quinquaginta Episcopos, scribit apud Sanctum Augustinum Cresconius Donatista.

Et ab ejus sensu suprà laudatus mediator Dionysius Alexandrinus non multum abfuit. Lucet ex ejus apud Eusebium litteris ad Philemonem Presbyterum Romanæ Ecclesiæ: *Istum Canonem, istudque exemplum à Beato Papa nostro Heraclâ accepi. Ille enim eos, qui ab Ecclesia abscessissent, immò verò non ita abscessissent, quin ob corporis præsentiam congregationis fidelium viderentur esse participes. Eos, inquam, cum essent accusati, quòd consuetudine cujusdam eorum, qui alienam & diversam à fide doctrinam tuebantur, multum usi fuissent, Ecclesia ejecit. Et quamvis verè & ex animo ab erroribus se averterent, & in Ecclesiam admitti denuò magnopere flagitarent, non usque eò admisit, quoad omnia, quæ à veritatis adversariis audiissent, palàm apud omnes essent elocuti. Atque tum in Ecclesiam & Conventum recepit, non aliud baptisma omninò in illis desiderans: Quippe anteà ab illo fuerant Spiritum sanctum consecuti.* L. 7. c. 6. Distinguit triplex Hæreticorum genus: Apostatas, ob nimiam cum Hæreticis communionem excommunicatos, ac in hæresi natos ac baptizatos. Duos priores quòd acceptum in Ecclesia baptismum non amisissent, affirmat à suo Antecessore Heracla non fuisse rebaptizatos. Quod ipsum omninò professus est Sanctus Cyprianus, immò & omnes Donatistæ. Quid de tertio genere scripserit Dionysius, Eusebius prætermisit, abundè tamen claret ex consequentibus Epistolæ verbis: *Hoc tamen didici, quòd non Episcopi in Africa solùm istam consuetudinem de rebaptizandis Hæreticis jam invexerunt, verùm etiam longo tempore antè, Episcoporum memoria qui antegressi sunt, in Ecclesiis maxima hominum frequentia celebratis, & Synodis Fratrum, tum Iconii, tum Synnadis, tum aliis multis in locis convocatis, istud Decretum fuit, quorum judicia & sententias condemnare, irritaque facere non audeo, sicque illos in odium & invidiam conjicere. Terminos, ut est apud Salomonem, ac fines proximi tui non commutabis, quos Patres tui præstituerunt.* Palam innuit tertium genus non solum ab Afris, Ponticis, Cilicibus, & quibusdam aliis, sed etiam ab Heracla jam olim fuisse rebaptizatum. Asserit rem hanc esse indifferentem, ideoque Stephanum nimio Decreti sui rigore deviasse. Quòd Hera- Cap. 8. clas rebaptismum istum induxerit, lucet ex alia ejusdem Dionysii Epistola ad Sixtum secundum Pontificem. Istic enim affirmat nescio quem suum civem, in nescio qua fœda, ac in Divinitatem blasphema hæresi baptizatum, ante Heraclæ Episcopatum accessisse ad Ecclesiam, & sine novo baptismo admissum. Eundem rebaptizari postulantem exaudire ipse non præsumpsit, quæstionem retulit ad laudatum Pontificem, atque ita Stephani Decretis videtur tandem acquievisse. Et quidem ultra modum. Istum quippè ejus civem fuisse Montanistam, ideoque Evangelicis Ecclesiæ verbis non consecratum, ac proindè omninò rebaptizandum, affirmat in prima ad Sanctum Amphilochium Canonica Epistola Magnus Basilius. Aliam Dionysii ex sua & totius suæ Ecclesiæ persona ad eundem Pontificem & omnem Romanam

Ecclesiam Eusebius laudat Epistolam, *in qua multis argumentis, & prolixo sermone de quæstione proposita disputat*. Grandi Ecclesiasticæ eruditionis damno ipsam suæ Historiæ non inseruit Eusebius: Hinc finalem Dionysii mentem ignoramus.

Quibus omnibus lucidè videtur consentire Sanctus Augustinus. Etenim in libris adversùs Parmenianum quærit, An datum à non baptizato baptisma sit validum, & respondet: *Aliquid temerè inde affirmandum non est sine auctoritate tanti Conciliі, quantum tantæ rei sufficit*. Lib. 2. c. 13. Procedendum hìc dicit, quomodo processum fuit in Sancti Cypriani quæstione, *Discussa, considerata, perfecta, atque firmata* per Synodum Nicænam. Vox, *Perfecta*, edicit Stephani judicium non fuisse perfectum, seu infallibile. Eadem de re scribit in libris de Baptismo: *Si aliud alii, & aliud alii adhuc de ista quæstione, salva pace, sentirent, donec universali Concilio unum aliquid eliquatum, sincerumque placuisset, humanæ infirmitatis errorem cooperuit charitas unitatis*. Lib. 1. c. 18. Usque ad Nicænam Synodum profitetur nihil fuisse eliquatum, sincerum, infallibiliter definitum, sed unumquemque in suo innoxiè sensu abundasse. In alio ejusdem operis libro verba illa, quibus nolle se Episcoporum Episcopum tyrannico terrore agere, & nullum hìc à suo Collega Episcopum judicari posse, sed unicuique esse penam judicandi & agendi libertatem, ad Synodum suam præfatus fuerat Cyprianus. Hæc, inquam, verba adducit Sanctus Augustinus, & reponit: *Opinor utique in his quæstionibus, quæ nondum eliquatissima perspectione discussæ sunt*. Eas discutiendas & eliquandas vult à sola generali Synodo, & unicuique Episcopo esse eòusque judicii & actionis libertatem. Eodem in opere movet quæstionem; An mimicè in theatro datum & acceptum baptisma teneat, ac Lib. 7. c. 53. respondet: *Nobis tutum est in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico Regionali Concilio cæpta, nullo plenario Concilio terminata sunt*. Ea asserit aliter terminari non posse, & à terminatura Synodo Divinæ assistentiæ ac revelationis lumen fore instanter atque humiliter implorandum. Et de Sancti Cypriani quæstione adjungit: *Quomodo potuit ista res, tantis altercationum nebulis involuta, ad plenarii Concilii luculentam illustrationem confirmationemque perduci, nisi primò diutiùs per orbis terrarum Regiones multis hinc inde disputationibus & collationibus Episcoporum pertractata constaret?* L. 2. c. 4 Erraticas Cypriani Synodos de nulla in Romanam Ecclesiam contumacia notat, quin laudat de diligentia: Ipsarum errorem constanter affirmat fuisse venialem. Idem censuit de dato à Melchiade Papa in Donatum apud Casas Nigras Episcopum Synodali judicio: *Ecce putemus illos Episcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos Judices fuisse*. Ep. 162. *Restabat adhuc plenarium Ecclesiæ universæ Concilium, ubi etiam cum ipsis Judicibus causa posset agitari, ut si malè judicasse convicti essent, eorum sententiæ solverentur*. Quòd de Episcopali judicio apud Laicum & adhuc Catechumenum Principem quæsti essent, Donatistas arguit: Appellandum fuisse vult ad generalem Synodum, adeoque profitetur Papale judicium non fuisse infallibile.

Respondeo argumenta hæc non carere nodis. Præter jam adducta Sancti Augustini pro Romanæ Cathedræ infallibilitate loca quidam insuper hæc ejus adversùs Julianum Pelagianistam, pertinacissimè provocantem ad generale Concilium, verba considerant: *Non amplius vobiscum agendum est, quantùm ad jus examinis pertinet, nisi ut prolatam de hac re sententiam sequamini*. L. 3. c. 1. Et verba in libris ad Bonifacium Pontificem: *Aut verò congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur, quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi congregatione damnata sit*. L. 4. c. 12. Distinguunt dubias hæreses, & apertas. Nullam errantium quæstionem affirmant sine competenti examine posse definiri, & ipsam quandoque esse adeò involutam, ut solus cum sua Romana Ecclesia, aut Italica Synodo Pontifex non sufficiat, ac proindè tunc generali Synodo sit omninò opus. Et talem fuisse S. Cypriani quæstionem aliqui volunt. Et firmant se auctoritate Sancti Leonis Magni, qui Imperatori Theodosio, pro Eutychetis quæstionibus postulanti generalem Synodum, assiduè repositi rem esse lucidam ac manifestam, ideoque tantum motum non necessarium. Hinc obscuris quæstionibus videtur necessarium confessus. Quam doctrinam, licet illustrari oporteat, nolim hic improbare. Interim plenè non facit ad rem præsentem.

Sancti Stephani Pontificis Edictum jubebat servari antiquam consuetudinem, affirmans esse Apostolicam traditionem. Porrò in Apostolicis litteris de dato apud schismata aut hæreses baptismate nulla est mentio, nullum exemplum, ideoque traditionem istam non in hisce litteris, sed ex omnium sub cœlo Ecclesiarum moribus fuisse quærendam, rectè in libro de unico Baptismo, in libro de Unitate Ecclesiæ, in libris contra Cresconium Donatistam, ac aliis C. 11. in locis affirmat Sanctus Augustinus. Quod ipsum anteà professus fuerat Sanctus Cyprianus, C. 22. 24. L. 1. c. insuper fassus usque ad Agrippini tempora viguisse in omni Africa consuetudinem Romanam. 31. 33. Quin & jam lapsam Agrippini novitatem à se dumtaxat restitui est confessus. At verò Sanctus Firmilianus in Cappadocia, Helenus Tharsensis in Cilicia, & alii cum ipsis in Iconiensi & Synnadensi Synodis quinquaginta Episcopi constanter asseverarunt à suis Ecclesiis & Antecessoribus fuisse post Hæreticos & Schismaticos semper rebaptizatum, etiam sese in suis Majoribus fuisse doctos ab Apostolis, & quidem ab utroque Apostolorum Principe, ideoque non Romanam, sed suam consuetudinem esse Apostolicam traditionem. Apostolicam hac de re, uti & de Paschalis festivitatis die traditionem dixerunt à Romanis Episcopis transmutatam. Ægyptiorum, utpotè per Sancti Petri Apostoli Discipulum Marcum edocta, Ecclesia Romanæ non tantùm communionis, sed etiam disciplinæ atque ritus fuit semper tenacissima: Et tamen quòd Patriarcha Heraclas etiam rebaptizare post Hæreticos cæperit, suprà nobis dixit ejus successor Dionysius,

sius, Apostolicam traditionem affirmans incertam, hærens num mutata illa fuerit per Heraclam, an restituta. Apostolicam traditionem in Ep. 118. litteris ad Januarium, & in libris de Baptismo definit eleganter Sanctus Augustinus: *Quæ non inveniuntur in Apostolorum litteris, neque in Conciliis Posteriorum, & tamen per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita & commendata creduntur*. L. 2. c. 7. Aliud est adiaphori ritus, aliud Evangelici dogmatis aut Præcepti Apostolica traditio: Prior non debet, posterior, qualis omninò nostra, apud omnes sub cœlo Ecclesias debet esse penitus universalis. Quare ejus in dubium vocata existentia est facti quæstio. Immò est dogma: At quòd à vario Apostolorum facto, & multo Ecclesiarum usu dependeat, ideoque per solum Romanum Pontificem non possit definiri, opus est omnium sub cœlo Episcoporum ac Ecclesiarum examine, seu Synodo generali. Sola enim Ecclesiæ communia jura ac dogmata gerit in pectoris sui scrinio Pontifex, non omnium gentium privatas consuetudines & facta. Hoc sibi voluerunt Cyprianus, Firmilianus, Helenus, Dionysius, Augustinus: Affirmant Stephanum non de dogmate, sed de aliarum gentium moribus & factis judicasse, potuisse istic labi, ideoque ejus usque ad Nicænam Synodum judicio impunè atque innoxiè non fuisse obeditum. Omnium Ecclesiarum & gentium avitam consuetudinem, ipsisque datos ab Apostolis aut Apostolorum Discipulis mores & traditiones laudata Synodus discussit, reperit vera judicasse Stephanum, firmavit ejus judicium. Hinc ipsi exinde ab omnibus fuisse obediendum, frequentissimè adversùm Donatistas declamat Sanctus Augustinus. Plura, quibus Cypriani & Firmiliani *error displicuit, Episcoporum millia* L. 3. c. 3. *laudat* in libris adversùs Cresconium: Quòd nempe totus mundus Nicæni Concilii, adeoque & Stephani Pontificis Decretum tandem comprobasset. Eadem est ratio de Melchiadis Papæ sententia in Donatum Casensem: Non de dogmate fuit, sed de persona.

Et hoc est fundamentum, ex quo in Canonicis ad Sanctum Amphilochium litteris Magnus Basilius constanter persistit in sui Antecessoris Firmiliani sententia, foris accepti baptismatis exsufflationem docens etiam tunc fuisse rem adiaphoram, circa quam quisque abundare possit in suo sensu, & suæ Ecclesiæ aut Regionis consuetudinem manu tenere. Ita censet etiam de Novatianensibus, quorum non solum baptisma, sed etiam ordinationes honoravit, & suscipi jussit Octavus Canon Nicænus. Divinæ consubstantialitatis ac totius Nicæni symboli constantissimus defensor fuit Basilius: Quomodo igitur laudatum ejus Canonem non fuit veneratus? Quia nempe rem illam credidit esse facti & adiaphoram, ideoque & generalem Synodum hic potuisse labi. Ponticam Ecclesiam fuisse aliud ab Apostolis doctam perrexit credere cum Firmiliano. Nicænum de Paschalis festivitatis die Decretum à multis per Orientalem Diœcesim Ecclesiis ac Monasteriis dudum fuisse ex eodem fundamento non admissum, scribunt Sanctus Joannes Chrysostomus ac Theodoretus. Etiam illæ traditum sibi ab Apostolis morem credebant à generali Synodo aut non posse, aut certè non debere damnari. Etiam tertium decimum, qui cunctis in quævis crimina lapsis extremum Sacramentalis reconciliationis Viaticum deinceps donari mandat in exitu, Canonem quædam dudum Ecclesiæ non admiserunt. Basilii sensus lucet ex hisce ejus de Encratitarum, Saccophororum, & Apotactitarum, in legitimo verbo omninò baptizantium, rebaptismo verbis: *Nos una ratione eos rebaptizamus, si autem prohibita est apud vos hæc rebaptizatio, sicut & à Romanis, alicujus œconomiæ gratia, nostra tamen oratio vires obtineat*. C. 47. Rem hanc non ad dogma, sed dumtaxat ad ad œconomiam affirmat pertinere. Verumtamen concludit: *Si hoc placuerit, oportet plures convenire Episcopos, & sic Canonem exponere, ut & is, qui fecit, sit extra periculum, & qui respondet, in responsione de his fide dignus habeatur*. Hæc sua Responsa non Romanis tantum, sed cunctis Nicænæ Synodi Dilectoribus noverat graviter displicere. Et hinc ipsa ad incudem atque examen devocavit Constantinopolitana Synodus, & adversùm illa posuit in symbolo: *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum*. Nempe ne quis deinceps crederet aut diceret rem hanc dumtaxat ad œconomiam, non ad dogma pertinere. Et huc omninò respexit in libris de baptismo Sanctus Augustinus, affirmans assertam à Sancto Papa Stephano consuetudinem jam esse *à generalibus Conciliis roboratam*. L. 6. c. 7. Nicæno utique & Constantinopolitano. Omnes ejus impugnatores affirmat jam esse manifestos & damnatos Hæreticos: Utpotè Constantinopolitani symboli prævaricatores. Quapropter Trullana Synodus, immobilem hanc veritatem denuò tentare ausa, gravissimè excessit.

Hinc item errorem continent hæc Cresconii Donatistæ apud Sanctum Augustinum verba: L. 3. c. 2. *Majores nostri ab Orientalium propterea communione discreti sunt, quia illi suum judicium rescinderunt, quo eis placuerat de ista baptismi quæstione Cypriano atque illi Africano Concilio consentire oportere*. Palàm agit de Sancto Firmiliano, & quinquaginta ejus in Iconiensi Synodo Episcopis. Reponit verò Sanctus Augustinus: *Cur non potiùs ipsos* L. 3. c. 3. *suum judicium correxisse dicamus, non, ut tu loqueris, rescidisse? Sicut enim laudabile est à vera sententia non amoveri, ita culpabile perstitere in falsa. Neque nunc ad nostram pertinet quæstionem, quale sit, quòd pars Christiani orbis, maximè cum Orientalibus sensit*. Et in alio ejusdem operis libro: *Quod dicis Orientales ideò vestrorum communione* L. 4. c. 17. *discretos, quia postea nobis consentiendo judicium suum, quod habebant de Baptismo, rescindere maluerunt, si hoc ab aliquibus paucis Orientalibus factum est, quod quidem interest utrùm possit ostendi, profectò suum judicium correxerunt*. Ecclesiasticam alienarum gentium historiam Augustinus plenè non calluit, ideoque hic nihil definitè respondit. Notanda sunt ejus verba, *Maximè cum Orientalibus*: Ab Afris, in Occidente natis ac renatis,

natis, vult ſolam Occidentalem, Romanam præſertim, non Orientalem Eccleſiam oportere attendi. Nam & Juliano Pelagianiſtæ, ad Orientalem Eccleſiam provocanti, eodem modo reſpondit. Quòd ergò Firmilianus mentem non mutaverit, abundè docent jam memorata Acta & Senſa Sancti Baſilii. Neque enim ille rebaptiſmum reduxit, ſed à ſuis Anteceſſoribus ad ſe ſine interpolatione, ſi quidem credi poſſit, traductum dumtaxat confirmavit, cenſuitque non deferendum. Egit cum Firmiliano Stephanus Pontifex, aut quis ejus Succeſſor, quomodo cum Polycrate Epheſiorum Epiſcopo, Primate Diœceſis Aſiaticæ, egerat Sanctus Victor. Ad Sancti Dionyſii Patriarchæ Alexandrini preces revocavit excommunicationis vinculum, à jactatis & jactandis in Romanam Eccleſiam contumeliis virum compeſcuit, & in ſuo ſenſu permiſit abundare. Verùm hæc ſunt alterius loci.

Prætermittere nolim aliud argumentum, ex quo lucet Sanctum Auguſtinum de Romani Pontificis in decidendis fidei quæſtionibus plena infallibilitate non dubitaſſe. Adversùs Juliani Pelagianiſtæ, à Romanæ Eccleſiæ judicio ad generalem Synodum provocare non ceſſantis, turbidos ubique clamores unanimem ſanctorum Patrum conſenſum mirè extollit, affirmans eſſe æqualis cum generali Concilio firmitatis. Irenei, Cypriani, Reticii, Olympii, Hilarii, Ambroſii, Baſilii, Gregorii Nazianzeni, Joannis Chryſoſtomi, aliorumque Latinorum & Græcorum adducit teſtimonia, & concludit: *Iſti Epiſcopi ſunt docti, graves, ſancti, veritatis acerrimi defenſores adversùs garrulas vanitates, in quorum ratione, eruditione, libertate, quæ tria bona Judici tribuiſti, non potes invenire quod ſpernas.* Juliani, dogma ſuum ſine ratione, eruditione, libertate, ab imperitis, aut Romani Pontificis judicium ſerviliter ſequentibus, ac apud ſuas Sedes manentibus Epiſcopis damnatum blaterantis, nugas ita retundit, & pergit: *Si Epiſcopalis Synodus ex toto orbe congregaretur, mirum ſi tales poſſent illic facilè tot ſedere, quia nec iſti uno tempore fuerunt. Sed fideles & multis excellentiores paucos diſpenſatores ſuos Deus per diverſas ætates temporum, locorumque diſtantias, ſicut ei placet atque expedire judicat, ipſe diſpenſat. Hos itaque de aliis atque aliis temporibus atque Regionibus, ab Oriente & Occidente congregatos vides, non in locum quo navigare poſſint homines, ſed in libro qui navigare poſſit ad homines.* Eos eſſe aſſerit Judices omni Synodo optabiliores. Et in noviſſimo adversùs eumdem Julianum opere: *Quaſi verò in Concilio Epiſcoporum, quod non ſalubriter, ſed jactanter propter veſtras quæſtiones debere dicitis congregari, ſi ſederent Epiſcopi, quos ſuprà memoravi, facilè invenires quos eis in doctrina Eccleſiaſtica antiquitus tradita æquare, nedum præferre poſſetis.* Et in alio ejuſdem operis libro: *Si in Concilio, cujus videris deſiderare judicium, ſederent Cyprianus, Hilarius, Gregorius, Baſilius, Joannes Conſtantinopolitanus, ut taceam alios, numquid doctiores, prudentiores, veraciores Judices quærere auderes? Ipſi contra dogmata veſtra clamant, ipſi Scriptis ſuis veſtra Scripta condemnant. Quid quæris amplius?* Hujus doctrinæ ſcopum edicit in priori opere. Eccleſiam Occidentalem, ipſique à Sancto Petro Apoſtolorum Principe traditam doctrinam laudat, ac pergit: *Cui Eccleſiæ* Patriarchico jure ſingulariter *præſidentem Beatum Innocentium ſi audire voluiſſes, jam tunc periculoſam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes. Quid enim potuit vir ille ſanctus Africanis reſpondere Conciliis, niſi quod antiquitus Apoſtolica Sedes, & Romana cum cæteris perſeveranter tenet Eccleſia?* Divinum Evangelici dogmatis Depoſitum in ſanctorum Patrum libris, tamquam firmiſſimis univerſalis Eccleſiæ ſcriniis cuſtodiri, ipſos omnium generalium etiam Synodorum poſt Canonicas litteras eſſe duces ac regulas, & laudatas Synodos non niſi ex ipſis poſſe definire, jam frequenter eſt oſtenſum. Ex iiſdem, dum Cathaginenſem ac Milevitanam adversùs Pelagii dogmata Synodos confirmavit, definiviſſe Innocentium Pontificem, aliter definire non potuiſſe, hinc nec potuiſſe labi, ideoque ejus judicium eſſe infallibile & irretractabile aſſeverat Auguſtinus, atque ita concludit à Juliano peti non poſſe novam audientiam, ſed ſolam illi reſtare pœnitentiam. Concludit & Apoſtolicæ Sedis, & generalis Synodi judicia eſſe æquè firma.

Lib. 2. cap. 10.

L. 1. c. 60.

L. 2. c. 37.

Orien-

Orientalis Eccleſiæ Senſus exponitur.

ROmanam Eccleſiam eſſe in dogmate infallibilem, inſigniter profitetur in priori adversùs ſuam varia hæreſi ſcabioſam gentem Invectiva Iſaac Armeniorum Catholicus. Solenni Hæreticorum maledicentia blaterabat illi Romanam Eccleſiam deviaſſe, & ipſe repoſuit: *Quæſo vos, ò Armenii, qui reverà Dæmonum currus eſtis, impiorum Acephalorum diſcipuli, Chriſtus Dei filius mendaxnè videtur, nec nè? Quòd ſi dicant non eſſe mendacem, atqui Chriſtus ipſe dixit Petro*: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. *Id eſt, hæreſes. Qua itaque blaſphemia dicitis Eccleſiam Catholicam & Apoſtolicam lapſam in hæreſim, periiſſe, & Chriſtum mendacem facitis, dicentes Romanos omnes in interitum ire, voſque ſolos conſequi ſalutem?* Et infrà: *Qui verò magnæ urbis Romæ Antiſtites, ſanctorum Apoſtolorum Confeſſores, ac fidei hæredes, qui duas naturas, duaſque operationes in Chriſto prædicant, uti Dominus ipſe in Evangelio docet, blaſphemant, eorumque pietatem nuncupant impietatem, & confeſſionem dicunt negationem, rectamque fidem adſerunt alienam à fide doctrinam, nec horrent, quin impiè illos anathemati ſubjiciant? Si quidem Apoſtolica Eccleſia, ejuſque Pontifices in hæreſin prolapſi ſint, ut Chriſto adverſarii Armenii blaſphemant, palàm eſt mendacem eſſe Chriſtum.* Profitetur non Romanam dumtaxat Eccleſiam, aut Apoſtolicam Cathedram, ſed & ipſam Romani Epiſcopi perſonam eſſe in dogmate infallibilem; adſertionem hanc vult eſſe Evangelii articulum, & pergit adversùm Armenios: *Si quis etiam libros & Scripta legat, quæ Armenii adversùs Chriſti Incarnationem, Evangelium, atque in primis adversùm à Deo adflatos Patres, ac Pontifices magnæ urbis Romæ conſcripſerunt, planè ut Judæos, ac Saracenos, Manichæoſque exſecratus averſabitur.* Etiam Romanorum Pontificum perſonas adfirmat adflatas à Deo, ipſorum in fide firmitatem æquiparat Evangelio & Dominicæ Incarnationis veritati, omnemquè illi adverſum adſeverat Judæum, Saracenum, Manichæum; Nempè perſonas Pontificum adhærentium ſuæ Apoſtolicæ Cathedræ, & ex ipſa loquentium.

Et reverà nullus in Oriente, niſi in errorem aut Romanæ Eccleſiæ odium lapſus, Apoſtolicæ Cathedræ infallibilitatem unquam impugnavit. Inter Sancti Auguſtini laudes Sanctus Hieronymus ponit & hunc articulum: *Quod ſignum majoris gloriæ eſt, te omnes hæretici deteſtantur.* Eadem eſt laus Romanæ Eccleſiæ. Etenim de Artemonis factione ſcribit in Eccleſiaſtica hiſtoria Euſebius Cæſareenſis: *Ajunt illi cunctos Majores noſtros, & ipſos Apoſtolos, ea quæ ipſi jam adfirmant, non modò à Domino accepiſſe, verùm etiam alios eadem docuiſſe, & veram prædicationis rationem uſque ad Victoris, qui decimus tertius à Petro fuit Romæ Epiſcopus, tempora fuiſſe integrè ſervatam, ſed à Zephyrino illius ſucceſſore penitùs corruptam ac depravatam.* Zephyrinus damnavit Artemonem. Ne ergò hic à Sancti Petri Cathedra, ideoque & à doctrina deviaſſe crederetur apud omnes ubique Chriſtianos, blateravit ipſam in Zephyrino deviaſſe. Etiam profanus cum ſuis Pythoniſſis Montanus, quouſque recta ſapuit, infallibilem credidit iſtam Cathedram. Hinc enim & lapſus ſolennem ipſi miſit Legationem è Phrygia: Et quòd idem à doloſiſſimis hypocritis circumſcriptus Pontifex *Prophetias agnoverit, & ex iſta agnitione pacem dederit Phrygiæ & Aſiæ Eccleſiis*, atque ita fictum chariſma probarit, teſtatur in libro adversùs Praxeam Tertullianus. Nempè Montanus norat Romanam Eccleſiam eſſe immobilem Evangelicæ doctrinæ Sedem, ideoque ſuam iſtic probatam prædicationem à nullo ſub cælis Chriſtiano poſſe citra hæreſim refutari. Verùm ubi per Praxeam meliora edoctus de iſta Secta, & *ad ſuorum Anteceſſorum auctoritates defendendas reductus Pontifex revocavit jam emiſſas litteras, & à propoſito recipiendorum chariſmatum conceſſavit*, laudatam Cathedram blaſphemare cœpit factio, & omnes illius ſequaces appellare Pſychicos, ſeu animales. Et ex iſto tempore omnis orthodoxa Chriſtianitas fuit deteſtata Pſeudo-Prophetiam: Quòd Romanæ Cathedræ de fide judicium cenſeret infallibile. Ex eodem ſpiritu orthodoxus adhuc Latinus noſter Tertullianus in Præſcriptionum libro laudat omnes Apoſtolicas Eccleſias, & adjungit de Romana: *Si Italiæ adjaces, habes Romam, undè nobis quoque auctoritas præſtò eſt. Iſta quàm felix Eccleſia! Cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt.* Quis non videat Romanæ Eccleſiæ infallibilitatem prædicari? Quòd nempè illic Apoſtolorum Principes totam Chriſti Domini doctrinam ſuo effuſo ſanguine ſigillaſſent. Hinc adfirmat etiam Afrorum Eccleſiam recta ſapere: Quòd nempè ex immaculabili fonte auctoritatem ſeu originem duceret, ideoque non poſſe non habere recti dogmatis legitimam conſanguinitatem. At verò in Montani lutum lapſus idem Doctor blaterat in libro de Pudicicia: *Audio Edictum eſſe propoſitum, & quidem peremptorium; Pontifex ſcilicet maximus, quod eſt*

L. 5. c. 27.

Cap. 1.

Cap. 36.

Ep. 25.

Cap. 1.

fiam recta sentire. Exstant Epistolæ apud Aloysium Lolinum, Episcopum Bellunensem. Fecit Nicolaus apud tertium Sergium, quod ejus posteà successor Joannes Veccus ad uniendas Ecclesias fecit apud Nicolaum tertium: *Confitemur & recipimus matrimonium, de quo tenet Romana Ecclsia, soluta lege per mortem alterius conjugum, secundas, & tertias, & deinceps nuptias licitas esse.* Quod ipsum posteà apud Urbani quinti Legatos professus fuit Imperator Joannes primus Palæologus. Gentis suæ, quæ quartas nuptias ex nulla umquam causa admisit, morem nullo modo damnant: Dumtaxat profitentur Romanæ Ecclesiæ morem esse etiam legitimum, adeoque ipsam circa dogma non posse errare. Exstant hæc apud Leonem Allatium in opere de concordia Occidentalis atque Orientalis Ecclesiæ.

L. 2. c. 25. 17.

Romanæ Ecclesiæ & Primatum, & infallibilitatem hostilissimè persequi cœpit post Photium Patriarcha Michael Cerularius. Norat suas insanias aliter non posse firmari. Et ipsius vestigia usque hodiè sequuntur Symmistæ istius schismatis. Etenim in opere de Romani Papæ Primatu Nilus Cabasilas Archiepiscopus Thessalonicensis fatetur hunc Primatum esse antiquissimum, protestatur Græcos de ejus impugnatione falsò accusari, adfirmat hanc non esse schismatis causam, & adjungit: *Quænam igitur tandem est hujus diffidii causa? Quòd scilicet quæstio controversa communi œcumenicæ Synodi Decreto non fit confirmata; quòd ejus solutio ac explicatio non fiat ex veteri Patrum in ejusmodi negotiis consuetudine. Sed quòd Romani Magistrorum partes in hac quæstione sibi sumant, alios verò instar discipulorum dicto audientes habere velint.* Vult dogmaticas controversias non à solo Papa aut sola Romanorum Ecclesia, sed à plena quinque Patriarcharum Synodo definiendas: Et hunc esse perpetuum atque immobilem Ecclesiæ Canonem & morem conatur exemplis ac testimoniis evincere. Et adjungit: *Si Papæ tribunal his, fidei quæstionibus, decernendis sufficit, superfluus ac supervacaneus omninò fuerit Sanctorum Patrum conventus.* Romani Episcopi infallibilitatem censet cum generalium Synodorum necessitate atque utilitate non cohærere: Hanc ab ista penitùs everti. Et prosequitur: *Quin etiam sacri istius duodenarii cœtus Præsul, ille, inquam, Apostolorum Coryphæus Divinus Petrus, etiam se corrigi à Paulo patitur, & reprehensus silet. Et cùm justiùs quàm Papa dicere posset,* Quæ à me facta sunt sacri cœtus Coryphæo declarato, lex sunt aliis, *hæc nequaquam dixit. Immò verò reprehensionem æquo animo amplexus est. Et iis, quæ Paulo visa sunt, non contradixit.* Censet Apostolorum Principem non fuisse infallibilem, ideoque istud charisma longè minùs esse datum Romano Episcopo. Adducit Domini ad Petrum verba: *Confirma Fratres tuos.* Et Sancti Agathonis de Romana Ecclesia ad sextam Synodum verba: *Apostolica Petri Ecclesia numquam à via veritatis in qualicumque errore parte deflexit.* Adfirmat hæc esse latina Romanæ infallibilitatis fundamenta, addit Romanum Episcopum non in omnem Petri potestatem ac dignitatem succedere, & prosequitur: *Quòd verò impossibile sit, Papam à rectitudine dogmatum aberrare, id ipsius etiam Petri successionem excedit. Ille enim etiam impegit, ac lapsus est, quamtumvis vehementer adseveraret se hoc non admissurum.* Adfirmat Papam posse labi in mendacium, avaritiam, aliaque peccata, & concludit: *Manifestum profectò est, quod cùm in his peccet, etiam circa fidem possit naufragium facere.* Probat sequelam ex Apostolicis ad Timotheum verbis de bona conscientia, seu justitia operum: *Quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt.* Verba sic commentatur: *Videsne eum, qui sana ac integra conscientia non sit, etiam circa fidem posse esse malè adfectum?* Et infrà: *Atqui Honorius Romæ Episcopus à rectitudine dogmatum aberravit. Et quidem à sancta & universali Synodo publicè damnatus est.*

Epist. 1. c. 1.

Nec solùm Romanum Episcopum, sed & Romanam Ecclesiam vult esse fallibilem. Petram, suprà quam Dominus fundavit Christianitatem, adfirmat non esse Romanæ urbis Ecclesiam, & prosequitur: *Si verò beatus Agathon adfirmat Ecclesiam suam numquam à veritatis via aberrasse, nihil miri est. Velimus eum, qui talia dicit, non res ad verba trahere, sed potiùs verba rebus accommodare, & cum animo suo reputare tropos œconomiæ, quibus sancti utuntur, cùm de re aliqua utili & necessaria quæstio instituitur. Et quia rarò hæc Ecclesia à veritate in fidei rebus aberrat, beatum Agathonem, ut talia scriberet, fuisse inductum. Alioquin quomodo interpreteris illud:* Omnes declinaverunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum? *Præterea, cùm dixit Romanam Ecclesiam à via veritatis non deflexisse, de præterito tempore locutus est, futurum non includit. Quod verò maximum est, ante sextam Synodum hæc ab Agathone dicta sunt. Mirum autem videri non debet, si Synodus è multis Patribus collecta intellexit, quæ unum ignorare contigit. Quòd verò hæc ità se habeant, lege Epistolam Leonis Papæ, qui proximè Agathoni successit, sextamque Synodum est amplexus.* Post varias argumentationes adfirmat Agathonem errasse circa Romanæ Ecclesiæ laudes, probat ex sexta Synodo, & ex huic per Leonem secundum data confirmatione: Utraque enim damnat Papam Honorium, aut uti hæreticum, aut certè ut illum qui hæresi dederit fomenta. Profitetur hanc regulam: *Ecclesiastici Canones non possunt constitui absque Papa.* Profitetur esse rectam, atque subnectit: *Sed neque Papa id licet absque aliis, quamdiu certè Apostolicis legibus paret.* Et firmat ex trigesimo quarto Apostolorum vulgari Canone, qui mandat primum cujusque gentis Episcopum à cunctis subditis Episcopis haberi pro capite, & nihil agi absque ejus auctoritativa sententia, atque subjungit: *Sed neque ille citra omnium sententiam aliquid agat.* Hæc obtinere vult etiam in Papa, & quatuor aliis Patriarchis: Hos sine illo, illum sine his nihil posse definire.

In pluribus labitur. Primò istum, qui Metropoliticæ potestati circumscribit limites à qualem-

qualemcumque Canonem malè applicat ad Papam. Etenim alia sunt Metropolitæ, alia Patriarchæ, alia Papæ privilegia: Et inter ipsa non est locus mutuæ consequentiæ. Secundò, malè adfirmat Sanctum Apostolum Petrum Antiochiæ, ubi ob simulationis lapsum fuit reprehensus à Paulo, circa fidem errasse. Etenim ad similem Gnosticorum calumniam jam pridem respondit in Præscriptionum libro Tertullianus: *Conversationis fuit vitium, non prædicationis.* Nec solus Petrus, sed omnes Apostoli circa dogma fuerunt infallibiles. Quòd Apostolatus gratia etiam istud charisma includat, est certa ac perpetua sententia totius Ecclesiæ. Et hinc Nili tertius error est, quòd & in Petro Apostolo & in Romanis Episcopis concludat à conversationis vitio ad vitium prædicationis. Hæc enim sunt disparatissima: Rectæ conversationis firmitas est gratia gratum faciens, prædicationis infallibilitas est gratia gratis data. Quartus error est, quòd ad Honorii, vel cujuscumque alterius Pontificis qualicumque lapsu procedat ad lapsum Romanæ Ecclesiæ. Nam & hæc differre toto cœlo, est omnibus manifestum.

C. 23.

Eamdem cum suis erroribus sententiam tuentur in libro de Papæ Principatu Barlaamus Monachus, & in opere adversùs hunc Barlaamum Macarius Ancyræ Metropolita, ac alii passim Græci schismatici. Hinc & Clementi sexto Pontifici, Ecclesiarum unionem suadenti, rescripsit Imperator Joannes Cantacuzenus: *Si qui primi doctrinam, quæ nunc apud Romanam Ecclesiam viget, intulerunt, non sibi tantùm adrogassent, neque alios vilipendissent, sed in medium ab aliarum Ecclesiarum Rectoribus discutiendam proposuissent, tantum malì non vidissemus, neque distracta Christi membra sibi bellum intestinum intulissent.* Adfirmat Romanam Ecclesiam errare in dogmate, censet prætensam infallibilitatem esse causam, ideoque non à sola ista Ecclesia, sed à plena totius Christianitatis Synodo vult hanc litem terminari. Et Benedicto duodecimo, ad Lugdunense Gregorii decimi Concilium provocanti, respondit Imperatoris Andronici secundi Palæologi Legatio: *Sciat, quòd nemo poterit humiliare populum Græcorum, ut recipiat illud concilium sine alio concilio. Quare? Quia illi Græci, qui interfuerunt isti concilio, non fuerunt missi à quatuor Patriarchis, qui gubernant Orientalem Ecclesiam, neque à populo, sed à solo Imperatore* Michaele Palæologo, *qui conatus fuit facere unionem vobiscum, ex vi, & non voluntariè.* Et in Spiritus Sancti Processione scribit de Florentina Synodo Georgius Gemistus: *Synodum Florentiæ celebratam nemo œcumenicam dixerit. Neque enim Byzantinus Patriarcha subscripsit, cùm antequam finiretur, hac vita cessisset. Neque Patriarchæ suorum Procuratorum subscriptiones, tamquam vi extortas, confirmaverunt, Imperator quippè, ut subscriberent, vim fecerat.* Adfirmant Græcorum Patriarchas & ad Lugdunensem & ad Florentinam Synodum non fuisse cooperatos, fuisse opus solius Romani Pontificis, ideoque ipsarum Decreta non esse authentica atque infallibilia.

L. 4. c. 9.

Apud Leon. Allat. lib. 2. cap. 16.

Romanæ igitur Ecclesiæ infallibilitatem semper oderunt Græcorum Hæretici atque Schismatici, voluerunt istam posse falli, immò & actu fuisse lapsam, & suæ hæresi aut schismati posuerunt hoc palmare fundamentum. Et hinc dum ipsos sibi reconciliavit Apostolica Sedes, semper exegit contrariam professionem. Ita dum ad unitatem rediit Imperator Michael Palæologus, ejusque nepos Joannes primus, non dumtaxat Romanam quarti matrimonii licentiam, sed insuper cunctos, à Græcis damnari consuetos, dogmaticos articulos sunt professi esse legitimos, id est, Romanam Ecclesiam non errare. Istud ipsum in litteris ad Adrianum quartum Pontificem Basilius fecit Archiepiscopus Thessalonicensis. Respondit nullum dogma, sed solam quorumdam rituum disciplinam Romæ & Constantinopoli esse diversam. Exstat Epistola apud D. Cardinalem Cæsarem Baronium. Et è schismatico Monacho in orthodoxum Gyracensem Episcopum transmutatus Barlaamus scriptis ad schismaticos Græcorum Antistites insignibus litteris nervosè profitetur Romanæ Ecclesiæ infallibilitatem, cum ipsa cohærere generalium Synodorum utilitatem atque necessitatem demonstrat, & adjungit: *Non eò quòd sit majoris auctoritatis, & magis possit generale Concilium, quàm Apostolica Sedes, generalia adgregantur Concilia, sed quia incidentes quæstiones difficiliores sint, & majori indigeant discussione.* Etiam aliæ rationes istam necessitatem persuadent ac exigunt, Quòd Romanæ Ecclesiæ infallibilitas istam necessitatem non proscribat, demonstrant Apostolorum Concilia: Hæc enim à Petro Apostolo, licet infallibili, citra necessitatem non fuerunt coacta. Et ex huc usque dictis lucet, quòd orthodoxus Oriens Romanæ Ecclesiæ infallibilitatem semper fuerit unanimiter professus. Pauca, quæ opponi possint, quorumdam Græcorum Patrum testimonia aut Acta, queunt facilè expediri.

A. 1155.

Epist. 1.

CANON

CANON XXIII.

QUòd Romanus Pontifex, ſi Canonicè fuerit ordinatus, meritis Beati Petri indubitanter efficitur Sanctus, teſtante Sancto Ennodio Papienſi Epiſcopo, multis ei ſanctis Patribus faventibus, ſicut in Decretis Beati Symmachi Papæ continetur.

SCHOLION.

IN Apologetico, quem quarta Symmachi Pontificis Synodus conſcribi juſſit, quinta autem probavit, & donavit ſua Synodali auctoritate, libello Ennodius, tunc Diaconus, poſteà Epiſcopus Ticinenſis, hæc habet: *Non nos Beatum Petrum, ſicut dicitis, à Domino cum Sedis privilegiis, vel Succeſſores ejus, peccandi judicamus licentiam ſuſcepiſſe. Ille perennem meritorum dotem cum hæreditate innocentiæ miſit ad poſteros: Quod illi conceſſum eſt pro actuum luce, ad illos pertinet quos par converſationis ſplendor illuminat. Quis enim ſanctum eſſe dubitet, quem apex tantæ dignitatis attollit? In quo ſi deſunt bona acquiſita per meritum, ſufficiunt quæ à loci Deceſſore præſtantur. Aut enim claros in hæc faſtigia erigit, aut qui eriguntur illuſtrat. Prænoſcit enim, quid Eccleſiarum fundamento ſit habile, ſuper quod ipſa moles innititur.* De variis accuſatum Symmachum Romana Synodus, judicare non auſa, Divino reſervavit judicio, edicens inter cætera primæ ſedis privilegia eſſe & hoc, quòd inferiorum judicio non poſſit ſubjacere. Diſplicuit hoc accuſatoribus, movitque ad ironicè quærendum: Num inter ſua privilegia Romani Pontifices etiam libertinam ac impunem peccandi licentiam accepiſſent? Et ad hanc ironiam Ennodius reſpondit. Reſpondit à Papali conſecratione adeò non tribui malè agendi licentiam, ut per ipſam potius tribuatur plena ſanctitas, & Chriſtiana bonorum operum libertas. Quòd enim Epiſcopalis conſecrationis Sacramentum det nobis ex opere operato Spiritus Sancti plenitudinem, eſt unum ex immobilibus fidei Chriſtianæ fundamentis. Quin immò etiam de Presbyteratu dicit Synodus Neocæſareenſis: *Reliqua* præter forni- Cap. 9.
cationem *peccata plerique dixerunt per manus impoſitionem poſſe dimitti.* Et hinc ſolos illos, qui ante ordinationem ſe fuiſſe carnaliter lapſos fuerint poſteà confeſſi, Presbyteros à quadam ſui officii parte ſuſpendit. Longa eſt hæc quæſtio, nec hujus loci. Omnem interim Epiſcopalis conſecrationis virtutem Papali ineſſe ſingulariter, ideoque hominem per ipſam ſingulariter ſanctificari, affirmavit Ennodius, & hìc noſter Gregorius confirmat. Magnus Felix Ennodius fuit vir Gallus, Romani Pontificis in dogmaticis definitionibus infallibilitatem, ac ſupremam ſuper omnes Synodos auctoritatem lucidè aſſerit, adeoque & ex ipſo patet avitus ſenſus Gallicanæ Eccleſiæ. Per faventes ei Patres intelligo habitarum ſub Symmacho Synodorum Epiſcopos, & cunctos etiam antiquos Eccleſiæ Doctores, qui Epiſcopalis ordinationis ex opere operato virtutem nobis tradiderunt.

CA-

CANON XXIV.

QUòd Romani Pontificis Præcepto & licentia Subjectis liceat accuſare.

SCHOLION.

A Clero & populo ſuo criminaliter accuſatus Symmachus Pontifex hæc dixit in ſua quinta Synodo: *De cætero ne unquam talia, non ſolummodò in Apoſtolicæ Sedis Præſule à quoquam præſumantur, ſed nec in ullo Chriſtianorum Epiſcopo uſurpentur. Non neceſſe eſt ſuper his nova cudere, ſed vetera recitare atque firmare. Eſt enim à multis Anteceſſoribus noſtris Synodaliter decretum atque firmatum, ut oves, quæ Paſtori ſuo commiſſæ fuerint, eum nec reprehendere, niſi à recta fide exorbitaverit, præſumant, nec ullatenus pro quacumque re alia, niſi pro ſua injuſtitia, accuſare audeant, quoniam Paſtorum actus gladio oris non ſunt feriendi, quamquam vitè reprehendi æſtimentur.* Quod ejus Edictum univerſa Synodus probavit. Ejuſdem priorem partem ſuis ad Zachariam Archiepiſcopum litteris inſeruit Joannes primus. Lib. 4. Ep. 12.
Verùm in Epiſtola ad Amblardum Abbatem Lemovicenſem Goffredus Abbas Vindocinenſis Gelaſio primo, in ſuo autem Decreto Sanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus adſcribit Pontifici Part. 5. c. 253.
Euſebio. Nempe ex Iſidori Mercatoris codice eſt iſta Euſebii Epiſtola, pluresque eandem Regulam confirmantes ex eodem fonte laudatus Ivo ibidem adducit. Ex eodem loquitur in Capitulis Angilramno Metenſium Epiſcopo datis Adrianus primus: *Accuſationes adversùs Doctorem nemo ſuſcipiat.* Ex adſcriptis Sancto Sylveſtro Decretis addit Epiſcopum à Presbytero, hunc à Diacono, hunc à Subdiacono, & ſic ulterius, adeoque Lectorem ab Oſtiario non poſſe accuſari: Nec Clericum à Laico.

Et quidem non ſolùm Epiſcopum, ſed etiam Metropolitam poſſe & à Clerico & à Laico ſubdito accuſari civiliter pro propria injuria, palàm permittunt nonus ac decimus ſeptimus Canones Chalcedonenſes. Quod ipſum etiam Hæretico permittit ſextus Conſtantinopolitanus. Ob nullum enim crimen Chriſtiana lex hominem cuivis Epiſcoporum injuriæ exponit. Verùm quiſnam olim Romanus Pontifex ſubditos ad Præpoſitorum criminalem accuſationem rediderit inhabiles, etiamnum ignoro. Et in codice Theodoſiano exſtat Honorii Imperatoris lex ad Melitium Galliæ Prætorio Præfectum, Epiſcopos & omnem inferiorem Clerum permittens etiam à Laicis, apud Epiſcopos tamen, criminaliter accuſari. Et Ibam Edeſſæ Epiſcopum, Oſrhoenæ Provinciæ Metropolitam, non dumtaxat de hæreſi, ſed & de aliis variis criminibus accuſarunt in Tyria Synodo proprii Clerici, nec ulla ſubjectionis exceptione fuerunt unquam repulſi. Etiam adversùs accuſatorem Iſchyram hinc numquam excepit Sanctus Athanaſius. Et Paulum Diaconum, Clericoſque Thomam ac Euphemium, ad deferendam Anaſtaſii Epiſcopi ſui accuſationem præmio ſeductos, de gravi crimine notat ac damnat in litteris ad Joannem Corinthiorum Epiſcopum Magnus Lib. 4. Ep. 51.
Gregorius. Et Baſilium Ancyræ Epiſcopum, primæ Galatiæ Metropolitam, quòd Clericorum ſuorum de ſeſe mutuo, adeoque & ipſo ſuo Epiſcopo non accuſandis pacta & conjurationes admiſiſſet, fuiſſe damnatum à Seleucienſi Synodo, teſtatur Hermias Zozomenus. Et hinc ſuo Lib. 4.
Sancti Sylveſtri nomine adducta, aliiſque anti- cap. 23.
quis Pontificibus per Iſidorum Mercatorem adſcripta de Epiſcopis ac Presbyteris per ſubditos non accuſandis Decreta inſectatur acriter, & cunctis Canonibus adverſari aſſeverat atque demonſtrat Hincmarus Metropolita Remenſis. Epiſt. 18.
Quin & ad Alexandrum ſecundum dilectus noſtri ſeptimi Gregorii amicus Sanctus Petrus Damiani ſcripſit duas in Romana Eccleſia eſſe conſuetudines, quarum hæc ſit altera: *Quia cujuſ-* Lib. 1.
libet Eccleſiæ filius, ſive Clericus ſit, ſive Laicus, Epiſt. 12.
exponere proprii exceſſus Antiſtitis prohibetur. Affirmat eſſe morem abſonum, & *Eccleſiaſticæ diſciplinæ prorsùs adverſum*, multis id firmat exemplis, atque concludit: *Excludatur ab Eccleſiaſtica diſciplina perniciosæ conſuetudinis Regula, tollatur hæc ſubterfugii verſuta calliditas, ut is qui tam perverſis audacis ſuperbiæ allegationibus utitur, immunitatem commiſſi piaculi non lucretur. Juſtis ergò querelis liber pateat aditus, liceat apud Primatem Eccleſiam conqueri, quæ ſe à ſuo Pontifice viderit prægravari, ne de ſublimis prærogativæ ſingularitate ſuperbiat, qui ſe per arrogantiæ faſtum fratribus non coæquat. Et qui cenſoriam ſuper alios concutit virgam, ipſe quoque ſuper ſe vigoris Eccleſiaſtici ſentiat diſciplinam. Quique non humanum ſonat, ſed ſuper alios quaſi fulgur terribiliter tonat, aliquando ſe hominem recognoſcens, humana verba formare per humilitatem diſcat: Quatenus dum Prælatus quilibet arrogans à tumore elatio-*

nis deprimitur, ſubjectis autem per auctoritatem ſuperioris Eccleſiæ ſubvenitur, ſopitis undique jurgiis, & Synodalis examinis concepta formidine, omnia ſimul Eccleſiæ membra conſæderentur in pace. Corruptiſſima tempora vidit laudatus Petrus; Epiſcopos variè criminoſos, impotenter in Clero & populo dominantes, ob ſubditis ereptam accuſandi facultatem duratos in ſuis delictis, ideoque iſtam regulam ille cenſuit pravam & proſcribendam. Regulæ tamen in litteris ad Timotheum Lectorem plurimùm favet Iſidorus Peluſiota: *Non falſa dumtaxat accuſatio, verùm etiam veriſſima, ſi adversùs Patrem ſolùm fiat, parricidæ exitum parturit, velut Chamo accuſatio Noe.* Similem ex Magni Gregorii moralibus libris locum adducit in memorata ad Amblardum Epiſtola Goffredus Vindocinenſis, exinde probans Abbatem à ſuo Monacho non poſſe accuſari. Conſonant & Apoſtolicæ conſtitutiones. Et has forſitan, quæ longè ſe poſteriorem Iſidori Mercatoris codicem non potuit reſpicere, Symmachi Pontificis Synodus reſpexit.

Lib. 1. Ep. 454.

Quidquid ſit, iſtam hujus Synodi undecumque deſumptam Regulam dudum obſervavit Romana Eccleſia, nec ob adductas à Sancto Petro Damiani rationes cenſuit deferendam. Etenim uti libertinis Epiſcopis ac aliis Præpoſitis, ita quoque calumnioſis Clericis & Laicis tunc abundabat Eccleſia, ideoque horum malevolentiæ non poterat iſtorum accuſatio permitti. Sed neque illis anſa plenæ libertatis. Hinc ipſos apud Apoſtolicam Sedem, ac de ejus venia etiam apud alienos Judices accuſari à ſuis ſubditis permiſit noſter Gregorius. Regula jam pridem abjit in diſuetudinem, obtinetque conſilium Petri Damiani.

CA-

CANON XXV.

QUòd abſque Synodali Conventu Papa poſſit Epiſcopos deponere, & reconciliare.

SCHOLION.

ADversùs Natalem Salonitanum Epiſcopum, Dalmatiæ Metropolitam, qui Florentium Epidaurienſem Epiſcopum ſolus degradaverat, ſcripſit Sanctus Gregorius Magnus: *Non poteſt quemquam Epiſcopatus gradu, niſi concordi Sacerdotum ſubmovere ſententia.* Epiſcopi degradationem affirmat non eſſe *humani Conſtituti, ſed Divinæ Benedictionis* excuſſionem, ideoque non niſi Synodaliter peragendam. Et hinc exſufflat iſtam degradationem, mandans reſtitui Florentium, ac in plena Provinciæ Synodo ejus cauſam ab exordio retractari. Etenim Nicæni, Conſtantinopolitani, Chalcedonenſes, & alii paſſim Canones, nec non perpetua omnium Eccleſiarum conſuetudo Epiſcopos nequaquam à ſolo Metropolita, ſed à ſola Provinciæ Synodo damnari, ac præſertim degradari permiſerunt. Et ad Nomenoium minoris Britanniæ Ducem ſcripſit Leo Papa quartus: *Nullam damnationem Epiſcoporum eſſe umquam cenſemus, niſi aut ante legitimum numerum Epiſcoporum, qui ſit per duodecim Epiſcopos, aut certè probata ſententia per ſeptuaginta duos idoneos teſtes, ſicut nobis Beatus Sylveſter tradidit, & Romana ſancta tenere videtur Eccleſia.* Quod ipſum in litteris ad Nomenoii ſucceſſorem Salomonem fuiſſe à Benedicto tertio confirmatum affirmat Nicolaus primus, atque adjungit: *Deceſſor meus Benedictus, quia contra Deceſſoris ſui Decretum, non ab Epiſcopis, ſed à Laicis Epiſcopos in Regione tua cognoverat eſſe dejectos, multa mœſtitia & indignatione repletus ſcripſit, quòd nulla ratio ſineret Epiſcopos à ſuis Sedibus pelli, quos duodenarius numerus non ejeciſſet. Quorum veſtigia & ego quoque ſecutus, eadem cenſui, immò & cenſeo. Nec ullam poſſe Epiſcopos ſui honoris ſuſtinere jacturam, quos non conſtat à duodecim Epiſcopis, præſente & primam ſententiam Metropolitano Epiſcopo obtinente, cùm examinarentur, auditos.* Regulæ hujus fontem quidam exiſtimant eſſe Iſidori Mercatoris codicem, in quo ita ſtatuunt Pontifices Clemens, Anacletus, ac Zephyrinus. Verùm illa eſt longè antiquior. Etenim Africani codicis duodecimus Canon diſertè ſtatuit extra Synodi tempus accuſatum Diaconum à tribus, Presbyterum à ſex, Epiſcopum à duodecim audiendum eſſe Epiſcopis ac judicandum. Quam Regulam etiam in Oriente ſervari affirmat in ſuis ad laudatum Canonem Scholiis Theodorus Balſamon, atque adjungit: *Cùm Joannes Amathuntis Epiſcopus à Cypri Archiepiſcopo Joanne fuiſſet depoſitus, & depoſitionis Edictum in Tribunali Imperatorio lectum eſſet, quoniam inventi ſunt undecim Epiſcopi & Archiepiſcopus depoſitionem feciſſe, ſtatuit ſanctiſſimus Patriarcha Dominus Lucas eſſe infirmam & nullius momenti depoſitionem, eò quòd non acceſſita fuerit univerſa Synodus Cypriorum Eccleſiæ etiamſi magna eſſet ejus cogendæ facultas, & quòd Archiepiſcopus non ultra duodecim, ſed unà cum illis eſſet connumeratus.* Afrorum Provinciæ habebant numeroſiſſimos Epiſcopos, ipſoſque criminaliter accuſatos non ſolus Provinciæ Primas, ſed juxta communem totius Eccleſiæ Canonem plena Synodus debebat judicare. Attamen dum extra Synodi tempus facta accuſatio non pateretur moras, noluerunt totam moveri Provinciam, ſed iſtud judicium duodecim Epiſcopis crediderunt. An Primas ex illis duodecim, an ſupra illos deberet eſſe decimus tertius, non conſtat. Poſtremum apparet verius. Nam vigeſimus tertius Canon criminali in Presbyterum aut Diaconum judicio præter ſex aut tres alios Epiſcopos mandat etiam proprium, utpotè ordinarium primæ inſtantiæ Judicem, adeſſe.

L. 2. Epiſt. 47. 48.

L. 7. Epiſt. 12.

Epiſt. 56.

Quocirca hocce extra-ſynodale judicium nequaquam omni olim commune, ſed proprium fuit ſoli Eccleſiæ Africanæ. Paucæ enim Provinciæ habuerunt olim duodecim Epiſcopos, à quibus tamen certum eſt Provinciales Collegas potuiſſe degradari. Quinimmò ad Agrippinenſem, quæ Euphratæ ejuſdem civitatis lapſos in hæreſim Epiſcopo degradando convenerat, Synodum dixit Valerianus Epiſcopus Antiſiodorenſis: *Etſi non omnes hic conveniſſemus, ſuffecerat à quinque Epiſcopis Euphratam blaſphemum ſententiari.* Non Provincialis, ſed omnino Metropolitanus ſecundæ Germaniæ, & quidem ſummorum in Eccleſia meritorum Epiſcopus erat Euphratas, unicumque tunc habebat Suffraganeum Tongrenſem, Sanctum Servatium. Nequibat hìc ſolus Synodum facere, longè minùs ſuum damnare Metropolitam. Hinc ex Sancti Athanaſii, in Belgio noſtro tunc exulantis, conſilio numeroſam convocavit Galliæ Synodum, ipſaque Valerianus dixit non fuiſſe opus, ſed quinque Epiſcopos ſuffeciſſe. Africanos Canones neſcio ex quibus fundamentis ſuſcepit

in Trullana Synodo Orientalis Ecclesia, & duodecim Episcoporum extra-Synodali judicio exindè cœpit uti. Notanda sunt hæc Balsamonis verba: *Etiamsi magna esset ejus cogendæ facultas*, Edicunt huic extra-synodali judicio extra solum Synodi tempus esse locum ac potestatem. Quod ipsum ex Africano Canone est etiam desumptum.

Quæstio est, Quando, unde, & qualiter morem hunc assumpserit Latina Ecclesia? Quidam existimant ex Isidori Mercatoris codice assumptum. At certum est labi. Etenim codice illo longè antiquior Magnus Gregorius Virgilio Arelatensi Archiepiscopo, suo in Galliis Vicario, hanc fixit regulam: *Si qua inquisitio de fide, vel fortasse aliarum rerum inter Episcopos causa emerserit, quæ discerni difficiliùs possit, collectis duodecim Episcopis ventiletur atque decidatur. Si autem decidi nequiverit, discussa veritate ad nostrum judicium referatur.* Agit de cunctis majoribus causis, quas inter semper fuit degradatio Episcopi. Et Triburiensis Synodus, statuens nullum deponi Episcopum nisi à duodecim Episcopis, disertè profitetur se statuere ex Africano Canone. Hic ergo etiam apud Latinos est præsentis moris origo. At credo ipsum non ubique admissum. Etenim neque laudatus Gregorius, neque ullus Romanus Pontifex avitæ Provincialium Synodorum potestati legitur uspiam derogasse. Soli suo in Galliis Vicario legem posuit Gregorius, atque ita ad solos alienæ, non ad propriæ Provinciæ Episcopum degradandum debebat Virgilius duodecim Collegas adhibere. Apostolici Vicarii sententias oportebat esse maturas, ac reformationis periculo immunes: Hinc à tot ferri Collegis prudentissimus Pontifex sanxit.

L. 4. Epist. 51.

Can. 10.

Altera quæstio est, An hæc omnia ligent etiam Romanum Pontificem? An & ipse non nisi cum suæ Provinciæ Synodo, aut certè cum duodecim Episcopis possit Episcopos degradare? Partem affirmativam tutati sunt Thetgaudus Trevirensis, & Guntharius Colonensis Archiepiscopus, de quibus per Nicolaum primum Pontificem synodaliter degradatis, & ad Ludovicum II. Imperatorem confugientibus, scribit Abbas Regino: *Vociferati sunt se injustè depositos, ipsi Imperatori & omni sanctæ Ecclesiæ injuriam factam, cùm nunquam auditum sit vel uspiam lectum, quòd ullus Metropolitanus sine conscientia Principis, vel præsentia aliorum Metropolitanorum fuerit degradatus.* Uti Provinciales Episcopos sine consueta Synodo, ita sine aliorum Metropolitarum præsentia asseverarunt Metropolitas nec ab ipso Papa posse damnari. Quam ipsorum querimoniam adducunt & alii vetusti Francorum Scriptores. Et cum Theodosiani codicis appendice Jacobus Sirmondus publicavit Romanæ sub Damaso Pontifice Synodi epistolam, & Gratiani Imperatoris ad ipsam Rescriptum, in quo hæc habes: *Volumus ut quicumque Damasi judicio, quòd ille cum consilio quinque vel septem Episcoporum habuerit, fuerit condemnatus, si injustè voluerit Ecclesiam retentare, ut qui evocatus ad Sacerdotale judicium per contumaciam non iviſſet, ab illustribus viris Præfectis Prætorio ad Episcopale judicium remittatur.* Isti soli, quod cum quinque aut septem Episcoporum Synodo fuerit datum, Romani Pontificis judicio vult deferendum.

A. 865.

Respondeo tamen Romanum Pontificem solum semper potuisse degradare Episcopos, ideoque præsentem Dictatum esse omninò authenticum, ac in antiqua disciplina fundatum. Etenim de Martiano, in Novatiani hæresim & schisma lapso, Arelatensi Episcopo scripsit olim ad Sanctum Stephanum Pontificem Sanctus Cyprianus: *Dirigantur in Provinciam, & ad plebem Arelate consistentem, à te litteræ, quibus abstento Martiano alius in locum ejus substituatur.* Ad quæ verba rectè scribit Nicolaus Rigaltius: *Licuisse jam olim Pontificibus Romanis Episcopos justis de causis excommunicare, immò deponere, & novos in eorum locum substituere, perspicuum facit hoc loco Cyprianus de Gallis. Quod mirum in modum auctoritatem commendat & Primatum.* Et de appellatorio degradatorum Episcoporum judicio statuit Sardicensis Synodus: *Romanorum Episcopus Cognitores præbeat.* Retractandi judicii modum ejus sapientissimo arbitrio plenè permittit, etiam faciendum per Legatos in Provinciam Presbyteros: Quòd nempè plena hìc sit ejus auctoritas. Nec refert quòd isti Presbyteri jubeantur cum Episcopis judicare. In aviti enim, Episcopum à solis Presbyteris damnari non permittentis, Canonis reverentiam id sancitur, quo certum est ipsum Romanum Episcopum non adstringi. Adversùm Acaciani schismatis sectatores, Acacium Constantinopolitanum Episcopum ab uno & solo Felice tertio damnari non potuisse blaterantes, in litteris ad Faustum Magistrum, in litteris ad Imperatorem Anastasium, & in litteris ad Dardaniæ Episcopos insigniter id ostendit Sanctus Gelasius. Ostendit plures etiam Patriarchas à sola Romana Cathedra fuisse damnatos: Nempè Timotheum Ælurum Alexandrinum, ejus successorem Petrum Mogum, Petrum Fullonem Antiochenum, & Nestorium Constantinopolitanum. Affirmat esse antiquum morem, ut sine Synodo Romanus Pontifex & damnet Episcopos, & absolvat damnatos. Scio Acacianos egisse de generali solùm, non de Patriarchali aut Provinciali Synodo: Verùm Pontificis decisio ad singulas se extendit. Hinc Joanni Syracusæ Episcopo, suo apud Siculos Vicario, ut ad damnandum Lucillùm Melitensem Episcopum, non duodecim, sed dumtaxat quatuor Collegas sibi associet, mandat Gregorius Magnus, Quòd nempè hæc res Papali arbitrio subesset. Episcopum non nisi à tribus consecrari rigidissimè sanxit Nicæna Synodus, & tamen in sua collectione Fulgentius Ferrandus, Ecclesiæ Carthaginensis Diaconus, habet hunc Canonem: *Ut unus Episcopus Episcopum non ordinet, excepta Ecclesia Romana.* Eodem jure unus Episcopus Episcopum degradare non potest, nisi solus Romanus; atque ita nostri Gregorii Dictatus est omninò antiquus & firmus. Porrò non quid leges sancirent, sed quem morem suo tempore passim haberet in damnandis

Ep. 67. C. 3. C. 6.

nandis Episcopis Romanus Pontifex, Imperatoris Gratiani Rescriptum edicit. Ille semper adhibere consueverat consilium omnium septem, aut certè quinque Cardinalium Episcoporum.

CANON XXVI.

QUòd Catholicus non habeatur, qui non concordat Romanæ Ecclesiæ.

SCHOLION.

DIctatum hunc lucidè tradit in libris adversùs Parmenianum Donatistarum Carthaginensem Episcopum Sanctus Optatus Episcopus Milevitanus: *Negare non potes scire te in urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut jam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem Cathedram, alteram colloca ret.* Id est, qui singulari isti Cathedræ non communicaret. Pergit adversùm omnes Donatistas: *Unitatem cum toto orbe terrarum, & cum memoriis Apostolorum, quæ Deo placita est, habere noluistis.* Scripturarum littera abuti est antiquum Afrorum vitium: Hinc pro, *Sanctorum necessitatibus communicantes*, Optatus passim legit, *Sanctorum*, utique Principum Apostolorum, *memoriis*, id est, Apostolicæ Sedi, *communicantes*, atque ex hujus communionis privatione adversùm Donatistas de schismate præscribit. Suam communionem, quòd septem in Apocalypsi laudatis Ecclesiis, & Apostolorum memoriis adhæreat, asseverat ab hac scabie securam. Et rursus in alio ejusdem operis libro: *Numquid poteris approbare mendacium Cathedram Petri, & claves Regni Cœlorum à Christo concessas, ubi est nostra societas?* Hanc irrefragabilem schismatis notam ut à se amoverent Donatistæ, etiam Romam ad suos paucos miserunt & ordinarunt Episcopum, qui quòd in nescio qua rupe aut monte latitaret, & sua ibidem schismatica Sacra perageret, dictus fuit Rupitanus Episcopus, aut Montensis. Hinc ipsos Optatus dicit non communicare Sanctorum Apostolorum memoriis, id est, vero Romanorum Episcopo, qui dictas memorias seu Basilicas tamquam legitimus Petri Successor, & Canonicus Apostolicæ Cathedræ Sponsus, haberet in potestate. Et de Eusebiana factione, Liberium Pontificem ad suam communionem compellere tentante, scribit ad suos Monachos Sanctus Athanasius: *Ista secum impii cogitarunt, si Liberium in nostram sententiam traxerimus, omnes brevi superabimus.* Quod nempe nemo orthodoxus à Romana communione possit esse alienus. Et in codice Theodosiano exstat Gratiani ac Theodosii Edictum ad populum Constantinopolitanum: *Cunctos populos quos Clementiæ nostræ regit temperamentum, in tali volumus Religione versari, quam Divinum Petrum Apostolum Romanis tradidisse Religio usque nunc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum, virum Apostolicæ sanctitatis.* Post Sardicense Concilium Eusebiana factio palàm se segregarat à Romana Ecclesia, & omnem Orientem schismatibus & adversis altaribus impleverat: præsertim sub Imperio Valentis. Hanc calamitatem sanaturus Magnus Theodosius laudato Edicto Romanam communionem restituit, omnes illos, qui ad ipsam non rediret, tamquam professos Hæreticos, & damnatorum Conventiculorum sequaces pronuntians esse tractandos. Papam Damasum, seu potius ejus Cathedram affirmat esse supremam & immaculatam radicem totius Catholicæ unitatis. Addit & Petrum Alexandriæ Patriarcham, quòd is Sancti Athanasii esset Successor, & firmissimus semper adhæsisset laudatæ Cathedræ, atque ita omnis ipsi communicans etiam Damaso communicaret. Et hinc ad Sanctum Acholium Thessalonicensem Archiepiscopum scribit de Sancto Athanasio Magnus Basilius: *Studium illud tuum in Beatissimum Athanasium erat evidentissimum argumentum, te in maximis fidei capitibus rectè sentire.* Et in aliis ad Sanctum Epiphanium litteris Meletii, dubii & contentiosi Patriar-

Lib. 2.

Lib. 3.

Lib. 4.

Lib. 7.

Lib. 16. tit. 1. cap. 2.

thæ Antiocheni, communionem commendat, eò quòd *Papa Athanasius in votis eandem cum ipso* Ep. 325. *inire habuisset*. Athanasii communionem adserit esse firmum rectè fidei ac disciplinæ signum, quòd ipsa esset indivulsa à communione Romana.

Porrò laudatum Theodosii Edictum laudat in præfatione librorum de Spiritu Sancto Sanctus Ambrosius, affirmans Constantinopoli ac in reliquo Oriente plurimos Arianos rediisse ad mentem, & concludens ad Dominum JESUM Christum : *Non mundavit Damasus, non mundavit Petrus, non mundavit Ambrosius, non mundavit Gregorius. Nostra enim servitia, sed tua sunt Sacramenta*. Errantes Arianos, nec à Damaso, nec à Petro, sed à solo JESU Christo, ac nobis per ipsum impartito reconciliationis Sacramento adfirmat mundatos, & Damasi ac Petri præceptam à Principe communionem fuisse mera istius mundationis signa. Præfatur enim ad Gratianum Augustum, Edicti auctorem. Et in Antiocheno Patriarchatu existens, & ob non admissam trium in Deo hypostasium contentiosam vocem de Sabelliana hæresi accusatus Sanctus Hieronymus, scripsit ad Marcum Presbyterum Ep. 87. Celedensem : *Hæreticum me cum Occidente, Hæreticum cum Ægypto, hoc est, cum Damaso Petroque condemnent*. Affirmat se & Damaso & Petro communicare, ideoque ex Theodosii Edicto esse ab omni hæresios suspicione securum. Et in litEp. 57. teris ad ipsum Damasum : *Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri, communione consocior. Supra illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est*. Et statim infrà : *Collegas tuos Ægyptios Confessores sequor, & sub onerariis navibus parva navicula delitesco*. Affirmat se in Romanæ & Alexandrinæ Cathedræ communione persistere, ideoque à nullo maledico dente posse lædi. Et pergit : *Non novi Vitalem, Melotium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit. Quamobrem obtestor Beatitudinem tuam, ut cui apud Antiochiam debeam communicare, significes*. In tres tunc Episcopos, Paulinum, Meletium, atque Vitalem dilacerata erat Antiochena Ecclesia : Hinc omnem à Romana discretam communionem Hieronymus sciens scabiosam atque damnatam, doceri supplicat cuinam istorum trium Sedes Apostolica communicet, adeoque & ipse valeat ac debeat communicare.

Memoratum Theodosii Edictum laudat in L. 5. c. 2. Ecclesiastica Historia etiam Theodoretus : *Gratianus, universo Romano Imperio potitus, Regni sui Primitias omnium Regi obtulit, lege lata, qua jubebat sacras ædes iis tradi, qui Damasi communionem amplecterentur*. Legem hanc affirmat à Sapore Militum Magistro etiam Antiochiæ publicatam, atque istius Ecclesiæ schisma ex ipsa compositum : Asserit Paulinum & cum Vitale Apollinarem simulasse quidem communionem Damasi, verùm de alieno dogmate fuisse convictos, ideoque Meletio traditas omnes Basilicas, & ipsum tunc ibi factum Canonicum Patriarcham. Nempe Paulino semper adversatus fuit Theodoretus, ac insigniter Orthodoxum & in Romana communione constantissimum Episcopum iniquè traducit. Paulini & Damasi communionem conatus est fuscare. David Blondellus in opere de Primatu Romano, & in eruditis ad Theodosianum codicem Notis Jacobus Gothofredus taxant Theodoretum etiam de aliis. Primò, quòd laudatam legem adscribat soli Gratiano. Secundò, quòd solius Damasi communionem scribat ab ipsa injungi. Tertiò, quòd asserat ab ipsa jussum isti communioni tradi Basilicas. Lex enim de Basilicis non facit mentionem. Verùm respondeo hæc esse modica. Etenim Gratianus erat tunc caput Imperii, ideoque trium Imperatorum communis lex illi soli non malè adscribitur, ex consueto tunc more. Petrus Alexandrinus non in supremam, sed dumtaxat in subordinatam communionis radicem fuit datus, ad quem rectè diceret Damasus, quod scripsit ad Paulinum Antiochenum : *Nobis per te sociantur*. Hinc legitimè potuit omitti. Etiam Basilicarum traditio in lege palam innuitur : Omnes enim Damaso non communicantia Conciliabula affirmat Ecclesiæ nomine indigna, ideoque Basilicas juxta priores leges esse ipsis auferendas. Quidquid sit, Romanam communionem Theodoretus insigniter exaltat.

Eandem exaltat antiquus Lugdunensium Episcopus Sanctus Irenæus : *Ad Romanam Ecclesiam,* L. 3. c. 3. *propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio*. Verbum, *Convenire*, nequaquam corporalem accessum importat, sed communionis contesserationem. Et in Præscriptionum libro Septimius Tertullianus : *Habes Romam, undè nobis* Cap. 36. *quoque auctoritas præstò est. Ista quàm felix Ecclesia ! Cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. Videamus quid didicerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit*. Vocem, *Auctoritas*, exponit in litteris ad Sanctum Papam Cornelium Martyr Cyprianus : *Navigare* Schismatici *audent ad Petri Cathedram* Ep. 55. *atque Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est*. Hoc est, quæ est origo & radix totius Episcopalis communionis. Vocem, *Auctoritas*, pro origine & radice, à qua nemo separatus possit in Christo vivere, accepit Tertullianus. Et ad Antonianum Episcopum scribit idem Cyprianus de eodem Pontifice : *Sciat te se-* Ep. 52. *cum, id est, cum Catholica Ecclesia communicare*. Et in alia ad Cornelium Epistola : *Hortati sumus* omnes Coepiscopos nostros, *ut Ecclesiæ Catholi-* Ep. 45. *cæ radicem & matricem*, seu Apostolicæ tuæ Sedis communionem, *agnoscerent ac tenerent*. Et infrà : *Ut communicationem tuam, id est, Catholicæ Ecclesiæ unitatem probarent firmiter ac tenerent*. In libro de Ecclesiæ unitate docet Ecclesiam ac ejus Episcopatum esse & unum & multiplicem : Esse quasi solem, fontem, aut truncum divisum in plurimos radios, rivos, ramos. Quòd nempè omnium origo & radix sit Romana Cathedra, adeoque ab ejus communione succisi sint

sint ramus sine trunco, rivus sine fonte, radius sine sole. Et in Epistola ad Jubajanum Episcopum : *Ecclesia est una, & super unum, qui & claves accepit, Domini voce fundata*. Hinc quisquis cum isto uno non communicat, non est in Ecclesia. Et de fratre suo Satyro, apud Sardos baptizari cogitante, scribit in ejus funebri Encomio Sanctus Ambrosius : *Advocavit ad se Episcopum, nec ullam veram putavit nisi veræ fidei gratiam, percunctatusque ex eo est, utrùmnam cum Catholicis Episcopis, hoc est, cum Romana Ecclesia conveniret. Et fortè ad id locorum in Schismate regionis illius Ecclesia erat. Lucifer enim se à nostra tunc temporis communione diviserat. Et quamquam pro fide exulasset, & fidei suæ reliquisset hæredes, non putavit tamen fidem esse in Schismate*. Omnem à Romana communione aversum Satyrus duxit non esse Catholicum, & Sanctus Ambrosius confirmat. Confirmat & in litteris ad Imperatores Gratianum, Valentinianum secundum, ac Magnum Theodosium : Epist. 4. *Totius orbis Romani caput Romanam Ecclesiam, atque illam sacrosanctam Apostolorum fidem, ne turbari sinat, obsecranda est vestra Clementia. Indè enim in omnes venerandæ communionis jura dimanant*. Ipsam esse dicit radicem, fontem, ac centrum totius Catholicæ communionis.

Quod ipsum constantissimè tradit Sanctus Augustinus in litteris ad Madaurenses : *Videtis mul-* Ep. 42. *tos præcisos à radice Christianæ societatis, quæ per Sedes Apostolorum & successiones Episcoporum certa per orbem propagatione diffunditur, de sola figura originis sub Christiano nomine quasi arescentia sarmenta gloriari, quas hæreses & schismata nominamus*. Et in litteris ad Dioscorum : *Fidei* Ep. 56. *Imperator Clementissimus & per Conventus celeberrimos populorum atque gentium, Sedesque Apostolorum, arce auctoritatis munivit Ecclesiam*. In litterit ad nescio quem Donatistam Episcopum Honoratum laudat omnes, quibus Apostoli scripserunt, Ecclesias, ac pergit : *Quibus omnibus* Ep. 161. *Ecclesiis nos hodie communicare manifestum est, sicut manifestum est vos illis non communicare*. In sequenti ad plures Donatistarum Antistites Epistola scribit Cæcilianum Carthaginensem Episcopum *potuisse non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cùm se videret & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus, & cæteris terris, undè Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse conjunctum*. In Epistola ad Generosum texit plenum Romanum Episcoporum Catalogum, & subjungit : Ep. 165. *In hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus inventur, sed ex transverso ex Africa ordinatum miserunt, qui paucis præsidens Afris in urbe Roma, Montensium vel Rupitarum vocabulum propagavit*. Et in litteris ad Consanguineum suum Severi- Ep 170. num : *Cùm illi*, Cæciliani fautores, *inveniantur intùs communicare Ecclesiis Apostolicis, illi autem foris positi, & ab illa communione separati sint, quis non intelligat eos habuisse causam bonam, qui eam apud medios Judices obtinere potuerunt*? Et in libris de Baptismo scribit ad om- L. 2. c. 6. nes Donatistas : *Quare non communicatis Ecclesiis, quibus Epistolas Apostolicas missas tenetis & legitis, & secundùm ipsas vos vivere dicitis*? Et in libris Lib. 2. c. adversùs Petilianum : *Si à me quæras, quibus* 16. *fructibus vos lupos rapaces esse cognoscamus, objicio schismatis crimen, quod tu negabis, ego statim probabo. Neque enim communicas omnibus gentibus & Ecclesiis Apostolico labore fundatis*. Et infrà in eodem libro : *Cathedra tibi quid fecit Romanæ Ecclesiæ* Cap. 51. *vel Ecclesiæ Hierosolymitanæ, quibus nos in Catholica unitate connectimur, & à quibus vos nefario furore separastis ? Quare appellas Cathedram pestilentiæ, Cathedram Apostolicam* ? Et in libris adversùs Cresconium : *Ego in Ecclesia sum, cujus membra* Lib. 3. c. *sunt omnes Ecclesiæ, quas ex laboribus Apostolo-* 35. *rum natas atque firmatas simul in litteris Canonicis novimus*. Assiduè probat se cum suis Collegis Catholicum, Donatistas autem esse Errones atque Schismaticos, quòd ipse communicaret, hi non communicarent Apostolicis Ecclesiis & Sedibus, præsertim Romanæ Ecclesiæ, in qua Apostolicæ Cathedræ sit Principatus. Hinc enim ipsam maledicus Petilianus blaterabat esse Cathedram pestilentiæ. Quod ipsum adversùs plures Europæ Episcopos, qui ob admissam à Romana Ecclesia damnatricem trium Capitulorum quintam Synodum ab ejus communione se suspenderant, acriter urserunt in suis litteris Pelagius primus ac Pelagius secundus, adeoque & Magnus Gregorius. Secundi enim Pelagii Epistola est ejus opus.

Et hinc lucet Romanam Ecclesiam à recta fide esse immobilem atque indeclinabilem. Et ità omninò oportet. Est Petra, supra quam Dominus fundavit omnem Ecclesiam, & cujus causa nec inferorum portæ possint adversùs hanc prævalere. Ubi mobile fundamentum, quomodo sit immobile ædificium ? Nec tantùm immobilis in fide, sed etiam in sua communione debet esse immaculata atque immaculabilis. Ita in litteris ad Anastasium Imperatorem, maculosi Constantinopolitani Episcopi Acacii nomen recipi volentem, omninò affirmat atque ostendit Sanctus Pontifex Gelasius : *Una est columba mea, una est* Epist. 8. *perfecta mea, una est Christiana fides, quæ est Catholica. Catholica autem veraciter illa est, quæ ab omnium perfidorum, atque ab eorum successoribus atque consortibus pura, sincera, immaculata communione divisa est. Alioquin non erit Divinitus mandata discretio, sed miseranda confusio. Nec ulla causa jam superest, si hoc in quolibet contagio voluerimus admittere, ne cunctis hæresibus aditum januamque pandamus. Qui enim in uno offenderit, omnium reus est. Et qui minima spernit, paulatim decidit. Hoc est quod Sedes Apostolica magnoperè cavet, ut quia mundo radix est Apostoli gloriosa confessio, nullæ rima pravitatis, nulla prorsùs contagione maculetur. Nam si, quod Deus avertat, quod fieri non posse confidimus, tale quid proveniret, undè cuiquam resistere auderemus errori ? Vel undè correctionem errantibus posceremus ?* Quò longum Græcæ & Latinæ Ecclesiæ exstingueretur schisma, & illa ad hujus rediret pacem atque obedientiam, unicam conditionem exposcebat Imperator Anastasius : Ut Acacii defuncti nomen

in

in ſacris maneret Eccleſiarum tabulis, & ad ſacra Miſſarum ſolemnia ſuo loco & tempore recitaretur. Exiſtimabat rem peti levioris ponderis. Verùm eſſe ſummi ponderis, immò rem impoſſibilem, repoſuit Pontifex, utpotè à qua penderet ſanctitas, immò & ſubſiſtentia totius Chriſtianitatis. Etenim Hæreticæ aut Schiſmaticæ communionis contagio polluta Romana Eccleſia pollueret omnes ei communicantes Eccleſias, atque ita univerſalis Eccleſia deſineret eſſe ſancta, & omnis vera Chriſtianitas interiret. Hinc Gelaſius ſperat atque aſſeverat eſſe impoſſibile, ut Romana Eccleſia ullum damnatum Hæreticum aut Schiſmaticum admittat in ſuam communionem, & talis confuſionis contagio maculetur.

Objici poſſit Felix ſecundus Pontifex, de quo in Virorum Illuſtrium catalogo, agens de Acacio Luſeo Cæſareenſi apud Paleſtinos Epiſcopo, ſcribit Sanctus Hieronymus: *Acacius in tantum ſub Conſtantio Imperatore claruit, ut in Liberii locum Romæ Felicem Arianum Epiſcopum conſtitueret.* Marianus Victorius vult vocem, *Arianum*, in variis exemplaribus non haberi. Quidquid ſit, quin Ariana communione ſcabioſus fuerit Felix, à nullo dubitatur. Fuit palàm intruſus. Et hinc neque à Sancto Optato Milevitano Epiſcopo, neque à Sancto Auguſtino, neque ab ullo antiquo numeratur inter Pontifices Romanos. Omnes Liberio conſtanter ſubſtituunt Damaſum. Etiam de Liberio ſcribit laudatus Hieronymus: *Fortunatianus Aquilejenſis Epiſcopus in hoc habetur deteſtabilis, quod Liberium Romanæ urbis Epiſcopum, pro fide ad exilium pergentem, primus ſollicitavit ac fregit, & ad ſubſcriptionem hæreſios compulit.* Liberium fuiſſe Hæreticum nemo Eruditus credidit; quin tamen Arianæ communionis contagio ſe fœdaverit, nemo poſſit dubitare. Et de Anaſtaſio ſecundo ſcribit liber Pontificalis: *Multi Clerici & Presbyteri ſe à communione Anaſtaſii erexerunt, eò quòd communicaſſet ſine conſilio Epiſcoporum, vel Presbyterorum, vel Cleri cunctæ Eccleſiæ Catholicæ, Diacono Theſſalonicenſi, nomine Photino, qui communis erat Acacio, & quia occultè voluit revocare Acacium, & non potuit.* Quod Gelaſius impoſſibile dixit, Anaſtaſius monſtravit poſſibile: Damnatum enim Acacii nomen admittere voluit in ſacras tabulas, & Dorothæi Theſſalonicenſis Epiſcopi, hominis quàm maximè Acaciani, Diaconum Photinum permiſit ſecum procedere ad ſacrum Altaris Miniſterium, atque ita ejus contagio ſe maculavit.

Donatiſtis, Marcellinum ac Melchiadem Romanos Pontifices de traditione & thurificatione accuſantibus, ideoque Romanam Eccleſiam ipſorum contagioſa communione maculatam atque exſtinctam blaterantibus, in litteris ad Generoſum reſpondit Sanctus Auguſtinus: *In illum ordinem Romanorum Epiſcoporum, qui ducitur ab ipſo Petro uſque ad Anaſtaſium, qui nunc eandem Cathedram ſedet, etiamſi quiſquam traditor per illa tempora ſubrepſiſſet, nihil præjudicaret Eccleſiæ & innocentibus Chriſtianis, quibus Dominus providens ait de Præpoſitis malis, Quæ dicunt facite, quæ faciunt facere nolite.* Hoc ipſum ego dico de Liberio, Felice, atque ſecundo Anaſtaſio. Eorum perſonas purgare non eſt præſentis loci. Aliud dico eſſe Romanos Pontifices, aliud Romanam Eccleſiam ac ejus Apoſtolicam Cathedram, & nequaquam illis, ſed huic ſoli donatum à Domino, ut nullo ſcabioſæ aut damnatæ communionis contagio poſſint maculari. Et hinc de Anaſtaſio diſertè dicit liber Pontificalis, quòd ſine Cardinalium Epiſcoporum & cæteri ſui Cleri conſilio, id eſt, ſine ſuæ Cathedræ aſſenſu admiſerit Photinum. Eadem eſt ratio Liberii ac Felicis. Sola in ipſis perſona propria, nequaquam Cathedra deliquit. Neque hujus delicti, ſed intruſionis cauſa Felix ab antiquis Patribus non numeratur inter Pontifices.

Intellige Rom. Pontif. ut privatos Doctores.

Rem omnem inſigniter exponunt Fauſtinus ac Marcellinus, Romanæ Eccleſiæ Presbyteri, in præfatione precum, quas exhibuerunt Theodoſio Imperatori: *Liberius Romanus Epiſcopus, & Euſebius Vercellenſis, & Lucifer Calaritanus, & Hilarius Pictavienſis* ab Imperatore Conſtantio *mittuntur in exilium pro fide ſervanda. Cum Liberio Damaſus Diaconus ejus ſe ſimulat proficiſci. Undè fugiens de itinere Romam rediit, ambitione corruptus. Sed eo die, quo Liberius ad exilium proficiſcebatur, Clerus omnis, id eſt, Preſbyteri, & Archidiaconus Felix, & ipſe Damaſus Diaconus, & cuncta Eccleſiæ officia, omnes pariter, præſente populo Romano, ſub jurejurando firmaverunt ſe vivente Liberio Pontificem alterum nullatenus habituros. Sed Clerus contra fas, quod minimè decebat, cum ſummo perjurii ſcelere, Felicem Archidiaconum ordinatum in locum Liberii ſuſceperunt. Quod factum univerſo populo diſplicuit, & ſe ab ejus proceſſione ſuſpendit. Poſt annos duos venit Romam Conſtantius, pro Liberio rogatur à populo, qui mox annuens ait: Habetis Liberium, qui qualis à vobis profectus eſt melior revertetur. Hoc autem de conſenſu ejus, quo manus perfidiæ dederat, indicabat. Tertio anno redit Liberius, cui obvians cum gaudio populus Romanus exivit, Felix notatus à Senatu vel populo, de urbe propellitur, & poſt parum temporis, impulſu Clericorum qui perjuraverant, irrumpit in urbem, & ſtationem in Julii Baſilica trans Tyberim dare præſumit. Quem omnis multitudo fidelium & Proceres de urbe iterum cum magno dedecore projecerunt. Poſt annos octo, Valentiniano & Valente Conſulibus, decimo Kalendarum Decembrium die, defunctus eſt Felix. Liberius miſericordiam fecit in Clericos qui perjuraverant, eoſque in locis propriis ſuſcepit.* Scio memoratos Presbyteros fuiſſe Schiſmaticos, & plura mentiri? verùm Felicis & ejectionem & mortem omnis Roma ſuis oculis viderat. Sepultus fuit Felix in Eccleſia Sanctorum Coſmæ & Damiani, ac ejus Sarcophagus ſub lapſi ſæculi finem fuit repertus cum hac Epigraphe: *Hic jacet corpus Sancti Felicis Papæ & Martyris, qui Conſtantium Hæreticum damnavit.* Et conſonat Romanum Martyrologium: *Romæ via Aurelia, Sancti Felicis ſecundi Papæ & Martyris, qui à Conſtantio Imperatore Ariano*

Epiſt. 165.

Jul. 29.

Ariano ob Catholicæ fidei defenſionem è Sede ſua dejectus, & Coræ in Latio occultè gladio necatus, glorioſè occubuit. De radendis hiſce, quæ cum oculato dictorum Presbyterorum teſtimonio nullatenùs conveniunt, è Martyrologio verbis ſerió actum fuit ſub Gregorii decimi tertii Pontificatu. Et adducta memorati, qui tunc inventus fuit, Sarcophagi inſcriptio perſuaſit firmanda & cuſtodienda. Et contra tanti Pontificis judicium ego nolim ſentire, longè minùs ſcribere. Interim eſt nodoſa quæſtio. Nam & Juliano Epiſcopo Celianenſi, ob defenſam pertinaciſſimè Pelagianam hæreſim, & per Romanam Eccleſiam, & per Epheſinam Synodum degradato, Diſcipuli & fautores poſuerunt hocce Epitaphium: *Hic in pace quieſcit Julianus Epiſcopus Catholicus.* Et ex ipſo quidam conati ſunt lavare iſtum Æthiopem. Quidquid ſit, certum eſt Felicem non fuiſſe legitimum Pontificem. Liberius enim nec à Deo, nec ab homine fuit degradatus.

Ex eodem fundamento noſter ſeptimus Gregorius, non pro Romani Pontificis perſona, ſed pro ſola Romana Eccleſia dictavit. Et Dictatum hunc Patres poſteriores inſigniter ac frequenter laudant. In libro adversùs Berengarium Sanctus Lanfrancus: *Incurris illud, quod Beati Doctores, ſi non eiſdem verbis, eiſdem tamen ſententiis, in multis locis concorditer adſtruxerunt, Hæreticum eſſe omnem hominem, qui à Romana & univerſali Eccleſia in fidei doctrina diſcordat.* Richerius Senonenſis Epiſcopus, quartæ Lugdunenſis Provinciæ Metropolita, Gaufredum Carnutenſem Epiſcopum, ab Urbano ſecundo degradatum violenter conabatur reparare, ideoque ad iſtum ſcripſit hujus Succeſſor Sanctus Ivo: *Contra Apoſtolicam Sedem caput erigitis, dum quod illa ædificat, vos quantum in vobis eſt deſtruitis, & quod illa deſtruxit, vos ædificare contenditis. Cujus judiciis & conſtitutionibus obviare eſt Hæreticæ pravitatis notam incurrere, cùm Scriptura dicat: Hæreticum eſſe conſtat, qui Romanæ Eccleſiæ non concordat.* Et ad Herbipolenſem Eccleſiam, Gebehardo Epiſcopo ſuo per Honorium ſecundum degradato pertinaciter adhærentem, ſcripſit Adelbertus Archiepiſcopus Moguntinus: *Noverit pro certo Dilectio veſtra, nos in ratum tenere, quod Romana ſanxit & denuntiavit auctoritas, cujus terminos nec debemus nec volumus tranſire. Quia Hæreticum eſſe conſtat, quiſquis Romanæ Eccleſiæ etiam in tam juſto judicio non concordat.* Epiſtolam unà cum aliis nuper publicavit Jacobus Gretzerus. Nec deſunt alia ejuſmodi teſtimonia.

Epiſt. 8.

Epiſt. 23.

CA-

CANON XXVII.

Quòd Pontifex à fidelitate iniquorum subjectos potest absolvere.

SCHOLION.

HEnrici quarti Imperatoris, dum ipsum excommunicavit, subditos à professæ fidelitatis Sacramento etiam absolvit noster Gregorius, atque ita quibusdam visus est naturalem & Evangelicam de non prævaricando juramento legem violasse. Istorum Princeps fuit Venericus Vercellensis Episcopus, necnon & illi, qui optimum Pontificem in Wormatiensi Conventiculo sunt conati etiam ob istam causam degradare. Quos postmodum in sua ad Paschalem secundum famosa Epistola secutus est Clerus Ecclesiæ Leodiensis. Est antiquus quorundam Græcorum Episcoporum error, qui suam Photio Constantinopolitanæ Ecclesiæ invasori factam professionem crediderunt non posse solvi, ideoque se ad Sancti Patriarchæ Ignatii communionem non posse reverti, & ad quos in octava Synodo dixit Elias Presbyter, Theodosii Patriarchæ Hierosolymitani Syncellus ac Vicarius:

Act. 6. *Sanctissimi Vicarii senioris Romæ, & nos qui reliquarum sedium Vicarii sumus, hæc omnia dissolvimus hodie gratia* JESU *Christi, qui dedit nobis summi Sacerdotis potestatem justè & congruè ligandi atque solvendi, quoniam violenter & coactè omnia facta sunt.* Quod ipsum posteà firmavit Canon nonus. Omnes Photio factas professiones solvit ac exsufflavit. Et de Romana legione, quæ Philippicum sibi ab Imperatore Mauritio jurarat nunquam in Ducem recipere, ac de Gregorio Antiochiæ Patriarcha scribit in Ecclesiastica Historia Evagrius Epiphanienſis: *Cum Gregorius Philippicum illis nominaret, quem voluit ut sibi in Ducem peterent, tum se tum reliquum universum exercitum sanctè juravisse respondent nunquam se illud facturos. Tum ille sine mora, aut ulla omninò cunctatione inquit: Episcopo concessum est, & potestas data solvendi atque ligandi in Cœlo & terra.* Et L.6.c.12. ejus judicio omnis exercitus acquievit. Hujusmodi Sacramentorum per Ecclesiam ex causis solutio est adeò antiqua. Et sanè si Reges ac Imperatores degradare valeat Ecclesia, valet & solvere facta illis Sacramenta. Unde & istud ipsum in Ludovicum Pium, Regem ac Imperatorem, fecit Ecclesia Gallicana.

Quæstio est, An solutas à se professiones Papa possit etiam reparare? Gregorius noster, dum Henricum Imperatorem ab excommunicatione ad tempus absolvit, videtur sustinuisse partem affirmativam. Verùm Saxonum Episcopi & Proceres reposuerunt: *Cum illa anathematis absolutio per Epistolam vestram nobis innotesceret, de sententia Regni, quæ in Henricum processit, nihil mutatum esse intelleximus. Sed ne nunc quidem, si mutari possit, intelligimus. Absolutio enim illa juramentorum qualiter cassari possit, nullo modo percipere valemus. Sine Sacramentorum autem observatione Regiæ dignitatis officium nequaquam administrari potest.* Quòd ipsum etiam in aliis apud Brunonem Merseburgensem exstantibus Epistolis constanter adfirmant. Adfirmant soluta per Pontificem Sacramenta non posse per ipsum resuscitari, sed opus esse, ut denuò præstentur à populo. Quæ assertio non caret fundamentis.

Gre-

Gregoriani Dictatus hostes refutantur.

GRegoriani Dictatus hostes sunt præsertim duo. Primus est Joannes Calvinus. In quarto Institutionum libro adfirmat Romano Episcopo nihil à Christo Domino, sed à solis Christianis Imperatoribus fuisse aliquid Primatus datum, & adjungit: Cap. 6. 7. *Jam verò ut Romano Pontifici concedamus hodie eminentiam illam & jurisdictionis amplitudinem, quam mediis temporibus, ut Leonis & Gregorii, habuit hæc Sedes, quid hoc ad præsentem Papatum? Nondum loquor de terreno Dominio, nec de civili potestate, de quibus posteà suo loco videbimus; sed ipsum spirituale regimen quod jactant, quid simile cùm illorum temporum consuetudine habet? Papam enim non aliter definiunt, quam summum in terris Ecclesiæ caput, & universalem totius orbis Episcopum. Ipsi verò Pontifices, cum de sua auctoritate loquuntur, magno supercilio pronuntiant penes se esse imperandi potestatem, aliis manere obediendi necessitatem. Sic sanctiones omnes suas habendas esse, quasi Divina Petri voce firmatas. Provinciales Synodos, quia Papæ non habeant præsentiam, vigore carere. Se posse de qualibet Ecclesia Clericos ordinare: Et qui alibi fuerint ordinati, eos posse ad Sedem suam vocare. Innumera ejus generis habentur in Farragine Gratiani, quæ non recenseo, ne nimis molestus sim Lectoribus, Summa tamen huc redit, penes unum Pontificem Romanum esse supremam Ecclesiasticarum omnium causarum cognitionem, sive in dijudicandis definiendisque doctrinis, sive in ferendis legibus, sive in constituenda disciplina, sive in exercendis judiciis.*

Quis non videat ab impuro homine invadi nostri Gregorii Dictatum? Non ipsum, sed Gratiani Decretum nominat: Quod istum forsan numquam vidisset. Quin & istud Decretum videtur non nisi alienis oculis, aut certè dormitando legisse. Lucet ex hisce ejus verbis: *Quin etiam eò impudentiæ venerunt Papistæ, ut Rescriptum ediderint sub nomine Anastasii Patriarchæ Constantinopolitani, in quo testatur antiquis regulis esse sancitum, ne quid vel in remotissimis Provinciis ageretur, quod non ad Romanam Sedem priùs relatum foret. Præterquam, quod vanissimum id esse constat, cui hominum credibile erit, tale Romanæ Sedis elogium ab adversario, & honoris dignitatisque æmulo profectum esse? Sed oportuit scilicet eò dementiæ ac cœcitatis provolvi istos Anti-Christos, ut omnibus sanæ mentis hominibus, qui modò oculos aperire volunt, conspicua esset ipsorum nequitia.* Anastasium istum delirat fuisse unum è Constantinopolitanis Patriarchis, qui cum Romanis Pontificibus de *Universalis Episcopi* nomine contenderunt.

De omnibus generatim hæreticis scripsit ad Discipulum Timotheum Sanctus Paulus Apostolus: Ep. 1. cap. 1. *Conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis Doctores, non intelligentes neq; quæ loquuntur, neq; de quibus adfirmant.* Hoc in se verificari Calvinus hìc insigniter demonstrat. Patrat horrendos errores. Primus est, quod ille Anastasius fuerit Patriarcha Constantinopolitanus; etenim Constantinopolitana Ecclesia nullum Anastasium habuit Patriarcham, nisi Anastasium Sancti Germani Syncellum, intrusum ab Imperatore Leone Isauro, Hæreticum Iconoclastam, Calvini Præcursorem imperitum, vario crimine maculosum. Absit ut ejus auctoritate fulciamus Romanum Primatum. Secundus error est, quod Gratianus istud Decretum adscribat huic Anastasio, aut ulli Constantinopolitano Patriarchæ. Etenim ipsum adscribit Magno Athanasio, Alexandrino Patriarchæ, Romani Primatus veracissimo & constantissimo adsertori. Tertius error est, quod Athanasius, aut etiam Anastasius istud Decretum sibi adscribat, aut nos adscribamus huic, aut isti. Ille enim, quicumque sit, personatus Scriptor adfirmat esse antiquam Ecclesiæ regulam. Quartus error est, quod ab isto Decreto credamus Romani Primatus pendere fortunas. Ipsum enim habemus in famosa Magni Athanasii ad Felicem secundum Pontificem Epistola, quam scimus & profitemur esse inter spurios Canones Isidori Mercatoris, ideoque parvi ponderis. Et ecce hæc sunt fundamenta, ex quibus sumus vanissimi, conspicuè nequam, cæci, dementes, Anti-Christi. Seducti & circumscripti à Calvino populi aperiant oculos, & videant ipsum esse maledicum ac imperitum impostorem.

Nam & alia ejus impostura est in hisce verbis: *Provinciales Synodos, quia Papæ non habeant præsentiam, vigore carere.* Etenim ad Procincialis Synodi vigorem requiri Papalem præsentiam nemo Christianæ Hierarchiæ peritus unquam somniavit; Verùm superbus & contumax Hæreticorum spiritus semper calumniatur Ecclesiam. Dumtaxat profitemur omnem Provincialem Synodum obligari ad sua de majoribus aut difficilibus negotiis Decreta aut judicia referenda Pontifici, & ipsa ante hujus confirmatorium Rescriptum non esse firma ac rata. Quantam olim Gallicana, in qua natus Calvinus, Ecclesia reverentiam detulerit Apostolicis Decretis, insigniter profitetur ejusdem Apostolus Sanctus Bonifacius: *Reverà tanta reverentia apicem Apostolicæ Sedis omnes suspiciunt, ut non nullam Sacrorum discipli-*

ſciplinam, & antiquam Chriſtianæ religionis inſtitutionem magis ab ore Præceſſoris ejus, quam à ſacris paginis & Paternis traditionibus expetant. Illius velle, illius nolle tantùm explorant, ut ad ejus arbitrium ſuam converſationem ipſi & remittant & intendant. Profitetur ex antiquo Evangelici ac Apoſtolici dogmatis Depoſito. Adeò ſeptimus noſter Gregorius non dictavit novum Evangelium. Et quod Apoſtolicæ Sedis Decreta habeant ipſiſſimam Sancti Petri auctoritatem, unanimiter clamant omnes Eccleſiæ Patres. Quare & Marcus Antonius de Dominis noſtri Gregorii Dictata impudenter ac imperitè appellat *Dicteria.* L. 4. c. 9. Ex errore, quo Apoſtolicæ Cathedræ privilegia garrit eſſe humana, ideoque & per Gregorium violenter ampliata. Ejus calumnioſa Dicteria ſuo loco exponentur. Et ipſe eſt ſecundus Gregorii hoſtis.

FINIS TOMI QUINTI.

INDEX PRIMUS,

Qui quidquid in Canonibus ac Decretis Pontificum continetur, comprehendit,

A

Abbates Monachis de victu & veſtitu provideant; nec eis proprium habere ullatenùs permittant. Pag. 25

Adulteri, incœſtuoſi, ac perjuri reſipiſcant. 58

Alleluia in Sabbatho ante Septuageſimam dimittatur. 159

Apoſtatæ à Regno Dei & Chriſtianorum conſortio excludantur. Quique eos pœnitentes recipere detrectaverint, à Communione ſuſpendantur. 138

Appellans Apoſtolicam Sedem à nemine poteſt condemnari. 298

B

Beneficia plura nemo accipiat. 136

Berengarii Catholica Profeſſio. 136

C

Canonici juxta Eccleſias ſimul manducent & dormiant, bonaque Eccleſiaſtica communiter habeant. 145

Clerici ab uxoribus abſtineant. 37

Clerici per Laicos beneficia ne accipiant. 94

Clerici Regulares juxta Eccleſiam in communi vivant. 88

Clericus Ordine ſacro initiatus, qui conjugium attentaverit, in miniſterio & beneficio Altaris ceſſabit. 136

Clericus qui militaverit, beneficium amittat. 137

Concubinarii Sacerdotis Miſſam nemo audiat. 85. 144

Concubinarius Sacerdos Miſſam ne cantet, nec hujuſmodi Diaconus Evangelium aut Epiſtolam ad Miſſam legat. 144

Conſanguineam ſuam qui cognovit aut in uxorem accepit, & non dimiſerit, uti & qui alienam rapuit, vel ſuam ſine Epiſcopi conſenſu dimiſit, anathematis vinculo innodetur. 138

Conſanguinitas uſque ad ſeptimum gradum, vel quouſque parentela cognoſci poteſt, eſt matrimonii impedimentum. 97

D

Decimæ, Primitiæ, ac oblationes fideliter Eccleſiis reddantur, atque in Epiſcoporum ſint diſpoſitione. 89

Decimarum tertia pars in Eccleſiis à Laicis fundatis, ſub Epiſcopi vel Clericorum ditione permaneat. 57

Diaconus palam concubinarius ne Evangelium nec Epiſtolam ad Miſſam legat. 144

E

Eccleſia Romana à ſolo Domino eſt fundata. 164

Eccleſia Romana numquam erravit, nec unquam errabit. 358

Eccleſiarum dedicationes per pecunias ne fiant. 21

Eccleſiæ Romanæ qui non concordat, Catholicus non habeatur. 377

Eccleſiæ ſolvant Epiſcopis vel Clericis tertium, vel Parata, &c. 43

Electio Pontificis Romani qui inſtituenda. 69

Epiſcopatum, vel Abbatiam, vel Presbyteratum nemo emat aut vendat. 24

Excommunicati à Papa ita vitandi, ut non liceat cum iis in eadem domo manere. 183

H

Hæreticos aut excommunicatos adjuvantes aut defendentes excommunicantur: Uti & qui cum illis participant. 60

L

Laici ne Clericos judicent, nec de Eccleſiis ejiciant. 97

Laici nec res nec officia Eccleſiaſtica ſibi retineant. 38

Laici nihil de ſubſtantiis defunctorum ſuſcipiant, niſi hi id antè ordinaverint. Si inteſtati objerint, ad libitum hæredum dividantur. 38

Laicus ad ſacros Ordines repentè ne promoveatur. 103

Laicus conjugatus habens concubinam, excommunicetur. 102

Laicus qui oblationes vel eleemoſynas Eccleſiæ vel tertiam Decimarum partem poſſidet aut vendit, anathemate feriatur. 137

M

Miſſam unicam in die uno celebrare Sacerdoti ſufficit. 147

Monachi abſque Abbatis voluntate Præpoſituram ne teneant. 25

Monachis Abbates de victu & veſtitu provideant. Nec eis proprium habere ullatenùs permittant. 25

Monachus adipiſcendæ Abbatiæ cauſa effectus, ad honorem illum nullatenùs accedat. ibid.

Monachus nemo fiat cum ſpe aut promiſſione, ut Abbas fiat. 95

O

Officium de Sanctiſſima Trinitate in octava Pentecoſtes ab Apoſtolica Sede reſpuitur. 156

Ordinatio Epiſcopi, Abbatis, vel Presbyteri ante annum trigeſimum ne fiat. 13

Ordinatio ſtatutis fiat temporibus. ibid.

Ordinatus à Papa alteri Eccleſiæ præeſſe poteſt, non militare. Non tamen poteſt ab alio Epiſcopo ſuperiorem gradum accipere. 232

P

Papa à nemine poteſt judicari. 279

Papæ licet, cogente neceſſitate, Epiſcopos de Sede ad Sedem tranſmutare. 228

Papæ licet Imperatores deponere. 215

Papa poteſt abſque Synodo Epiſcopos deponere ac reconciliare. 375

Papa poteſt Clericum cujuſvis Eccleſiæ ordinare. 231

Papæ ſententia à nullo alio poteſt retractari. 251

Papa unicum eſt in mundo nomen. 213

Parochus ne duas obtineat Eccleſias. 96

Pontifex Romanus in ordinatione ſanctificatur. 372

Pontifex Romanus poteſt abſentes deponere. 182

Pontifex Romanus poteſt ex cauſa à juramento fidelitatis abſolvere. 382

Pontifex Romanus ſolus jure dicitur Univerſalis. 167

Pontifex Romanus ſolus poteſt Epiſcopos deponere

vel reconciliare. 172
Pontifex Romanus ſolus uti poteſt Imperialibus inſigniis. 191
Pontifici Romano ſoli licet novas leges condere; de Canonica Abbatiam facere; Epiſcopatus dividere ac unire. 184
Pontificis Romani electio qui inſtituenda. 69
Pontificis Romani electio ſit in poteſtate Cardinalium Epiſcoporum: Accedatque Clericorum & Laicorum conſenſus. 68
Pontificis Romani Legatus, etiam inferioris gradus, in Conciliis omnibus præſit Epiſcopis. 176
Pontificis Romani ſolius nomen in Eccleſiis recitatur. 202.
Pontificis Romani ſolius pedes, omnes Principes exoſculantur. 195

R

Referri debent cauſæ majores cujuſcumque Eccleſiæ ad Apoſtolicam Sedem. Et dubiæ. 335

S

Sacerdos palam concubinarius ne Miſſam cantet 144.
Sacerdotis concubinarii Miſſam nemo audiat. 85
Sacerdotis palam concubinarii nemo Miſſam audiat. 144.
Scripturæ ſacræ nullus liber habeatur Canonicus abſque Papæ auctoritate. 248
Simonia damnatur in Conciliis, ſub Nicolao II. 104. 130. 134. 135. *Item ſub Alexandro II.* 143
Simoniacè nemo ordinetur, nec ad Eccleſiaſticum officium promoveatur. 97
Simoniacè ordinans degradetur. 12
Simoniacè ordinatus nullum habeat fructum dignitatis & ordinis. ibid.
Subditis licet, licentia Romani Pontificis, Superiores accuſare. 373
Synodus nulla abſque Papæ Præcepto eſt generalis. 234.

INDEX SECUNDUS,

Qui res atque Doctrinas memorabiles, in Notis ac Scholiis hoc Tomo pertractatas, complectitur.

A

Abbates ex ambitione promoti, vitam vivunt ſæculari deteriorem. *Pag.* 26. 1
Abbatis electio, qui Monachum induit, ut Abbas fieret, eſt irrita. Eligi debet in eodem ordine profeſſus. 96. 1
Abbates olim fuere Laici. Cœperunt ordinari ſub initium quarti ſæculi. 13. 1. Sunt Presbyteris digniores. In antiquis Synodis Græcorum habuere ſuffragium. 14. 2. Potuerunt ex Decreto ſeptimæ Synodi Lectores ordinare. 13. 1. Eugenius III. ſanxit, ne quis niſi Presbyter aut Diaconus in Abbatem eligatur. 14. 1. Subdiaconum poſſe in Abbatem aſſumi permiſit Innocentius III. ibid. Concilium Viennenſe ſub Clemente V. ſtatuit neminem poſſe, niſi Presbyterum, in Priorem promoveri, adeoque nec in Abbatem. 14. 2.
Abbatiæ à Clericis frequenter invaſæ: Immo & Laicis datæ in Commendam. 95. 2
Abbatis nomen ſemper magnum fuit in Eccleſia. Eſt Syriacum, ſignificans Patrem. 14. 2. In Abbate ætas virilis, ſenectuti proxima, requiſita. 15. 1
Accuſare ſe digniorem ſeu Superiorem in Clero olim vetitum. 373. 1. jam abiit in deſuetudinem. 374. 1. 2
Adulterium etiam hæreticis horrori fuit. 58. 1
Idololatriæ comparatur. Eſt etiam quædam avaritia: A principibus quondam gladio punitum. 59. 1. Eſt Sacrilegium ac parricidium. ibid. 2
Adulteris olim denegata abſolutio. 58. 1
Albedo vera eſt in Euchariſtia: Album tamen nec videtur, nec tangitur, nec frangitur. 109. 2
Alcuinus non eſt auctor libri de Officiis Eccleſiaſticis. 211. 1
Alexander II. fuit Nicolai II. ſucceſſor. Schiſmaticus Cadalous poſtmodo electus. 140. 1. Epiſcopi Longobardi Pontificem prætendebant, qui illis uxores permitteret & Simoniam. 140. 2
Factio Romana & Longobardica electionem Alexandri criminati. Exiſtimabant conſenſum Regium eſſe neceſſarium. 141. 1. Cadalous vi & pecuniis in Thronum S. Petri intruſus ibid. Alexander in Sede Apoſtolica confirmatus. ibid. Cadalous ſe numquam Papatu abdicavit. Miſerè exſtinctus. 141. 2. Alexander ſedit annis undecim.
Synodi ab eo coactæ latent aut perierunt. 146. 2
Alleluja Hymnus habet auctorem Aggæum Prophetam. A Synagoga acceptum Apoſtoli in Eccleſiam derivarunt. 159. 2. Significat *Laudate Dominum.* 160. 1. Eſt vox hebraica, nec vel ab hæreticis in aliam linguam translata. ibid. Nec licet transferre, ob varias rationes. 160. 2. & ſeqq. Quadrageſimæ non convenit 162. 1. Poſt Graduale cur canatur. 163. 2. Græci Latinos reprehendunt, quod à Septuageſima uſque ad Paſcha Alleluja prætermittant. ibid. Angelus Pſalmos & Alleluja Ægypti Monachos cantare docuit. 159. 2. Angelus auditus eſt, immo turbæ multæ canentes *Alleluja*. ibid. Eſt cantus Monachis admodum familiaris. 160. 1
Altare unicum apud Græcos exſtat in quavis Eccleſia. 147 2 In quo unicum quotidie oblatum Sacrificium. 151. 1. 2. Etiam olim in Eccleſia Latina. 153. 1. Altarium multitudo in una Eccleſia eſt quatuor ſæculis anterior. 153.
Amalphitanum Concilium ſub Nicolao II. coactum, ut Apulia & Calabria à Græcorum ſchiſmate expurgaretur, & Epiſcopus Amalphitanus reſtitueretur. 119. 1
Ambroſiaſter eſt Hilarus, ad ſchiſma delapſus. 171. 2
Amen & Alleluja in aliam linguam transferre non licet: Plures afferuntur rationes. 160. 2

Andegavenſe Concilium ſub Nicolao II. coactum anno 1060. Præſuit Stephanus Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis. Finis Decretorum Nicolai II. per Galliam executio. 129. 1
Anglia feudali jure Pontifici ſubjicitur. 221. 1
Apoſtatæ pœnitentes recipiendi. 138. 1. 2. Non tamen priſtino Officio debent reſtitui. 138. 1. Etiam impœnitentes quærendi, & ad pœnitentiam excitandi. 139. 1
Appellantes varii Sanctam Sedem, reſtituti. 275. 2. & ſeqq.
Appellari poteſt à Synodis Provincialibus ad Romanum Pontificem. Petrus de Marca ſentiens oppoſitum fusè refutatur. 299. 1. & ſeqq. Varii hac de re ejuſdem errores aperiuntur, ac refelluntur. 302. 1. & ſeqq. Appellationes Romanas Synodus Sardicenſis non inſtituit, ſed conſuetas confirmavit. ibid. appellationum Romanarum hoſtes vetuſtiores. 298. 1. Fundamenta Petri de Marca pro inappellabili Provincialium Synodorum auctoritate afferuntur & convelluntur. 304. 1. & ſeqq.
Appellarunt Græcorum Epiſcopi Romanum Pontificem: A quo ſolo per Synodum damnati, ſunt abſoluti. 264. 1. & ſeqq. S. Athanaſii damnatio, appellatio, & abſolutio exponitur. 265. 2. Epiſcopis per Synodum damnatis licet Pontificem appellare: Atque appellatio illa effectum ſententiæ ſuſpendit. 266. 1. appellatio ad Romanam Synodum eſt ad Sedem Apoſtolicam. 266. 2
Appellatio à Pontifice ad generale Concilium frequenter facta. 253. 1. & ſeqq. Hæc appellatio in Eccleſia ſemper malè oluit. 255. 2. & ſeqq. Illi non ineſt ſuſpenſivus effectus 256. 2. Hujuſmodi appellatio Pontificem non ſtatuit reū, ſed Judicem relinquit. Nec eſt vera appellatio 258. 1. Nec juris eſt remedium, ſed gratiæ beneficium. ibid. poteſt ab Acephala Synodo univerſali ad Pontificem appellari: Adversùs Launojum. 259. 1. & ſeqq. appellavit Pontificem Theodoretus. 260. 1. Uti & Euſebius Doryleenſis 260. 2. Domnus Patriarcha Antiochenus 261. 1. Flavianus, Euſebius, ac Theodoretus per ſolum Leonem, non per generalem Synodum reſtituti. 262. 1. Appellatio in Synodis non tantum ſcripto, ſed etiam voce peracta. 263. 1
Appellatio Maximi Cynici Epiſcopi CP. exponitur. 266. 2. Quæ Launojo minimè favet. 267. 1. Eſtque à S. Damaſo acceptata, & cauſa cum finitimis Epiſcopis retractata. 268. 1
Appellationis ſuſcipiendæ auctoritas eſt character ſuperioritatis. Reſidet in Romano Pontifice: Ad quem etiam à Concilio generali licet appellare. 278. 2. Papale jus admittendi appellationes eſt perſpicuum. 277. 2. Græci nonnulli autumāt jus Papale Conſtantinopolim migraſſe. 278. 1. Alii cenſent vel Romanum vel Conſtantinopolitanum Epiſcopum poſſe appellari. ibid. Canon 9. & 17. Synodi Chalcedonenſis exponitur. 278. 2.
Appellatio Romana S. Athanaſii denuo examinatur, atque in ea errores Petri de Marca obſervantur. 314. 2. & ſeqq. Alia pro eo adducta exempla nihil probant. 322. 1. & ſeqq. Cyrillus Hieroſolymitanus Conſtantinum Imperatorem omniū primus, at perperam, appellavit. 323. 1. Appellatio Romana non tantum licet in materia fidei, ſed etiam quoad Canones de Eccleſiaſtica diſciplina: Adversùs Petrū de Marca. 329. 1. & ſeqq.
Appellatio S. Chryſoſtomi fuit in cauſa diſciplinæ Eccleſiaſticæ. 331. 1. Qui ab Innocentio I. reſtitutus. 332. 1. Fuitq; hoc judicium à toto Oriente admiſſum. ibid. Nomen S. Joannis in Dyticha relatum. 334. 1. Eumque Conſtantinopolitani agnovere legitimè reparatum. ibid. 2.
Appellatio S. Joannis Chryſoſtomi exponitur: Quæ Launojo nil patrocinatur. 268. 2. & ſeqq. S. Chryſoſtomus non recto modo appellavit, ſed ab aliis compulſus. 271. 1. Iniqua in S. Joannem ſententia à ſolo Innocentio Papa caſſata. ibid. & ſeqq. Innocentius I. hanc Chryſoſtomi cauſam voluit, at non debuit, in œcumenica Synodo retractari, cur. 275. 2. Injectum S. Chryſoſtomo vinculum erat dubium. 274. 1. & ſeqq. Adeoque nec Mediolanenſis nec Aquilejenſis potuit diſſolvere. ibid.
Aquiſgranenſis Synodi fragmentum apocryphum eſt. 89. 2
Aranea in calicem illapſa ſumi non debet. 3. 2
Archidiaconum Archipresbytero anteponi eſt vetuſtum. 130. 1. 131. 2. Archidiaconus eſt Diaconorum Primas. 131. 1. Erat primus ab Epiſcopo, poteratque etiam Presbyteros excommunicare. 131. 2. Adversùs Archidiaconorum faſtum varia ab Epiſcopis excogitata antidota. 132. 1. Sex Diaconi crucigeri Conſtantinopoli etiam Presbyteris prælati. 133. 1. Archidiaconi quibuſdam in locis ſunt extincti. 134. 1. 2
Archonticon officium non pendet à nudo Epiſcopi placito. 133. 2
Auctor in Conciliis præſidem cum ſuffragii prærogativa deſignat. 177. 2
S. Auguſtinus cum Baptiſmo Monachatum ſuſcepit. 34. 1. S. Antonii Inſtitutum in Italiam portavit. ibid. fuit S. Benedicto exemplum. ibid.
Vide *Regula S. Auguſtini.*
Auſtriaci Reges coronæ clauſuram retinuerunt, & cruce inſignitum globum aſſumpſerunt. Cur? 9. 2

B

Bella horrida inter Godefridum II. Lotharingiæ Ducem & Henricum III. Imperatorem. 65. 1.
S. Benedicti regula. 32. 2
Vide *Regula.*
Beneficia Eccleſiaſtica à Toparchis in ſuam utilitatem redacta, ſibi aut ſuis filiis tradendo in Commendam. 38. 1
Beneficiorum, etiam Epiſcopatuum, Simoniacè collatorum ad Sedem Apoſtolicam devolutio eſt antiquiſſima. 135. 1. Beneficiorum pluralitas, peſtis eſt ſæpius reſurgens. 136. 1. 2
Beneventanum Concilium ſub Nicolao II. anno 1059. coactum; in quo finita cauſa eſt inter Abbatem S. Vincentii & Albertum Monachum. 120. 1.
Berengarius Catholicam fidem profeſſus, Scotum, à quo fuerat ſeductus, ac libros proprios igni exuſſit. 107. 1. 2. In Concilio Romano nil diſputavit; ſed relapſus Humbertum inſectatur. 108. 2. Primus inter hæreticos in Eccleſiam Romanam calumnias evomuit. 109. 1. Negavit

vit panem & vinum tranſubſtantiari. Item Corpus Chriſti frangi ac dentibus atteri. ibid.
Berengarius in Synodo Florentina ſub Victore II. condemnatus. 4.1. Uti & in Synodo Turonenſi. 6. 1. Et haud dubiè in Colonienſi. 65.2
Bona defunctorum Epiſcoporum à Clericis direpta. 82.2. Etiam apud Latinos. 83. 1. Hæc rapacitas apud Gallos eſt pervetuſta. 83.2. In Hiſpaniis excluſa. 83. 1. Etiam Italos invaſit. 84.1. A Nicolao II. damnata, non extincta. ibid. Defuncto Pontifice Romana plebs olim palatium expilabat. 82. 1. 2. Quod rigidè vetatur. 82. 2
Bona Eccleſiaſtica per Epiſcopum adminiſtrata. 44. 1. formam adminiſtrandi ac diſpenſandi Apoſtoli, eorumque ſucceſſores è Romano Imperio mutuati. 44.2. Pleræque Eccleſiæ omnem proventum in quatuor diviſertnt portiones 48.2.49.2 51.1. ejus diviſionis auctor ignoratur. 49.1. Eccleſia Hiſpanica in tres dumtaxat partes diviſit. ibid. & 51.1. quidquid Epiſcopo, Clero ac fabricæ ſupereſt, debetur pauperibus. 49.2. omnium Presbyterorum non fuit æqualis portio. 50. 1.2. Clerici in communi viventes ſolo victu & amictu debebant eſſe contenti: Reſiduum pauperibus erogatum. 50.2. Nonnulli Epiſcopi totam pagenſium Eccleſiarum ſubſtantiam ſibi arrogabant. 51.1. Tertia pars Fabricæ, etiam in Hiſpaniis ceſſit Clero, ſed cum onere reparandi Baſilicas. 52. 2. Quamvis illic pauperes ſpecialem non habuerint partem, minimè tamen neglecti. 52.2. Eccleſia Gallicana nullam Eccleſiaſticę ſubſtantię diviſionem admiſit. 52.2. & ſeq. Germani in quadripartitionem conſenſerunt. 55.1. Eccleſia Africana hanc diviſionem ſemper ignoravit. 55.2. Quadripartitio in Occidentali Imperio variè læſa. 56.1. Alia in Eccleſia Veronenſi diviſio. ibid. Tertia pars per Canonem decimum Concilii Tholoſani, Epiſcopis tribuitur. 56. 2
Bona fœneratorum poſt mortem ad fiſcum pertinent. 43.2. Bona eorum qui inteſtati ſine conſanguineis moriuntur, ad Principem ſolent devolvi. 43. 1
Bona Romanę Eccleſię Nortmanni Nicolao II. reſtituerunt, quibus Apulia & Calabria conceſſa, & Sicilia in feudum data. 118. 1. & ſeqq.
Bonis Chriſtianorum gentile Principes inhiarunt, ideoque in illos non rarò excitata perſecutio. 40.1. Chriſtiani Principes nonnulli etiam rapinis pluſnimio addicti. 42. 2. & ſeqq.
Bruxellis à Lamberto Comite Bruxellenſi anno 1047. Baſilica Divæ Gudilæ ſacra extruitur, ejus corpus eodem transfertur, ac Capitulum inſtituitur. 65. 1

C

CAdalous Schiſmaticus, vide *Alexander* II.
Calvini errores ac impoſturæ circa Primatum Romanum deteguntur. 383. 1
Canones Antiocheni nulla pollent auctoritate. 301. 1. 349. 1.
Canones Arabici non ſunt Nicæni, tamen antiqui. 130. 1
Canones non poſſe à Pontifice novos condi nonnulli cenſuere videntur. 86. 2. Canon decimus tertius Concilii Romani ſub Nicolao II. quamvis occaſio multi mali, eſt ſanctiſſimus, atque ex antiquis excerptus. 85. 2. & ſeqq.
Canon octavus Dictatus, licet ſpuriam Conſtantini donationem reſpiciat, nihil tamen devii aſſeverat. 194. 2
Canonici ſæculares ſeu ſingulares poſt Carolum Calvum, ejuſq; filium Ludovicū cęperunt. 89.1.2
Canonicorum ſæcularium vita culpanda non eſt. 146. 1.
Cantiones impuræ, peſſima eſt populi peſtis. Ab iis etiam elementa corrumpuntur. 160. 1
Cantus Gregorianus & officium ab Eccleſia Romana commendatur. 67.2
Capuanæ Synodi præfuit Syricius Papa, non Ambroſius. 241.2. & ſeqq.
Caſtimonia Iſaaci Comneni Imperatoris, ac Ludovici VII. Regis Galliæ. 59. 2
Cathedra differt ab Epiſcopo, uti & Eccleſia. 358.1. Cathedra Romana quatuor modis accipitur. 358.2. Cathedra Romana in Dictatu eſt Pontifex Romanus cum conſiſtorio Cardinalium, vel cum Provinciali Synodo. 359.1. hæc cathedra eſt infallibilis, eamq; infallibilitatem tuetur Eccleſia Africana. 359.2. & ſeqq. Atque etiam Gallicana. 361. 1. & ſeqq. Objectiones ſolvuntur. 362. 1. & ſeqq.
Cathedram Romanam in dogmate eſſe infallibilem agnovit Orientalis Eccleſia. 367.1. & ſeqq. Etiam ipſi Eccleſiæ adverſarii. 368.1.2. & ſeqq. Infallibilitatem ac Primatum ejus Michael Cerularius impugnavit. 370.1. Nec admiſit Nicolaus Cabaſilas. 370.1.2. Qui in multis labitur. 371.1. Quam ſententiam Græci ſchiſmatici amplectuntur. ibid. Contrariam Catholici. 371.2. Cathedra ſeu Eccleſia Romana nullo communionis contagio fuit maculata. 380.2
Cella quid ſignificet. 121.1. & ſeqq. Dicitur à celando. A cella Syncellus. 121.2. Vulgatius hic ſignificat Præpoſituram ſeu Prioratum, qui ſit Monaſterio appendix. 122. 1. Cellarum origo eſt S. Benedicto vetuſtior. 123.1. Cellæ & Abbatiæ bona erant diſtincta. 124.1. Non poterat Abbas Cellarum proventus in Abbatiam tranſcribere 124.2. & ſeqq. Prima cellarum origo. 127.1. Cellæ in Abbatias excreverunt. ibid. Unio cellarum cum Abbatiis ad Epiſcopum pertinet. 128.1. Cellas immo & Abbatias Reges perperam invaſerunt. ibid.
Cerei divinitus accenſi, vide *ignis*.
Cerei Paſchalis benedictio à Zozymo introducta. 116.2
Clavium poteſtas duplex, Hierarchica & cooperatrix. 296.2. Claves Hierarchicas ſenſit S. Auguſtinus ſoli Petro collatas. 297.1. Clavem cooperatricem cœtui juſtorum adſcribit. 293.2.295.1
Clericalis incontinentiæ cauſa eſt cum mulieribus habitatio, quamobrem Clerici ad vitam cōmunem per varios Pontifices adducti. 145.1. Quæ vita commendatur. 145.2. 146.1. Et in Orientē tranſivit. 146. 1. Et in Hyberniam. ibid.
Clerici publici concubinarii officia divina vitanda. 144. 2
Clericis tertia pars Decimarum in Eccleſiis pagenſibus permittitur in ſervitium Eccleſiæ, id eſt, ad fabricam. 58.1
Clericis uſum uxoris Eccleſia Latina numquam permiſit. 86.2
Clericorum avaritia anſam præbuit hæreticis Purgatorium ac ſuffragia pro defunctis calumniandi. 91.2
Clericorum connubia, poſt aliorum Pontificum decreta, Gregorius VII. extirpavit. 136.2
Clericos militares Michael Cerularius objecit: Quam fœditatem Canon 7. Concilii Andegavenſis conatur eradicare. 137.1
Clericum alieni Cardinis non poteſt Epiſcopus ordinare. 232.2. Clerici Romani non poterant inviti ad alias Eccleſias tranſmitti. Poterant aliis præeſſe, non militare. 233.1. Poterant à Papa ordinati, non in Eccleſiæ Romanæ Cardinem, ab eadem dimitti: Non tamen ab alio ad altiorem ordinem promoveri. ibid.2
Clerus omnis & Epiſcopi à Ludovico Pio ad clauſtralem vitam compulſi. 89. 2. Avitam illam ſanctimoniam in Italia S. Romualdus reparavit, proſecutus Leo IX. ac Victor II. complere ſtuduit Nicolaus II. ibid.
Cœna recta quid? 45.1
Comites olim erant civitatum Præfecti; Duces, Provinciarum. 65.1
Communio Sanctorum in Sacramentis cooperatur. 294.1. Eſt fœcunda mater quæ generat juſtos, ac Chriſti cohæredes. ibid. Omnes juſti in Sacramentorum collatione cooperantur. 295.1. Nullus iniquus ſic tribuit remiſſionem peccatorum. Ex quo Joannes Hus in errorem prolapſus. 296.1 Communio Sanctorum non tātum ad effectum, ſed etiam ad valorem Sacramenti requiritur. 296.2. De hac cooperatione S. Auguſtinus pro ſuo tempore liberius eſt locutus. 297.1
Communionis perfectio eſt jus percipiendæ Euchariſtiæ. 202.1
Compagi, id eſt, calcei ornati. 200.1. Compagos geſtant Pontifex Romanus & Epiſcopi in Miſſa ſolemni. 200.2
Concilium, Vide *Synodus*.
Concubinæ & ſubintroductæ mulieres ſunt diverſæ. 87.2
Concubinarius Presbyter ab omni Officio ac beneficio ſuſpenditur. ibid.
Concubinatus eſt adulterio gravior. In Regibus abominabile flagitium. A Deo acriter punitur. 103. 1
Confirmatio per Pōtificem eſt Synodis œcumenicis neceſſaria. 347.1. Eandem Synodi illæ poſtularunt & impetrarunt. 346.1. & ſeqq. Synodus Nicæna per S. Sylveſtrum confirmata. 347.1. Quod alii Pontifices imitati. ibid.2. Confirmationem poſtulavit VI. VII. VIII. Synodus. 349.1. Canones citra Apoſtolicā Legationem, aut Relationem, aut confirmationem, de re ad univerſā ſpectante Eccleſiam, infirmi ſunt ac caduci. ibid.2. Joannes Launojus exiſtimat Synodos generales non debere à Pontifice confirmationem expectare. 345. 1
Conjugia incœſtuoſa per Normanniam & Franciā graſſata. 58.1. In meritum ſalutaris obedientiæ Canone 12. Tholoſano vetantur. 60. 2
Conſanguinitas eſt impedimentum Matrimonii dirimens, olim ad ſeptimum, hodie ad quartum gradum extenſa. 97. 2. & ſeqq.
Conſanguinitatis gradus non uno modo conſtituitur. 158.2
Conſecratio panis olim per laicum facta, ſed via extraordinaria. 291. 2
Conſtantinianæ donationis inſtrumentum ſpurium ac fictitium. & ſeqq.
Conſulibus Romanis jus erat relationis ſeu propoſitionis. 71. 2. Iiſdem itidem jus erat ſuper negotio principale ferre ſuffragium. 72. 1
Continentia ante Gregorium VII. Clericis ultramontanis impoſita. 37. 1
Convocatio Synodi Romano Pontifici convenit. 246. 2. & ſeqq.
Coronandi poteſtatem in Pontifice, ipſi Auguſti agnoverunt. 220. 1
Coronam Regiā primus Hormiſda accepit. 191.2. Secundā Bonifacius VIII. tertiā Urbanus V. 193.1
Corpus Chriſti propriè dicitur ſumi: Accidentia verò propriè frangi vel tangi. 109. 2

D

DEcimæ olim erant voluntariæ. 92.2. Conſtantinus Magnus jus Decimarum Eccleſię impertitus. 93.1. Cujus lex ubique non obtinuit, ſed tandē ab univerſa penè recepta eſt Eccleſia. ibid.
Decretales Epiſtolæ ex Iſiodori Mercatoris collectione, non ſunt germanæ, ab Eccleſia Romana nihilominus receptæ. 175. 2
Decreta Sedis Apoſtolicæ per brachium ſæculare ſuſpendi, novum non eſt, ſed iniquum. 332.2. & ſeqq. Decretis Apoſtolicis Martianus vim legis dedit. 345. 2
Dedicatio Eccleſiarum ab ipſo Chriſto facta exiſtimatur. Eſt certò antiquiſſima. 22.1. Ejus effectus. ibid. Summa cū celebritate peracta. 22.2. Ac largę in ea eleemoſynę pauperibus erogatę. ib.
Defenſoris Eccleſiaſtici Officium olim Clericis, dein laicis etiam permiſſum: Ejus nundinatio crimen eſt, non tamen Simonia. 130. 1
Definire, Vide *Synodum œcumenicam*.
Degradandi Imperatores & Reges poteſtas in Romano Pontifice reſidet, quam non pauci denegarunt. 215.1. & ſeqq. Hanc poteſtatem Eccleſia Romana agnovit. 219.2. Item Otto IV. & Germanicum Imperium. 220. 1. Uti & Fredericus II. aliique Reges. ibid. Obſtitere hæretici quidā. 220. 2. Quibus Innocentius IV. fratres Mendicantes oppoſuit. ibid.
Degradare Romanum Pontificem ſola jam hæreſis poteſt. 281.2. Concilium Wormatienſe Gregorium VII. degradare attentavit: quod Canone 19. dictatus percellitur. 279.1. Quiſquis olim ſacros Ordines fœdaſſet, ipſo facto erat degradatus. 280.2. Synodus Baſileenſis auſa Eugenium IV. degradare, patenter exceſſit. 282.2
Degradari in Africa Epiſcopus non potuit ſine duodecim Epiſcoporum conventu. 375.1. Alibi potuit per pauciores. 375. 2. Poteſt Romanus Pontifex ſine Synodo, ac ſine hujuſmodi Epiſcoporū conventu Epiſcopos degradare. 376. 1.
Degradati Imperatores à Pontificibus. Henricus IV. à Gregorio VII. 215.1. Fredericus I. ab Alexandro III. 219.1. Fredericus II. ab Innocentio IV. 220.1. Ludovicus IV. à Joanne XXII. 220.2
Degradatio Epiſcoporum eſt in manu Pontificis, etiam

etiam abſque Synodi aſſiſtentia. 172. 1. Synodus Provincialis olim potuit Epiſcopos deponere ac reconciliare. ibid. Potuit & proprium degradare Metropolitam. ibid. & ſeqq. Patriarchæ & Autocephali Primates ſine Romani Pontificis cõſenſu nequeunt degradari 174. 1. & ſeqq. Synodi Provinciales Epiſcopos degradarunt uſque ad VIII. ſæculum. 175. 2. A tempore Hincmari Remenſis nequiit in Galliis ſine Pontificis conſenſu fieri Epiſcoporum degradatio. ibid. Epiſcoporum degradationem Metropolitis diu permiſerunt Romani Pontifices; Patriarchis Nicolaus I. 176. 2.

Degradatio indirecta in Epiſcopis per impoſitionem manus pœnitentialis. 224. 1. in Regibus per publicam pœnitentiam. ibid. 2. & per tonſuram. 227. 1. 2.

Degradati Reges à Pontificibus. Philippus Pulcher Galliæ Rex à Bonifacio VIII. 221. 1. Joannes Angliæ Rex ab Innocentio III. 222. 2.

Degradato Ludovico IV. fratres Auguſtiniani maſculè reſtiterunt. 220. 2.

Diaconi Presbyteris ſe prætulerunt. 131. 1. in Eccleſia CP. Presbyteros anteceſſere. ibid.

Dictatus Gregorii VII. à Patribus poſterioribus egregiè commendatur. 381. 1. Ejus infenſi hoſtes præcipui ſunt Calvinus & Marcus Antonius de Dominis. 383. 1. & ſeqq.

Diſpenſatio prima matrimonialis impedimenti facta à Nicolao II. 110. 2. In ſecundo ſanguinis gradu diſpenſavit Martinus V. ibid. Eccleſia hac in re fuit admodum moroſa. ibid. In ſecundo gradu hodie non diſpenſatur niſi inter Magnates & ex publica cauſa. ibid. Heraclius Imperator, primus inter Chriſtianos, at infeliciter, neptem ſuam duxit uxorem. 111. 1. Græci in diſpenſando difficillimi. ibid. 2. Occaſio diſpenſandi inter Guilielmi Normandiæ Ducem & Mathildim Flandrenſem enarratur. ibid. Ex quo matrimonio infelices liberi ac nepotes. 112. 1

Dices olim erant Provinciarum Præfecti; Comites; civitatum. 65. 1

Duellantes excommunicantur, ac omni Dominio ab Eccleſia exuunt, etiam Reges. 237. 2

Dypticha erant pugillares tabulæ, promoti Officialis nomen continentes. 45. 1

Dypticha ſunt tabulæ, quarum una vivorum altera continebat nomina mortuorum. 202. 2

E

Eccleſia differt ab Epiſcopo, uti & cathedra. 358. 1. Eccleſia Romana quatuor modis accipitur. 358. 2. atque etiam cathedra. 359. 1. vide *cathedra*.

Eccleſiæ in duas olim diviſæ partes: interior dicta ſacrarium, Chorus, Presbyterium, ſacrum tribunal, &c. 88. 1. 2. in ea ſoli ſedebant cum Epiſcopo Presbyteri. Græci juſtè queruntur non ſolum Laicos ſed & fœminas ſub divino officio ad Chorum admitti. ibid.

Eccleſia latina ex tribus dumtaxat linguis officia divina vult conflari: quamvis in aliis divinæ laudes decantentur. 161. 1

Eccleſia Romana in fide eſt immobilis. 379. 2. & ſeqq. nullus Orthodoxus eſt à Romanæ Eccleſiæ communione alienus. 377. 1. & ſeqq.

Eccleſiaſticæ rei proprietas ad Laicos non pertinet: 135. 1. Adeoq; per ipſos fieri nequit alienatio. Res ſacroſanctæ vendi non poſſunt. 136. 1

Eccleſiarum conſecratio. 21. 1. 2

Vide *dedicatio Eccleſiarum*.

Electio Epiſcoporum populo non permittitur, ſed penes Epiſcopos eſt judicium, id eſt deciſivus calculus, penes populum & clerum, ſuffragium. 71. 1. Auctoritas eligendi Epiſcopum ad clerum & populum aliquando traducta: quam Epiſcopis reſtituere ſtuduerunt variæ Synodi. ibid. Primæva eligendorum Epiſcoporum forma à Deo tradita & per Apoſtolos in Eccleſiam traducta. 70. 2. In electione Pontificis Epiſcopis Cardinalibus tribuitur principale judicium, Clero aſſenſus, populo applauſus. 71. 2. Cardinales Clerici calculo deciſivo non privantur. 72. 1. alia referuntur quæ ad Pontificis electionem pertinent. 73. 1. 2. Tempore Innocentii II. populus à Pontificis electione omnino excluſus. 74. 1. Epiſcopus ex gremio Eccleſiæ eligatur, oportet. 74. 1. 2. Pontifex verò ex Cardinalibus Presbyteris aut Diaconis, non ex Epiſcopis. 75. 1

Electio Nicolai II. fuit Canonica, ſed plus æquo laicæ poteſtati ſubjecta. 106. 2. Electio Joannis Wincii, qui appellatus Benedictus, nulla & irrita. 105. 2. & ſeqq.

Electione Pontificis primus Imperator ſe immiſcuit Conſtantius. 75. 1. Alii ſecuti. ibid. 2. Alii referuntur Imperatores, qui ſe quoquo modo in Electionem aut confirmationem Pontificis ingeſſerunt. 76. 1. & ſeqq. Alii nil ſibi juris agnovere. ibid. & ſeqq.

Electores in Imperio à Gregorio V. inſtituti. 222. 1.

Electus Eccleſiæ Romanæ ante conſecrationem ſeu inthronizationem olim non gubernavit; quod poſtmodo mutatum. 81. 2

Electus Imperii Romani dicitur Rex Romanorũ; poſt Pontificis unctionem & coronationem Auguſtus ac Imperator. 80. 2. Cæſar idem quod Rex Romanorum. ibid.

Emptio ac venditio Epiſcopatuum, quæ aliquando frequens fuit, ut Simoniaca damnata. 24. 2

Epiſcopalis dignitas divinam inter & humanam naturam media. 194. 2

Epiſcopatus à Principibus empti: Ideoque & ordinationes & Officia Eccleſiaſtica ab Epiſcopis vendita. 97. 1

Epiſcopi in conſecratione Eccleſiarum exactiones attentarunt, quæ à Conciliis & Pontificibus interdictæ. 23. 1. Poteſt Epiſcopus alienã conſecrãs Eccleſiã, moderatas exigere procurationes. ib. 2.

Epiſcopi ſuos, ſi quos habent, alant ſuffraganeos. 23. 2.

Epiſcoporum translatio Vide *Translatio*.

Epiſcopum è Subdiaconis eligi permiſit Urbanus II. 14. 1

Epiſcopus ante trigeſimum ætatis annum non poteſt conſecrari. 15. 1

Epiſcopus univerſalis jure appellatur Romanus Pontifex. 169. 1. SS. Leo & Gregorius hoc nomen recuſarunt. ibid. Pontifices dixerunt ſe Epiſcopos Eccleſiæ Catholicæ. 169. 2. Item Epiſcopos ſine addito. 170. 1. Idem eſt Epiſcopus Catholicæ Eccleſiæ Urbis Romæ, & Epiſcopus Catholicæ

Catholicæ Eccleſiæ. 170. 2. Joannes II. Epiſcopus CP. ejuſque immediati ſucceſſores hunc titulum aſſumpſerunt. 167. 1. Ex vanitate non ex ſchiſmate. 168. 1. Epiſcopi CP. dicti univerſales reſpectu ſuæ diœceſeos. 168. 2. Photius Schiſmaticus ſe univerſalem nuncupavit reſpectu totius mundi. Ejus ſucceſſores errorem, non titulum depoſuere. ibid. Michael Cerularius errorem reforbuit. Canone II. Dictatus caſtigatur. 169. 1

Epiſtolæ Felicis ad Gregorium & contra, ſunt ſpuriæ. 99. 2

Erectio Epiſcopatuum ad Principes non ſpectat. 188. 1. Reges quidam Barbari unà cum Epiſcopis cęperunt Epiſcopatus erigere; quod tamen ab Eccleſia minimè toleratum. ibid. 2. Regius conſenſus ab Epiſcopis paſſim admiſſus: Eo tamen Pontifici non eſt opus. 189. 1. & ſeqq.

Evangelia quo tempore & ordine à Græcis in Miſſa legantur. 158. 1

Euchariſtia Vide *Albedo*. Item *Corpus Chriſti*.

Evocandi Epiſcopos, etiam ex Oriente Romam, Canones Sardicenſes Pontifici Romano tribuunt poteſtatem. 326. 2. quod idem fatetur Euſebiana factio. 327. 1

Euſebiana factio Synodos Patriarchales ſenſit inappellabiles. 329. 1. Contrarium exiſtimavit Orientalis Eccleſia. ibid. & ſeqq. S. Athanaſii reparationem Euſebiana factio recuſavit. 333. 2

Excommunicati in eadem domo non recipiantur, oportet. 183. 2. Peregrini tamen excommunicati videntur poſſe hoſpitio recipi. ibid. Poterant Galli Venetorum excommunicatorum navibus in terram ſanctam avehi. 184. 1

Excommunicatus olim etiam ab Eccleſiæ limitibus excluſus. 138. 2

F

Felix non fuit legitimus Pontifex. 381. 1

Fœminæ, immò Laici ſub divino Officio perperam ad Chorum admittuntur. 88. 2

Florentina Synodus ſub Victore II. coacta fuit plenaria. Finis eſt extirpatio Simoniæ & fornicationis. 3. 2

Funeralia jura olim dicta oblationes quia abſque exactione offerebantur. 94. 1

G

Galliæ Regnum olim Romano ſubfuit Imperio. 7. 2. & ſeqq. Gallia vigente Imperio Romano, fuit Sedi Apoſtolicæ obedientiſſima. 326. 2. Romanæ appellationes ac evocationes, quando in Gallia fuerint uſitatæ. 326. 2. Gallicanæ relationes ad Apoſtolicam Sedem ac evocationes fuerunt frequentiſſimæ. 328. 2

Guido Aretinus eſt auctor Micrologi. 211. 2. Qui mirum in modum muſicam docuit. ibid. Alterum ſub eadem inſcriptione edidit. ibid.

H

Hæretici, etiam ab inferioribus, poſſunt judicari. 175. 2

Hæretici vitandi. 60. 1. & ſeqq. ab Eccleſia ſunt ſecluſi. 62. 1. Cum iis communicantes (etiam Romanus Põtifex) maculantur. 62. 2. Hæretici plerique cum omnibus paſſim communicant. ibid. & ſeqq. In Communione cum hæreticis datur Locus diſpenſationi ac Epikyæ. 64. 1. Canone 13. Tholoſano præcipitur ut Berengariani tamquam Hæretici devitentur. 64. 1

Hæreditates nonnulli Reges invaſerunt. 41. 1. & ſeqq. Leodii Patre familias defuncto, Epiſcopus optimum ſibi pignus arrogavit. Idem factitarunt Epiſcopi Conſtantienſes, aliique. 42. 2

Hilarii Arelatenſis violentia exponitur: 328. 1. Quem tandem pœnituit exceſſus ac prævaricationis Canonum. ibid.

Hildebrandi Concilium Lugdunenſe. 10. 1

Hildebrandus Leoni IX. à Conſiliis, dein Gregorius VII. dictus. 2. 1. Sub Victore II. Subdiaconus à Nicolao II. promotus in Cardinalem. 6. 2. Per Hildebrandum Legatum Apoſtolicum coacta Turonenſis Synodus. cur? 7. 1

Hiſpaniam juſſit Victor II. Concilio Tholoſano obtemperare. 12. 1

Hiſpaniarum Reges nonnumquam Imperatores appellati. 7. 1. 2. 9. 1

Eorumdem plena ab Imperio libertas. 10. 2

I

Jejunium eſt ex traditione Apoſtolica, determinatio dierum ex Lege Patrum. 5. 1

Jejuniũ quatuor temporum perantiquum eſt. 4. 1. 2. Veriſimiliter per S. Sylveſtrũ lege præceptum. 5. 1

Ignis olim in Eccleſia Hieroſolymitana circa Sepulchrum Domini cœlitus immiſſus: Ex quo lampades & cerei divinitus accenſi. 64. 1. & ſeqq. Complura hac de re miracula recenſentur. 115. 2. & ſeqq. Prioribus ſæculis miraculum hoc non eſt patratum. 116. 1. Miraculum ceſſavit ejectis è terra Sancta Latinis. 116. 2. Schiſmatici hodie ignem è cilice eliciunt, eundemque populo pro cœleſti venditant. 117. 1. Ex dicto miraculo, novi ignis excitatio ac benedictio in vigilia Paſchæ emanavit. 116. 2

Impedimenta Matrimonii etiam à Principibus Laicis ſtatuta. 98. 2

Impedimentum Matrimonii dirimens eſt conſanguinitas, olim ad ſeptimum gradum, hodie ad quartum extenſa. 97. 1. & ſeqq. 158. 1

Imperatores degradati. Vide *Degradati Imperatores*.

Imperator & Rex ſubinde pro eodem accipiuntur. 10. 1

Imperator Hiſpaniæ, Sancius voluit appellari. 7. 2. Hic titulus fuit Ferdinando ſuſpenſus, ſed ab Alphonſo VII. iterum aſſumptus. 9. 2. In quo Paſchalis II. diſſimulavit. ibid.

Imperatoris titulus non ſemper fuit Auguſtus. 10. 1

Imperium Carolus Magnus accepit à Leone III. quam ob rem plus Pontifex poteſt in Imperium, quàm in alia ſuprema Regna. 222. 1

Judicii Eccleſiaſtici formula. 182. 2. Epiſcopus abſens condemnari non poteſt. Ad quod tamen Pontifex non adſtringitur, quippe qui abſentes poteſt condemnare. 274. 2

Judicium primum de novo dogmate ad Sedem ſpectat Apoſtolicam. 6. 2

Judicium Sedis Apoſtolicæ à nemine poteſt retractari. 241. 2. 252. 1. & ſeqq.

Jus patronatus antiquis ignotum. Prima rudimenta S. Athanaſius agnoviſſe videtur. 94. 1 Dein Concilia quædam, ac S. Gregorius. 94. 2 Apud Hiſpanos aliquando ad hæredes non tranſiit. ibid. Patroni Laici Clericos ſubinde invito Epiſcopo perperam intruſerunt. 95. 2

Lai-

L

Laicorum non eſt de oblationibus, decimis &c. diſponere. 137. 1
Lateranenſe Palatium unde dictum? 192. 1. Etiam Appellatur ædes Fauſtæ. ibid. 2
Launojus ſentit Pontificem Romanum Eccleſiæ ſubeſſe. 173. 1. Refutatur. 172. 1. Ejuſdem de jure præſidendi & convocandi Synodos doctrina enervatur. 240. 2. & ſeqq. Conatur exemplis à Bellarmino adductis de appellatione, facere ſatis, ſed irrito conatu. 259. 2. Nonnulli ejuſdem errores deteguntur. 262. 1. Complures alii errores refutantur. 263. 1. Synodum Baſileenſem extollit, Florentinam deprimit. 283. 1. Pontificem Concilio, etiam non œcumenico perperam ſubjicit. ibid. Refellitur. 286. 2. & ſeqq. exponitur palmare ejus fundamentum, ex quo exiſtimat Pontificem generali Concilio ſubjectum. 289. 2 & ſeqq. S. Officium contumelioſe infectatur. 342. 1. Exiſtimat Synodos generales non debere à Pontifice confirmationem expectare. 345. 1 Contrarium adſtruitur. 347. 1. & ſeqq. Cenſet itidem generalem Synodum ſine Pontifice poſſe de fide definire. 350. 1. Contraria veritas adſtruitur. ibid. & ſeqq. Ejuſdem dicteria in S. R. E. Cardinales. 352. 1
Legatus Papæ in omni generali Concilio omnibus præfuit Epiſcopis. 177. 1. Etiam in Conciliis Provincialibus. 178. 1. Nonnulli perperam contradixere. ibid. Etiam Petrus de Marca, qui ſentit Legatos non poſſe à Papa in Provincias mitti, niſi Principes conſentiant. Verum oppoſitum meritò dictavit Gregorius VII. 179. 1. Afri Legatis Romanis præſidentiam in Synodis non recuſarunt. ibid. Legati Romani in Concilio Arelatenſi ex conniventia S. Sylveſtri non præſederunt. 180. 2. illis tamen præſidentia debebatur. ibid. Hoſius Concilio Sardicenſi præfuit. 181. 1. Præſides Concilii Epheſini declarantur. Item VI. Synodi. 181. 2. Legati aliqui ad Synodos non fuere Præſides. ibid. Legati ſuffragium, totius Synodi ſuffragio æquivalebat. ibid. Legati Romani frequeter Epiſcopos degradarunt. 182. 1
Leo IX. obiit Anno 1054. die 19. Aprilis. Ejus decreta in Synodo Turonenſi innovata ac firmata. 102. Atque etiam ejuſdem adversùs Berengarium ſtatuta. ibid. Uti ſimiliter in Concilio Lugdunenſi. 11. 1
Liberius Papa non fuit hæreticus. 160. 1
Liber nullus Canonicus eſt ſine Papæ auctoritate. 248. 1. & ſeqq. Epiſtola ad Hebræos non ſemper fuit Canonica. 249. 1. hodie non licet id abnegare. ibid. 2. Liber Apocalypſis ſimiliter non ſemper fuit, ſed modò eſt Canonicus. 249. 2. Solus Canon Librorum Sacræ Scripturæ Romanus univerſalem obtinet auctoritatem. 250. 1
Lorum in Pontificis ornatu, quid? 192. 2. & ſeqq.

M

Manſiones erant hoſpitia unius diei itinere diſtantia. 57. 1. 2. Manſio etiam metatum appellata. 57. 2
Marca. Vide *Petrus de Marca*.
Matrimonium extra legitimum tempus contractũ, fuit aliquando ſubſtantialiter nullum. 21. 2
Miraculum illuſtre adversùs Simoniacam labem. 11. 1. Aliaque adverſus Arianos. 11. 2
Miſſæ binæ à Sacerdotibus olim quotidie celebratæ, quod poſtea apud Græcos deſiit. 147. 1. Unicam in eadem domo celebrari S. Franciſcus præcepit. ibid. 2. S. Leo II. eodem die ſepties aut novies celebravit. 148. 1. in Anglia circa annum 838. Presbyteri duas dixerunt Miſſas. ibid. In Natali Domini hodie tres dicuntur Miſſæ: Quid ſignificent. ibid. Olim in Reſurrectione Domini dicebantur duæ quarum prima jam Sabbatho ſancto legitur: uti & ante Pentecoſten. 148. 2. Dictæ item tres Miſſæ in Feſto S. Joannis Baptiſtæ, una in vigilia, duæ ipſo Feſto. 149. 1. Duæ, concurrente duplici feſtivitate. ibid. 2. Ritum ſæpius in die celebrandi contraxit Leo IV. Bis celebrare permittens præſente cadavere. 150. 1. Sacrificium alibi ſemel, alibi bis, alibi ter, alibi quater ab eodem oblatum. 151. 1. Unicum apud Græcos in unaquaque Eccleſia oblatum Sacrificium. ibid. & ſeqq. qui ritus in Eccleſia Latina etiam diu viguit. 152. 2. Miſſæ privatæ à ſectariis impugnantur. Olim fuerunt uſitatæ, ſed rariores. 153. 2. Alibi tamen fuerunt quotidianæ. 155. 2. quotidiana Miſſæ celebratio eſt antiquiſſima, fuitque ſemper frequentiſſima. 156. 1. 2. Illico ab egreſſu animæ oblatum olim Sacrificium, etiam à meridie, & à non jejunis. 149. 1. Quotidiana Miſſæ celebratio omnibus non convenit. 154. 2.
Monachi ad Pontificatum evecti, habitum Monachalem retinuere. 2. 1. Ad regimen animarum nequeunt aſſumi. 127. 2. Clauſtrales, obedientarii, qui? 36. 2. Quidam cellas perpetuas à Romano Pontifice flagitarunt. 37. 1. 2. Quæ gratię ſubreptitiæ ſunt ac paupertati adverſæ. 37. 1. 2. Non poſſunt Monachis nec Regularibus bona ſtabilia concedi, nec in uſum fructum, nec in uſum &c. ibid. Monachi exempti tenentur Epiſcopi nomen recitare. 212. 2. Monachi præſtantiſſimi ſæculo undecimo prodiere, ac novi exorti Ordines, Ciſtercienſis, Carthuſienſis, Præmonſtratenſis, &c. 31. 1. nec licet Monachis nummos tradere, ut ex iis ſeu de victu, ſeu de veſtitu ſibi proſpiciant. 30. 2. Ab omni ambitione ſint alieni oportet. 96. 2
Monachus qui fit, adipiſcendæ Abbatiæ cauſa, eſt Simoniacus. 25. 1. 96. 1
Monaſteria in Gallia exſtant S. Benedicto antiquiora. 31. 1. Uti pauperes, poſſunt de quarta parte Eccleſiaſticæ ſubſtantiæ participare. 135. 1
Monaſtica vita eſt Apoſtolica ad paucos contracta diſciplina, reſumpta à S. Antonio, dein à SS. Baſilio, Auguſtino ac Benedicto. 26. 1. Hujus vitæ primum fundamentum eſt plena temporalium communio. ibid. 2. S. Antonii inſtitutum primus in Europam adduxit S. Athanaſius, in Galliam S. Martinus, In Belgium S. Victricius, In Africam S. Auguſtinus. 27. 1. In Sardiniam S. Fulgentius, &c. ibid. Vide *Regula*.

N

Neophyti in ſtatu Clericali ab Arianis ad Epiſcopatum frequenter promoti, quod ab Eccleſia ſæpius damnatum. 103. 1
Neophytorum tres ſpecies. 16. 1. Neophytorum Hæreſis quæ. ibid. 2. 103. 1
Nominatio Regia ac inveſtitura in Gallia emi ſolita. 99. 1
Notorium crimen deſcribitur. 144. 2

O

Oblationes fidelium jam pridem in Eccleſia uſitatæ. 90. 1. Non rarò à Laicis ſunt direptæ. ibid. Etiam pro defunctis ſunt longè antiquiſſimæ. 91. 1. Oblatio primitiarum ſimiliter eſt antiquiſſima. 91. 2. & ſeqq.
Officium de Sanctiſſima Trinitate, ab Eccleſia Romana olim repudiatum, per Carolum Magnum in Gallias invectum. 156. 2. Atque unà ceptum eſt Symbolum in Eccleſia decantari. 157. 1. Feſtum verò ab Eccleſia Romana non admiſſum. ibid. 2. Etiam ad alias gentes profecit. 157. 1. Græcis eſt ignotum. 158. 1. Illis in Octava Pentecoſtes eſt Feſtum omnium Sanctorum. 157. 2
Orare pro Regibus pervetuſtum eſt. 202. 2
Ordinare poteſt Pontifex Clericos & Epiſcopos cujuſvis Eccleſiæ: uti & ordinavit. 232. 1
Ordinati olim ſunt pueri, etiam Epiſcopi. 16. 1. & ſeqq. Ordinatio puerorum, neophytorum hæreſis appellata. ibid. 2. Super ætate ordinandorum crebrò eſt diſpenſatum. 18. 2. & ſeqq. Ante ætatem & quidem abſens Phædimus eſt ordinatus, poterat olim quivis Epiſcopus ſuper ætate ordinandorum diſpenſare. 19. 1. Canon II. Concilii Tholoſani permittit ſuper ætate ordinandorum diſpenſari. Quo caſu? ibid. 2. Varia fuit ad ordinationem ætas requiſita. 20. 2. Hodierna forma à Synodo Tridentina emanavit. 21. 1. Ordinatio extra ſtatuta tempora, collata declaratur irrita, ſed quoad executionem dumtaxat. 21. 2
Ordinatio Epiſcopi ante trigeſimum ætatis annum nequit fieri: nec Presbyteri apud Græcos ante trigeſimum, nec Diaconi ante vigeſimum quintum, quod idem in Gallia obſervatum. 15. 2. 20. 1
Ordinatio per Simoniacos gratis facta à Nicolao II. & Alexandro II. habetur valida: non tamen ut fidei Canon definitur. 144. 1
Oſcula pedum ſunt antiquiſſima. 195. 2. Tum apud Ethnicos Imperatores, tum apud Chriſtianos. 196. 1. Oſcula manuum ac pedum apud Turcas uſitata. 195. 1. Hæretici moderni pedum oſcula Turcis non recuſant: Pontifici tamen Romano impenſa, idololatriæ inſimulant. 196. 2. Epiſcopi Imperatorum manus exoſculati. 197. 1. quam reverentiam poſteriores Græcorum Imperatores retinuerunt. ibid. 2. Proceres ad oſculum pedum Imperatoris obſtringebantur: ſolus junior Imperator exemptus. 198. 2. Regiorum pedum oſculum eſt mos Perſicus. 199. 1. Quod etiam non pauci Latini & Græci exegerunt. ibid. 2. Imperatores pedes Pontificis deoſculati. 200. 2. Fideles olim omni Epiſcopo pedem deoſculabantur, quod nunc ſoli Pontifici reſervatum. 201. 1. Græci Metropolitæ oſculum pedis Eugenio IV. recuſarunt. ibid. Cui juri Eugenius pacis ergò ceſſit. 201. 2. Quæ Græcorum tergiverſatio caruit omni fundamento. 202. 1

P

Pallium variè accipitur. 194. 1. Pallii per Reges ab Imperatore poſtulatio, eſt evidens ſubjectionis character. 8. 1
Papa nomen eſt Nicæna Synodo vetuſtius. 213. 2 Tribuitur multis, ſed peculiariter Pontifici Romano. 214. 1. Per nomen Papa virtus & poteſtas intelligitur. 215. 1. Papa eſt totius Eccleſiæ Rector. 171. 2. Vide *Pontifex*.
Parata eſt debitum ac paratum Hoſpitium. Vox illa non eſt Barbara. 57. 2
Parochiales Eccleſiæ ad Monaſteria translatæ. 135. 1. Parochiales Eccleſiæ quomodo ad Abbates devenerint. 126. 2
Parochus unicam dumtaxat obtineat Eccleſiam. 96. 1. 2. Sæpe id violatum, ac ſæpe reparatũ. 96. 2
Patronatus. Vide *Jus Patronatus*.
Patroni Laici, uti Clericos ſua auctoritate in Eccleſias Parochiales intrudebant, ita & ejiciebant. 97. 2
Patriarchæ legitimi tantùm tres ſunt. 213. 1. Balſamon circa hanc rem variè hallucinatur. ibid. Patriarchæ omnes dicti Papæ: quod nomen ſoli Pontifici Romano nunc debetur. 215. 1. Patriarchæ ſoli poſſunt Epiſcopatus unire ac dividere.
Paupertas religioſa ab Apoſtolis traxit originem. 26. 1. Eſt Monaſticæ vitæ fundamentum. 27. 1 Eſt ardua virtus, à multis promiſſa, à paucis ſervata. 28. 1
Perjurium exhorruerunt Gentiles Romani: Secus Manichęi, Priſcillianiſtę, atque etiam quondam Galli. 59. 2. Idem malum apud Anglos graſſatum. 60. 1. Perjuri divinitus percuſſi. ibid.
Petrus de Marca exiſtimat non poſſe à Papa Legatos in Provincias mitti, niſi Principes conſentiant, verum oppoſitum meritò dictavit Gregorius VII. 178. 2. Petrus de Marca contendit Synodos Provinciales eſſe inappellabiles. 299. 1 & ſeqq. Plures ejuſdem errores hac de re aperiuntur ac refelluntur. 302. 1. & ſeqq. Alii quoque ejuſdem errores confutantur. 306. 2. & ſeqq. item 322. 1. & ſeqq. Petrus de Marca docet à Synodis Provincialibus in materia fidei poſſe Pontificem appellari, ſecùs quoad Canones de Eccleſiaſtica diſciplina: 329. 1. Oppoſitum adſtruitur, & probatur. ibid. & ſeqq.
Phrygium id eſt mitra ſeu tiara Epiſcopalis, cui aureus circulus Phrygio opere eſt circumjectus. 192. 2.
Pittacium id eſt codicillus. 133. 2
Pontifex poteſt novos Canones generales condere. 186. 1. Poteſtque generalium Synodorum Canonibus alios addere. ibid. 2. Poteſt id Pontifex ſolus, id eſt ſine generali Concilio. 187. 1 Utitur quidem Cardinalium Conſilio. ibid. Eorum tamen conſenſu non eſt opus. 187. 2
Pontifex poteſt ſine Regis ac Epiſcopi conſenſu Epiſcopatus erigere: Immò per Romani Patriarchatus Dioœceſes id ſibi ſoli reſervavit. 190. 2
Pontificis ornatus enarratur. 191. 2. & ſeqq.
Pontifex Romanus peculiariter appellatur Papa: Epiſcopi Alexandrinus & Antiochenus, Patriarchæ: Conſtantinopolitanus & Hieroſolomitanus, Archiepiſcopi. 204. 1
Pontifex Romanus in Synodo generali jus habet relationis & ſuffragii prærogativam. 236. 2. Et ſententiam auctoritativam. 237. 1. Sine qua Synodus nulla eſt. ibid. & ſeqq.
Pontifex Romanus in Concilio generali jus habet præſidendi & convocandi, adversùs Joannem Launojum. 240. 2. & ſeqq. Pontificis Romani ſuffragium,

ſuffragium,totius prævalet Synodi ſuffragio. Illud ſi deeſt,omnes Canones ſunt caduci. 239.1

Pontifex non poteſt per Synodum invitus judicari aut degradari. 258.2. Pontifice ſola Synodus non eſt major. ibid. Sed Papa eſt Synodo generali ſuperior. 262.2

Pontifex Romanus Concilio Primitiali non ſubjicitur.263 2.264.1. Pontifex à nemine judicatur.283.2. & ſeqq. item 281.2. & ſeqq. Joannes Gerſon primus non docuit Papam eſſe Concilio inferiorem. 280. 1. Synodus œcumenica ad Patriarchalem jam contracta eſt; ac proinde ſubeſt Pontifici: neque de illo poteſt judicare. 282.2. Pontifex eſt Concilio ſuperior.286.2. & ſeqq. item 345. 2. S. Damaſus Synodo non ſe ſubjecit. 287. 1. Synodus Romanus Pontifici pleno jure ſubjacet. 288. 2. Manifeſtè intruſus Pontifex, à Synodo fortè poteſt, immò verò à Collegio Cardinalium extrudi: ſecùs ſi dubia ſit intruſio. 289. 1. Exponitur palmare fundamentum ex quo Launojus Romanum Pontificem credit generali Concilio ſubjectum.289.2. & ſeqq.

Pontifex Romanus quod Epiſcoporum appellationes poſſit admittere, Synodorum judicia reformare,ac damnatos Epiſcopos reparare,habet ab ipſo Chriſti Evangelio. 332. 2. Pontificis Romani infallibilitas S. Auguſtino non fuit dubia. 366. 1

Pontifex Romanus in confecratione ſingulariter ſanctificatur. 372.1. Pontifex poteſt ex cauſa à juramento fidelitatis Principi præſtito, abſolvere. 382. 1. Veriſimiliùs jam abſolutos denuò ligare nequit. ibid. Vide *Cathedra*.

Prædia Eccleſiæ ad emendam prælaturam vendi prohibetur. 4. 1

Præpoſitus frequenter idem quòd Prior, ſubindè tamen idem quod Vicarius,ac etiam idem quod Procurator.35.2. 36.1. Præpoſitus non rarò dicitur qui conventiculo extra Abbatiam præeſt. 36. 2.

Presbyterium id eſt jura ſtolæ.58 2. Presbyteri ut quater in anno celebrent, Canones præcipiunt. 154.1. Neomyſtæ ſeptem non interpolatis diebus. Nec primitiæ diu differendæ. ibid.Presbytero bis eodem die licet offerre,ut duplici Parochiæ, cui præeſt, fiat ſatis. 149. 1

Primatus Eccleſiæ Romanæ à Chriſto eſt.165.1.2 Quem quidam negant hæretici. ibid. S. Petrus primus Epiſcopus Romæ ſedit, ejuſque claves ex divina ordinatione ad ſucceſſores tranſierunt.165.2.166.1. Euſebiana Arianorum factio primùm hanc veritatem arietavit.ibid.Primatus Sedi Romanæ jure divino annectitur. ibid. 2. Cardinalis Cuſanus contrà ſentiens. ibid. Confutatur.ibid.Primatum Eccleſiæ Orientales quidam Epiſcopi Schiſmatici, Romano Pontifici negavere.169.1. Synodus II. nil ſtatuit Romano primatui adverſum.170.1.Primatus Pontificis ex delatione dubiæ cauſæ Martiani ad Pontificem,mirum in modum commendatur.176.2

Priores, uti Abbates, ſolemniter ab Epiſcopo benedicti. 35.2

Proprietas peſtis eſt ac ruina Monaſteriorum. 27.2.29.1. Proprietarius occultus eſt manifeſto apoſtata nequior. 27.2. In carentia proprii ſummus Pontifex non poteſt Religioſo diſpenſare. 27.1.Vel minimum poſſidere ut proprium,Monacho eſt admodum pernicioſum.27.2.28.1.In proprietatis vitium diſciplina Monaſtica acriter animadvertit. 28. 1.2. Proprietatis vitium è Caſſinenſi Monaſterio Stephanus X.penè extirpavit. 69.1

Proprietariorum tres ſunt claſſes. Sunt in ſterquilinio ſepeliendi.28.2. Vitalitia reſervata penſio paupertati Religioſæ adverſatur. Exinde plurima oriuntur mala. 29.1

Pueri olim ordinati. 16.1. Per Simoniam in Eccleſiaſticum regimen intruſi. 17.2. Quem abuſum varii tentarunt abolere. 18. 1. Quem tandem Concilium Tridentinum extinxit. ibid. Vide *Ordinatio*.

Punitio Laici ſi ſit excommunicatio: Clerici erit degradatio. Ratio. 37. 1.2. Crimen horrendum utraque caſtigatur. ibid.

Purgatorium in Hybernia auctorem habet Patritium Abbatem, non autem Apoſtolum. 89. 1

R

Recitatio nominis in Miſſa, præcipua eſt communioni ſpecies.203.1. Quam proindè Græci ſchimatici Papæ recuſabant.ibid.Hac de re Baluzii errores confutantur. 294. 1. & ſeqq. Recitatio hæc nominis eſt Apoſtolicum Inſtitutum: cœpitque à Baptiſmo Conſtantini: nec ceſſavit lacerato per Barbaros Imperio. 205.1 Recitatio hæc eſt una ex Imperialibus dignitatibus: atque adeò nec Regibus competit. Hinc lapſus Petri de Marca.205.2. Nomen Regis in ſolo Canone cœpit recitari. 206.1. Regii nominis recitatio eſt profeſſio obedientię.206.2. Quam ob rem Petrus de Marca ſuam poteſtatem exceſſit, dum recitationem Regis alibi quàm in Canone præcepit. 205. 2. Excommunicati nomen,uti & pœnitentis nequit ad Altare recitari. 206. 1. Recitationis illius dignitas. ibid. 2 Nomina mortuorum mala fama laborantium è dyptichis eraſa.207.1. Nomen Patriarchæ,Metropolitæ, & Epiſcopi recitatum: etiam Papæ. 207.2.& ſeqq.Patriarchales Eccleſiæ non ſolius proprii ſed omnium quinque Patriarcharum nomina è dyptichis recitabant. 209.1. Immò & Metropolitarum ac aliorum Epiſcoporum. 209.2.Patriarchæ Epiſcopos ſibi ſubjectos non recitarunt:nec Pontifex Patriarchas.210.1.Senſus Canonis decimi dictatus eſt,ſolius Papę nomen ubique, præſertim in Patriarchatu Romano recitatur.ibid. Ordo recitationis nominum. 210. 2. Nominum recitatio in Eccleſia Latina ceſſavit. 212. 1. Nomen Papæ & Epiſcopi jam pridem in Canone recitari conſuevit, etiam Imperatoris. ibid.

Reges ab Epiſcopis correpti & excommunicati. 223.1. Nunc à ſolo Romano Pontifice poſſunt excommunicari. ibid.2. Reges à temporali Jure Eccleſiæ Romanæ independentes, indirectè dumtaxat poſſunt degradari. 224.1. Reges degradati. Vide *degradati Reges*.

Reges interdum, ſed perperam, appellati Auguſti. 10.2

Regula Sancti Auguſtini primitus viris conſcripta.

…pta.34.1. Fuit Sancto Benedicto exemplum. ib. Sanctus Gaudioſus Sancti Auguſtini Inſtitutum deduxit in Italiam. ibid. Quodvultdeus Epiſcopus Carthaginenſis Neapoli Monaſterium conſtruxit. 34. 2. Sanctus Donatus Regulam Sancti Auguſtini per Hiſpaniam propagavit. ibid.

Regula Sancti Benedicti Antonomaſticos dicta *Regula, ſancta Regula*.32.2. Ac *Ordo, ſanctus Ordo*. 33.2. Sanctus Gregorius, qui ſub hac Regula militavit, omnes Monachos in Anglia, eandem juſſit amplecti. 31.1. Uti & in Italia. ibid. Fuit itidem in Gallia multum extenſa, per Sanctum Bonifacium reſtaurata.ibid.2.Ac per Concilia. 32.2. Tandem in Gallia fuit univerſalis. 33.1. Uti & in Sardinia, Corſica, aliiſque adjacentibus Italiæ Inſulis. 34.1. Fuitque etiam à tota admiſſa Hiſpania. 35.1

Regula Sancti Columbani à Sancti Benedicti, additamento dumtaxat diſcernitur. 31. 2. Uti & Cluniacenſis, Ciſtercienſis, ac Cæleſtina. 32.1

Regulares Canonici in Gallia Regulam Sancti Auguſtini non habuerunt, neque exactè fuerunt pauperes.146.1.2. Alexander II. Papa Regulam Sancti Auguſtini, inſtante Sancto Petro Damiani, invexit. 146.2

Regulares Clerici ex Gallia in Hiberniam tranſmiſſi à Patritio Abbate, qui Auctor eſt Purgatorii, vixitque ſub ſæculo nono. 89. 1. Auctor Regularis Clericorum vitæ fuit Sanctus Rigobertus. ibid. Regulares Clerici ad Regimen animarum aſſumi poſſunt, ſecùs Monachi. 127.2

Relatio in Jure Romano duplex.335.1. Eſt character ſuperioritatis. Omnes ad Apoſtolicam Sedem tenentur referre. ibid.2. Synodi generales, & Patriarchales ſine relatione ſunt caducæ.ibid. Relatio illa perantiqua eſt.336.1.Synodi Occidentales & Orientales ſemper ad Pontificem retulerunt. 336.2. In relatione ſervandus ordo. ibid. & ſeq. Referri debent cauſæ majores dumtaxat.338.1. Cauſæ majores referendæ recenſentur.ibid.& ſeq. Etiam cauſæ dubiæ & difficiles ad Pontificem referendæ. 340.1. Relatio habet omnes appellationis effectus. 341. 2.

Religioſi pro obedientia erga ſanctam Sedem paſſi perſecutionem. 257. 1

Rex & Imperator pro eodem ſubinde accipiuntur. 10.1

Romanum Concilium ſub Alexandro II. anno 1063. coactum, pro Nicolai II. Canonum executione. 142. 2

S

Sacramenta ab Hæreticis collata, rata quidem ſunt, ſed illicitè ſuſcipiuntur. 85.2. Sacramenta neceſſitatis etiam ab Hæretico poſſunt ſuſcipi. 87.1. Sacramenta à palam Simoniacis collata non pauci cenſuerunt eſſe nulla. 144.1.2

Sacrificii è cœlo incenſio, ejuſdem eſt à Deo acceptatio. Gentiles id ſemper affectarunt. 112.1

Simonia tempore Victoris II. graſſata in Gallia,& Flandria. Simoniaci degradati. Simoniacè ordinati ad Laicos dejecti: Atque Ordo irritus quoad executionem. 13.1. 105.1. & ſeq.

Sportula erat diſtributus in populum nummus. 45.1. Item, inferioribus amicis è menſa ſubmiſſum ferculum. 45.1.2. Cœpit deinde eſſe nummus aureus vel argenteus. 45. 2. Sportulæ ad pauperes miſſæ. Etiamnum non rarò mittuntur. 46.1

Sportula Clericorum erat certa alimenti ab Epiſcopo accepta menſura. 45. 2. Differt à ſalario. 46.1. Sportulæ ac menſurnæ Clericorum diviſiones in medio perſecutionum æſtu fuere modicæ.ibid.2. Etiam diviſio Epiſcopalis ac Sportula.47.1. Vide *bona Eccleſiaſtica*.

Stephanus X.antè Monachus & Abbas Caſſinēſis, Succeſſor Victoris II.66.1.Aliquot coegit Concilia.ibid.2. Expleto ejus Decreto,ut nempe ante adventum Hildebrandi nemo eligeretur Papa, ſucceſſit Nicolaus II.67.1. Abbatiam Caſſinenſem cum Papatu retinuit. ibid.

Stephanus Proto-martyr fuit Archidiaconus Hieroſolymitanus. 131.1

Superioris judicio, ſi ſit dubium, non parere,inobedientia eſt.274. 1. Prælati ſententia, etiam injuſta, eſt timenda. 274.1

Symboli CP. additamenta, quomodo facta.351.1 Videntur à Sancto Leone primùm confirmata. 352. 2. Symbolum eſt & cum additamentis à Sancto Leone confirmatum. 353. 1

Synodus dicitur generalis, non ab objecto, ſed à conventu. 234.1. Congregatio quinque Patriarcharum cum ſubjectis Epiſcopis ad univerſalem Eccleſiæ cauſam, eſt generalis Synodus. In unico Romano Patriarchatu ſervari poteſt. 234.2. In pleriſque Synodis generalibus non adfuerunt omnes Patriarchæ, ſed eorum Legati. In Tridentino Concilio nullus Epiſcopus extra Patriarchatum Romanum adfuit. 235.1 Nec in Baſileenſi; adeoque hoc non eſt ſupra Patriarcham Romanum.235.2. Synodus generalis legitimè inchoata, interveniente Pontificis morte, à novo debet ratificari.353.1. Conſtantienſis legitimè fuit inchoata. ibid.Concilii generalis Canones & acta,quibus Pontifex contradicit,caduca ſunt & nulla.353.2. Concilium nil poteſt ſine Papæ ſuffragio judicare. 354. 1 Synodus Generalis ſine auctoritate Pontificis de fide non poteſt definire.350.1.& ſeqq. Joannes Launojus confutatur, ejuſque argumenta in oppoſitum ſolvuntur. ibid. & ſeqq. Synodum œcumenicam ſine Romani Pontificis auctoritate de dogmaticis quæſtionibus nihil poſſe definire, eſt antiquus Gallicanæ Eccleſiæ ſenſus. 354.1. & ſeqq. Ne vel ipſe S. Paulus potuit ſine aſſenſu S.Petri dogmaticas fidei quæſtiones definire.356. 2. Nec proinde alii Apoſtoli.357. 1 S. Petrus dixit primum cum prærogativa ſuffragium. ibid. & ſeqq.

Synodi Provinciales de cauſis fidei conferre, diſſerere poſſunt, at non definire.344.2. nec habent de diſciplina Eccleſiæ univerſali, nec de pace Eccleſiæ ſtabilienda judicium definitivum. ibid. Metropolitæ cauſas fidei nec audire nec definire poſſunt, ſine Patriarchæ auctoritate. 342. 1. & ſeqq.

Synodus Patriarchalis generalis ſine Patriarchæ Præcepto nequit congregari: nec plenè univerſalis ſine Romani Pontificis.235.2. & ſeqq. Ad Synodi indictionem ſolius Papæ conſenſu opus eſt:

est: Non autem aliorum Patriarcharum. 240. 1
Si vocati Patriarchæ nec veniant, nec Legatum nec litteras mittant, ex Patriarchatu Romano coacta Synodus, est œcumenica. ibid. 2. Synodum generalem posse ab alio quam à Pontifice cogi, nonnulli sentiunt, sed erroneum est. 238. 2. & seqq. Græci nonnulli jus convocandi Romano Pontifici attribuunt. 240. 1.
Synodus II. nihil statuit Romano Primatui adversum. 308. 1. Ex parte dumtaxat legitimè est confirmata. 307. 1. Græci ut hanc Synodum efficerent œcumenicam, finxerunt S. Damasi Pontificis præsentiam. 309. 2. Fuit à S. Damaso indicta. 310. 1. Ante Pontificis confirmationem infirmæ fuit auctoritatis. 352. 1

T

TEstandi ac legandi variæ sunt Principum leges. 38. 1. 2. Jus adeundæ hæreditatis nonnulli Principes sibi arrogarunt. 39. 1. 2 Quod alii noluerunt. ibid. 2. Vide *hæreditas*.
Tholosanum Concilium sub Victore II. anno 1056. Ad exstirpandam Simoniam coactum. Tres Archiepiscopi Legati præfuerunt: Octodecim Episcopi interfuerunt, 13. 1.
Tonsura reddebat hominem regni incapacem. 227. 1. Cæsariem alere nobiles ac milites consueverunt. 225. 2. Etiam inter gentiles. 226. 1 Promissi capilli Regibus Galliæ usitati, non tamen solis. Tonsura illa, uti & pœnitentia publica, abiit in desuetudinem: Potestas tamen in Episcopis non est exstincta. 228. 1
Tonsura Clericalis ac Monachalis fiebat per Episcopos tamquam per Judices. 227. 2. S. Petrus attonsus fuit, ex quo origo Tonsuræ Clericalis. 226. 1
Translatio seu transmigratio Episcopi ex una ad aliam sedem ab Ecclesia Latina interdicta. Formosus, primus fuit Pontifex, ab alio Episcopatu translatus. 228. 1. Alii non pauci postea translati: Quod tamen non nisi auctoritate Apostolicæ Sedis, atque ex necessitate fieri potest. 228. 2. Papalis consensus necessitatis est Innocentio III. antiquior. 229. 1. Potestatem transferendi pro suo Patriarchatu Gregorius VII. sibi reservat, aliis Patriarchis nil volens præjudicatum. ibid. 2. Transferri non possunt inviti. 230. 1. Translationes vetari rogarunt in Concilio Tridentino S. Thomas à Villa-nova, & Cardinalis Seripandus. ibid. Græci etiam Schismatici Episcoporum translationes aversati. 230. 2. & seq.
Trinitas. Vide *Officium de Sanctissima Trinitate*.
Tunica fuit olim varia. 194. 1. Christus & Apostoli unica, scilicet linea, induti, 193. 2

V

VEneno hausto è sacro Calice, non pauci Catholici supervixerunt. 3. 1. Credere non omnes obligantur venenum ita sumptum non nociturum, ibid. 2
Vestes paragaudæ, quæ? 193. 1
Victor II. per Regium consensum in Pontificatu constitutus. 1. 1. Fuit eximiè sanctus. 2. 1. Anno 1054. Electus, sequenti coronatus. 3. 2 Plures coegit Synodos. ibid.
Vita communis Clericorum. Vide *Clericalis incontinentiæ causa*.
Universalis Episcopus. Vide *Episcopus universalis*.
Ulricus Curiensis Episcopus commendatur. 224. 1

FINIS INDICIS.

SYNODORUM GENERALIUM, AC PROVINCIALIUM DECRETA, ET CANONES,

SCHOLIIS, NOTIS, AC HISTORICA ACTORUM DISSERTATIONE ILLUSTRATI,

PER F. CHRISTIANUM LUPUM,

Iprensem, Ordinis Heremitarum Sancti Augustini, Sacræ Theologiæ in Alma Lovaniensi Universitate Doctorem, ac Regium Primarium Professorem.

PARS SEXTA.

OPERUM TOMUS SEXTUS,

Continens Synodos ac Decreta Sancti Gregorii septimi.

STUDIO, AC LABORE

F. THOMÆ PHILIPPINI RAVENNATENSIS EJUSDEM ORDINIS.



VENETIIS, MDCCXXVI.

Prostant { APUD JO: BAPTISTAM ALBRITIUM Q. HIERON. ET SEBASTIANUM COLETI.

CUM GRATIA, ET PRIVILEGIO.